BULLARIUM

ROMANUM

BULLARUM
DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM
SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM
TAURINENSIS EDITIO

LOCUPLETIOR FACTA

COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS

A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO

R. P. D. ALOYSII TOMASSETTI ANTIST. DOM. PONTIF.

ET COLLEGII ADLECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM

QUAM

SS. D. N. PIUS PAPA IX

APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT

AUSPICANTE

EMO AC REVMO DNO S. R. E. CARDINALI

FRANCISCO GAUDE

TOMUS III

A LUCIO III (an. MCLXXXI) ad CLEMENTEM IV (an. MCCLXVIII)

AUGUSTAE TAURINORUM

SEB. FRANCO, H. FORY ET H. DALMAZZO EDITORIBUS

MDCCCLVIII

LECTORI BENEVOLO

TAURINENSES BULLARII EDITORES

Bene habet. Tertium Magni Bullarii Romani volumen, compactum et ornatum, typis nostris excusum minus profecto cunctanter duobus prioribus, Lector benevole, amplectere. Quod, nulla interposita mora, quartum excipiet, ad metam, quantum potest, properaturi. In eo enim nervos nos omnes intendimus ut opus magnum, ne dicamus immensum, non modo in sacra studia incumbentibus, verum et germanae historiae reique diplomaticae cultoribus maxime profuturum, diu non praestolarentur eruditi. Iter namque occipientibus nobis lubrica et salebrosa via, haud pauca necesse fuit offendicula occurrerent: quibus tandem aliquando abactis, ecquid adhuc nos moraretur? Quod eo sane dicimus, ne prorsus Lectorem praetereat, manus nos operi imponentes, plurimas difficultates nactos fuisse adversariosque expertos (quos ut cavere decuit, sic timere non decuit), idque genus alia, quae nec praevideri potuere, nec sine industria et labore cunctando vinci.

Haec nobis in operis limine infesta: attamen non defuere secunda, prospera non desunt. Sublevant enim nos recreantque S. R. E. amplissimorum Cardinalium favor; illustrissimorum per Italiam et extra consistentium Episcoporum commendationes; Eminentissimi Gaude Cardinalis, Operis patroni, pervigil cura, consilia, auspicia; DD. in urbe VV. Consessus, praesidente reverendissimo P. D. Aloysio Tomassetti, Antist. Dom. Pontif., studium; ac demum consentiens laus bonorum; incorruptaque vox bene iudicantium (1). Quae omnia stimulos quo-

(1) Longum foret nomina eorum retexere qui de hac nostra editione verbis amplissimis, atque catholico eruditoque viro dignis, loquuti sunt: honoris caussa nominamus cl. v. Aloysium Veuillot, Lutetiae Parisiorum, et S. Th. doct. Iacobum Margotti, Augustae Taurinorum, quorum uterque, ille in ephemeride cui titulus *L'Univers*, hic in ea quae *L'Armonia* dicitur, sermonem de ipso opere habuerunt.

dam modo animis adiicientes, efficiunt profecto ut maiori semper diligentia operi evulgando vacemus. Cuius quidem rei specimen lector habebit quum primum edita volumina conferat diligentissime inter se se: secundum namque priori, utrique tertium non mediocriter praestare deprehendet.

Quod pergratum, Tibi, Lector benevole, futurum, ipsa rerum gravitas, amplitudo et copia nobis pollicentur.

« In hac siquidem operis nostri parte (verba Cocquelinii, in tertii tomi fronte posita, « transcribimus), quam merito Ecclesiasticae historiae saeculi duodecimi, et decimi tertii « fundamentum appellaveris, illustrantur praeclare sancteque gesta duodecim Summorum « Pontificum, qui ab anno 1181 ad 1268 Romanae Ecclesiae praefuerunt: si tamen « Coelestinum IV excipias, qui, cum paucis in pontificatu diebus vixerit, nullas reliquit « constitutiones. Ex iis, quae in hoc tomo exhibentur, monumentis colligi potest, quanta « solicitudine illi sibi commisso gregi invigilaverint, quanto labore contenderint, ut « collapsam disciplinam restituerent; Terram Sanctam a barbararum gentium manibus « vindicarent atque eriperent; profligarentur haereses, ac tandem orthodoxa fides longe « lateque diffunderetur. Praeterea describuntur Ordinum Mendicantium ortus et incre« menta, praescriptae iis regulae, leges sancitae ad stabilienda monastica instituta, data « Sanctorum canonizationum norma; leguntur convocationes duorum illustrium Con« ciliorum, Lateranensis nempe quarti, quod magnum Lateranense Concilium dici solet, « et primi Lugdunensis inter generalia decimi tertii: quam plures indictae referuntur « (quas aiunt) Cruciatae contra Albigenses aliosque haereticos; legesque praescriptae, « quibus a fide catholica aberrantes ad Ecclesiae gremium revocarentur, et pertinaces « debitis poenis coercerentur: innumera tandem alia proponuntur documenta, quae « omnia Summorum Pontificum vigilantiam maximam, pastoralemque solicitudinem « demonstrant.

« Verum ne alieno incommodo nimis cresceret voluminum moles, omittendas esse « putavi, paucis dumtaxat exceptis, constitutiones illas, quae in compilatione literarum « decretalium, ex quibus corpus iuris canonici constat, leguntur: ii siquidem libri « omnium iuris pontificii peritorum manibus teruntur, atque versantur: eaque in re « tenenda nobis erant Cherubini vestigia, in cuius Bullario desunt huiusmodi decre« tales epistolae ».

Breviter, Lector benevole, haec praemonenda visa sunt, ut iam iudicare possit unusquisque, Catholicae Religionis, quam unice diligimus, honorem atque incrementum prae oculis nobis habentibus, omni posthabita venditatione, nunquam defuisse animum, nunquam, opitulante Deo, defuturum.

Tom. III, pag. 7.

INDICULUS
SS. PONTIFICUM CONSTITUTIONUM
QUAE IN TOMIS I, II, ET III

EXTRA ORDINEM CHRONOLOGICUM VAGANTUR.

(Vide *Adv.* praepositam indiculo tomi X).

Adv. *In tribus prioribus tomis plures leguntur constitutiones quarum incerta data est ob defectum notarum chronologicarum. De hisce itaque iudicium eruditis relinquimus. In praesenti indiculo illas tantum referimus, de quibus constat eas plus minusve extra ordinem chronologicum vagari.*

Datum A. D.			*Pag.*
		IN TOMO I.	
		MARTINUS I.	
19 Ianuarii	852 (*vel* 851)	De quotidiano sanctae matris catholicae atque apostolicae Ecclesiae profectu	206
		NICOLAUS I.	
.....	864	Quando ad ea	307
		LEO IX.	
.....	1049	Convenit apostolicae moderamini	629
.....	1049 (?)	Creditae speculationis	627
.....	....	Relatum est auribus nostris	627
.....	....	Apostolicae sedis	628
		IN TOMO II.	
		URBANUS II.	
.....	1095	Venientem ad nos	155
6 Novembris	1097	Potestatem ligandi	154
.....	....	Quantum de tua religione	155
		HADRIANUS IV.	
11 Septembris	1157	Piae postulatio voluntatis	641
		IN TOMO III.	
		LUCIUS III.	
22 Iunii	1185	Iustis petentium desideriis	31
		INNOCENTIUS III.	
13 Martii	1198	Cum in lege veteri	123
22 Maii	1213	Quanto diligentius	265
		HONORIUS III.	
13 Ianuarii	1218	Venerabili fratri Benedicto	337
18 Maii	1233	Cum iuxta testimonium	472
		INNOCENTIUS IV.	
29 Iulii	1254 (?)	Ad extirpanda	552
		ALEXANDER IV.	
6 Martii	1257	Felicis recordationis Innocentius	612
23 Ianuarii	1260	Ad audientiam nostram	667

LUCIUS III

PAPA CLXXI

Anno aerae Christi comm. MCLXXXI.

Lucius III, antea Humbaldus, natione Thuscus, patria Lucensis, pridem Ostiensis et Veliternensis episcopus (1), electus est Romanus Pontifex die prima mensis septembris (2) anno 1181, et sequenti dominica, seu die sexta eiusdem mensis, coronatus est apud Velletrum (3). Sedit in pontificatu annos IV, menses II, dies XVIII (4), imperantibus in Oriente Alexio Comneno, quem Porphyrogenitum vocant, mox Andronico, demum Isaacio Angelo: in Occidente vero Friderico Ænobardo imperatoribus. Obiit Veronae (5) die 24 (6) novembris anno 1185, et sequenti die sepultus est. Vacavit sedes per diem (1).

(1) Has quippe duas Ecclesias univit Eugenius PP. III, teste Roberto de Monte (diploma unionis reperire nondum datum est); cum circa annum 1150 Ostia habitatoribus destituta, propemodum esse civitas desiisset. (2) Consulto adnotavi in Alexandro III, sedem vacasse *per diem, exclusis extremis.* (3) Scribit Anonymus Cassinensis, qui, ut recte notat V. Cl. Camillus Peregrinus, vixit per haec tempora. Illi assentitur auctor Chronic. Fossae Novae. (4) Sic legitur in octavo ex Catalogis Criticae Baronianae praefixis. Anonymus Cassinensis laudatus, ad an. 1185, scribit: *Lucius PP. apud Veronam obiit VII kalendas decembris*, de qua chronologica nota inferius. Sicardus quoque Cremonensis episcopus, qui eo tempore vivebat, suumque concinnabat Chronicon (si coniicere licet ex eiusdem verbis ad an. 1179, *tunc Offredus ordinator meus, vir simplex.... Cremonae fuit episcopus*) anno 1185, haec subdit: Eodem anno, *Urbanus PP. III creatur*, quod factum fuisse nonnisi labente eodem anno, omnibus est incomperto: nec audiendus Godefridus Viterbiensis, qui in *Panthcon* a nobis saepius laudato, Lucium Papam sedisse dicit *annis tribus*; apertissimus quippe error inibi deprehenditur, qui amanuensis forte incuria irrepsit, quod clarius ex infrapositis Bullis apparet, inter quas unam ex Ughellio referimus datam Gerardo Bellunensi electo anno 1185, pontificatus Lucii quinto. Illud quoque advertendum est, annos IV, m. II, d. XVIII computari a die coronationis, seu consecrationis Papae. (5) Ad eam siquidem civitatem se contulerat, ut cum Friderico imperatore conveniret de procuranda sacra expeditione pro recuperatione Terrae Sanctae. (6) Anonymus Cassinensis scribit Lucium *apud Veronam* obiisse VII *kalendas decembris*, quem tamen diem pertinere ad eius sepulturam probat Radulphus de Diceto, ut notat Pagius Iunior. (1) Ipsa enim die, qua sepulturae datus fuit Lucius PP., electus est Urbanus successor, prout inferius videbimus.

I.

Absolutio Wilielmi regis Scotiae ab excommunicatione in eum lata ab archiepiscopo Eboracensi (2).

SUMMARIUM

Cum regibus benigne agendum. — Wilielmus rex ab archiep. Eboracensi excommunicatus. — Post enixas eiusdem, et eius oratorum preces; — Habito prius Rom. Ecclesiae cardinalium consilio, absolvitur; — Et in honorem haberi declaratur.

Lucius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, episcopis, abbatibus, clero et populo per Scotiam constituto, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum regibus tanquam praecellentibus Apostolus statuerit deferendum; dignum est et consonum rationi, ut eos tanquam filios carissimos propensius honoremus, et in devotione beati Petri et sacrosanctae Romanae Ecclesiae annuendo, iustis illorum desideriis attendamus. Accepimus autem quod cum carissimus in Christo filius noster Wilielmus illustris rex Scotorum, electioni et consecrationi venerabilis fratris nostri Ioannis episcopi inexorabiliter obviaret, obtentu literarum sanctae recordationis Alexandri Papae praedecessoris nostri, bonae memoriae Rogerus Eboracensis archiepiscopus, et iam episcopus dictus, in eum et regnum, et quosdam de regno sententiam excommunicationis promulgarunt. Caeterum venerabilis frater noster Iocelinus Glascuensis episcopus, et dilecti filii Arnaldus de Melros et Osbertus Kalkoensis

Cum regibus benigne agendum.

Wilielmus rex ab archiepisc. Eboracensi excommunicatus.

Post enixas eiusdem, et eius oratorum preces;

(2) Ex Baron. ad ann. 1182.

abbates, et Walterus prior Sanctae Columbae de Insula, propter hoc ad Sedem Apostolicam accedentes, sua nobis assertione monstrarunt, quod archiepiscopus excommunicationis in regem et interdicti in regnum, et episcopus iam dictus in quosdam de regno excommunicationis sententiam protulerunt, quam ex multiplici ratione rectractandam fore rationabiliter coram nobis et fratribus ostenderunt. Inde utique fuit, quod praefato regi tanquam carissimo in Christo filio deferentes, omnem sententiam iam dicti episcopi, pro praefata causa in eum vel suos, vel regnum prolatam de communi consilio fratrum authoritate apostolica relaxavimus, et statuimus illum et suos excommunicatione, et regnum interdicto, ex praescripta sententia nostra non teneri. Quo circa universitati vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus ei tanquam regi catholico, et habenti communionem Apostolicae Sedis, participare minime dubitetis: sed in omnibus illi honorem congruum impendatis. Quanto enim certiores sumus de sinceritate devotionis illius Ecclesiis, et personis ecclesiasticis regni sui, tanto amplius eum volumus in omnibus, in quibus secundum Deum possumus, honorari.

Habito prius Romanae Ecclesiae cardinalium consilio, absolvitur;

Et in honorem haberi declaratur.

Datum Veletrae decimo sexto kalendas aprilis (1).

Dat. die 17 martii anno Domini 1182, pontif. anno I.

(1) Quod ad rei huius historiam attinet, excipe a Paglo Iuniore, qui seriem totam brevibus refert ex Rogerii Hovedeni Annalibus, anno 1180: Willelmus Scotiae rex contra Ioannem cognomento Scotum canonice electum episcopum S. Andreae, per vim intrusit Hugonem capellanum suum, spreta appellatione Ioannis ad Papam, et legatorum romanorum iudicio, qui ab Alexandro III in Scotiam missi pro Ioanne sententiam tulerant. Quod cum rescivisset Alexander III, legationem Scotiae committens Rogerio Eboracensi archiepiscopo, mandavit ei, ut una cum Hugone Dunelmensi episcopo sententiam excommunicationis proferret in regem, et regnum illius interdiceret, nisi permitteret Ioannem sedere in pace. Quod cum rex recusasset, legati pontificii sententiam excommunicationis in regem protulerunt, et interdicti in regnum. Cumque haec controversia, vivente Alexandro III, sopiri non potuisset, Willelmus rex, post eius mortem, missis ad Lucium III Pontificem nunciis, absolutionem ab eo impetravit. Misit enim eo Lucius Rolandum electum Dolensem in Britannia Minori episcopum, Romanae Ecclesiae subdiaconum, legatum suum, qui res ita cum rege composuit, ut tam Hugo, quam Ioannes renunciarent eidem Ecclesiae Sancti Andreae, et Ioannes loco ipsius haberet episcopatum Dunkeldensem, et alia nonnulla.

II.

Confirmatio donationis a Barasone, eiusque uxore Algaburga Sardiniae regibus factae monasterio Montis Casini (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Confirmatur donatio ecclesiae S. Nicolai de Gurgo cum omnibus pertinentiis. — Cuius tenor refertur. — Barason, uxore consentiente, ac episcopis adprobantibus, donat Ecclesiae Casinensi ecclesiam S. Nicolai de Gurgo cum omnibus pertinentiis, — Duodecim aut ad minus septem monachis missis ad regendam ecclesiam, — Sub annuo censu viginti bizantiorum pro Casinensi Ecclesia, — Testibus adhibitis ad donationis fidem roborandam. — In temeratores donationis ipsius, Dei et Ss. maledictione invocata. — Pax et benedictio pro illi consentientibus: — Ordinata et firmata anno 1182: — Eadem donatio validatur cum solitis expressionibus.

Lucius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Petro Cassinensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Quae locis religiosis pietatis intuitu conferuntur, firma volumus et illibata persistere, et ne pravorum nequitia perturbentur, apostolico praesidio communire. Hac itaque consideratione rationis inducti, et tuis nihilominus precibus inclinati, ecclesiam Sancti Nicolai de Gurgo cum omnibus pertinentiis suis, quam per dilectum filium nostrum nobilem virum Barason Arborensem iudicem, dioecesanis episcopis assensum praebentibus, commissum tuae curae coenobium est ca-

Exordium.

Confirmatur donatio ecclesiae S. Nicolai de Gurgo cum omnibus pertinentiis.

(1) Edidit P. Montfaucon, Diar. Ital., cap. 22.

nonice consequutum, sicut in scripto eius authentico continetur, et eam iuste ac sine controversia possides, tibi et per te monasterio tuo auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem autem huius facti notitiam idem scriptum inferius du-

Cuius tenor refertur.

ximus annotandum. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Peccatorum pondere praegravatis principale reperitur remedium, ut temporalem substantiam Christi pauperibus erogare festinent, Domino ipso dicente: Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis (1); et iterum: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna taberna-

Barason, uxore consentiente, episcopis adprobantibus, donat Ecclesiae Casinensi ecclesiam S. Nicolai de Gurgo cum omnibus pertinentiis.

cula (2). Ideoque hanc vocem audiens ego Barason rex et iudex, avi et patris mei sequens pro posse pia vestigia, consentiente uxore mea regina Algaburga, necnon et episcopis nostris Mariniano Zorachi de Terra Alba, et comitano (3) Pais de Ala, pro redemptione animarum nostrarum et parentum nostrorum, tradimus, donamus atque concedimus Ecclesiae S. Benedicti de Monte Casino, ecclesiam S. Nicolai de Gurgo cum omnibus pertinentiis suis, cum servis et ancillis, terris, vineis cultis et incultis, saltibus et pratis, et sylvis, atque piscationibus, nec non et animalibus, et cum omnibus, quae in chartula eiusdem Ec-

Duodecim aut ad minus septem monachis missis ad regendam Ecclesiam

clesiae continentur scripta; tali pacto atque conventione, ut duodecim ibidem ad Deo serviendum, si tamen supradicta Ecclesia hos sustinere sine sui detrimento potuerit, dirigat monachos, ex quibus tres vel quatuor ita sint literati, ut si necessarium fuerit, in archiepiscopos et episcopos possint eligi, et etiam regni nostri negotia sive in Romana Curia, vel in Curia imperatoris, et ubique valeant

Sub annuo censu viginti bizantiorum pro Casinensi Ecclesia:

tractare. Si vero tantos sustinere non potuerit praedicta Ecclesia, septem vel quantos secundum consilium nostrum visum fuerit, transmittat, de qua Ecclesia viginti byzantios, et non plus, annuatim accipiat Ecclesia Sancti Benedicti Montis Casini, nisi forte aliquid intervenerit eidem Ecclesiae impedimentum, vel pro Curia Romana, vel pro guerra, vel certe pro regni sui negotio, vel etiam pro comparatione alicuius terrae. Mihi autem, vel alicui alteri non liceat aliquo modo supradictam S. Nicolai repetere vel inquietare Ecclesiam si supradictam tenere

Testibus adhibitis ad donationis fidem roborandam.

voluerint conventionem. Testes Marianus Zorraki episcopus Terralbe, et comitanus Pais episcopus Alae, et Ponthus curator de Bonorzuli, et comitanus Fronsacute curator de Campitanno, et comitanus de Laconpedes curator de Valensa, et Constantinus Spanus curator de Frodoriane, iudex, Parason de Gallun curator de Miili, Orzocho de Lacon filius meus, curator de Giltiber, Orzocor de Lacon Arborikesus, curator de Barbaria de Meana, Constantinus Manca curator de Mantra Olisaii, Iohannes de Vinea Buiakesorum maior cum totis suis sociis, Petrus Paganus, quamvis indignus, sacerdos qui haec omnia scripsit. Si quis

In temeratores donationis ipsius, Dei et Ss. maledictione invocata:

autem contra hanc nostrae donationis chartulam aliquid moliri voluerit, omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, necnon et Beatae semper Virginis Dei Genitricis Mariae, et omnium coelestium virtutum, et sanctorum Patriarcharum, et Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Discipulorum, Innocentium, Martyrum, Confessorum atque Virginum, et omnium incurrant maledictionem electorum. Amen. Qui autem huic

Pax et benedictio pro illis consentientibus

chartulae consenserint, et eam confirmaverint, et veram esse crediderint, habeant benedictionem Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, necnon et B. semper Virginis Dei Genitricis Mariae, et omnium coelestium virtutum et sanctorum Patriarcharum et Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Discipulorum, Innocentium, Martyrum, Confes-

(1) Luc. XI, 41. (R. T.) (2) Luc. XVI, 9. (R. T.)
(3) *Comitanus*, paganus, rusticus, a graeco *κώμη*, pagus, vicus (R. T.)

sorum atque Virginum et omnium electorum. Amen. Haec omnia sunt ordinata et firmata anno millesimo centesimo octuagesimo secundo.

Ordinata et firmata anno 1182.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Eadem donatio validatur cum solitis expressionibus.

Datum Velletri secundo kalendas iulii (1).

Dat. die 30 iunii anno Domini 1182, pontif. Lucii anno I.

III.

Erectio abbatiae Monteregalensis in archiepiscopatum (2).

SUMMARIUM

Exordium. — S. R. Ecclesiae primatum in omnes universi orbis Ecclesias liquido demonstratur. — Mons Regalis constituitur sedes metropolitica: — 1. Montis Regalis abbatia a Guillelmo II Siciliae rege constructa. — Eam Alexander PP. III ab omni episcopali subiectione eximit. — Eiusdem Guilelmi regis preces ad metropolicam dignitatem ei impetrandam. — 2. Causae concessionis. — Res insolita, ut duae civitates inter se vicinae metropoles crearentur: — Cur in praesenti casu sit derogatum huic disciplinae. — 3. Ecclesia Monteregalen. sub protectione Sedis Apostolicae recipitur: — 4. Bonaque omnia eidem confirmantur. — Catanensis Ecclesia ei subiicitur. — 5. Episcopale ius conceditur. — Enumeratio parochiarum et ecclesiarum ad vicinos episcopatus antea pertinentium, quae Monteregalensi confirmantur, vel de novo conceduntur. — Ex concessione Messanensis archiepiscopi: — Ex concessione archiepiscopi Rhegytani, consentiente capitulo: — Ex concessione Bartholomaei Agrigentini episcopi. — Ex Matthaei episcopi Mazariensis, — Episcopi Anglonensis, — Et Bisiniensis cum capituli sui assensu. — 6. Pallii usus archiep. conceditur. — Adhortatio ad Guillelmum archiepisc. ex ipsa pallii concessione petita. — 7. Futuri archiepiscopi per monachos Ecclesiae huius statuuntur eligendi. — 8. Decretum pro immunitate Ecclesiae huius. — Census annuus Sedi Apost. persolvendus. — 9. Solitae conclusiones. — Lucii PP. et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Lucius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guillelmo archiepiscopo Monteregalis, eiusque successoribus canonice instituendis, in perpetuum.

Licet Dominus Iesus Christus Ecclesiam suam instituens discipulis suis eamdem super credentes ligandi ac solvendi dederit potestatem, unam (1) tamen in ea, beatum scilicet Petrum apostolum, voluit præeminere, dicens: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis (2). Intelligendum ex hoc tribuens fidelibus universis, quod sicut unus erat mediator Dei et hominum homo Christus Iesus pacificans quae in coelis erant et quae super terram, et dissolvens maceriarum parietem, et faciens utraque unum, sic et in Ecclesia unum ex ipso, et per ipsum omnium caput esset, nec in membris fieret ulla diversitas, quae per unius auctoritatem et providentiam capitis ad unam fidei veritatem, eamdem religionis reducerentur, et cultum (3). Quod etiam in eo loco monstratur, in quo et de confirmandis fratribus et de pascendis dominicis ovibus praeceptum a Domino nostro legitur ei datum: ex hac itaque potestate, quae ad B. Petrum ex Dominica traditione per-

Exordium.

S. R. Ecclesiae primatum in omnes universi orbis Ecclesias liquido demonstratur.

(1) Adesse sigillum plumbeum pendens, ex una parte inscriptum habens: *Sanctus Paulus, Sanctus Petrus;* ex altera: *Lucius Papa tertius*, asserit Montfoconius, qui privilegium totum transcripsit ex apographo archivii Montis Casini. (2) Hanc abbatiam a cuiusque archiepiscopi et episcopi potestate exemit Alexander PP. III, anno 1174, bonaque omnia eidem confirmavit Const. *Ex debito*, Collect. huius, tom. II, pag. 775. — Edidit Roccus Pirrus, Sicil. Sac., tom. I, ubi de hac Ecclesia.

(1) Forsitan leg. *unum* (R. T.) (2) Matth. XVI, 18 et 19 (R. T.) (3) Forsitan *eumdem.... reducerentur et cultum*. (R. T.)

venit sacrosancta Romana Ecclesia, quae per Dominum Iesum Christum ab eodem B. Petro instituta est et fundata super universas Ecclesias auctoritatem obtinuit, ut ubique ratum esset, ac solidum, quod ipsius prudentia statuisset; quod etiam ab universis Ecclesiis per orbem terrarum usquequaque diffusis et receptum est, et servatum; itaut per eam, et distributio facta sit dignitatum, et inditum Christi fidelibus, et diligentius ordinatum, quod ad cultum pertinere visum est pietatis. Ex hac siquidem data B. Petro a Domino potestate, ipse et successores ipsius per diversa mundi loca constituerunt episcopos, et dignitates per provincias diviserunt.

Mons Regalis constituitur sedes metropolitica.

§ 1. Nos etiam, qui eis, licet impares meritis, Domino vocante successimus, in loco, qui Mons Regalis dicitur, pro multa utilitate populi christiani metropoliticam sedem duximus statuendam. Cum etenim charissimus in Christo filius noster Guillelmus illustris Siciliae rex, divinae caritatis igne succensus, ad gloriam Dei et salutem suam, ac parentum suorum monasterium ibi fundasset; et primo locum ad id agendum B. Petro, et Romanae obtulisset Ecclesiae, ab episcopali subiectione per auctoritatem praedecessoris nostri felicis memoriae Alexandri PP., assensumque venerabilis fratris nostri Gualterii Panormitani archiepiscopi liberum reddidit, et quietum, ac sic aedificiis erigendis regiam curam impendens, brevi tempore templum Domino multa dignum admiratione construxit, castris munitissimis, et redditibus ampliavit, libris, et sacris vestibus, et argento decoravit, et auro: et tandem multitudinem monachorum de Cavensi ordine introduxit, et in tantum aedificiis et rebus aliis extulit locum ipsum, ut simile opus per aliquem regum factum non fuerit a diebus antiquis, ut in admirationem homines adducat, ad quos ex auditu solo potuerit, quod factum est, pervenire; deinde ad opus bonum, sicut cervus ad fontes aquarum anhelans, et modicum reputans quidquid desiderio fecerat aeternorum, iuxta id, quod Sapientia dicit: Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient (1); a praedicto praedecessore nostro et nobis ipsis, et fratribus nostris cum multa instantia postulavit, ut eumdem locum dignitate metropolitica donaremus, praesertim cum et illuc populum congregare coepisset et disponeret congregare: qui ex illa parte contra omnium inimicorum incursus inexpugnabile munimen posset toti terrae conferre.

Montis Regalis abbatia a Guillelmo II Siciliae rege constructa.

Eam Alexander III ab omni episcopali subiectione eximit.

Eiusdem Guillelmi regis preces ad metropoliticam dignitatem ei impetrandam.

Causae concessionis.

§ 2. Porro nos deliberatione habita non parva cum fratribus, et attendentes communem utilitatem, quae de incremento illius loci speratur, desiderio et petitioni eius non duximus abnuendum; ne ubi liberalissimus ipse de thesauro, et tenimentis suis extiterat, nos de his quae ad iniuncti nobis apostolatus a Deo spectant officium, existere difficiles videremur, et tanta eius et nostra minueretur tarditate devotio, quanta nostro studio de bono congruebat ad melius incitari. Nam ex hoc pro desiderio eius non parum facile videbatur, quod licet esset insolitum, quod duae metropoles tam vicinae consisterent, ex hac tamen nova constitutione nequaquam ius minuebatur alterius: cum iam ante monasterium ipsum per archiepiscopos et episcopos tam in se, quam in omnibus locis suis ab omni episcopali iure fuisse exemptum, et plena in omnibus libertate donatum, ita ut nulli archiepiscopo vel episcopo, nisi tantum Rom. Pontifici subiaceret.

Res insolita, ut duae civitates inter se vicinae metropoles crearentur;

Cur in praesenti casu sit derogatum huic disciplinae.

Ecclesia Monteregalen. sub protectione Sedis Apostolicae recipitur.

§ 3. Te itaque, venerabilis in Christo Fr. Guillelme, in eiusdem loci archiepiscopum nostris tamquam B. Petri manibus consecramus, et pallii dignitate statuimus decorandum. Recipiens quidem eamdem Ecclesiam ad honorem Domini Dei nostri et memoriam beatae Mariae Virginis, regia liberalitate fundatam sub apostolici tuitione muniminis, et nostro privilegio, quod factum est, roboramus.

(1) Ecclesiastic. XXIV, 29. (R. T.)

Statuimus autem in primis, ut ordo monasticus, qui secundum Dei timorem et B. Benedicti regulam, et Cavensis monasterii observantias in eo loco constitutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Bonaque omnia eidem confirmantur.

§ 4. Praeterea quascunque possessiones et quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum ex dono praenominati regis, et quorumque aliorum rationabiliter possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis poterit adipisci, firma eidem Ecclesiae in perpetuum, et illibata permaneant. In quibus episcopatum Catanensem proprio duximus vocabulo designandum, quem nos de fratrum nostrorum communi consilio ad multam praedicti regis instantiam tibi, tuisque successoribus, sicut propriis archiepiscopis, metropolitico in perpetuum constituimus iure subesse.

Catanensis Ecclesia ei subiicitur:

Episcopale ius conceditur:

§ 5. Episcopale quoque ius et omnia, quae in subscriptis locis ex concessione fratrum et coepiscoporum nostrorum habet, auctoritate apostolica tibi, tuisque successoribus confirmamus, et firma et illibata perpetuis temporibus decernimus permanere: ex concessione scilicet venerabilis fratris nostri Gualterii Panormitani archiepiscopi cum voluntate, et consilio, et assensu omnium canonicorum suorum, et regia etiam conniventia, totam parochiam et dioecesim castelli Cerleonis cum monasterio Sanctae Mariae Magdalenae, et aliis ecclesiis cum decimis, et aliis iustitiis, quas de baronibus et aliis hominibus ipsius castelli, et pertinentiarum eius Panormitana Ecclesia solebat percipere, et cum omni episcopali iure, quod in eadem parochia et dioecesi videbatur habere. Ecclesiam praeterea S. Silvestri, quae fuerat demania, et proprii iuris Panormitanae Ecclesiae, quae pro eo, quod Ecclesiae tuae multum vicina erat et multum utilior ei, quam Panormitanae Ecclesiae, iam dictus archiepiscopus, sicut eius scripto autentico continetur, de consilio et consensu omnium fratrum suorum eidem Ecclesiae libera et spontanea tradidit voluntate, cum omnibus tenimentis, villanis et possessionibus et omni iure suo.

Enumeratio parochiarum et ecclesiarum ad vicinos episcopatus antea pertinentium, quae Monteregalensi confirmantur, vel de novo conceduntur.

Ex concessione Messanensis archiepiscopi:

Ex concessione bonae memoriae Nicolai quondam Messanensis archiepiscopi cum totius capituli sui consensu omne ius episcopale, quod Ecclesia Messanensis debebat habere in monasterio et omnibus pertinentiis eius, quod illustris recordationis eiusdem regis mater Margarita gloriosa quondam regina in loco, qui dicitur Moniachium in dioecesi Messanensi in honorem Dei et Beatae Mariae semper Virginis memoriam pro sua devotione construxit, et per dictum archiepiscopum ab omni debito Messanensis Ecclesiae liberum obtinuit, et quietum ab omni iure.

Ex concessione archiepiscopi Rhegytani, consentiente capitulo:

Ex concessione Thomae Rhegytani archiepiscopi communi capituli sui consensu totum ius episcopale, vel quodcumque aliud ad Rhegytanam pertinebat Ecclesiam, in monasterio S. Salvatoris de Martello, quod construxit Ioannes Calomenus regius quondam camerarius, et in monasterio monialium S. Ioannis Exocalnia, quod est extra muros civitatis Rhegii, cum cellis, obedientiis, possessionibus, tenimentis et pertinentiis monasteriorum ipsorum, iuxta quod in iam dicti archiepiscopi privilegio continetur.

Ex concessione Bartholomaei Agrigentini episcopi:

Ex concessione Bartholomaei Agrigentini episcopi cum capituli sui assensu totam parochiam et dioecesim, quam universum ius episcopale cum omnibus decimis et aliis iustitiis, ac redditibus suis, quos de baronibus et aliis hominibus castelli Battalarii et pertinentiarum eius, et casale Busachini, necnon et omnes decimas et alios redditus, quos Agrigentina Ecclesia in castro Corleonis et pertinentiis eius habebat, sicut in scripto ipsius episcopi dignoscitur.

Ex Matthaei episcopi Mazariensis,

Ex concessione Matthaei Mazariensis episcopi parochiam et dioecesim, et ius episcopale, omnesque decimas et alios redditus, quod Ecclesia Mazariensis habebat in municipio Lati et municipio Calatrasi, cunctis-

que pertinentiis ipsorum, sicut in scripto praefati episcopi manifestius continetur. Ex concessione R. Anglonensis episcopi cum communi capituli sui assensu in monasterio Carbonis cum cellis, obedientiis et possessionibus eius totum episcopale ius, et quodcumque aliud in eo Anglonensis habebat Ecclesia, sicut in ipsius episcopi scripto denotatur expressum. Ex concessione Bisiniensis episcopi cum capituli sui assensu ecclesiam Sanctae Mariae de Maccla cum episcopali iure, et omnibus obedientiis et pertinentiis suis, sicut in eiusdem episcopi privilegio demonstratur: ecclesiam quoque Sancti Martini constructam in tenimento ecclesiae a Petro Indulfo, quam ipse Petrus obtulit eidem Ecclesiae cum tenimentis, possessionibus et pertinentiis suis.

Episcopi Anglonensis.

Et Bisiniensis cum capituli sui assensu.

§ 6. Pallium ad haec, plenitudinem scilicet pontificalis officii, fraternitati tuae de Sedis Apostolicae liberalitate largimur, quo intra Ecclesiam tuam ad missarum solemnia celebranda subscriptis diebus uti debebis. Nativitate scilicet Domini, festo S. Stephani, octava Nativitatis Dominicae, Epiphaniae, Hypapanti, Dominica in Ramis Palmarum, Coena Domini, Sabbatho Sancto, Pascha et duobus diebus sequentibus, Assumptione, Pentecoste, tribus festivitatibus Dei Genitricis et Virginis Mariae, Natalicio S. Ioannis Baptistae, Commemoratione omnium Sanctorum, solemnitatibus omnium Apostolorum, et praecipuis festis Ecclesiae tuae, dedicationibus ecclesiarum, consecrationibus episcoporum, ordinationibus clericorum, et anniversario tuae consecrationis die. Provideas igitur quomodo huius indumenti honor modesta sit actuum vivacitate servandus, ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, et esse plus valeas bonis actibus, quam huiusmodi ornamento auctore Deo conspicuus, et quem pastoralis curae constringit officium, dilectionem proberis fratribus exhibere, ut in humilitatis virtute fundatus, nec eleveris prosperis, nec fatigeris adversis. Ipsi etiam adversarii per mandatum Dominicum tuo circa te copulentur affectu, et quantum in te fuerit, pacem habeto cum omnibus, et ad pacem studeto reducere discordantes: fulgeat in pectore tuo rationale iudicii cum superhumerali ratione coniunctum, et ita in conspectu Dei procedas, et hominum, quatenus commisso tibi gregi Dominico, virtutis praestes exemplum, et taliter opere procedas, et verbo, ut videntes opera tua bona, glorificent Patrem nostrum, qui in coelis est, et gaudeant se talem habere rectorem, per quem et erudiantur ad fidem, et ad recta opera provocentur.

Pallii usus archiepisc. conceditur.

Adhortatio ad Guillelmum archiepiscop. ex ipsa pallii concessione petita.

§ 7. Obeunte vero te, aut tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem monachi eiusdem loci, vel maior pars consilii sanioris de ipso collegio, siquidem idoneus fuerit in eo repertus, secundum Deum et canonicas sanctiones crediderint eligendum; quod si forte idoneus ibi reperiri nequiverit, et aliunde fuerit assumendus, per fratres ipsius loci monachus eligatur: qui nimirum, et regularibus cibis, et indumentis utatur.

Futuri archiepiscopi per monachos Ecclesiae huius statuuntur eligendi.

§ 8. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas detinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Ad inditium sane devotionis suae, ac demonstrandum, quod eadem Ecclesia Romano tantum Pontifici subiaceret, supernominatus filius noster rex cum eam sub nomine monasterii fundare coepisset, centum tarenos Romano Pontifici annis singulis constituit persolvendos.

Decretum pro immunitate Ecclesiae huius.

Census annuus Sedi Apostol. persolvendus.

§ 9. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona paginam hanc nostrae constitutionis sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo,

Solitae conclusiones.

tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate; reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei, et Domini Redemptoris Nostri Iesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine divinae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructus bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant.

Lucii PP.

Ego Lucius catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones

Ego Theodinus Portuensis, et S. Ruffinae sedis episcopus subscripsi.

Ego Henricus Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Paulus Praenestinus episcopus subscripsi.

Ego Petrus presbyter card. tit. S. Susannae subscripsi.

Ego Vivianus tit. S. Stephani in Coelio Monte presbyter card. subscripsi.

Ego Laborans presbyter card. Sanctae Mariae Transtyberim tit. S. Callixti subscripsi.

Ego Raynerius presbyter card. S. Laurentii in Damaso subscripsi.

Ego Pandulfus presbyter card. tit. Basilicae Duodecim Apostolorum subscripsi.

Ego Hyacinthus diaconus card. S. Mariae in Cosmedin subscripsi.

Ego Arditio diaconus cardinalis S. Theodori subscripsi.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmae et Damiani diaconus card. subscripsi.

Ego Bobo diaconus card. S. Angeli subscripsi.

Ego Gerardus S. Adriani diaconus card. subscripsi.

Ego Octavianus diaconus card. Sanctorum Sergii et Bacchi subscripsi.

Ego Goffredus diaconus card. S. Mariae in Via Lata subscripsi.

Ego Albinus diaconus card. S. Mariae Novae subscripsi.

Dat. Velletri per manum Alberti S. R. E. presbyteri card. et cancellarii, nonis febr., ind. I, incarn. dominicae anno MCLXXXII (1), pontific. vero dom. Lucii Papae III an. II.

Dat. die 5 februarii anno Domini 1183, pontif. anno II.

IV.

Confirmatio bonorum omnium, et concessio privilegiorum monasterio S. Matthaei de Castello ordinis Cassinensis (2).

SUMMARIUM

Exordium. — Praedecessoris sui Alexandri more monasterium hoc sub Sedis Apostolicae protectione recipit. — Ordinem monasticum secundum Benedicti regulam servari commendat: — Eidem bona omnia confirmat: — Quae nominatim enumerat. — Libertates et concessiones a Theodino et Petro Cassinensibus abbatibus factas confirmat. — Clericos et laicos ad habitum monasticum recipere permittit. — Discedentes monachos absque abbatis licentia retineri inhibet. — Monachos in eamdem domum induci, vel ex ea removeri absque abbatis licentia prohibet. — Item a decimarum solutione eximit: — Et indebitas exactiones, aut census novos imponere,

(1) Non hic instituenda est quaestio de indictionum initio, aut ex quo potissimum mense eas numerarint Pontifices, quae res obscura adhuc omnibus est, nec facile elucidanda. Verum cum iuxta Pagium et Baronium prima indictio quocumque ex mense deducatur, non nisi februario mensi anni 1183, sit adscribenda; hoc diploma eodem anno datum fuisse dicendum est. Hoc autem confirmatur Anonymi Cassinensis testimonio (qui duce Cl. V. Camillo Peregrino per illud tempus vivebat, suumque perduxit Chronicon ad annum 1195), haec scribentis ad an. 1183: *Lucius PP. III apud Velletrum promovit Guillelmum abbatem S. Mariae Regalis de Panormo in archiepiscopum Montis Regalis.* Quare dicendum est eo quoque tempore iniusta fuisse penes Romanos Pontifices, qui mos nunc quoque servatur, annos incarnationis dominicae a die 25 martii deducere. (2) Ex originali in archiv. edidit Gattula, Hist. Cassinen., saec. VII, pag. 402.

seu veteres augere vetat. — Sepulturam liberam esse decernit. — Abbatis electionem ad monachos tantum pertinere statuit. — Decretum immunitatis a quacumque molestia. — Excommunicatio pro violatoribus privilegii huius; — Benedictio et pax illud observantibus. — Lucii PP. et S. R. Eccl. card. subscriptiones.

Lucius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Ioanni abbati monasterii Sancti Matthaei servorum Dei de Castello, eiusque fratribus tam praesentibus, quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Exordium.

In eminenti Apostolicae Sedis specula, largiente Domino, quanquam immeriti constituti, ad universum corpus Ecclesiae aciem nostrae considerationis debemus extendere, et servorum Dei quieti attentiori studio providere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et felicis recordationis Alexandri Papae praedecessoris nostri vestigiis inhaerentes, praefatum monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Praedecessoris sui Alexandri more monasterium hoc sub Sedis Apostolicae protectione recipit.

Ordinem monasticum secundum Benedicti regulam servari commendat.

In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et B. Benedicti regulam in vestro monasterio inst[i]tutus esse dignoscitur, perpetuis ibid[e]m temporibus inviolabiliter observetur.

Eidem bona omnia confirmat;

Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona idem monasterium in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis.

Quae propriis vocabulis enumerat.

Locum ipsum in quo praescriptum monasterium constructum est, cum omnibus pertinentiis suis. Terras et vineas quas habetis in territorio Aquinati, possessiones et terras quas habetis in terra S. Benedicti, sive terragio, iustitiam panis et vini, quam de veteri concessione hactenus observata diebus singulis a Cassinensi monasterio, et eam quam ab Ecclesia S. Mariae de Albaneta et S. Nicolai de Ciconia recipitis, sicut eas vobis praedictum monasterium Cassinense in perpetuum obtinendas pietatis obtentu concessit.

Libertates et concessiones a Theodino et Petro Cassinensibus abbatibus factas confirmat.

Libertatem etiam a bonae memoriae Rainaldo Theodino, et dilecto filio Petro Cassinensibus abbatibus cum assensu capituli, sicut in eorum scriptis autenticis continetur. Monasterio vestro indultam, et bonas consuetudines hactenus observatas, nec non Ecclesiam S. Martini de Monte Montano, et Ecclesiam S. Leonardi iuxta montem Sambuclum cum pertinentiis suis ab eiusdem abbatibus rationabiliter vobis concessas, cum hominibus, quos a praefato monasterio Cassinense tenetis, nihilhominus vobis et monasterio vestro, auctoritate apostolica confirmamus.

Clericos et laicos ad habitum monasticum recipere permittit.

Liceat quoque vobis clericos vel laicos e saeculo fugientes, liberos et absolutos ad conversionem recipere et in vestro monasterio sine contradictione qualibet retinere.

Discedentes monachos absque abbatis licentia retineri inhibet.

Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in loco possessionem, fas sit de eodem loco absque licentia abbatis sui discedere. Discendentem vero sine communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere.

Monachos in eamdem domum induci, vel ex ea removeri absque abbatis licentia prohibet.

Interdicimus etiam ne alicui liceat aliquem monachum in eandem domum contra vestram voluntatem inducere, aut ex ea quemlibet de fratribus vobis nolentibus, sine causa rationabili, removere.

Item a decimarum solutione eximit,

Sane novalium vestrorum, quae propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino a vobis decimas praesumat exigere.

Et indebitas exactiones, aut census novos imponere, seu veteres augere vetat.

Statuimus insuper, ut nulli penitus liceat eidem monasterio vestro indebitas exactiones, aut novos census imponere, seu veteres contra statuta sacrorum cononum adaugere.

Sepulturam liberam esse decernit.

Sepulturam quoque loci ipsius liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi excommunicati, vel

interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam praeviderint eligendum.

Abbatis electionem ad monachos tantum pertinere statuit.

Decretum immunitatis a quacumque molestia.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra et illibata serventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate, et Cassinensis monasterii debito iure et reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Excommunicatio pro violatoribus privilegii huius;

Benedictio et pax illud observantibus.

Lucii PP.

Ego Lucius catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Ego Theodorus Portuen. et S. Rufinae Sedis episcopus subscripsi.

Ego Henricus Albanen. episcopus subscripsi.

Ego Paulus Praenestinus episcopus subscripsi.

Ego Ioannes presbyter cardinalis tituli S. Marci subscripsi.

Ego Laborans presbyter cardinalis S. Mariae Transtyberim tit. Calixti subscripsi.

Ego Petrus presbyter cardinalis tituli S. Susannae subscripsi.

Ego Iacobus diaconus cardinalis S. Mariae in Cosmedin subscripsi.

Ego Ardicio diaconus cardinalis S. Theodori subscripsi.

Ego Gratianus Ss. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Octavianus Ss. Sergii et Bacchi diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Anagniae per manum Alberti S. R. E. presbyteri cardinalis et cancellarii, XVIII kal. ianuarii, indictione secunda, incarnationis dominicae anno MCLXXXIII, pontificatus vero domini Lucii Papae III, anno III.

Dat. die 15 decembris anno Domini 1183, pontif. anno III.



V.

Statutum, ut honores Carnotensis capituli residentibus tantum concedantur, et ne quis, alia in Ecclesia fruens beneficio, canonicus ibi, vel plebanus eligi possit (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — Honores Carnotensis capituli residentibus tantum conceduntur. — Solitae clausulae.

(1) Ex Dacherii Spicileg., tom. XIII, pag. 321.

Lucius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Petro episcopo, et dilectis filiis G. (1) decano et Capitulo Carnotensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Cum ab eo cui plus committitur, amplius exigatur, dignum est et consonum rationi, ut qui in Ecclesia vestra prae aliis honorantur, studiosius illi deserviant, et utilitati ipsius intendant. Hac itaque ratione inducti, auctoritate duximus apostolica statuendum, ut honores (2) Carnoten. Ecclesiae aliis de caetero minime concedantur, nisi qui secundum antiquam et rationabilem consuetudinem residentiam se promiserunt habituros. Si autem post promissionem suam hoc nequaquam impleverint, ab ipsis reddantur honoribus alieni. Ad haec auctoritate apostolica inhibemus ne quis in alia Ecclesia beneficium habens in canonicum Ecclesiae vestrae, aut plebanum presbyterum admittatur, nisi priori cesserit beneficio, et ab proprio fuerit episcopo absolutus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Honores Carnotensis capituli residentibus tantum concedantur.

Solitae clausulae poenales.

Dat. Velleit. (3) XVI kalendas februarii.

Dat. die 17 ianuarii anno Domini 1184 (4), pontif. anno III.

VI.

Confirmatio sententiae latae a delegatis Apostolicae Sedis in controversia verten. inter episcopum Pennen. et abbatem monasterii S. Quirici eiusdem dioecesis (5).

(1) Supple *Goffrido*. (2) Scilicet beneficia, officia et dignitates. (3) Forsitan *Velletri*. (R. T.) (4) Notam hanc chronologicam margini apponit Dacherius. (5) Bona omnia iuraque huic Ecclesiae confirmavit Innocentius II, Constit. dat. anno 1140, tom. II, pag. 450. — Edidit Ughell., Ital. Sac., tom. I, ubi de historia huius Ecclesiae.

SUMMARIUM

Controversia delegatis Apostolicae Sedis commissa. — Tenor sententiae ab eis latae — In causa inter Oderisium ep. et Senebaldum abbatem. — Hospitium episcopo ad visitationem dioecesis proficiscenti statutum certis in locis et temporibus. — Iuramentum fidelitatis et obedientiae eidem a clericis ecclesiarum monasterii praestandum. — Quae data fuerint abbati monasterii S. Quirici. — Caeterae sententiae partes. — De quarta decimarum medietas episcopo et abbati medietas dabitur. — Huiusmodi compositionem et sententiam confirmat Lucius PP.

Lucius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Oderisio Pennen. episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Controversia delegatis Apostolicae Sedis commissa.

Cum controversia, quae inter te, et dilectum filium Senebaldum abbatem S. Quirici de Intrethoco super Ecclesiis et quibusdam aliis rebus fuerit diutius agitata, venerab. fratri nostro theo. Portuen. episcopo et dilecto filio Octavio Ss. Sergii et Bacchi diac. card. fuisset de mandato nostro commissa, iidem consilio prudentum virorum inter vos subscriptam concordiam statuerunt. Ad maiorem eius evidentiam scriptum ipsorum confectum super eodem negotio inferius de verbo ad verbum duximus annotandum: Theo. Dei gratia Portuen., et S. Rufinae sedis episcopus, et Octavius Ss. Sergii et Bacchi diac. card. Omnibus ad quos literae istae pervenerint, aeternam in Christo salutem. Noverit universitas vestra, quod cum inter vener. fratrem nostrum Oderisium Pennen. episcopum et Senebaldum abbatem S. Quirici de Intrethoco, super ecclesiis et aliis infrascriptis controversia verteretur; nos de mandato D. Papae Lucii de ipsa causa cognoscentes, praenominatus abbas et mag. Bert. praefati episcopi procurator, qui per eundem episcopum in causa ista in praesentia D. Papae Lucii, et quorundam cardinalium tam ad litigandum, quam ad transigendum procurator fuerat constitutus,

Tenor sententiae ab eis latae

In causa inter Oderisium ep. et Senebaldum abbatem.

libere et absolute compromiserunt c librarum provendere poenam sibi invicem stipulatione interposita, promittens (1), si ea, quae nos inter eos statueremus, abbas ipse, vel conventus et procurator, vel episcopus rata semper non haberent. Nos autem, habito virorum prudentium consilio, pro bono pacis de assensu utriusque partis statuimus, ut episcopus, vel eius nuncius, semel in anno in his duabus Ecclesiis in S. Ioannis in Insula, et S. Mariae de Ronzano cum tot equituris, et sociis, cum quot alias Ecclesias episcopatus visitat, suscipiatur honorifice, et procuretur, ut in reditu suo de rebus Ecclesiae secundum quod consuevit, honoretur. In Ecclesia S. Ioannis de Casanello semel in anno ipse, vel eius nuncius honorifice suscipiatur et procuretur; capellani autem praedictarum Ecclesiarum, scilicet S. Ioannis in Insula, et S. Mariae de Ronzano, et reliqui clerici, qui sunt in ipsis capellis, dabunt episcopo cathedraticum, et quos episcopus excommunicaverit de parochianis suis vel de clericis manentibus in capellis, ad communionem ipsi non admittent. Clerici curam animarum gerentes, et vocati ad synodum venient, et quos episcopus ad curam animarum promovebit, fidelitatem ei, et Ecclesiae Pennen. iur. habent. De capella vero S. Ioannis in Casanello, quae est in Atroveteri, habeat episcopus quartam decimarum et mortuariorum, et ille qui ibi gerit curam animarum, iurabit fidelitatem Pennen. episcopo et Pennensi Ecclesiae; abbas vero habebit pleno iure institutionem et destitutionem in his quinque Ecclesiis, scilicet in S. Ioannis de Insula, S. Mariae ad Ronzanum, S. Ioannis in Casanello, S. Nicolai in Galbano, S. Salvatoris ad Fanum, et interdictum, quod ipse posuerit in iam dictis Ecclesiis, et quos excommunicaverit de monachis vel clericis manentibus in praedictis Ecclesiis episcopus non absolvet. Si quos ad sacros ordines de monachis

Hospitium episcopo ad visitationem dioecesis proficiscenti statutum certis in locis et temporibus.

Iuramentum fidelitatis et obedientiae eidem a clericis ecclesiarum monast. praestandum.

Quae data fuerint abbati monasterii S. Quirici.

(1) Legendum forsitan *promittentes*. (R. T.)

vel clericis, qui sunt in dictis Ecclesiis, episcopus promovebit, non exiget ab eis iuramentum, nisi promoveat eos ad curam animarum gerendam; privilegia sane sanctae Romanae Ecclesiae monasterio S. Quirici indulta episcopus conservabit illibata, ita tamen ut praefata sint privilegia salva, et iam dicta monasteria, et omnia infra ipsa monasteria consistentia sint in dispositione abbatis, et salva sint ea quae in hac concordia continentur. Monachis et clericis S. Ioannis in Casanello, si quos episcopus sibi iurare fecit, absolvet, praeter illum, qui tenet et tenebit capellam Atriveteris, qui tenebitur ad iuramentum fidelitatis. Clerici vero gerentes curam animarum in capella Ecclesiae S. Ioannis in Casanello suscipiant ipsam curam de manu episcopi, et tenebuntur iuramento episcopo et Pennensi Ecclesiae. De reliquis vero dictis Ecclesiis si quos sibi iurare fecerit, absolvet, praeter illos qui in ipsis Ecclesiis curam gerunt animarum. Praeterea episcopus in visitatione parochiae, ipse, vel eius nuncius recipietur et honorifice tractabitur. In Ecclesia S. Salvatoris ad Fanum, et S. Nicolai in Galbano consuetus census ei dabitur. De Ecclesia S. Salvatoris, de qua destitutus fuerat, et omnes clerici, qui sunt in Ecclesiis, in quibus baptismus celebratur, et in quibus cura geritur animarum tam in capellis omnibus S. Ioannis in Casanello, quam in omnibus aliis Ecclesiis, sive sint capellae, sive non, in quibus geritur cura animarum, suscipiant eam curam de manu episcopi et reddant ei cathedraticum, et tenebuntur ei iuramento fidelitatis. De quarta vero decimarum et mortuariorum omnium praedictarum Ecclesiarum, excepta capella de Atro, medietatem habebit episcopus, et medietatem alteram abbas. Correctio vero in spiritualibus pertinebit ad episcopum, in temporalibus ad abbatem. Manifesta sane crimina omnium laicorum parochianorum praedictarum Ecclesiarum referentur ad episcopum. Ut autem haec

Caeterae sententiae partes

De quarta decimarum medietas episcopo et abbati medietas dabitur.

omnia perpetuum robur firmitatis obtineant, praesentis scripturae paginam nostrorum sigillorum impressione signavimus.

Acta sunt ista in civitate Anagniae anno Dom. 1183, pontificatus domini nostri Lucii III Papae anno tertio, indict. 2, mensis decembris die 22. Hanc igitur compositionem, sicut inter vos facta est et recepta, ut superius de verbo ad verbum annotavimus, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Huiusmodi compositionem et sententiam confirmat Lucius PP.

Datum Anagniae, XIV kal. februarii (1).
Dat. die 19 ianuarii.

VII.

Decretalis contra nonnullos abusus in Pictavensi dioecesi invectos (2).

SUMMARIUM

Beneficia ecclesiastica, antequam vacent, non promittenda. — Episcopo Pictaven. de beneficiis ultra sex menses vacantibus collationem concedit. — Ius eidem elargitur in abbatissas sui episcopatus. — Praepositurae quoque Ecclesiae Pictaven. collationem concedit. — De duobus beneficiis simul non retinendis.

Lucius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guillelmo Pictavensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Beneficia ecclesiastica, antequam vacent, non promittenda.

Cum sit in Lateranensi concilio constitutum ad immoderatam quorundam avaritiam coercendam, et tollendam materiam iurgiorum, ne beneficia ecclesiastica, donec vacaverint, promittantur: grave nobis est et molestum, quod in dioecesi tua abbates et priores instituta salubria surda aure transire et huiusmodi promissiones illicitas facere perhibentur. Unde ne haec enormitas quae salubri fuerat constitutione praecisa, vires ex dissimulatione resumens perniciosa licentia denuo inolescat; fraternitati tuae praesentibus literis indulgemus, ut huiusmodi promissionibus irritatis, si occasione dissentionum, quae exinde frequenter emergunt, culpa illorum qui praesentationem habere noscuntur, ultra sex menses Ecclesias vacare contingerit, liceat tibi de auctoritate Apostolicae Sedis, omni contradictione vel appellatione cessante, de personis idoneis, sine praeiudicio tamen eorumdem, imposterum ordinare. Nolumus autem, ut ex hoc maioribus Ecclesiis debita reverentia minuatur.

Episcopo Pictaven. de beneficiis ultra sex menses vacantibus collationem concedit.

Ut etiam iniunctum tibi officium tanto liberius exequaris, quanto apostolicum tibi videris adesse praesidium, sollicitudini tuae praesenti auctoritate concedimus, ut abbatissas et alias mulieres, quae in episcopatu tuo domibus religiosis præesse noscuntur, per quarum insufficientiam et negligentiam Deo devotae foeminae observantiam religionis exorbitant, cum consilio dilectorum filiorum nostrorum Sancti Cypriani et de Pinu abbatum corrigere valeas; et si inventae fuerint contumaces, absque appellationis diffugio disciplina ecclesiastica coercere: ut quae remediorum fomenta non sentiunt, putrida ferro vulnera resecentur: salvis Ecclesiis, quae nullo mediante Romano Pontifici sunt subiectae. Ad haec autem praepositurам Ecclesiae tuae cum vacaret, idoneam assignandi personam cum assensu maioris et sanioris partis capituli liberam tibi tribuimus facultatem. Quod si super ea, vel super alio Ecclesiae tuae beneficio cuilibet conferendo tuae devotioni scripsimus, arctari te nolumus mandatum apostolicum adimplere, sed nisi

Ius eidem elargitur in abbatissas sui episcopatus.

Praepositurae quoque Ecclesiae Pictaven. collationem concedit.

(1) Hoc privilegium anno 1184 esse consignandum, optime deducitur ex notis chronologicis, quae in calce sententiae a delegatis apostolicis in causa, de qua hic agitur, latae leguntur. (2) Ex Cartulario Ecclesiae huius edidit Martene, Anecdot., tom. 1, pag. 620.

honesta persona, et beneficio digna extiterit pro qua literas apostolicas contigerit emanare. Hoc autem propter futuram Ecclesiae tuae, quae vacare proponitur.... idonei assignandi tuis nobis literis intimetur, ne forte per ignorantiam veritatis denno tibi scribere compellamur. Cum vero de iure et consuetudine ad episcopum Pictavensem, qui pro tempore fuerit, pertinere dicitur in conventualibus ecclesiis clericorum in dioecesi Pictavensi, et nihilominus in Ecclesia Dauracensi unum canonicum facere praesenti pagina prohibemus, ne quis, appellationis praetextu, quod tibi competit in hac parte, debeat impedire. Sane cum quidam viri religiosi, qui ad unum prioratum regendum vix sufficiunt, plerumque duos ambitione damnabili appetant, et detinere praesumant; discretioni tuae praecipimus, ut hanc praesumptionem compescas, et tam abbates, quam archipresbyteros, decanos per tuam dioecesim constitutos ad suscipiendum ordinem sacerdotii, si idonei fuerint, appellatione remota compellas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis et prohibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

De duobus beneficiis simul non retinendis.

Cum solitis clausulis poenalibus.

Datum Veronae, III idus martii.

Dat. die 13 martii anno Domini 1184, pontif. anno III.

VIII.

Decretum contra haereticos (1).

SUMMARIUM

Proœmium. — 1. Condemnatio omnium haeresum. — 2. Haereses nonnullae nominantur. — 3. Prohibetur, ne quis sine permissione Sedis Apostolicae, vel ordinarii loci praedicet. — 4. Anathematizatio haeresum contra sacramenta, — Et haeretic... in omnium ubique locorum damnatorum. — 5. Item defensorum, fautorum, *etc.* — 6. Degradatio ecclesiasticorum, qui in haereses inciderint: — Et poenae contra laicos non resipiscentes. — 7. De suspectis et relapsis. — 8. Huiusm. excommunicatio in haereticos a patriarchis, archiepiscopis et episcopis praecipuis solemnitatibus innovanda statuitur. — 9. De perquirendis, examinandis et puniendis haereticis. — 10. De iuramento a baronibus et magistratibus urbium *etc.* praestando auxilium episcopis contra haeretic. dandi. — Poenae contra renuentes. — 11. Fautores haereticorum nulla gaudeant exemptione a iurisdict. episcoporum in huiusm. causis.

(1) Ex Concil. tom. XIII. — Cap. *Ad abolendum de haereticis.*

Ad abolendam diversarum haeresum pravitatem, quae in plerisque mundi partibus modernis coepit temporibus pullulare, vigor debet ecclesiasticus excitari: cum nimirum imperialis fortitudinis suffragante potentia, et haereticorum protervitas in ipsis falsitatis suae conatibus elidatur, et catholicae simplicitatis veritas in Ecclesia Sancta resplendens, eam ubique demonstret ab omni execratione falsorum dogmatum expiatam.

Proœmium.

§ 1. Ideoque nos, carissimi filii nostri Friderici illustris Romanorum imperatoris semper Augusti, praesentia pariter et vigore suffulti, de communi consilio fratrum nostrorum, necnon aliorum patriarcharum, archiepiscoporum, multorumque principum, qui de diversis mundi partibus convenerunt: contra ipsos haereticos, quibus diversa vocabula diversarum indidit professio falsitatum, praesentis decreti generali sanctione consurgimus, et omnem haeresim, quocumque nomine censeatur, per huius constitutionis seriem, authoritate apostolica condemnamus.

Condemnatio omnium haeresum.

§ 2. In primis ergo Catharos et Patarinos, et eos qui se Humiliatos vel Pauperes de Lugduno, falso nomine mentiuntur, Passaginos, Iosephinos, Arnaldistas, perpetuo decernimus anathemati subiacere.

Haereses nonnullae nominantur.

Prohibetur, ne quis sine permissione Sedis Apostolicae, vel ordinarii loci praedicet.

§ 3. Et quoniam nonnulli sub specie pietatis, virtutem eius, iuxta quod ait Apostolus, denegantes, authoritatem sibi vindicant praedicandi, cum idem Apostolus dicat: Quomodo praedicabunt, nisi mittantur? (1) omnes qui vel prohibiti, vel non missi, praeter authoritatem ab Apostolica Sede, vel episcopo loci susceptam, publice vel privatim praedicare praesumpserint.

Anathematizatio haeresum contra Sacramenta,

§ 4. Et universos, qui de sacramento Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de baptismate, seu peccatorum remissione, aut de matrimonio, vel de reliquis ecclesiasticis sacramentis, aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia praedicat et observat: et generaliter quoscumque eadem Romana Ecclesia, vel singuli episcopi per dioeceses suas, cum consilio clericorum, vel clerici ipsi, sede vacante, cum consilio, si oportuerit, viciniorum episcoporum, haereticos iudicaverint, pari vinculo perpetui anathematis innodamus.

Et haereticorum omnium ubicumque locorum damnatorum:

Item defensorum, fautorum, etc.

§ 5. Receptores et defensores eorum, cunctosque pariter qui praedictis haereticis ad fovendam in eis haeresis pravitatem, patrocinium praestiterint aliquod, vel favorem sive consolati, sive credentes, sive perfecti, seu quibuscumque superstitiosis nominibus nuncupentur, simili decernimus subiacere sententiae.

Degradatio ecclesiasticorum, qui in haereses inciderint:

§ 6. Quia vero peccatis exigentibus quandoque contingit, ut ecclesiasticae severitas disciplinae, ab iis qui virtutem eius non intelligunt, condemnetur: praesenti nihilominus ordinatione sancimus, ut qui manifeste fuerint in supradictis erroribus deprehensi, si clericus est, vel cuiuslibet religionis obumbratione fucatus, totius ecclesiastici ordinis praerogativa nudetur: et sic omni pariter officio et beneficio ecclesiastico spoliatus, saecularis relinquatur arbitrio potestatis, animadversione debita puniendus, nisi continuo post deprehensionem erroris ad fidei catholicae unitatem sponte recurrere, et errorem suum, ad arbitrium episcopi regionis, publice consenserit abiurare, et satisfactionem congruam exhibere. Laicus autem, quem aliqua praedictarum pestium notoria vel privata culpa resperserit, nisi, prout dictum est, abiurata haeresi, et satisfactione exhibita, confestim ad fidem confugerit orthodoxam, saecularis iudicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus pro qualitate facinoris ultionem.

Et poenae contra laicos non resipiscentes.

De suspectis et relapsis

§ 7. Qui vero inventi fuerint sola Ecclesiae suspicione notabiles, nisi ad arbitrium episcopi, iuxta considerationem suspicionis qualitatemque personae, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, simili sententiae subiacebunt. Illos autem, qui post abiurationem erroris, vel postquam se, ut diximus, proprii antistitis examinatione purgaverint, deprehensi fuerint in abiuratam haeresim recidisse, saeculari iudicio sine ulla penitus audientia decernimus relinquendos, bonis damnatorum, Ecclesiis, quibus deserviebant, secundum sanctiones legitimas applicandis.

Huiusm. excommunicatio in haereticos a patriarchis, archiepiscopis et episcopis praecipuis solemnitatibus innovanda statuitur

§ 8. Sane praedictam excommunicationem, cui omnes cupimus haereticos subiacere, ab omnibus patriarchis, archiepisc., episc. in praecipuis festivitatibus, et quoties solemnitates habuerint, vel qualibet occasione, ad gloriam Dei, et reprehensionem haereticae pravitatis, decernimus innovari: authoritate apostolica statuentes, ut si quis de ordine episcoporum negligens in his fuerit vel desidiosus inventus, per triennale spatium ab episcopali habeatur dignitate et administratione suspensus.

De perquirendis, examinandis et puniendis haereticis.

§ 9. Ad haec de episcopali consilio, et suggestione culminis imperialis et principum eius, adiecimus, ut quilibet archiepiscopus vel episcopus, per se vel archidiaconum suum, aut per alias honestas idoneasque personas, bis vel semel in anno, parochiam in qua fama fuerit haereticos habitare, circumeat; et ibi tres vel plures boni testimonii viros, vel etiam si expedire videbitur, totam viciniam iu-

(1) Rom. x, 15. (R. T.)

rare compellat, quod si quis ibidem haereticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita et moribus dissidentes, eos episcopo vel archidiacono studeat indicare. Episcopus autem seu archidiaconus, ad praesentiam suam convocet accusatos; qui nisi se ad eorum arbitrium iuxta patriae consuetudinem ab obiecto reatu purgaverint, vel si post purgationem exhibitam in pristinam fuerint relapsi perfidiam, episcoporum iudicio puniantur. Si qui vero ex eis iurationem superstitione damnabili respuentes, iurare forte noluerint: ex hoc ipso haeretici iudicentur, et poenis quae praenominatae sunt percellantur.

De iuramento a baronibus et magistratibus urbium, etc. praestando auxilium episcopis contra haereticos dandi.

§ 10. Statuimus insuper, ut comites, barones, rectores, consules civitatum, et aliorum locorum iuxta commonitionem archiepiscoporum et episcoporum, praestito corporaliter iuramento promittant, quod in omnibus praedictis fortiter et efficaciter, cum ab eis fuerint exinde requisiti, Ecclesiam contra haereticos, et eorum complices adiuvabunt, et studebunt bona fide, iuxta officium et posse suum, ecclesiastica similiter et imperialia statuta circa ea, quae diximus, executioni mandare. Si vero id observare noluerint, honore, quem obtinent, spolientur; et ad alios nullatenus assumantur: eis nihilominus excommunicatione ligandis, et terris ipsorum interdicto Ecclesiae supponendis. Civitas autem, quae his decretalibus institutis duxerit resistendum, vel contra commonitionem episcopi punire neglexerit resistentes: aliarum careat commercio civitatum, et episcopali se noverit dignitate privandam.

Poenae contra renuentes.

Fautores haereticorum nulla gaudeant exemptione a iurisdict. episcoporum in huiusmodi causis.

§ 11. Omnes etiam fautores haereticorum, tamquam perpetua infamia condemnatos, ab advocatione et testimonio, et aliis publicis officiis, decernimus repellendos. Si qui vero fuerint, qui a lege dioecesanae iurisdictionis exempti, soli subiaceant Sedis Apostolicae potestati: nihilominus in iis quae superius sunt contra haereticos instituta, archiepiscoporum vel episcoporum subeant iudicium: et eis in hac parte, tamquam a Sede Apostolica delegatis, non obstantibus libertatis suae privilegiis, obsequantur (1).

IX.

Confirmatio fundationis praepositurae de Truthenhusen, ordinis Sancti Augustini dioecesis Argentinae, ab Hohenburgensi monasterio dependentis (2).

SUMMARIUM

Historia Ecclesiae de Hohenburg, eiusque reparationis, — Ab Rilint peractae, opitulante Burkardo episcopo Argentinensi. — Fundatio praepositurae de Truthenhusen. — Conditiones appositae; — Duodecim canonici constituti; — Dos stabilita; — Cui ius decimarum adiicitur; — Alia statuta pro Eccl. visitatione et celebratione missarum. — Festos dies hic enumerat Pontifex, quibus praepositus solemnem missam celebraturus advenire debet ad monasterium Hohenburgense. — Decreta pro indemnitate monasterii. — De electione praepositi. — Privilegia concessa. — Supradicta confirmantur a Lucio PP. — Quae concesserit, quaeque statuerit Pontifex. — Tempore interdicti liceat, clausis ianuis, officia celebrare. — Sepulturam liberam ibi esse decernitur. — Decretum immunitatis pro supradictis omnibus, — Cum solitis poenalibus conclusionibus.

Lucius episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Herrardi abbatissae, et sororibus in monasterio Hohenburg tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, apostolicam benedictionem et perpetuae salutis iucunditatem.

Historia Ecclesiae de Ho-

Totius Ecclesiae fidelibus paterna dilectione familiariter insinuamus, quod

(1) Allatum contra haereticos decretum sancitum est in conventu Veronae habito a Lucio Papa, praesente Friderico imperatore, cardinalibus, et plerisque Ecclesiae rectoribus (teste Rodulpho Diceto) anno 1184, et quidem circa mensem novembrem. (2) Ex authographo episcopi Argent. edidit Sammarth., Gall. Chr., tom. v, inter Instrumenta Ecclesiae huius, num. XXVI.

henburg. eiusque reparationis

audientiae nostrae veridica assertione relatum est, qualiter Fridericus dux, pater Friderici imperatoris, Ecclesiam, quae dicitur Hohenburg, in honore Sanctae Dei Genitricis Mariae fundatam, in qua requiescit corpus S. Odiliae virginis, per indiscretam rerum invasionem disturbaverit, et usque ad tempus filii sui Friderici imperatoris pene destructam reliquerit; ipse vero Fridericus Romanorum imperator divina gratia instinctus, pro tam miserabili patris delicto graviter doluit, et aeterni Regis gratiam reconciliare volens, praefatam Ecclesiam consilio spiritualium personarum restaurare elaboravit, et sicut ab eis didicit religiosam et idoneam personam, nomine Rilint, eidem Ecclesiae praefecit. Haec enim, dum regimen Ecclesiae feliciter suscepit, pro Dei amore destructa diligenter reædificans, dissipata strenue plantans, auxilio et consilio Burkardi Argentinensis episcopi, aliorumque spiritualium, ipsam Ecclesiam ad honorem Dei prudenter et honorifice reformavit, omnemque divinae legis religionem, ac canonicae disciplinae rigorem secundum regulam beati Augustini, inibi pleniter informavit; quam studii normam succedens ei abbatissa dilecta in Christo filia nostra Herrart fideliter in omnibus bonis secuta, inter caetera utilitatis opera, quibus invigilavit, praedium in Trutenhusen cum conventu suo, et cum Gunthero de Vinbege, a quibusdam ministerialibus ipsius coenobii comparavit, et super maius altare in Hohenburg ea conditione tradidit, ut ad honorem Dei, et Hohenburgensis coenobii, per laborem suum praepositura ibi canonicorum regularium fundaretur, qui secundum beati Augustini regulam, et consuetudinem Marbacensis Ecclesiae, institui et permanere deberent: hoc autem favore et consilio carissimi in Christo filii nostri Friderici Romanorum imperatoris semper Augusti, et consensu Ecclesiae ipsius ministerialium, approbatione quoque bonae memoriae Petri Tusculanensis episcopi, tunc Apostolicae Sedis legati, et Henrici Argentinensis episcopi statuit, et construxit primum ibi capellam ad honorem Dei, ac memoriam B. Mariae semper Virginis, et curtim cum caeteris aedificiis, donec construeretur ibi maior Ecclesia, id est, monasterium in memoriam beati Nicolai, cum claustralibus officinis, videlicet cum hospitali pauperum, et hospitio advenientium hospitum, caeterisque aedificiis Ecclesiae necessariis, in quo duodecim canonici, cum idoneo praeposito eiusdem ordinis collocandi sunt, qui sub regulari professione degentes, Hohenburgensis coenobii abbatissis, omnique collegio in negotiis spiritualibus et temporalibus, prout abbatissa et necessitas coenobii postulaverit, in timore Dei devote obtemperent, nec aliquo temerario ausu Hohenburgensem Ecclesiam superbe inquietent: quibus utique praefatae Ecclesiae in Trutenhusen ordinatione tali, ut praedictum est, fundatae dare decrevit, cum praedictorum assensu, duarum hebdomadariarum stipendia praebendarum, non ad privatum usum, sed ad communem utilitatem distribuendarum, duas scilicet carratas vini, et duo talenta Argentinensium denariorum, et viginti octo maldros hyemalis frumenti, et quatuordecim maldros ordei, et beneficia in inferiori Ehenheim et in Rodesheim sita ad easdem praebendas pertinentia, et decimationem Salicae Terrae in Sunthusen, decimas quoque Salicae Terrae in Egensheim ad easdem praebendas pertinentes, et quidquid praeposito vel vicariis suis ad manus oblatum fuerit in Hohenburc. Insuper quoque ad eorumdem usum modo concessit in Gokkeswilre triginta duo frugifera iugera, et dimidium et duo vinifera, cum arbustis, et duos ortos, et curtim; in Bercheim vero concessit illis quatuordecim iugera et unam curtim, in Heilingenstein quoque septem iugera vinifera, quae omnia non pertinent ad praebendas. Ad haec etiam concessit illis

Ab Rilint peracta, consultante Burkardo episcopo Argentinensi.

Fundatio praepositurae de Trutenhusen.

Conditiones appositae;

Duodecim canonici constituti;

Dos stabilita:

Cui ius decimarum adiicitur;

ex integro ipsum allodium Trutenhusen. Statutum est itidem, ut quilibet praepositus in Trutenhusen, cum voluerit, Hohenburgensem Ecclesiam visitet, et missarum solemnia secundum ordinem ipsius Ecclesiae celebret, ac duos ex canonicis suis religiosos et idoneos hebdomadarios in Hohenburc semper constituat servituros. Quod si praedicti sacerdotes aliquando commutandi fuerint, praepositus, absque ulla contradictione abbatissae, libere eos ad claustrum revocans, alios idoneos restituere curet, qui de mente, sine licentia abbatissae, non recedentes, divina officia absque ullo gravamine secundum consuetudinem Hohenburgensis Ecclesiae celebrare non recusent. In Purificatione quoque Sanctae Mariae, et in die Palmarum, et in Coena Domini, et in Nativitate ac Decollatione Sancti Ioannis Baptistae, et in Assumptione Sanctae Mariae, et in festivitate S. Michaelis, et Omnium Sanctorum ad monasterium Hohenburgense, si inevitabilis causa non impediat, missam solemnem celebraturus annuatim veniat, et etiam in festo S. Odiliae, ac in capellae eius dedicatione, et in Nativitate Domini missam diurnam priorem celebret. Quod si praepositus et canonici sui haec privilegii decreta neglexerint, Ecclesiamque Hohenburgensem irrationabili gravamine inquiete perturbaverint, abbatissa et conventus praebendas ac beneficia ad praebendas pertinentia subtrahant; et aliunde sibi sacerdotes, quos voluerint, quietos et religiosos sibi provideant; isti vero officia in missarum solemniis prius sibi concessa amplius in Monte Hohenburc, nisi permissione abbatissae et conventus, sicut et alieni celebrare non audeant. Similі quidem modo, si Stivagiensis abbas et canonici sui Hohenburgensem Ecclesiam per iniustam contradictionem contentiose impugnaverint, nec privilegii sui statuta a manu Hohenburgensis abbatissae data, mansuete obtemperando, observaverint, locus S. Gorgonii, qui est praebenda unius hebdomadarii cum omnibus appenditiis suis, quem quilibet Stivagensis abbas ab Hohenburgensi abbatissa accipere debet, caeteraque beneficia de Hohenburc missarum solemnia, quemadmodum alieni, nisi permissione abbatissae, celebrare non audeant. Unanimi quoque consilio et consensu decretum est, ut uno quoque praeposito in Trutenhusen a praesenti vita decedente, vel mutato, fratres inibi commorantes idoneam et religiosam ordinis sui personam eligant, et ipse electus investituram praeposituræ de manu Hohenburgensis abbatissae absque ulla contradictione primo aditu per librum (1) gratis accipiat. Adiectum est nihilominus, ut Ecclesia in Trutenhusen sub Hohenburgensis advocati patrocinio defendatur, et quaelibet saecularis causa inibi ventilanda in iudicio ipsius advocati discutiatur. Nunc igitur, quia haec pia, religiosaque statuta nostro confirmari munimine, atque apostolica protectione vallari praedicta filia nostra Herrart venerabilis abbatissa petivit, nos petitioni suae benigno concurrentes assensu, praedictam constitutionem auctoritate apostolica confirmamus, et locum ipsum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quaecunque bona idem monasterium in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma fratribus, eorumque succedentibus, et il-

Alia statuta pro Eccl. visitatione et celebratione missarum.

Festos dies hic enumerat Pontifex, quibus praepositus solemnem missam celebraturus advenire debet ad monasterium Hohenburgense.

Decreta pro indemnitate monasterii.

De electione praepositi.

Privilegia concessa.

Supradicta confirmantur a Lucio PP.

(1) Modus investiendi rei diplomaticae peritis non ignotus. Investitus siquidem immittebatur in possessionem rerum, vel dignitatis, qua investiebatur, per quoddam symbolum, puta cespitem, herbam, ramum aliaque, quae affinitatem aliquam haberent cum re, quae donaretur, cederetur etc. Vide *Dictionarium Ducangii, verbo* Investitura: puto librum hunc fuisse Missale, quod super altare poni solebat, ut conicitur ex nonnullis documentis Medii Ævi.

libata permaneant. Liceat quoque illis personas liberas et absolutas a saeculo fugientes ad conversionem recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli canonicorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque praepositi sui licentia de eodem discedere, discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat ipsis, clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Paci quoque et tranquillitati fratrum paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut nullus infra clausuras locorum seu grangiarum suarum violentiam, vel rapinam, seu furtum committere, ignem apponere, hominem capere vel interficere audeat; sepulturam praeterea ipsius loci tam ad opus fratrum, quam familiae peregrinorum, seu hospitum inibi decedentium, nisi forte excommunicati fuerint vel interdicti, liberam esse decernimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salva Sedis Apostolicae auctoritate et dioecesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona, contra hanc nostrae constitutionis paginam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat; cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatinus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Quae concesserit, quaeque statuerit Pontifex.

Tempore interdicti liceat, clausis ianuis, officia celebrare.

Sepulturam liberam ibi esse decernitur.

Decretum immunitatis pro supradictis omnibus.

Cum solitis conclusionibus poenalibus.

Datum Veronae per manum Alberti sanctae Romanae Ecclesiae presbyteri cardinalis et cancellarii, kal. maii, indict. III, incarnationis dominicae anno MCLXXXV, pontificatus vero domni Lucii Papae III anno IV.

Dat. die 1 maii anno Domini 1185, pontif. anno IV.

X.

Bona et privilegia Admontensis monasterii confirmat, et nova de electionibus abbatissarum, et aliorum monasteriorum regimine sancit statuta (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Monasterium hoc praedecessorum more sub Sedis Apostolicae recipit protectione: — Universa eidem bona, donationes et concessiones confirmat. — Eadem enumerat. — Illa in feudum, sive beneficium aliquibus dare, aut modis aliis alienare tam episc., quam abbati prohibet. — Sepulturam liberam declarat. — Ad habitum monast. recipiendi etiam aliorum monasteriorum personas facultatem impertitur. — Monachos discedentes absque abbatis, totiusque congregat. licentia retinere prohibet. — Exemptio a decimarum solutione. — Ab eodem indebitas exactiones exigi vetat. — Indulta Friderici imperatoris auctoritate apostolica confirmat. — In Ecclesiis ad ipsum spectantibus praesentatis sacerdotibus idoneis, episcopus animarum curam committat. — Abbatissarum eidem monasterio subiectarum a sororibus cum consilio et assensu abbatis et fratrum electionem communiter fieri iubet. — Personas electas episcopis antequam praesententur, abbati cui obedientiam et subiectionem promittere tenentur, benedicere prohibet. — Ipsos ad

(1) In Cod. Diplomat. Admonten. edidit Pezzius, Thesaur. Anecdot., tom. III, par. III, n. V.

regimen alicuius monasterii in perpetuum nisi cum plena potestate disponendi secundum statuta ordinis cogi vetat. — Abbatis electionem secundum B. Benedicti regulam ad monachos spectare mandat. — Solitae conclusiones et clausulae; — Proposita excommunicationis poena violatoribus privilegii huius; — Benedictione illud observantibus. — Lucii Papae, et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Lucius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Isenrico abbati monasterii Sancti Blasii, quod Admunt dicitur, eiusque fratribus, tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Exordium.

Officii nostri nos admonet et invitat auctoritas pro Ecclesiarum statu satagere, et earum quieti ac tranquillitati salubriter auxiliante Domino providere. Dignum namque et honestati conveniens esse dignoscitur, ut qui ad earum regimen Domino disponente assumpti sumus, eas a pravorum hominum nequitiis tueamur, et beati Petri atque Apostolicae Sedis patrocinio muniamus.

Monasterium hoc praedecessorum more sub Sedis Apostolicae recipit protectione:

Quapropter, dilecti in Domino filii, venerabilis fratris nostri Alberti archiepiscopi vestri, ac vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et praefatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, praedecessorum nostrorum bon. mem. Paschalis, Innocentii, Lucii, Alexandri Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Universa eidem bona, donationes et concessiones confirmat.

Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona idem monasterium in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant.

Eadem enumerat.

In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: praedium, quod dedit episcopus Gebehardus in silva, quae dicitur Frizewalt, ex utraque parte fluminis, ab Horgeprukke usque Schrasengaste, cum decimis et omnibus utilitatibus suis, peaedium, quod apud Chatse ab Ottone per concambium suscepistis. Decimas, a Gebehardo episcopo vobis canonice concessas. Praedium apud Elsindorf, cum ecclesia et suis pertinentiis. Apud Halle iuxta monasterium quidquid ibi episcopi, videlicet Gebehardus, Tiemo et Chunradus vobis concesserunt.

Illa in feudum, sive beneficium aliquibus dare, aut modis aliis alienare tam episc., quam abbati prohibet.

Nec episcopo, nec abbati ipsi, nec personae alicui facultas sit bona eiusdem coenobii in feudum sive beneficium aliquibus dare, nec modis aliis alienare.

Sepulturam liberam declarat

Sane sepulturam ipsius loci liberam esse censemus, ut qui se illic sepeliri desideraverint, nisi excommunicati sint, vel interdicti, extremae voluntati eorum nullus obsistat, salva iustitia matricis Ecclesiae.

Ad habitum monast. recipiendi etiam aliorum monasteriorum personas facultatem impertitur

Laicos sive clericos saeculares ad conversionem suscipere, vel etiam ab aliis monasteriis personas arctioris vitae desiderio, seu alia certa rationabili causa, ad vos venientes, nullius episcopi, abbatis, vel praepositi vos inhibeat contradictio.

Monachos discedentes absque abbatis, totiusque congregat. licentia retinere prohibet

Prohibemus quoque ut nulli fratrum post factam professionem, absque abbatis, totiusque congregationis permissione, liceat ex eodem claustro discedere, discedentem vero absque communi litterarum cautione nullus audeat retinere.

Exemptio a decimarum solutione.

Sane novalium vestrorum, quae propriis manibus, aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas praesumat exigere.

Ab eodem indebitas exactiones exigi vetat.

Nulli quoque liceat monasterio angarias, vel alias novas exactiones monasticae quieti et religioni contrarias imponere.

Indulta Friderici imperatoris auctoritate apostolica confirmat

Quaecumque etiam dilectissimus noster Fridericus Romanorum imperator Augustus, imperialis edicti vigore vobis indulsit et privilegio confirmavit, et nos auctoritate apostolica confirmamus.

In Ecclesiis ad ipsum spectantibus praesentatis sacerdotibus idoneis, episcopus animarum curam committat.

In parochialibus vero Ecclesiis, sive capellis, quas tenetis, liceat vobis sacerdotes eligere, et episcopo praesentare, quibus si idonei fuerint, episcopus animarum curam, ut de plebis

cura quidem episcopo, vobis autem de temporalibus debeant respondere.

Abbatissarum eidem monasterio subiectarum a sororibus cum consilio et assensu abbatis et fratrum electionem communiter fieri iubet.

Praeterea apostolica auctoritate statuimus, ut in monasteriis monialium, quae vestro regimini commissa noscuntur, decedentibus abbatissis, alia cum concilio et assensu abbatis et fratrum qui eis necessaria provident, communiter a sororibus eligatur, aut electio celebrata abbati repraesentetur, ut suo assensu et favore episcopis, in quorum episcopatibus permanent, postmodum debeat praesentari confirmanda vel improbanda.

Personas electas episcopis antequam praesententur, abbati, cui obedientiam et subiectionem promittere tenentur, benedicere prohibet.

Sane si consilio et assensu abbatis et fratrum qui habent illis necessaria providere, electionem moniales non fecerint, aut electio celebrata abbati tunc vestro repraesentata non fuerit, nulli episcoporum liceat personas electas, absque illius repraesentatione, benedicere, quae quidem ipsi abbati vestro obedientiam et subiectionem promittant.

Ipsos ad regimen alicuius monasterii in perpetuum, nisi cum plena potestate disponendi secundum statuta ordinis cogi vetat.

Ad haec praesenti decreto sancimus, ut alicuius monasterii non cogamini regimen, vel administrationem in perpetuum recipere, nisi plenam facultatem habueritis ipsum monasterium secundum statuta vestri ordinis disponendi, pariter, et gubernandi.

Abbatis electionem secundum B. Benedicti regulam ad monachos spectare mandat.

Obeunte vero te, nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel pars consilii sanioris, secundum timorem Dei et beati Benedicti regulam providerint eligendum.

Solitae conclusiones et clausulae.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Salspurgensis archiepiscopi canonica reverentia, cui tamen omnino non liceat vexationem aliquam, vel consuetudinem, quae regularium quieti noceat, irrogare.

Proposita excommunicationis poena violatoribus privilegiis huius;

Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi praesumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris Nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat.

Benedictione illud observantibus.

Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Lucii Papae,

Ego Lucius catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Ego Conradus Sabinensis episcopus Moguntinae sedis archiepiscopus subscripsi.

Ego Theodwinus Portuensis et Sanctae Rufinae Sedis episcopus subscripsi.

Ego Henricus Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Theobaldus Hostiensis et Veleternensis episcopus subscripsi.

Ego Ioannes tituli S. Marci presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Laborans presbyter cardinalis S. Mariae Transtyberim subscripsi.

Ego Hubertus tituli Sancti Laurentii presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Pandulfus presbyter card. tituli basilicae XII Apostolorum subscripsi.

Ego Albinus tit. Sanctae Crucis in Ierusalem presbyter card. subscripsi.

Ego Arditio Sancti Theodori diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Gratianus Ss. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Gofredus S. Mariae in Via Lata diaconus card. subscripsi.

Ego Rolandus S. Mariae in Porticu diaconus card. subscripsi.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus card. subscripsi.

Ego Radulphus Sancti Georgii ad Velum Aureum subscripsi.

Datum Veronae per manum Alberti sanctae Romanae Ecclesiae presbyteri cardinalis et cancellarii, XI kalendas augusti, indictione III, incarnationis dominicae anno MCLXXXV, pontificatus vero domini Lucii Papae III anno IV.

Dat. die 22 iulii anno Domini 1185, pontif. anno IV.

XI.

Confirmatio bonorum omnium et immunitatum Bellunensis Ecclesiae, cui, eiusque episcopo nonnulla conceduntur privilegia (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Bellunensem Ecclesiam sub Sedis Apostolicae protectione recipit: — Exemptiones nonnullas, ac praerogativas concedit. — Eiusdem bona indeque dependentia confirmat; — In plebibus, curtibus, castris, capellis, *etc.*; — Cum decimis et omnibus suis pertinentiis. — Ius ordinationis, livellatici in capellis et ecclesiis. — Capellam seu oratorium sine episc. assensu de novo construi vetat. — Ab indebitis exaction. liberat. — Privilegia omnia confirmat. — Episcopi electionem ad canonicos pertinere decernit. — Solitae conclusiones. — Lucii PP. et S. R. Eccl. cardin. subscriptiones.

Lucius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Gerardo Bellunensis Ecclesiae electo, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Exordium

Quoties nobis petitur, quod religioni et honestati conveniens dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Ea propter, dilecte in Domino fili, tuis iustis petitionibus clementer annuimus, et Bellunensem Ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut nulli laico de terris, quas in tua, vel Cenetensi dioecesi excolis, sive de animalium nutrimentis, a te, vel successoribus tuis decimas liceat extorquere. Decimas etiam novalium in tuo episcopatu et curia Opitergii laboribus suis, sumptibusve cultorum concedimus te habere. Prohibemus insuper, ut nulli contra voluntatem tuam liceat Ecclesiae tuae famulos recipere vel retinere. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona in praesentiarum iuste et canonice possides, aut in futurum rationabilibus modis (Deo propitio) poteris adipisci, firma tibi, tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Plebem S. Petri de Mussolento cum capellis et castro et pertinentiis suis tam in spiritualibus, quam temporalibus. Plebem S. Gregorii cum capellis suis. Capellam S. Petri de Tuba. Capellam S. Crucis. Civitatem cum curia et dominio tam in spiritualibus, quam in temporalibus, et cum Anta, quae est iuxta civitatem. Castrum de Castellione cum plebe et capellis suis, et curte et pertinentiis suis. Castrum de Medone. Castrum de Agorde cum comitatu et cum monte de Falcata, et aliis pertinentiis suis. Medietatem castri de Zumellis, et ius ordinationis, quod habes in capella ipsius castri, et in cortis ipsius; castrum S. Georgii cum pertinentiis suis. Plebem de Cadula cum capellis suis. Pontem de Polpecho cum ripa et pedagiis suis. Plebem Sanctae Mariae de Alpago cum capellis suis, et comitatum cum duabus decimis, quae sunt in eodem comitatu. Castellum de Pucenico cum comitatu terminante per montis summitatem Petrae Cisae, et per montem, qui dicitur Crux Ferrea, et summitatem montis Caballi. Campum Sillium inter eosdem

Bellunensem Ecclesiam sub Sedis Apostolicae protectione recipit:

Exemptiones nonnullas, ac praerogativas concedit.

Eiusdem bona indeque dependentia confirmat;

In plebibus, curtibus, castris, capellis, etc.

Cum decimis et omnibus suis pertinentiis

(1) Edidit Ughell., Ital. Sac., tom. V, ubi de Ecclesiae huius episcopis.

confines, et sylvam cum decimis et pertinentiis suis. Plebem S. Floriani de Zaudo cum capellis suis, et comitatum cum iurisdictione et districtu in pertinentiis ipsius Zaudi. Districtum et ordinationem castri de Lavatio. Montem Farrae cum decimis suis. Sylvam canalis S. Crucis a Levina Leverada respiciente ad Ecclesiam S. Crucis cum decimis et pertinentiis. Curtem de Fregona cum castris de Carone, cum capella S. Iusti, et capellam S. Martini cum dominio et pertinentiis eiusdem. Villam de Pinedo. Castrum de Opitergio cum curte et villis et campaneis suis. Capellam S. Blasii, S. Petri, S. Martini et Sanctae Mariae cum alia capella et campanea, quae omnes dicuntur esse in pertinentiis castri de Opitergio. Ius ordinationis earumdem in plebe S. Ioannis de Opitergio; et capellae curtis Franconis, et livellaticum aliarum Ecclesiarum et ordinationum earumdem in pertinentiis Opitergii: curtem et castra de Soligo cum villis et pertinentiis suis, curtem de Cendone cum capellis ipsius. Auctoritate quoque apostolica nihilominus duximus prohibendum, ne ullus advocatus vel minister eius Ecclesiam tuam, vel quae ad eam pertinent, gravare, seu quibuslibet indebitis exactionibus fatigare praesumat. Prohibemus insuper, ut intra fines parochiae tuae nullus sine tuo assensu capellam seu oratorium de novo construere audeat: salvis privilegiis Romanorum Pontificum. Praeterea novas et indebitas exactiones a patriarchis, episcopis, aliisque omnibus ecclesiasticis saecularibusve personis tibi, sive ministris tuis ecclesiasticis, saecularibusve hominibus, vel rebus tuis imponi auctoritate apostolica prohibemus. Ad haec libertates et immunitates a regibus et principibus et ab aliis personis tam ecclesiasticis, quam mundanis eidem concessas Ecclesiae, et antiquas et rationabiles consuetudines integras, illibatasque manere praesenti decreto sancimus. Inhibemus etiam ne interdictos ac excommunicatos tuos ad officium et ad communionem ecclesiasticam admittere quisquam sine congrua satisfactione praesumat. Obeunte vero te nunc eiusdem Ecclesiae electo, vel tuorum quolibet successorum, nullus qualibet subreptionis astutia vel violentia praeponatur, nisi quem canonici eiusdem Ecclesiae communi consensu, vel pars consilii sanioris secundum Dei timorem et sanctorum Patrum institutionem providerint eligendum.

Ius ordinationis, livellatici in capellis et ecclesiis.

Capellam, seu oratorium sine episc. assensu de novo construi vetat.

Ab indebitis exaction. liberat

Privilegia omnia confirmat.

Episcopi electionem ad canonicos pertinere decernit.

Decernimus etiam, ut nulli omnino hominum *etc.* Si igitur in futurum *etc.*

Solitae conclusiones.

Ego Lucius catholicae Ecclesiae episcopus.

Lucii PP

et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Ego Theodinus Portuensis et S. Rufinae episcopus.

Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Theobaldus Hostiensis episcopus.

Ego Ioannes presbyter card. tit. S. Mariae Transtyb.

Ego Laborans presbyter card. tit. Sancti Marci.

Ego Ubertus tit. S. Laurentii in Damaso presb. card.

Ego Pandulphus presbyter card. tit. Ss. Ioannis et Pauli.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli presb. card.

Ego Melior presbyter card. tit. Ss. XII Apostolorum.

Ego Albinus tit. S. Crucis presbyter card.

Ego Arditio diaconus card.

Ego Rolandus Sanctae Mariae in Porticu diaconus card.

Ego Petrns S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Veronae per manum Alberti sanctae Romanae Ecclesiae presbyteri cardin. et cancell. 15 kal. novembris, indict. 4, anno dominicae incarnationis MCLXXXV, pontificatus vero D. Lucii Papae III anno V.

Dat. die 18 octobris anno Domini 1185, pontif. anno V.

XII.

Privilegium monachis Cisterciensibus concessum ad Ordinis consuetudines confirmandas (1).

SUMMARIUM

Proœmium. — Non licet Ordinariis in personas, vel loca ord. Cister. contra id quod ab origine ordinis observatum aliquam sententiam pronuntiare, et si pronuntiata, non tenet. — Episcopi in abbatum benedictionibus ea sint professione contenti, quae ab exordio ordinis noscitur instituta.

Lucius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Cisterciensi et universis coabbatibus eius sub eodem ordine Domino servientibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Proœmium

Monasticae sinceritas disciplinae, quam in puritate ordinis, quem tenetis, aeterni Conditoris providentia restauravit, illam semper invenit in Apostolica Sede clementiam, qua, et vobis in Domino accresceret propositum virtutis, et aliorum devotio procuraretur exemplis, ut per coelestium semitam mandatorum ad propositum feliciter bravium festinaret.

Non licet ordinariis in personas, vel loca ordinis Cister. contra id quod ab origine ordinis observatum aliquam sententiam pronuntiare, et si pronuntiata, non tenet

Inter caetera vero licet ordo vester ea se servaverit episcopis humilitate subiectum, ut salvis originalibus institutis, eorum semper vellet magisterio subiacere, illud tamen hactenus de favore et protectione Apostolicae Sedis obtinuit, ut nullus in monasteria vel abbates ordinis memorati quamlibet ecclesiasticam sententiam promeret, vel personas in eodem ordine constitutas excommunicationis vel suspensionis, seu interdicti promulgatione gravaret. Quia vero refrigescente charitate multorum usque adeo malitiam noscitur abundasse, ut nonnulli eorum, qui Ecclesiis Dei modernis temporibus sunt praelati, transgrediantur terminos ab antiquioribus constitutos, et in vestrum specialiter ordinem indebitam exercere non dubitent ultionem, praesentium litterarum inscriptione statuimus, et auctoritate apostolica confirmamus, ut nulli omnino liceat in vos, vel monasteria vestra, seu fratres inibi constitutos contra id, quod ab origine ordinis noscitur observatum, excommunicationis vel suspensionis, seu interdicti sententiam promere: quod si deprompta fuerit, auctoritate apostolica decernimus non tenere. Adiungentes quoque decernimus, ut archiepiscopi et episcopi in recipiendis professionibus, quae a benedictis vel benedicendis abbatibus exhibentur, ea sint forma et expressione contenti, quae ab origine ordinis noscitur instituta: scilicet, ut abbates ipsi, salvo ordine suo, profiteri debeant, et contra instituta ordinis nullam professionem facere compellantur.

Episcopi in abbatum benedictionibus ea sint professione contenti, quae ab exordio ordinis noscitur instituta.

Solitae clausulae poenales.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Veronensi (1) undecimo kalendas decembris.

Dat. die 21 novembris anno Domini 1185 (2), pontif. anno v.

(1) Ex Henriquez Regula Ordin. Cisterc., pag. 57.

XIII.

Donationes Godefridi I et Godefridi II Brabantiae ducum in favorem equitum templariorum confirmat (3).

SUMMARIUM

Exordium. — Godefridi ducis donationem confirmat: — Quae fuerit huiusmodi donatio. — Altera Godefridi II donatio; — Quas ratas habet. — Clausulae.

(1) Lege *Veronae*. (2) Perperam ab Henriquez haec constitutio consignatur anno 1183, Lucius siquidem Papa, iuxta superius dicta ex Anonymo Cassinensi, nonnisi anno 1184 Veronam divertit, praecedenti vero tempore, teste Sigonio, in proximis Romae locis substitit: quod clare probant Bullae per illud tempus ab eo datae *Velletri* et *Anagniae*. (3) Edidit Miraeus Oper. diplomat., tom. II, pag. 1159.

Lucius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus Domus Militiae Templi, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere consensum, et vota quae a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere.

Godefridi ducis donationem confirmat.

Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, piam concessionem bonae memoriae Godefridi, quondam ducis Lotheringiae, vobis et domui vestrae rationabiliter factam, ratam esse decernimus, eamque, ut indissolubilem obtineat firmitatem, praesentis litteris duximus inserendam.

Quae fuerit huiusmodi donatio.

Statuit namque divinitus inspiratus, ut quindecim mansos et maresium, et prata usque ad flumen Lane, in loco ubi sylva fuit, et vadit secus terram monachorum Sanctae Mariae et terram viri nobilis Gosowini, ex dono suo, propria consentiente uxore sua, habeatis in posterum, et ad utilitatem domus vestrae utiliter teneatis.

Altera Godefridi II donatio;

Praeterea nepos eius Godefridus dux Lotharingiae, cum propriae uxoris assensu donum a praedicto Godefrido avo suo factum recognovit et ratum habuit, et ad exemplar ipsius relevamentum hominum suorum tam in ducatu de Brabantia, quam in comitatu de Arescot et in tota terra et in ducatu suo, sicut ex authentico scripto eius agnovimus, vos habere concessit.

Adiiciens, ut quicumque de fratribus vestris in curia eius pro reditu illo colligendo morabitur, pro se et duobus scuteriis et tribus equitaturis foenum et avaenam habeat, et candelas et ferraturas equorum de curia ipsa percipiat.

Quas ratas habet.

Quae utique omnia sicut pie et rationabiliter data et concessa, rata esse decernimus, et ea vobis et domui vestrae auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti communimus: statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, et ei ausu temerario contraire.

Solitae clausulae

Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Arimini x kalendas iulii.

Dat. die 22 iunii anno Domini 1185, pontif. anno v.

XIV.

Quod morte mandatoris, lite non contestata, finitur mandatum (1).

SUMMARIUM

Propositum quaesitum exponit; — Casus varii enumerantur, qui appositis pontificiis solutionibus resolvuntur (R. T.).

Cantuariensi archiepiscopo, et eius suffraganeis.

Propositum quaesitum exponit;

Relatum ex parte vestra, quod licet in commissionibus a sanctae recordationis Alexandro Papa tertio praedecessore nostro factis, fuerit appellationis remedium amotum, altera tamen partium, sive lis contestata fuerit, sive non, expirasse mandatum morte mandatoris allegat, ideoque negotiis omnibus postpositis, in suspenso mandatum apostolicum expectatis. Nos igitur consultationibus vestris praesentium auctoritate respondemus, quod si lis contestata fuerit ante obitum praedecessoris nostri, mandatum in morte mandatoris nullatenus expiravit; si vero ante litem contestatam decessit, non est in eo casu iudicibus, quos delegaverat, ex delegatione huiusmodi procedendum: etiamsi ab eis minime fuerit appellatum. Poterit ergo in eo casu, appellatione cessante, procedi in quo ante mortem mandatoris lis fuerit per conquaestionem et responsionem partium contestata. Ubi autem mors mandatoris, lite non contestata, praecessit, penitus subsistatur, sive fuerit, sive non fuerit appellationis obstaculum interiectum.

Casus varii enumerantur, qui appositis pontificiis solutionibus resolvuntur

(1) In appendice ad Concil. Lateranense III, Concil., tom. XIII, col. 498.

URBANUS III

PAPA CLXXII

Anno aerae Christi comm. MCLXXXV.

Ubertus (1) Crivellus, patria Lombardus, archiepiscopus Mediolanensis, S. R. E. presbyter cardinalis, electus est die 25 (2) novembris, an. 1185, et sequenti dominica die, quae incidit in primam decembris, consecratus est Romanus Pontifex (3). Sedit in pontificatu annum I, menses X, dies XXV (4), imperantibus in Oriente Isaacio Angelo, in Occidente Friderico Ænobarbo imperatoribus. Obiit siquidem die 19 octobris anno 1187 (5), et sepultus est in urbe Ferraria (1). Vacavit sedes per diem (2).

(1) Radulphus de Diceto, *Hist. Anglic. Script.*, ed. Seldeno, eum vocat *Humbertum*. Nos eum Ubertum nuncupamus, quo nomine appellatum legimus a scriptoribus Rerum Mediolanensium: praecipue vero a Puricello in monumentis Ambrosianae basilicae. (2) In catalogo archiepiscoporum Mediolanensium, tom. II Actorum eiusdem Ecclesiae, legimus, Urbanum electum Pontificem *in vigilia Natalis Domini*: quo posito, tota rueret chronologia: atque hic quidem catalogus tempore S. Caroli Borromaei confectus, omnibus antiquioribus catalogis, chronicis et scriptoribus adversatur. Praeterea nos subiicimus Bullam quamdam alias ex Gebennensi archivo depromptam, datam *Veronae*, II *idus decembris*, anno 1185, primis nempe pontificatus Urbani diebus scriptam. Ulterius: hunc electum fuisse die 25 novembris, statuto die obitus Lucii decessoris, 24 mensis eiusdem, diserte probatur omnium auctorum consensu asserentium ipsa die, qua sepultus est Lucius, substitutum ei fuisse Urbanum. (3) Haec Radulphus de Diceto: *Humbertus .... kalendis decembris coronatus est in Ecclesia S. Petrimontis in supercilio collocata.* (4) Haec unicuique, vel mediocriter computandi gnaro, patent, si computum a die electionis Urbani deducatur, quod nos servavimus, ut cum caeteris chronologis conveniremus. Hoc enim tempus ei dant Octavus ex catalogis Criticae Baronianae praemissis, Chronicon Fossae Novae, codex quidam ms. Bibliothecae Ambrosianae, Rer. Ital. Script., tomo III, pag. 477, Amalricus, caeterique omnes. (5) Diserte hoc probat Pagius in vita Urbani. Clarius exprimit Gervasius in chronico apud Seldenum, loco citato: *Obiit ... Urbanus* XIV *kalendas novembris*. (1) Libet hic Rogerii Hovedeni verba referre... *Urbanus PP. cum audisset quod temporibus suis captus esset rex Ierosolymitanus, et crux Dominica, et civitas sancta Ierusalem, doluit vehementer, et incidit in aegritudinem, et mortuus est tertio decimo kalendarum novembris*, qui dies eius sepulturae restituendus est, *apud Ferrariam*. Amalricus autem haec addit... *Ibi a clero et populo honorifice fuit sepultus*. (2) De hoc clarius in Gregorio successore. (3) Ex Concil., tom. XIII, col. 653. (4) Adde *istae*.

I.

Urbani PP. literae encyclicae ad omnes episcopos de sui electione (3).

SUMMARIUM

Praefatio. — Lucii Papae III obitus. — In successoris electione concordia. — Urbani in summum Pastorem electio; — Eiusque in divinum adiutorium spes firma et inconcussa. — Omnium vero preces tam pro seipso, quam pro anima demortui Pontificis ad Dominum fieri hortatur.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, et caeteris Ecclesiarum praelatis ad quos literae (4) pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Caelestis Altitudo consilii firmam retinens in sua dispositione censuram, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, ad cuius regimen sumus, licet insufficientes, assumpti, supra petram Fidei soliditate fundavit, illud ei tribuens in apostolicae confessionis fortitudine firmamentum, cui nec procella turbinis, nec praevalere possit spiritus tempestatis. Unde ipsa universalis mater Ecclesia usque ad consummationem saeculi manentem secum retinens Salvatorem, ita, iuxta canticum Salomonis, quem dilexit amplectitur, ut pro nulla rerum varietate, vel temporum ab unitate suae fidei, vel pietatis propo- Praefatio.

sito separetur. Licet enim, vel crebra decedentium mutatione pastorum in varia discrimina frequenter inciderit, vel per mundanae malignitatis incursum persecutiones innumeras pertulerit et labores: nunquam tamen eam gratia divina deseruit, quo minus robur eius in qualibet tentatione perficeret, et inde obtineret spei suae gaudium, unde susceperat fidei firmamentum. Sic igitur ante paucos hos dies faciente cum ea Domino signum in bonum, quamvis ipsam de transitu pii patris Lucii non modicus dolor, tristitiaque turbavit: statum tamen eius in unitate spiritus, et vinculo pacis divina providentia conservavit: ut post vespertinos fletus letitia matutina succederet, et ipsa velut columba pulcherrima suis laetificata gemitibus sine ruga prorsus, et macula candoris sui pulchritudinem retineret. Defuncto siquidem piae recordat. patre, ac praedecessore nostro domino Papa Lucio, et reverendissimo eius corpore honorifice tumulato, habitus est a fratribus de successoris electione tractatus, in quo tanta fuit unitas omnium, tantaque ad invicem concordia singulorum, ut ille intelligatur operatus in eis, in cuius manu corda sunt omnium, et per quem adunatur diversitas animorum. Caeterum cum plures essent in Ecclesia Dei viri venerabiles et prudentes, in quos eorum vota concurrere consultius, ut credimus, et dignius potuissent, ad insufficientiam nostram oculos intenderunt: et factum est sic, ut nos, quibus ad dignitatis tantae fastigium nec vires, nec merita suffragantur, in patrem sibi elegerint et pastorem. Nos autem licet, nobis conscii propriae infirmitatis essemus, itaut crederemus eorum proposito non immerito resistendum; ne tamen ex dilatione negotii, vel pertinacia reluctandi, aliquod in Ecclesia periculum proveniret, consensimus, licet inviti, iniuncti oneris subire laborem, ab eo sperantes, dirigi gressus nostros, qui beato Petro in fluctibus naviganti, et fiduciam praestitit, ut in mare descenderet, et potenter occurrit, ut dubitans non periret. Nunc igitur in eo loco et officio constituti, in quo valde indigemus omnium fidelium suffragiis adiuvari, ad vos tamquam ad speciales Ecclesiae Romanae filios cum fiducia et securitate recurrimus, vosque benedictionis apostolicae praevenientes alloquio, literis familiaribus admonemus, rogamus attentius, et exhortamur in Domino, quatenus transitum supradicti patris et domini nostri Lucii devotis orationum suffragiis prosequentes, fidem et devotionem, quae nobis pro reverentia beatorum Petri et Pauli apostolorum et Apostolicae Sedis communiter debetur ab omnibus, vos specialiter impendatis, ita quod ex hoc, et a Deo praemium consequi, et maiorem semper gratiam valeatis in oculis nostris et totius Ecclesiae promereri.

Lucii Papae II obitus

In successoris electione concordia.

Urbani in summum Pastorem electio;

Eiusque in divinum adiutorium spes firma et inconcussa.

Omnium vero preces tam pro seipso, quam pro anima demortui Pontificis ad Dominum fieri hortatur.

Datum Veronae, secundo idus ianuarii (1).

Dat. die 12 ianuarii anno Domini 1185, pontif. anno I.

II.

Confirmatio bonorum, privilegiorum et immunitatum omnium Cluniacensis monasterii (2).

SUMMARIUM

Exordium a iure Sedis Apostolicae in monast. Cluniac. — Confirmatio privilegii Alexandri Papae II. — Ordo monasticus perpetuo ibid. conservandus. — Confirmatio bonorum omnium et possessionum. — Enumeratio bonorum, quae confirmantur. — Exemptio a solutione decimarum. — Libera facultas concedendi monasticum habitum petentibus. — Prohibitio monach. Cluniacen. discedendi a monast. sine licentia abbatis. — Ius sepeliendi mortuos, salva tamen iustitia Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. — Decretum perpetuae immunitatis a quacumque mo-

(1) Error librarii hic fortasse irrepsit. Si enim pontifex electus est mense novembri anni 1185, dare nequivit literas anno eodem, mense ianuario: legendum igitur videtur *secundo idus decembris*. (R. T.) (2) Ex Bibliothec. Cluniac. Mart. Marrier, col. 1447.

lestia, vi, *etc.* — Solitae clausulae tam contra temeratores, — Quam favore obedientium. — Urbani PP. et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni abbati Cluniacensi, eiusque fratribus tam praesentibus, quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Exordium a iure Sedis Apostolicae in monast. Cluniac.

Quanto specialius Ecclesia vestra nobis est nullo mediante subiecta, tanto propensius eius iuri providere compellimur, ne super his, quae rationabiliter noscitur possidere, processu temporis indebita molestatione gravetur. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et praefatum monasterium in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar fel. record. Alexandri Papae praedecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Confirmatio privilegii Alexandri Papae II.

Ordo monasticus perpetuo ibi conservandus

In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in vestro monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona idem monasterium impraesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo praefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, prioratum S. Mariae de Nazara cum omnibus pertinentiis suis, prioratum Sanctae Trinitatis de Lentona cum omnibus pertinentiis suis, sicut eosdem prioratus Ecclesia vestra canonice possidet, et de donatione praedicti prioratus Sanctae Mariae in scripto authentico continetur, vobis, et eidem Ecclesiae auctoritate apostolica confirmamus.

Confirmatio bonorum omnium et possessionum

Enumeratio bonorum quae confirmantur

Exemptio a solutione decimarum

Sane novalium vestrorum, quae propriis manibus, aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere praesumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos e saeculo fugientes, liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit, nisi arctioris religionis obtentu, absque abbatis sui licentia de eodem discedere, discedentem vero absque communium cautione nullus audeat retinere. Sepulturam praeterea illius loci liberam esse decernimus, ut eorum quoque devotioni, et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Quia vero decimae tam veteri, quam nova lege ministris Ecclesiarum noscuntur esse concessae, sub anathematis interminatione prohibemus, ne ullus laicus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat.

Libera facultas concedendi monasticum habitum petentibus.

Prohibitio monach. Cluniacensibus discedendi a monast. sine licentia abbatis

Ius sepeliendi mortuos, salva tamen iustitia Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit praefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel oblatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi,


Decretum perpetuae immunitatis a quacumque molestia, vi, etc.

Solitae clausulae tam contra temeratores.

Quam favore obedientium.

quatinus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Urbani PP. Ego Urbanus catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.



Ego Ioannes presbyter card. tituli S. Marci subscripsi.

S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones. Ego Laborans presbyter cardinalis tit. Sancti Calixti subscripsi.

Ego Pandulphus presbyter cardinalis basilicae XII Apostolorum subscripsi.

Ego Albinus presbyter cardinalis tituli Sanctae Crucis in Ierusalem subscripsi.

Ego Melior Ss. Ioannis et Pauli tituli Pamachii presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Conradus Sabinensis episcopus et Moguntinus archiepiscopus subscripsi.

Ego Theodinus Portuen., et Sanctae Ruffinae sedis episcopus subscripsi.

Ego Henricus Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Theobaldus Hostiensis et Velletren. episcopus subscripsi.

Ego Gratianus Ss. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Rolandus S. Mariae in Porticu diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Veronae per manum Transmundi sanctae Romanae Ecclesiae notarii, indictione IV, incarnationis dominicae anno MCLXXXV, pontificatus vero domini Urbani Papae III anno primo.

Dat. anno Domini 1185, pontif. anno I.

III.

Confirmatio sententiae latae per Robertum archiepiscopum Viennensem, et Hugonem abbatem Bonaevallis, delegatos apostolicos, super controversiis existentibus inter Arducium episcopum Gebennen. et Willelmum comitem (1).

SUMMARIUM

Causae controversiae. — Statutum delegatorum. — Confirmatur. — Tenor sententiae. — Praemissis solitis iudicialibus formalitatibus; — Scriptis exhibitis et sedulo examinatis; — Testibus diligenter excussis, et allegationibus utriusque partis auditis, — Sententia prolata est; — Quae per singula capita refertur: — In quibus decernitur monetam in manu solius episcopi esse; — Murum noviter constructum a comite, demoliendum esse, — Non obstantibus transactionibus in favorem comitis alligatis: — Omnis insuper in regulares et clericos criminosos manus iniiciendi facultas comiti adempta, nisi prius ab episcopo delinquentes fuerint degradati. — Sententiae testes: — Lata anno 1184, sigillis munita. — Clausulae.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili Fratri Nantellino Gebennensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex tenore authentici scripti nobis innotuit, quod cum discordia, quae super bannis et iustitiis Ecclesiae tuae, et hominibus adventiciis, vel aliis ad civitatem pertinentibus inter bonae memoriae Arducium antecessorem tuum, et Willelmum comitem Gebennensem emerserat, venerabilis frater noster Robertus archiepiscopus Viennensis, et dilectus filius Hugo abbas Bonaevallis suscepissent de assensu partium terminandam. Comes iureiurando, et in verbo veritatis episcopus promiserunt, eorum arbitrium inviolabiliter observare, multi etiam ob- Causae controversiae.

(1) Ex archivo Reip. Gebennen. depromptum.

sides de recipiendo et servando arbitrio iuraverunt. Veritate itaque diligentius inquisita decreverunt, ut recordationes olim factae per homines Ecclesiae atque comitis et eorumdem iuramento firmitate perpetuo inviolabiliter observentur.

Statutum delegatorum

Unde quoniam, ut maiorem habeat firmitatem, arbitrium ipsum scripto nostro postulas roborari, tuis iustis postulationibus annuentes, illud sicut in scripto authentico continetur, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, eius vero talis est tenor.

Confirmatur.

In nomine Domini Nostri Iesu Christi.

Ego Rotbertus Viennensis Ecclesiae archiepiscopus. Et ego Hugo abbas Bonaevallis, causae quae vertebatur inter Ardutium Gebennensem episcopum et Willelmum comitem delectione utriusque partis cognitores constituti, recepto etiam iureiurando a comite, et firma promissione, in verbo veritatis ab episcopo, et multis ex utraque parte receptis obsidibus, eamdem controversiam de bannis, et iustitiis Gebennensis Ecclesiae, et de hominibus adventiciis, vel aliis ad eamdem civitatem pertinentibus, ordine iudiciario terminavimus in hunc modum: exhibitis nobis ab episcopo scriptis, primum quidem gloriosi domini nostri imperatoris Frederici, de regalibus eiusdem civitatis per iudicium in solemni curia habitum, et eiusdem domini nostri sigillo, cum maximorum et plurimorum testium subscriptione firmatum, eidem episcopo restitutis, et confirmatis: deinde aliis scriptis de transactionibus inter episcopum Humbertum Gebennensem, et comitem Aymonem, et inter eum qui nunc possidet, Ardutium episcopum, et comitem Amedeum, factis, et sigillis praedicti Humberti, comitisque Aymonis primo scripto firmato, secundo quoque firmato sigillis venerabilium archiepiscoporum, Eradii Lugdunensis et Stephani Viennensis, idoneis etiam testibus multis de veritate eorumdem scriptorum et forma transactionis, similiter etiam de transactione, per venerabilem archiepiscopum Petrum postmodum facta, diligenter examinatis atque susceptis legitime allegationibus etiam utriusque partis cum omni diligentia auditis atque discussis, assidentibus nobis venerabilibus episcopis Ioanne Gratianopolitano, Lamberto Laurianensi, Petro quondam Manrianensi, et dilectis filiis nostris abbatibus G. Alteeombaco I Alpensi, Stamesiensi G. Habundantino, W. de Siz I, Intermontano, Broolim abbate Sancti Mauricii, prioribus quoque Cartusiensis ordinis de Repausatorio, de Vallone, de Pomerio, de consilio et assensu eorum iustitia mediante decrevimus, ut earumdem cartarum auctoritas inviolabilis perseveret, et per omnia fides debeat adhiberi: adiudicavimus proinde, et firma auctoritate praecepimus, ut recordationes olim factae per homines episcopi et comitis Gebennensium, eorumdem iuramento firmatae inviolabiliter in perpetuum observentur, quas cognovimus tales fuisse. Bannum videlicet totius Genevae in omnibus et per omnia, solius episcopi esse iustitiam et dominium, cuiuscunque sit homo ad episcopum solum pertinere, adventitios quoque, ex quo per annum et diem Gebennis moram fecerint, solius episcopi esse. Et comes in tota Geneva nullos homines capere debet. Hospitalitatem, placitum generale, forationes vini, et totum ripale, coroadam (1), et mutationes domorum, si dominus mortuus fuerit, debet ut dominus possidere: forum totius villae, et iustitiam fori similiter. Solius episcopi esse pedagium, et pascua solius episcopi similiter; comes quoque per se, vel aliquem de suis, in pascuis Gebennensibus, nullas equitaturas capere debet. Monetam in manu solius episcopi esse; et si monetam falsam, quod absit, monetarii fe-

Tenor sententiae

Praemissis nonnis iudicialibus formalitatibus,

Scriptis exhibitis et sedulo examinatis,

Testibus diligenter excussis, et allegationibus utriusque partis auditis,

Sententia prolata est;

Quae per singula capita refertur:

In quibus decernitur monetam in manu solius episcopi esse;

(1) Opera quam dominis, ex consuetudine vel lege, subditi praestare tenebantur. (R. T.)

cerint, nonnisi iussu episcopi comes iustitiam faciat: si quis vero latro captus fuerit, ipsum, et omnia eius episcopus habere debet; si autem episcopus eumdem latronem damnare decreverit, comiti reddat, ut iustitiam faciat: statio comitis Gebennis in cognitione episcopi sit, ita tamen ut comes et familia eius, Ecclesiae, et civibus, et ecclesiasticis rebus non noceant, et vadimonia sua per vim alicui non ponat, et cum recesserit nisi ad pacem creditoris non dimittat. De caetero super muro novo, quem Willelmus comes construxerat extra castrum, per legitimos testes certissime coram nobis probatum est, quod per reverendissimum virum supradictum archiepiscopum P. Tarentasiensem in transactione per eum facta inter episcopum Arducium Gebennensem, et comitem Amedeum diffinitum est, et sub excommunicatione prohibitum, ne extra murum veterem castri aliquis usquam murus construeretur, et constructus extra veterem demoliretur: propter quod in nostri quoque iudicii sententia dictum est et diffinitum, ut idem murus demoliatur, et nullus contra praedictam transactionem, et tanti Pontificis excommunicationem, extra veterem murum castri deinceps aedificetur. Allegavit revera comes Willelmus iustitias latronum et adulterorum, se per longa tempora, et patrem suum tenuisse, et accepisse, quod episcopus et Gebennensis Ecclesia non confitebatur, et quia per transactionem factam, primo inter Humbertum episcopum et Aymonem comitem, coram Viennensi archiepiscopo; postmodum etiam secundo, per transactionem factam, inter Amedeum comitem et Arducium Gebennensem episcopum coram venerabilibus archiepiscopis, Lugdunensi et Viennensi, tertio etiam coram Tharentasiensi, in qua expressum fuit, post excommunicationem factam de muro, ut supra dictum est, ut priora placita inviolabiliter tenerentur, longaeva illa possessio, et si esset interrupta, totiens fuit, eam, ei non posse prodesse iudicavimus, et in omnibus, sicut supra dictum est, bannum totius Genevae, et reliqua superius scripta, patres nostri supradicti Ecclesiae Gebennensi adiudicaverunt; et ipse Willelmus comes totius civitatis dominium, ad Gebennensem Ecclesiam confessus est, et quod idem habet ab episcopo tenere. Additum est etiam in sententia, quia comes Willelmus contra omnem rationem occasione criminum, in quosdam regulares, et clericos, etiam manus iniecerat, et in Ecclesiarum patrimonia, ne amplius occasione criminis, furti, homicidii, vel alterius, in regulares, vel Ecclesiarum patrimonia, vel in bonis mobilibus, manus iniiciat, vel iniici faciat; nec in clericos etiam saeculares, qui sunt in Gebennensi comitatu, donec culpa episcopo manifesta fuerit et probata, et ipsi ab episcopo exauctorati fuerint, vel degradati; testes huius sententiae omnes praedicti, et de clericis Gebennensis Ecclesiae, isti, Poncius sacrista, Nantelinus praepositus, Bartholomaeus decanus, Poncius de Saisireu decanus, Anselmus de Willunaii, Petrus de Dorchia, Roso de Consignon, Freuvardus, Guitbertus, Giroldus de Villeta, Willelmus Iosperque, Petrus Baucanus, et alii clerici: et de laicis Boemundus Laurentius, Mauritius Iordanus, et alii multi. Hanc sententiam comes Willelmus sic a nobis prolatam suscepit, et observare promisit coram nobis duobus, et suprascriptis tribus episcopis, aliis quoque personis, pene universis militibus, quoque Amedeo fratre comitis, Willelmo de Nangeo, Petro de Cletis, Willelmo de Festerna, Willelmo de Graisie, Willelmo de Altavilla, Guidone Bressenco, Willemo Iucumberti, Willelmo de Ayma, et aliis multis. Lata est haec sententia in oppido de Aquis, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo quarto. Praesidente in sancta Romana Ecclesia beatissimo Papa Lucio III, imperante glorioso Frederico semper Augusto. Scripta est

Murum noviter constructum a comite, demoliendum esse.

Non obstantibus transactionibus in favorem comitis allegatis.

Omnis insuper in regulares et clericos criminosos manus iniiciendi facultas comiti adempta, nisi prius ab episcopo delinquentes fuerint degradati.

Sententiae testes:

Lata anno 1184 sigillis munita.

praesens per manum Petri notarii Viennensis de praecepto nostro, et diligenter examinata, nostris, et aliarum personarum munita sigillis.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum se noverit incursurum.

Datum Veronae, II idus decembris.

Dat. die 12 decembris anno Domini 1185, pontif. anno I.

IV.

Statutum ne domus canonicales laicis, et mulieribus malae notae locentur (1).

SUMMARIUM

Facti expositio. — Prohibet ne domus canonicales inhonestis personis locetur. — Constitutio pro domibus quas laici iure haereditario possident in claustro. — Decretum immunitatis pro stabilitate huius constitutionis (R. T.).

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri R. episcopo, et dilectis filiis decano, et capitulo Carnotensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti expositio. Audivimus et audientes nequivimus non mirari, quod laici quidam in claustro vestro domos iure haereditario possidentes, tales personas plerumque admittunt, per quas clericorum quies inhonesto strepitu saepe turbatur, et devotio populi, ne divinis intendat officiis praepeditur, ioculatoribus quidem alcatoribus, cauponibus et mulieribus turpibus praescriptae domus de consuetudine prava locantur.

Prohibet ne domus canonicales inhonestis personis locetur. Volentes igitur communi Ecclesiae honestati consulere, auctoritate apostolica prohibemus, ne domos canonicales ulterius laicis, per quos honestati ecclesiasticae derogetur, aut etiam sub quacumque occasione locentur.

Constitutio pro domibus quas laici iure haereditario possident in claustro. Constituimus etiam de domibus, quas laici in claustro iure haereditario tenent, si eas in personis propriis cum honesta familia, exclusis mulieribus turpibus, inhabitare noluerint, ut non nisi clericis, vel personis regularem vitam professis, gratis vel pro pretio concedant, si congruum eis pretium voluerint exhibere.

Decretum immunitatis pro stabilitate huius constitutionis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Ven., XII kal. martii.

Dat. die 18 februarii anno Domini 1186, pontif. anno I.

(1) Ex Dacherii Spicileg., tom. III, pag. 550.

V.

Confirmatio compositionis initae inter monachos Aienses ordinis Cluniacensis et archipresbyterum de Rupella (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Confirmatio compositionis. — Tenor instrumenti compositionis inter Petrum archipresbyterum de Rupella et monachos Aienses. — Series controversiae. — Rationes a monachis allatae. — Testes advocati. — Sententia Bernardi episcopi Sanctonen. — Transcripta de verbo ad verbum ex suo originali — Data die 22 sept. 1149. — Testium nomina. — Urbani Papae confirmatio donationum ab Ademaro Sanctonen. episcopo Cluniacen. factarum. — Tenor donationis Ademari. — Data 19 iulii anno Domini 1182 sub Romano Pontifice Lucio II. — Nomina testium qui adfuerunt. — Roboratio praesentis privilegii.

(1) In Biblioth. Cluniac. edidit Martinus Marrier, col. 1449.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni abbati et conventui Cluniacensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere consensum, et vota, quae a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem inter monachos vestros Aienses et Petrum archipresbyterum de Rochella, a bonae memoriae Bernardo quondam Sanctonensi episcopo factam et ab utraque parte receptam, sicut in eius scripto authentico continetur, vobis et Ecclesiae vestrae auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, quam ad maiorem in posterum firmitatem praesentibus duximus litteris annotandam, cuius tenor talis est:

Confirmatio compositionis.

In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis.

Tenor instrumenti compositionis inter Petrum archipresbyterum de Rupella et monachos Aienses.

Ego Bernardus Dei gratia Xanctonensis episcopus, notum fieri volo successoribus meis, et omnibus hanc chartam legentibus, qualiter discordia pacificata est, quae inter Petrum archipresbyterum de Rochella et monachos Aienses innata erat.

Series controversiae:

Audieram enim multotiens clamorem monachorum super Petro archipresbytero, quem Reignaudus Aiensis prior nobis praesentaverat in capellanum. Hic iura oblationum, quae eis competere videbantur, ut ipsi asserebant, eis iniuste subtrahebat. Quod amplius sufficere non valens, tum propter ammonitionem domui Gaufridi archiepiscopi Burdegalensis, amici tamen Ecclesiae Clun., tum propter iussionem Eugenii Papae, qui mihi hoc in Remensi concilio viva voce iniunxerat, satisfeci clamori et voluntati monachorum.

Rationes a monachis allatae.

Dicebant monachi, quod tempore Guillelmi Gardradi Xanctonensis episcopi, inter Arnaudum priorem de Ais et Reginaudum Durannum capellanum, solebant dividere per medium oblationes, quae in praedicta Ecclesia fiebant. Hoc autem nobis testificati sunt viri fide digni; Girandus videlicet de Alodio capellanus, Gaufridus Veritas capellanus de Castro Alione, Maurinus de Comnia, Stephanus Bernardi, et Stephanus de Fonte, ipsius Ecclesiae parochiani, Audoinus et Aimericus Aienses famuli, qui de manu ipsius capellani ad altare solebant oblationes suscipere.

Testes advocati:

Horum testimonio animatus (1), statuimus et corroboravimus utriusque partis assensu, ut oblationes quoquomodo fierent in Ecclesia Sanctae Mariae de Comnia, inter capellanum et monachos per medium dividerentur.

Sententia Bernardi episcopi Sanctonen.

Excepto solo nummo quem capellanus pro capellania accipiet, si fuerit ad missam quam cantaverit. Si qua oblatio in visitatione infirmi facta fuerit capellano, ut est solus nummus, ipsius erit. Si vero infirmus de pecunia sua aut de aliquo censu nobili Ecclesiae de Ais, aut capellano aliquod beneficium conferre voluerit, per medium dividatur. Terrae, vineæ, domus atque alia aedificia monachorum sint. Confessiones parrochianorum sive aliorum adventantium, qui in quadragesima vel adventu, seu alio tempore fuerint, per medium dividantur. De cera atque candelis, quae in Ecclesia offeruntur, a capellano et monachis Ecclesiae communiter serviatur. Quod vero cerei paschalis et candelarum residuum fuerit, per medium dividatur. Si vero monachi habere voluerint medietatem illius oblationis, quae fit secunda feria post missam parrochialem, non eis prohibeatur. Ipsi autem de procuratione episcopi communiter cum capellano provideant. Oblatio, quae ad manum sacerdotis offertur, si quis monachorum accipere voluerit, vel cui prior iusserit, accipiat: postea super altare palam ponatur, quousque post missam absentibus clericis, per medium dividatur. Diebus festis, si prior Aiensis ibi affuerit, vel prior de Rochella, commoveatur (2) a capellano, ut missam solemnem cantet: si quis illorum cantare voluerit, non eis prohibeatur.

Transcripta de verbo ad verbum ex suo originali.

(1) Fors. *animati*. (2) Fors. *commoneatur*. (R. T.)

Diebus festis in quibus est consuetudo aliquid dare clericis, ne a capellano solummodo sine voluntate et assensu monachorum eis aliquid detur, prohibemus; si monachi matutinas et alias horas diei sonare voluerint, sicut mos est illorum, sonabunt, cantabunt, absque impedimento clericorum. Cantabunt et clerici absque impedimento monachorum. Capellanus subcapellanos suos consilio prioris Aiensis in Ecclesia introducat. Quod si aliquid commiserint, unde removeri debeant, prioris consilio removeantur, et alii in loco illorum restituantur. Porro ne hoc decretum nostrum ita statutum, aliqua supervenientium capellanorum seu monachorum posset cavillatione convelli, litterarum nostrarum adhibita est privilegialis auctoritas. Facta sunt autem haec apud Gratiam Dei x kalendas octobris, dominicae incarnationis anno MCXLIX, Romano Pontifice Eugenio III, regnante in Francia rege Ludovico, eodem duce in Aquitania. Testes sunt praenominati viri, Arnaudus abbas gratiae Dei, Gaufridus archidiaconus, Willelmus Aleardi eleemosynarius Xanctonensis, Iordanis prior de Anesio, Aimericus prior de Boeth. De monachis Aiensibus, Stephanus Constantinus, Ioannes de Moguir, et alii complures.

Data die 22 sept. 1149.

Testium nomina.

Praeterea concessionem a venerabili fratre nostro Ademaro Xanctonensi episcopo vobis canonice factam, sicut in eius scripto authentico continetur, nihilominus auctoritate vobis apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus; cuius authenticae tenor talis est.

Urbani Papae confirmatio donationum ab Ademaro Santonen. episcopo Cluniacen. factarum.

Ego Ademarus Dei gratia Xanctonensis episcopus, precibus venerabilis domini Telbaudi abbatis Cluniacensis inclinati, paci et tranquillitati fratrum Cluniacensium intendentes, monasteria et ecclesias atque capellas in nostro episcopatu sitas, nec non et omnes decimationes Ecclesiarum vestrarum et aliarum, si forte a laicis revocare poteritis, sive donationibus, sive transactionibus, sive commutationibus vel emptionibus, seu aliis iustis modis, ubicumque sint, nec non et universa omnia quaecumque Deo propitio acquirere poteritis. Insuper omnem donationem, largitionem quam domnus Hisembertus de Castro Alione Ecclesiae Aiensi consilio virorum prudentium noscitur dedisse, sicut tenor authentici scripti sui declarat, vobis vestrisque successoribus habenda et tenenda in perpetuum pontificali auctoritate concedimus et confirmamus. Et ut concessio atque confirmatio perpetuae firmitatis robur obtineat, sigilli nostri munimine praesentem paginam fecimus communiri: ad maiorem quoque cauthelam, ut omnis quaestionis scrupulus de medio tollatur, damus et concedimus vobis decimas, quas a laicis acquisistis vel acquirere poteritis. Inhibemus etiam sub poena excommunicationis, laicis omnibus, qui habent decimas in parochias vestras, ne aliquo titulo ad alias Ecclesias transferre praesumant, quod si facere praesumpserint, sepultura et omni divino officio careant. Sicut supra scriptum est, fecimus consilio Henrici Alniciensis archidiaconi. Porro ne hoc decretum nostrum ita statutum aliqua supervenientium posset cavillatione convelli, sigilli nostri impressione muniri fecimus. Facta est autem haec charta apud Xancton, XIII kalend. iulii, dominicae vero incarnationis anno MCLXXXII, Romano Pontifice Lucio III, regnante in Francia rege Philippo, Henrico rege Anglorum gubernante ducatum Aquitaniae per Richardum filium suum. Testes sunt praedictus archidiaconus, magister Willelmus Testaudus, notarius noster Willelmus Viviani, Arnaudus monachus nepos noster, Giraudus archipresbyter de Archiaco, Bernardus abbas Nantolii, magister Henricus domni abbatis Cluniacensis socius, Siguinus, Robertus eiusdem abbatis notarius, Helias de Fors, magister Columbus, Durannus Cambarlangus, Hugo Manescalcus, Robertus sacerdos qui chartam scripsit.

Tenor donationis Ademari.

Data 19 iulii anno Domini 1182 sub Romano Pontifice Lucio II.

Nomina testium qui adfuerunt.

Nulli ergo omnino hominum liceat

Roboratio praesentis privilegii.

hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Veronae IV nonas martii.

Dat. die 4 martii anno Domini 1186, pontif. anno I.

VI.

Confirmatio dignitatis patriarchalis, bonorum omnium et iurisdictionis super Iadertinum archiepiscopatum, huiusque suffraganeos episcopos, patriarchae Gradensi (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Gradensem Ecclesiam sub protectione Sedis Apostolicae recipiens, — Eidem iuxta statuta praedecessor. Pontific. patriarchalem dignitatem confirmat. — Patriarchae crucis praelationem, — Pallii usum concedit. — Henricum patr. ad dignis episcopi partibus fungendum adhortatur. — Ius quoque super Iadertinum archiep. eiusque suffragan. confirmat. — Donationes omnes Ecclesiarum, bonaque ad Graden. Eccles. spectantia rata habet. — Urbani PP. et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Gradensi patriarchae, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Exordium

Apostolicae officium dignitatis, et creditae nobis dispensationis debitum utiliter exequi comprobamur, cum collatam unicuique dignitatem Ecclesiae provida sollicitudine custodimus, et singulis Ecclesiis iura sua illibata studemus, et integra conservare. Sicut enim non est concedendum alicui, quod iniuste requirit, ita nemini, quod sui iuris est, a nobis convenit denegari; eapropter, ven. in Christo frater Henrice patriarcha, tuis iustis postulationibus grato concurrentes assensu, Gradensem Ecclesiam, cui auctore Deo præesse dignosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Gradensem Ecclesiam sub protectione Sedis Apostolicae recipiens.

Eidem iuxta statuta praedecessor. Pontific. patriarchalem dignitatem confirmat.

Igitur praedecessorum nostrorum felicis memor. Pelagii, Alexandri, Urbani II, Adriani, et Alexandri III, et Lucii vestigiis inhaerentes, illius praecipue constitutionis tenorem servantes, quam prædecessor noster Leo IX Papa sancivit, et synodali iudicio et privilegii pagina confirmavit, tibi, tuisque successoribus canonice substituendis patriarchalem concedimus dignitatem et magisterium Graden. Ecclesiae gerendum in his tantum finibus confirmamus, qui per supradictos praedecessores nostros eidem noscuntur Ecclesiae constituti. Crucem quoque ante te ferendam esse concedimus, nisi cum Romae fueris, aut in praesentia vel comitatu Romani Pontificis. Pallium etiam, plenitudinem videlicet pontificalis officii, fraternitati tuae ex Apostolicae Sedis liberalitate largimur, quo intra Ecclesiam tuam ad missarum solemnia celebranda uti memineris, eis diebus quibus praedecessores tuos usos fuisse cognoscis, vid. in Nativitate Domini, Epiphania, Ypopanti, tribus festivitatibus Sanctae Mariae, Coena Domini, Sabbatho Sancto, Resurrectione Domini, Ascensione, Pentecostes, in Natalitio S. Ioannis Baptistae et omnium Apostolorum, in festivitatibus quoque Sancti Marci, S. protomartyris Stephani, S. Laurentii, S. Martini, in solemnitate Omnium Sanctorum et principalibus Ecclesiae tuae festivitatibus; necnon ecclesiarum, episcoporum et caeterorum clericorum consecrationibus, et anniversario consecrationis tuae die. Cuius utique dignitatem in bonis per omnia te volumus vendicare, ut vid. in corrigendis subditis plus apud te possit ratio, quam potestas, atque te boni dulcem, mali vero pium sentiant correctorem, personas diligas, et subiectorum vitia persequaris,

Patriarchae crucis praelationem.

Pallii usum concedit.

Henricum patr. ad dignis episcopi partibus fungendum adhortatur.

(1) Edidit Nicolaus Coletus, minor. edit. Ital. Sac., tom. V, col. 1131.

ne si aliter agere forte volueris, transeat in crudelitatem correctio, et perdas quos desideras emendare; sicque vulnus debes abscindere, ut non possis quod sanum est ulcerare, ne si ferrum plusquam res exigit imprimatur, noceat cui prodesse festinas; sed sic alterum condiatur ex altero, quatenus et boni habeant amando quod caveant, et mali metuendo quod diligant. Praeterea ne commissa regimini et dispensationi tuae praefata Graden. Ecclesia, quae de benignitate Apostolicae Sedis praerogativa gaudet honoris, ex brevitate patriarchatus inferior et abiectior valeat apud simpliciores haberi, ad ampliandam dignitatem ipsius, prioratum ei super Iadertinum arhiepiscopatum et episcopatus eius apostolica auctoritate concedimus, et tam te, quam successores tuos Iadertino archiepiscopo et episcopis eius, qui pro tempore fuerint, dignitate primatus statuimus praesidens, et consecrationis munus eidem archiepiscopo impartiri, Romano quidem Pontifici traditione pallii reservata. Statuimus etiam ut quaecumque bona, quascumque possessiones eadem Graden. Ecclesia in praesentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum iustis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. Porro Ecclesias a religiosis viris Graden. Ecclesiae oblatas per episcopatum tuum constitutas, tibi, tuisque successoribus libere confirmamus, ita ut nulli episcopo absque tuo assensu in eis liceat consecrationes celebrare, aut sacerdotibus in eisdem Domino servientibus, donec in locis ipsis fueris, divina officia prohibere.

Ius quoque super Iadertinum archiep. eiusque suffragan. confirmat.

Donationes omnes Ecclesiarum, bonaque ad Graden. Eccles. spectantia rata habet.

Decernimus ergo ut nulli *etc.* Si qua *etc.* Cunctis autem *etc.*

Urbani PP

Ego Urbanus catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

et S. R. Ecclesiae cardinalium subscriptiones

Ego Henricus Albanen. episcopus subscripsi.

Ego Paulus Praenestinus episcopus subscripsi.

Ego Theobaldus Ostien. et Velletren. episcopus subscripsi.

Ego Ioannes presbyter card. tit. Sancti Marci subscripsi.

Ego Petrus presb. card. tit. S. Savinae subscripsi.

Ego Laborans presb. card. S. Mariae Transtyberim tit. S. Calisti subscripsi.

Ego Pandulfus presbyter cardinalis tit. XII Apostolorum subscripsi.

Ego Melior presb. card. Ss. Io. et Pauli tit. Pammachii subscripsi.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli presb. card. subscripsi.

Ego Iacobus diaconus card. S. Mariae in Cosmedin subscripsi.

Ego Gratianus Ss. Cosmae et Damiani diaconus card. subscripsi.

Ego Octavianus Ss. Sergii et Bacchi diaconus card. subscripsi.

Ego Gofredus S. Mariae in Via Lata diaconus card. subscripsi.

Ego Rolandus S. Mariae in Porticu diac. card. subscripsi.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card. subscripsi.

Ego Radulfus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card. subscripsi.

Datum Veronae per manum Moysis vicem agentis cancellarii, II kalen. iunii, indict. IV, incarnationis dominicae anno 1186, pontificatus vero domini Urbani Papae III anno primo.

Dat. die 31 maii, anno Domini 1186, pontif. anno I.

VII.

Decreta nonnulla pro quiete, bono regimine, ac regulari disciplina monachorum Grandimontensium (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Monastica disciplina in Grandimont. coenobio lapsa. — Delatae ad Urbanum querelae. — Obedientia a mo-

(1) Ex annalibus ms. Grandimonten. edidit Martène, Thesaur. Anecdot., tom. I, col. 627.

nachis priori promittenda. — Fratribus mutua impendenda subventio — Mutuaque charitas. — Decretum, ut Grandimontenses ad alterius religionis hominem recipiendum cogi nequeant. — Priori vero potestas in spiritualibus et temporalibus conceditur. — Regulam servantibus labor loco poenitentiae iniungitur. — Confirmatur regula quaedam. — Domus ipsa, eiusque bona sub protectione Sedis Apostol. recipiuntur, — Et sua in immunitate confirmantur; — Sub excommunicationis poena pro violatoribus; — Observantibus concessa pace D. N. I. C. — Urbani PP. et S. R. Eccl. card. subscriptiones.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Guillelmo priori Grandimonti, eiusque fratribus tam praesentibus, quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Exordium

Quanto per infusionem Sancti Spiritus coelestis subditi magisterio disciplinae odorem religionis in vestro ordine hactenus observatae latius expandistis, ut secundum Apostolum conversatio vestra sit vitae in vitam: tanto nostro imminet officio sollicitius attendendum, ne inimicus humani generis, qui semper circuit, quaerens quem devoret, piis invidens studiis perfectorum, per suae calliditatis astutiam adversus vos, Domino resistente, praevaleat, et propositum religionis et ordinis, sub quo laudabiliter militatis, virulenta suggestione immutet aliquatenus, vel perturbet, in vobis fraternae pacis gratiam violando. Inde siquidem est, quod cum inter vos, permittente ipso, qui fideles suos tentari non patitur supra id quod portare possint, seminarium scandali subortum fuerit, quod sollicitudine plurimorum adhibita hactenus sedari nequiverit: ad nostram praesentiam quidam ex utraque parte fratrum litigantium accesserunt coram nobis et fratribus nostris, plurima de institutione vestri ordinis, et illatis hinc inde iniuriis, proponentes. Nos vero, auditis omnibus diligenter quae in nostro duxerunt auditorio proponenda, ut de caetero inimico virtutum omnium nocendi aditus clauderetur, et in ordine vestro fraternae pacis concordiam tam facile ipsius calliditas non turbaret, in his quae generare videbantur materiam iurgiorum, manum correctionis apostolicae de fratrum nostrorum consilio duximus apponendam.

Monastica disciplina in Grandimont. coenobio lapsa.

Delatae ad Urbanum querelae.

Obedientia a monachis priori promittenda.

In primis siquidem statuentes ut qui, relicto saeculo, ad ordinem vestrum confugiunt, priori qui pro tempore fuerit, et successoribus eius catholicis, vel capitulo, si prior non fuerit, obedientiam et reverentiam promittant absolute. Fratribus autem singulis in his quae ad commodum et honorem domus pertinent, fraternae caritatis officium et auxilium debitae subventionis impendant. Maiores se invicem, secundum Apostolum, arbitrantes, quatinus iuxta apostolicam evangelicamque doctrinam se invicem honore praeveniant, et qui forte maior est meritis, non erubescat amore Domini fieri minoribus ministrator. Paci vestrae praeterea providentes, statuimus ut ad recipiendum alterius religionis hominem nemo vos cogat invitos, ne dum instituta relicti ordinis qui ad vos confugerit aemulatur, a vestrae observantia disciplinae animos simpliciorum avertat, et aliis vos contingat iniuriosos et molestos existere, si professos eorum volueritis retinere. Priori autem tam in spiritualibus, quam in temporalibus, plenam concedimus auctoritate apostolica potestatem: ita ut uni conversorum, qui magis idoneus fuerit, in cellis vestris temporalia disponenda committat, qui de ipsius prioris mandato, eleemosynas depositaque recipiat, et eas in pios usus ac necessitatem domus provida consideratione convertat. Cura vero spiritualium libere de mandato prioris circa clericos ipsos resideat: ita quod nullus laicorum fratrum in confessionibus, poenitentiis, divinis officiis celebrandis et corrigendis excessibus clericorum, ullam sibi auctoritatem usurpet: sed haec omnia per priorem iam dictum, vel de mandato ipsius, per clericos expleantur. Ad

Fratribus mutua impendenda subventio

Mutuaque charitas

Decretum, ut Grandimontenses ad alterius religionis hominem recipiendum cogi nequeant

Priori vero potestas in spiritualibus et temporalibus conceditur

Regulam servantibus labor loco poenitentiae iniungitur.

haec, ad instar praedecessorum nostrorum fel. record. Alexandri et Lucii Romanorum Pontificum, omnibus regulam vestram servantibus, sicut in vestro ordine et suprapositis nostrae correctionis capitulis salubriter continetur, laborem loco poenitentiae et in peccatorum suorum remissionem iniungimus.

Confirmatur regula quaedam

Institutionem quoque quam ad castigationem vestram post confirmationem fel. record. Adriani Papae praedecessoris nostri salubriter addidistis, auctoritate apostolica confirmamus et perpetuis decernimus temporibus valituram: statuentes ut liberum vobis sit, secundum regulam vestram, atque instituta ordinis, absque aliquorum gravaminibus vel molestiis, Domino famulari, salva in omnibus Apostolicae Sedis auctoritate.

Domus ipsa, eiusque bona sub protectione Sedis Apostolicae recipiuntur,

Praeterea domum et loca vestra, cum omnibus quae in praesentiarum iuste et pacifice possidetis, vel in futurum concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, Deo propitio, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti privilegio communimus: statuentes ut ea firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant.

Et sui in immunitate confirmantur;

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat praefatam domum temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura.

Sub excommunicationis poena pro violatoribus,

Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei ac Domini nostri Redemptoris Iesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat.

Observantibus concessa pace D. N. I. C.

Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatinus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Urbani PP. et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones

Ego Urbanus catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

Ego Paulus Praenestinus episcopus subscripsi.

Ego Ioannes tit. Sancti Marci presbyter card. susbscripsi.

Ego Petrus Le Bon presbyter card. tit. Sanctae Susannae subscripsi.

Ego Laborans presbyter card. Sanctae Mariae Transtyberim tituli Callixti subscripsi.

Ego Pandulfus presbyter card. tituli XII Apostolorum subscripsi.

Ego Albinus presbyter cardinalis tituli S. Crucis in Ierusalem subscripsi.

Ego Melior presbyter card. Ss. Ioannis et Pauli tit. Pammachii subscripsi.

Ego Adelardus tit. S. Marcelli presbyter card. subscripsi.

Ego Iacinthus S. Mariae in Cosmedin diaconus card. subscripsi.

Ego Bobo Sancti Angeli diaconus card. subscripsi.

Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi diaconus card. subscripsi.

Ego Rollandus S. Mariae in Porticu diaconus card. subscripsi.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus card. subscripsi.

Ego Rad. S. Georgii ad Velum Aureum diaconus card. subscripsi.

Datum Veronae per manum Moysis Lateranensis canonici vicem agentis cancellarii, idibus iulii, indictione IV, incarnationis dominicae anno MCLXXXVI, pontificatus vero domni Urbani Papae III anno primo.

Dat. die 15 iulii anno Domini 1186, pontif. anno I.

VIII.

Responsio ad consultationes M. Cenomanensis episcopi (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Series facti. — Litis pendentia super matrimonio non impedit secundum matrimonium contrahi si primum erat nullum. — Contrahens matrim. sub conditione non improbata, non compellitur matrimonium consumare ante conditionis eventum.

Urbanus M. Cenomanensi episcopo.

Exordium

Cum in Apostolica Sede (2), cui licet immeriti praesidemus, magisterium resideat totius ecclesiasticae disciplinae: dignum est et consonum rationi, ut quoties circa negotium Ecclesiae aliquid dubietatis emersit, ad ipsius deliberationis arbitrium recurratur.

Series facti

Intelleximus siquidem, quod inter villicum de Herneia et uxorem eius coram te quaestio matrimonii tractaretur, et productis testibus, et eorum examinationibus diligenti examine discussis, ante publicationem idem villicus reversus ad propria, publice inter se et uxorem suam proposuit sententiam divortii iudicio Ecclesiae esse promulgatam: et sic suggesta omnibus falsitate, quamdam aliam mulierem facti nesciam, sibi copulare praesumpsit. Postmodum vero super prioris matrimonii quaestione literis a Sede Apostolica impetratis, delegati Iudices sententiam divortii protulerunt.

Litis pendentia super matrimonio non impedit secundum matrimonium contrahi si primum erat nullum.

Unde quia villicum et mulierem, quam superinduxerat, pendente lite prioris uxoris, invicem asseris consentire: tua nos duxit fraternitas consulendos, utrum tales sint ad matrimonium admittendi. Nos autem auctoritate praesentium tuae sollicitudini respondemus, quod imposita ei poenitentia competenti, et infra ipsius poenitentiae tempus carnali commercio interdicto, postmodum in maritali copula poterunt remanere.

Contrahens matrim. sub conditione non improbata, non compellitur matrimonium consumare ante conditionis eventum.

Super eo vero (1), quod a nobis similiter postulasti, utrum ille, qui in quamdam mulierem consensit, si pater eius videlicet suum praestaret assensum, si ad consummandum matrimonium sit compellendus: non minus respondemus, quia cum assensus liber dici non possit, qui alieno reservatur arbitrio ac conditioni, ipsum canonica non improbant instituta, quae consonant honestati, nisi voluntas patris postmodum intercedat, nequaquam ad contrahendum matrimonium est cogendus. Nam licet fel. record. Alexander Papa praedecessor noster in suis videatur consultationibus respondisse, quod desponsalia interposita conditione certa, conditione ipsa minime observata, si consensus de praesenti intercedat, vel carnalis copula subsequatur, dissolvi non debent, sed firmiter observari: nequaquam est nostrae diffinitioni contrarium, cui huiusmodi consensus nequaquam sit de praesenti habendus, licet per verba de praesenti evidentius exprimatur, quod in alieno arbitrio non habito sed habendo consistunt, aliam tamen non potest ducere uxorem (2).

(1) Ex Appendice ad Concil. Lateranen III, cap. VI, 21. (2) Cap. *Cum in Apostolic.*, 18, *De sponsal. et matrim.*

IX.

Libello citationis ante obitum delegantis proposito, lite post eius obitum contestata, potest in causa procedere delegatus. Qui etiam ad producendos testes inducias postulavit, videtur appellationi renunciare (3).

SUMMARIUM

Exordium. — Propositum Papae dubium, ut in titulo: — Eiusque responsum (R. T.).

Urbanus etc., abbatibus de Wellebec et de Sulvestum.

Exordium

Gratum gerimus (4) et acceptum quod in negotiis commissis vestrae iurisdi-

(1) Cap. *super eo*, § *De condit. appos.* (2) Dat. dicitur anno 1186. (3) Ex Appendice ad Concil. Lateran. III, Concil., tom. XIII, col. 605. (4) Cap. *Gratum*, 20, *De offic. et potest iudicis delegati.*

ctioni debitam curam impenditis, et his quae dubitationem faciunt, pro gravitate vestri officii censuram Sedis Apostolicae postulatis.

Propositum Papae dubium, ut in titulo:

Sane consuluit nos vestra discretio an ante obitum delegantis, proposito citationis edicto, lite vero post mortem delegantis contestata, delegatus iudex nihilominus debeat in causa procedere: et utrum is intelligatur appellationi renunciasse, qui ea interposita ad producendos testes inducias postulavit, et deinde productioni et allegationi renuncians, attestationes petiit solemniter publicari sicut hoc totum circa decessum bon. mem. praedecessoris nostri Lucii, qui iudices delegavit, sub examine vestro asseritis contigisse. Nos autem inquisitioni vestrae taliter respondemus, quod cum in priore casu citatione facta quasi coeptum sit negotium, et maxime, si delegatus non sit certus de obitu delegantis, potest et debet in causa procedi: tenebitque quod iustitia praevia fuerit iudiciali tramite diffinitum. In secundo casu videtur ab appellatione recessum, si secundum ea, quae praemissa sunt, eum qui appellaverat constiterit processisse (1).

Eiusque responsum.

X.

Confirmatio ordinis Cruciferorum inservientium hospitali Bononiae, privilegiorumque ad eiusdem libertatem et indemnitatem concessio.

SUMMARIUM

Ecclesiam Cruciferorum in ius et proprietatem Sedis Apostolicae recipit. — Bona omnia ac donationes eidem confirmat: — Quae nominat. — Indebitas decimas a Cruciferis exigi vetat. — In ordinem quascumque personas recipi concedit. — Clericos Hospital. soli priori subiectos declarat: — Eos vero interdicto supponi prohibet; Aut aliquibus praestationibus, salvis consuetis. — Facultas erigendi oratoria et coemeteria: — Quorum sepulturam liberam decernit. — Sacras ordinationes a quo libuerit episcopo recipere eos posse indulget. — Censum annuum imponit. — Solitum immunitatis decretum — Cum poenalibus conclusionibus — Et praemiis obedientibus promissis. — Urbani PP., et S. R. Eccl. card. subscriptiones.

(1) Ab illustratoribus collectionis decretalium Gregorii IX, haec data dicitur anno 1180.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Ben. magistro et fratribus Cruciferis hospitalis domus Bononiensis tam praesentibus, quam futuris, communem vitam ducentibus, in perpetuum.

Ecclesiam Cruciferorum in ius et proprietatem Sedis Apostolicae recipit.

Cum antecessor tuus, fili prior, a praedecessore nostro felicis memoriae Alexandro Papa lapidem primarium ad ecclesiam construendam acceperit in territorio Bononiensi, ubi domus vestra nunc constructa dignoscitur: nos vestris postulationibus inducti, eandem Ecclesiam, in qua divino estis et pauperum obsequio mancipati, in ius et proprietatem beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Bona omnia ac donationes eidem confirmat:

Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia vestra cum hospitali in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant.

Quae nominat.

In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo praefatum hospitale et ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis *(Caetera desunt)*.

In ordinem quascumque personas recipi concedit.

Sane novalium vestrorum, quae propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere aut extorquere praesumat.

Indebitas decimas a Cruciferis exigi vetat.

Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e saeculo fugientes ad conversionem, et pauperum Christi servitium

recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere.

Inhibemus autem ne aliqua ecclesiastica saecularisve persona in domum vestram quemquam intrudere, aut aliquem fratrum vestrorum de ipsa domo audeat eiicere violenter.

Clericos Hospital. soli priori subiectos declarat:

Clerici etiam qui ad domos vestras ordinati fuerint et assumpti, nulli alii quam tibi, fili prior, praestare obedientiam compellantur.

Eos vero interdicto supponi prohibet;

Prohibemus insuper ne cui liceat vos, aut domos vestras, interdicto, vel excommunicationis, sine manifesta et rationabili causa et legitima citatione subiicere.

Aut aliquibus praestationibus, salvis consuetis

Praesenti pagina decernentes, ut nullus Ecclesiarum praelatus a domibus vestris quicquam exigere, praeter libram cerae, audeat vel etiam extorquere. Salvis censibus illis, qui nunc in quibusdam domibus vestris constituti sunt, de consensu episcoporum annuatim percipiendi.

Facultas erigendi oratoria et coemeteria.

Nihilominus etiam vobis duximus indulgendum, ut in domibus vestris, ubi tot fratres assidue commorantur, quibus sit ecclesia necessaria, liceat vobis oratoria erigere et coemeteria fabricare.

Quorum sepulturam liberam decernit.

Quorum sepulturam liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Sacras ordinationes a quo libuerit episcopo recipere eos posse indulget

Chrisma quoque, Oleum sanctum, dedicationes ecclesiarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros fuerint ordines promovendi, et caetera ecclesiastica sacramenta, a quocumque malueritis catholico recipiatis episcopo, qui nostra fultus authoritate, quod postulatur, impendat.

Censum annuum imponit

Ad iudicium autem, quod eadem domus vestra specialiter beati Petri existat, duodecim imperiales nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvatis.

Solitum immunitatis decretum;

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam et hospitale temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integre conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate.

Cum poenalibus conclusionibus

Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat.

Et praemiis obedientibus promissis.

Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant et apud districtum Iudicem praemia pacis inveniant. Amen.

AD TE DOMINE LEVAVI ANIMAM MEAM.

Urbani PP et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones

Ego URBANUS catholicae Ecclesiae episcopus.

Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Paulus Praenestinus episcopus.

Ego Theobaldus Hostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Petrus presbyter card. tit. Sanctae Susannae.

Ego Laborans presbyter card. Sanctae Mariae Transtyberim tit. Calixti.

Ego Pandulphus presbyter card. tit. XII Apostolorum.

Ego Melior presbyter card. Ss. Ioannis et Pauli tit. Pammachii.

Ego Adelardus tituli Sancti Marcelli presbyter card.

Ego Iac. diaconus card. Sanctae Mariae in Cosmedin.

Ego Gratianus Ss. Cosmae et Damiani diaconus card.

Ego Roland. Sanctae Mariae in Portico diaconus card.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus card.

Ego Rad. S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Veronae per manum Moysis Lateranensis canonici, vicemagentis cancellarii, VII kal. aprilis, indictione V, incarnationis dominicae anno millesimo centesimo octuagesimo septimo, pontificatus vero D. Urbani Papae III anno II.

Dat. die 26 martii anno Domini 1187, pontif. anno II.

XI.

Quod filii in patrum Ecclesiis institui non debeant, sed ab eis amoveri (1).

SUMMARIUM

Dei sanctuarium iure quasi haereditario non possidendum. — Successi in patrum Ecclesiis ab iis removendi. — Clausulae et conclusiones consuetae.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Fiscannensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Dei sanctuarium iure quasi haereditario non possidendum

Cum a sacris sit canonibus alienum, ut in Ecclesiis Dei patri filius nullo mediante succedat, nec Sanctuarium Dei possit iure quasi haereditario possideri, mirabile gerimus et indignum, quod in quibus Ecclesiis, monasterio vestro utroque iure subiectis, nonnulli, sicut accepimus, suis parentibus successerunt, easque contra disciplinam canonicam detinent in scandalum plurimorum, ideoque auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut eos qui taliter memoratas Ecclesias detinent, liberam habeatis auctoritate apostolica facultatem ab ipsis Ecclesiis removendi: ita tamen quod eædem Ecclesiae, sine dilatione congrua canonice de personis idoneis ordinentur; nisi forte ibi tanto tempore fuerint et taliter conversati, quod videantur merito sustinendi.

Successi in Patrum Ecclesiis ab iis removendi

(1) Ex Concil., tom. XIII, col. 658.

Clausulae et conclusiones consuetae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Veronae kalendis iunii.

Datum die 1 iunii.

XII.

Quod post interpositam appellationem nihil liceat innovari (1).

SUMMARIUM

Appellatio ad subsidium inventa. — Innovata appellationis tempore in pristinum statum restituenda. — Conclusiones et clausulae consuetae.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Galtero Rotomagensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Appellatio ad subsidium inventa.

His qui ad tuitionem sui vocem appellationis emittunt, propensius adesse compellimur, et ne appellatione pendente quorumlibet malignitate graventur, pastoralem solicitudinem adhibere, quia cum appellationis remedium inventum fuerit ad subsidium oppressorum, eorum indemnitati, quantum ordo iuris exposcit, nobis imminet praecavere. Inde est, quod cum in provincia tua, sicut audivimus, plerumque contingat, quod tam ecclesiastici quam saeculares viri, post appellationem possessionibus vel rebus aliis spolientur, praesentibus tibi literis indulgemus, ut si quid circa statum aliquorum de provincia tua post obiectum appellationis obstaculum, in eorum praeiudicium tibi constiterit innovatum, id in eum statum appellatione postposita reducendi, in quo tempore appellationis extiterat, de auctoritate nostra liberam habeas facultatem, ne appellantes sui iuris dispendium patiantur. Statuentes, ut nulli

Innovata appellationis tempore in pristinum statum restituenda.

(1) Ex Concil., tom. XIII, col. 658.

Conclusiones et clausulae consuetae.

omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Veronae secundo kalendas augusti.

Dat. die 31 iulii.

GREGORIUS VIII

PAPA CLXXIII

Anno aerae Christi comm. MCLXXXVII.

Albertus, patria Beneventanus, antea S. R. E. presbyter cardinalis Sancti Laurentii in Lucina (1), et cancellarius, electus in Romanum Pontificem die 20 octobris, an. 1187, consecratus est die 25 mensis eiusdem. Sedit in pontificatu mensem I, dies XXVII, imperantibus in Oriente Isaacio Angelo, in Occidente Friderico III imperatoribus: ingressus siquidem Pisanam urbem, ibidem mortuus et die 17 decembris anni eiusdem (2). Vacavit Sedes per diem (3).

I.

Statuta literis Urbani PP. tribus mensibus ante eius obitum datis confirmantur, plenamque habere firmitatem decernitur (4).

SUMMARIUM

Exordium. — Causae decreti. — Urbani PP. literas, tribus mensibus ante eius obitum datas, omnem firmitatem habere statuit.

(1) Teste anonymo Cassinensi. (2) Ita notatur in brevi Chronico Pisano, quod tomo III Italiae Sac. refertur ab Ughello. (3) Exclusis extremis. Quare autem a Baronio, nonnullisque aliis Pagium Seniorem sequutus recedam in assignando unius diei spatio huic inter-pontificio, inferius dicam in Clemente III. (4) Ex Baron. ad ann. 1187.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, omnibus praelatis Ecclesiarum, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Quoniam ad episcoporum maxime spectat officium, afflictis et laborantibus subvenire, unumque illorum, licet deficientibus meritis nostris, Deus esse nos voluit, prospicere tenemur et volumus, ne quis ex fortuitis casibus per Romanae visitationem Ecclesiae laboris sui, quem ad eam veniendo sustinuit, debito frustraretur effectu. Inde siquidem fuit, quod nos multorum prospicere volentes expensis, et allevare labores, de consueta Sedis Apostolicae misericordia duximus statuendum, ut litterae praedecessoris nostri domini Urbani, a tribus mensibus ante ipsius obitum destinatae pro facienda iustitia et litigiis dirimendis, quae tamen manifestum alicuius praeiudicium non contineant, aut calumniam aequitatis, eundem habeant tempore nostrae administrationis effectum, quem habere, si adhuc viveret, debuissent. Cessante igitur exceptione de mandatoris morte, perficite quod mandavit agendum, ut nemo ad nos pro excusatione huiusmodi, accepta per illum iustitiam obtinendi fiducia, cogatur vacuus laborare.

Causae decreti.

Urbani PP. literas, tribus mensibus ante eius obitum datas, omnem firmitatem habere statuit.

Datum Ferrariae sexto kalendas novembris.

Dat. die 27 octobris anno Domini 1187, pontif. anno I.

II.

Ad omnes Christi fideles de clade Hierosolymitana. Omnes ad poenitentiam agendam admonet; proficiscentibus vero ad bellum contra infideles plenariam indulgentiam concedit.

SUMMARIUM

1. Exordium. — Clades christianis a Saladino illata; — Quae accurate describitur: crux dominica capta; episcopi occisi cum tem-

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus card.

Ego Rad. S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Veronae per manum Moysis Lateranensis canonici, vicemagentis cancellarii, VII kal. aprilis, indictione V, incarnationis dominicae anno millesimo centesimo octuagesimo septimo, pontificatus vero D. Urbani Papae III anno II.

Dat. die 26 martii anno Domini 1187, pontif. anno II.

XI.

Quod filii in patrum Ecclesiis institui non debeant, sed ab eis amoveri (1).

SUMMARIUM

Dei sanctuarium iure quasi haereditario non possidendum. — Successi in patrum Ecclesiis ab iis removendi. — Clausulae et conclusiones consuetae.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Fiscannensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Dei sanctuarium iure quasi haereditario non possidendum

Cum a sacris sit canonibus alienum, ut in Ecclesiis Dei patri filius nullo mediante succedat, nec Sanctuarium Dei possit iure quasi haereditario possideri, mirabile gerimus et indignum, quod in quibus Ecclesiis, monasterio vestro utroque iure subiectis, nonnulli, sicut accepimus, suis parentibus successerunt, easque contra disciplinam canonicam detinent in scandalum plurimorum, ideoque auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut eos qui taliter memoratas Ecclesias detinent, liberam habeatis auctoritate apostolica facultatem ab ipsis Ecclesiis removendi: ita tamen quod eædem Ecclesiae, sine dilatione congrua canonice de personis idoneis ordinentur; nisi forte ibi tanto tempore fuerint et taliter conversati, quod videantur merito sustinendi.

Successi in Patrum Ecclesiis ab iis removendi

Clausulae et conclusiones consuetae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Veronae kalendis iunii.

Datum die 1 iunii.

(1) Ex Concil., tom. XIII, col. 658.

XII.

Quod post interpositam appellationem nihil liceat innovari (1).

SUMMARIUM

Appellatio ad subsidium inventa. — Innovata appellationis tempore in pristinum statum restituenda. — Conclusiones et clausulae consuetae.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Galtero Rotomagensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Appellatio ad subsidium inventa.

His qui ad tuitionem sui vocem appellationis emittunt, propensius adesse compellimur, et ne appellatione pendente quorumlibet malignitate graventur, pastoralem solicitudinem adhibere, quia cum appellationis remedium inventum fuerit ad subsidium oppressorum, eorum indemnitati, quantum ordo iuris exposcit, nobis imminet praecavere. Inde est, quod cum in provincia tua, sicut audivimus, plerumque contingat, quod tam ecclesiastici quam saeculares viri, post appellationem possessionibus vel rebus aliis spolientur, praesentibus tibi literis indulgemus, ut si quid circa statum aliquorum de provincia tua post obiectum appellationis obstaculum, in eorum praeiudicium tibi constiterit innovatum, id in eum statum appellatione postposita reducendi, in quo tempore appellationis extiterat, de auctoritate nostra liberam habeas facultatem, ne appellantes sui iuris dispendium patiantur. Statuentes, ut nulli

Innovata appellationis tempore in pristinum statum restituenda.

(1) Ex Concil., tom. XIII, col. 658.

Conclusiones et clausulae consuetae. omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Veronae secundo kalendas augusti.

Dat. die 31 iulii.

GREGORIUS VIII

PAPA CLXXIII

Anno aerae Christi comm. MCLXXXVII.

Albertus, patria Beneventanus, antea S. R. E. presbyter cardinalis Sancti Laurentii in Lucina (1), et cancellarius, electus in Romanum Pontificem die 20 octobris, an. 1187, consecratus est die 25 mensis eiusdem. Sedit in pontificatu mensem I, dies XXVII, imperantibus in Oriente Isaacio Angelo, in Occidente Friderico III imperatoribus: ingressus siquidem Pisanam urbem, ibidem mortuus et die 17 decembris anni eiusdem (2). Vacavit Sedes per diem (3).

I.

Statuta literis Urbani PP. tribus mensibus ante eius obitum datis confirmantur, plenamque habere firmitatem decernitur (4).

SUMMARIUM

Exordium. — Causae decreti. — Urbani PP. literas, tribus mensibus ante eius obitum datas, omnem firmitatem habere statuit.

(1) Teste anonymo Cassinensi. (2) Ita notatur in brevi Chronico Pisano, quod tomo III Italiae Sac. refertur ab Ughello. (3) Exclusis extremis. Quare autem a Baronio, nonnullisque aliis Pagium Seniorem sequutus recedam in assignando unius diei spatio huic inter-pontificio, inferius dicam in Clemente III. (4) Ex Baron. ad ann. 1187.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, omnibus praelatis Ecclesiarum, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Quoniam ad episcoporum maxime spectat officium, afflictis et laborantibus subvenire, unumque illorum, licet deficientibus meritis nostris, Deus esse nos voluit, prospicere tenemur et volumus, Causae decreti. ne quis ex fortuitis casibus per Romanae visitationem Ecclesiae laboris sui, quem ad eam veniendo sustinuit, debito frustraretur effectu. Inde siquidem fuit, quod nos multorum prospicere volentes expensis, et allevare labores, de consueta Sedis Apostolicae misericordia duximus statuendum, ut litterae praedecessoris nostri domini Urbani, a tribus mensibus ante ipsius obitum destinatae pro facienda iustitia et litigiis dirimendis, quae tamen manifestum alicuius praeiudicium non contineant, aut calumniam aequitatis, eundem habeant tempore nostrae administrationis effectum, quem habere, si adhuc viveret, debuissent. Urbani PP. literas, tribus mensibus ante eius obitum datas, omnem firmitatem habere statuit. Cessante igitur exceptione de mandatoris morte, perficite quod mandavit agendum, ut nemo ad nos pro excusatione huiusmodi, accepta per illum iustitiam obtinendi fiducia, cogatur vacuus laborare.

Datum Ferrariae sexto kalendas novembris.

Dat. die 27 octobris anno Domini 1187, pontif. anno I.

II.

Ad omnes Christi fideles de clade Hierosolymitana. Omnes ad poenitentiam agendam admonet; proficiscentibus vero ad bellum contra infideles plenariam indulgentiam concedit.

SUMMARIUM

1. Exordium. — Clades christianis a Saladino illata; — Quae accurate describitur: crux dominica capta; episcopi occisi cum tem-

plariis et hospitalariis, *etc.* — Spes in Deo semper habenda. — Hierusalem sanctitas, in qua prophetae prius, apostoli deinde praedicant, et I. C. salutem nostram operatur. — 2. Peccata multa et ubique patrata ab hominibus, causa sunt malorum. — Hortatur gentes ad poenitentiam et opera pietatis: — Deinde ad Terrae Sanctae recuperationem, — In qua nullum lucrum temporale, sed honorem Dei quaerere debent. — Exemplum Machabaeorum proponit imitandum. — 3. Indulgentias illis elargitur. — 4. Alia privilegia concedit. — 5. Vitanda praescribit.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

§ 1. Audita tremendi severitate iudicii, quod super terram Hierusalem divina manus exercuit, tanto sumus nos et fratres nostri horrore confusi, tantisque afflicti doloribus, ut non facile nobis occurreret, quid agere, aut quid facere deberemus, nisi quod Psalmista deplorat et dicit: Deus, venerunt gentes in haereditatem tuam, coinquinaverunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam: carnes sanctorum tuorum bestiis terrae et escas volatilibus coeli *etc.* (1); ex occasione quippe dissensionis, quae malitia hominum ex suggestione diaboli facta est nuper in terra, accessit Saladinus cum multitudine armatorum ad partes illas, et occurrentibus eis rege, et episcopis, et templariis et hospitalariis, baronibus ac militibus cum populo terrae, et cruce dominica (per quam ex memoria et passionis Christi fide, qui pependit, et genus humanum redemit, certum solebat esse tutamen, et contra paganorum incursus desiderata defensio), facta congressione inter eos et superata parte nostrorum, capta est crux dominica, trucidati episcopi, captus est rex, et universi fere aut occisi gladio, aut hostibus manibus deprehensi, itaut paucissimi per fugam dicantur elapsi: ipsi quoque templarii et hospitalarii in eius oculis decollati. Superato autem exercitu, qualiter subsequenter invaserint et rapuerint universa, ita ut nonnisi pauca loca remansisse dicantur, quae in eorum non devenerint potestatem, non credimus nostris litteris explicandum.

Clades christianis a Saladino illata; quae accurate describitur: crux dominica capta: episcopi occisi cum templariis et hospitalariis, etc.

Spes in Deo semper habenda

Nos autem licet cum Propheta dicere habeamus: Quis det capiti meo aquam, et oculis meis fontem lachrymarum, et plorabo nocte ac die interfectos populi mei? (2) Non tamen adeo deiicere nos debemus, ut in diffidentiam decidamus, et credamus Deum ita populo iratum, ut quod communium faciente multitudine peccatorum fieri permisit iratus, non cito per misericordiam poenitentia placatus alleviet, et post lachrymationem et fletum exultationem inducat.

Quisquis sane in tanta lugendi materia, si non corpore, saltem corde non luget, non tantum fidei christianae, quae cum omnibus dolentibus docet esse dolendum, sed ipsius est humanitatis nostrae oblitus: cum ex ipsa periculi magnitudine ac feritate barbarica christianorum sanguinem sitiente, ac totam suam in hac apponente virtutem, ut profanare sancta et titulum Dei valeant auferre de terra, quod nos tacemus, discretus quisque valeat aestimare.

Hierusalem sanctitas, in qua prophetae prius, apostoli deinde praedicant, et I. C. salutem nostram operatur.

Sane cum prophetae toto prius studio laboraverunt, postmodum apostoli et sequaces eorum, ut divinus cultus esset in terra illa, et ad omnia climata mundi ex ea deflueret, immo, quod maximum et ineffabile est, Deus, qui voluit incarnari, per quem facta sunt universa, per ineffabilem sapientiam et incomprehensibilem misericordiam suam, per infirmitatem carnis, esuriens, sitim, crucem et mortem et resurrectionem, salutem nostram ibi voluit operari, iuxta quod dicitur: Qui operatus est salutem in medio terrae (2); per se ipsum ad hoc dignatus est laborare, nec lingua dicere, nec sensus cogi-

(1) Psalm. 78.

(1) Ierem. IX. (2) Psalm. 73.

tare potest, quantum nobis et universo dolendum sit populo christiano, quod id nunc perpessa est terra illa, quod sub veteri populo legitur pertulisse. Nos autem credere non debemus, quod ex iniustitia iudicis ferientis, sed ex iniquitate potius populi delinquentis, ista provenerunt; cum legamus quod quando populus convertebatur ad Dominum, persequebatur unus mille, et duo fugabant decem millia, immo, ipso populo quiescente, exercitum Sennacherib angelica manu consumptum, sed et terra illa devoravit habitatores suos, et nec diu habere quietum statum, nec transgressores legis divinae potuit retinere, doctrinam et exemplum tribuens illis qui ad coelestem Ierusalem intenderent, quod non possunt ad eam nisi per exercitium boni operis et per tentationes plurimas pervenire. Potuerunt autem ista timeri iampridem, quando Arroasia et alia terra in potestatem transiit paganorum, et fuisset bene provisum, si populus qui remansit ad poenitentiam rediisset, et Deum, quem praevaricatione offenderat, conversione placasset. Nec enim subito venit ira eius, sed et ultionem differt et tempus tribuit poenitenti. Tandem vero, qui in misericordia iudicium non amittit, vindictam suam ad poenam transgredientium, et cautelam salvandorum exercet.

Peccata multa et ubique patrata ab hominibus, causa sunt malorum.

§ 2. Porro nos qui in tanta terrae illius contritione non solum peccatum habitatorum illius, sed et nostrorum et totius populi christiani, debemus attendere ac vereri, ne quod reliquum est illius terrae depereat, et in alias etiam potestas eorum desaeviat regiones. Cum ex omnibus partibus inter reges et principes, civitates et civitates, dissentiones audiamus et scandala, ut lugere cum Propheta, et dicere valeamus: Non est veritas, non est scientia Dei in terra; mendacium, homicidium et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit (1). Unde hoc universis et cogitandum imminet et agendum, ut peccata nostra castigatione voluntaria emendantes, per poenitentiam et opera pietatis convertamur ad Dominum Deum nostrum, et in nobis primo quod male gessimus, emendemus, deinde feritatem et malitiam hostium attendamus, et quod illi contra Deum tentare non timent, nos pro Deo agere nullatenus haesitemus. Cogitate itaque, filii, qualiter in hunc mundum venistis, et qualiter exituri estis, et qualiter transeant universa, et pariter transeatis et vos: et poenitendi et bene agendi tempus, quantum spectat ad vos, cum gratiarum actione recipite et date vestra, date post vos ipsos, quia non estis ex vobis, nec quidquam a vobis habetis, qui nec culicem unum potestis facere super terram. Nec dicimus dimittite, sed praemittite in coeleste horreum, quae habetis, et deponite apud eum, apud quem aerugo ea non demolitur, aut tinea, nec fures effodiunt et furantur: laborantes ad recuperationem terrae illius, in qua pro salute nostra veritas de terra orta est, et sustinere pro nobis crucis patibulum non despexit, et nolite ad lucrum, vel gloriam temporalem attendere, sed voluntatem Dei, qui pro fratribus animas in se ipso docuit esse ponendas, et ei vestras commendate divitias, quas sive volentes, sive nolentes, nescitis tandem quibus haeredibus sitis relicturi. Non est equidem novum, quod terra illa iudicio divino percutitur, sed nec insolitum, ut flagellata et castigata misericordiam consequatur. Poterit Dominus quidem sola eam voluntate servare: sed non habemus ei dicere, cur ita fecerit. Voluit enim forsitan experiri, et in notitiam ducere aliorum, si quis sit intelligens, aut requirens Deum, qui oblatum sibi poenitentiae tempus hilariter amplectatur, et animam ponendo pro fratribus consummetur in brevi, et compleat tempora multa. Attendite qualiter Machabaei

Hortatur gentes ad poenitentiam et opera pietatis; deinde ad Terrae Sanctae recuperationem.

In qua nullum lucrum temporale, sed honorem Dei quaerere debent.

(1) Osee, IV, 2.

Exemplum Machabaeorum proponit imitandum.

zelo divinae legis accensi, pro fratribus liberandis extrema quaeque pericula sunt experti, et non solum substantias, sed personas pro fratrum docuerint salute ponendas, exhortantes se ipsos, atque dicentes: Accingimini, et estote filii potentes, quoniam melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostrae et sanctorum (1). Et quidem illi sub una constituti lege fuerunt, vos per incarnationem Domini nostri Iesu Christi ad lucem veritatis adducti, et multis exemplis instructi sanctorum, sine trepidatione aliqua faciatis, et non timeatis dare terrena, et pauca et breviter duratura, quibus illa bona sunt promissa et reposita, quae non oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, de quibus dicit Apostolus: Quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis (2).

Indulgentias illis elargitur.

§ 3. His autem, qui corde contrito, et humiliato spiritu, itineris huius laborem assumpserint, et in poenitentia peccatorum et fide recta decesserint, plenam suorum criminum indulgentiam et vitam pollicemur aeternam. Sive autem supervixerint, sive mortui fuerint, de omnibus peccatis suis, de quibus rectam confessionem fecerint, impositae satisfactionis relaxationem de omnipotentis Dei misericordia, et apostolorum Petri et Pauli auctoritate et nostra se noverint habituros.

Alia privilegia concedit.

§ 4. Bona quoque ipsorum, ex quo crucem acceperint cum suis familiis, sub S. R. E., necnon et archiepiscoporum et episcoporum, et aliorum praelatorum Ecclesiae Dei protectione consistant. Et nullam de his, quae in susceptione Crucis quiete possederunt, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, sustineant quaestionem, sed bona eorum integra interim maneant et quieta. Ad dandas quoque usuras si tenentur alicui, non cogantur.

(1) I Mach. III, 59. (2) Rom. VIII, 18.

Vitanda praescribit.

§ 5. Nec eant in vestibus pretiosis et cum canibus, sive avibus, aut aliis, quae ostentationi potius et lasciviae quam necessariis videantur usibus deservire, sed in modesto apparatu et habitu in quo poenitentiam potius agere quam inanem affectare gloriam videantur.

Datum Ferrariae quarto kalendas novembris, indictione sexta.

Dat. die 29 octobris anno Domini 1187, pontif. anno I.

III.

Sequitur ad omnes Christifideles de ieiunio per quinquennium servando ad placandum Deum.

SUMMARIUM

Causa decreti huius. — Statuit ieiunium servandum esse atque a carnibus abstinendum certis diebus, per quinquennium; — Nisi infirmitas aut alia iusta causa impediat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa decreti huius.

Nunquam melius superni Iudicis ira placatur, quam cum ex mandato ipsius carnalia in nobis desideria extinguuntur. Proinde quia Hierosolymitanae terrae discrimen, quod irruentibus Saracenis nuper evenit, ex peccato maxime habitatorum terrae et totius populi christiani accidisse non dubitamus: nos de fratrum nostrorum communi consilio, multis episcopis approbantibus, statuimus ut omnes usque ad quinquennium, saltem per omnes sextas ferias, in cibo quadragesimali ieiunent, et missa, ubi cantanda fuerit, ad nonam cantetur: quod ab Adventu Domini usque ad Natale Domini statuimus observandum: feria vero quarta et sabbatho omnes indifferenter, qui bene valent, a carnibus abstineant. Nos autem, et fratres nostri in secunda quo-

Statuit ieiunium servandum esse atque a carnibus abstinendum certis diebus, per quinquennium;

Nisi infirmitas aut alia iusta causa impediat.

que feria nobis et familiis nostris esum carnis interdicimus, nisi forte aut infirmitas, aut magna solemnitas, vel alia evidens causa, visa fuerit impedire: sperantes quod sic nobis ignoscet Dominus, et relinquet post se benedictionem. Hoc igitur adeo statuimus observandum, ut quicumque transgressor extiterit, quasi praevaricator quadragesimalis ieiunii habeatur.

Datum Ferrariae quarto kalendas novembris.

Dat. die 29 octobris anno Domini 1187, pontif. anno I.

IV.

Appellationi de rebus modicis factae non est deferendum: sed ut infra fines iudices, qui suspicione careant, eligat, appellans est cogendus: a quibus si quis partium crediderit appellandum, ad archiepiscopum vel primatem vocem appellationis emittat (1).

SUMMARIUM

Exordium. — In causis infra summam viginti marcharum non appellandum nisi ad archiepiscopum sive primatem. — Tempus definitur, quo decurso, nulla litera a Pontifice impetranda pro iudicibus non ordinariis obtinendis. — Dimissoriae literae non negandae iis qui iustam causam habent.

Gregorius universis fratribus episcopis et archidiaconis, ad quos litterae istae pervenerint.

Exordium.

Vel ex dolo, vel ex malitia litigantium, vel ex defectu nostro credimus provenire, quod tanta negotiorum frequentia diebus singulis perurgemur, ut imbecillitate proprii corporis laborantes minori impediti, omnibus non possimus commode superesse, aut undique contradicentium clamores, aut murmura sustinere. Hinc etiam evenit, quod negotiis minoribus occupati, maioribus intendere non valemus, prout necessitas ecclesiastica postularet, et quae diffiniri vel disponi per nos brevi tempore potuissent expectatione diutina plusquam oportet, multis pariter irruentibus producuntur. Quo circa per generalem epistolam remedium huic rei duximus providendum, ne multimodo impediamur incursu, vel sua iniuriam patientibus possit iustitia deperire. Ea propter universitati vestrae per A. S. (1) praesentibus mandamus, quatenus si forte de modicis rebus, quae infra summam viginti marcarum subsistunt, in auditoriis vestris causa ventiletur, et alteruter litigantium delusorie putaverit appellandum, eius appellatione contempta, infra fines vestrorum episcopatuum eos eligere iudices, qui suspicione careant, compellatis: si tamen idonei ibi fuerint inventi, in quorum praesentia iurgium sopiatur, a quibus, si qua partium crediderit appellandum, ad archiepiscopum sive primatem vocem appellationis emittat. Si vero tale negotium sit, quod summam contineat aliquatenus ampliorem infra fines vestrarum dioeceseon, si sponte noluerint, inviti non cogantur. Cognitores tamen de vicinis episcopatibus aliquos eligere compellantur iuxta formam, quam praemisimus, negotium tractaturos in maioribus causis et obscurioribus articulis appellandi ad Sedem Apostolicam copia servata. Non enim videtur malitiae suspicione carere, quod plerique suos adversarios ad praesentiam nostram laborare compellunt. Caeterum si qui litigantium a proximo festo Purificationis super causis de quibus episcopus, cuius iurisdictioni saltem is qui convenitur non subiacet, non fuerit requisitus, vel iudices clerici supradicto modo non fuerint electi, et literas a nobis duxerint impetrandas, per quas examinatio iurgiorum, vel diffinitio iudicibus non ordinariis committatur, careant impetratis, et ad suorum audientiam iudicum ordine debito negotia revertantur. Sic enim

In causis infra summam viginti marcharum non appellandum nisi ad archiepiscopum sive primatem.

Tempus definitur, quo decurso, nulla litera a Pontifice impetranda pro iudicibus non ordinariis obtinendis.

(1) Ex Appendice ad Concil. Lateran. III, tom. XIII, col. 605.

(1) Apostolica scripta.

subterfugiis occurrere disceptationum volumus, ut dum eorum calliditatibus obviamus, eis alium ad iustitiam aditum reseremus. Cum vero aliqui iustam causam habuerint nostram praesentiam adeundi, literas eis dimissorias non negetis, seriem negotii continentes. Hoc autem de factis ad nos appellationibus disponentes, super illis, quae ad archiepiscopos vel primates fieri contigerit, antiquorum ordinem canonum non mutamus.

Dimissoriae literae non negandae iis qui iustam causam habent.

CLEMENS III

PAPA CLXXIV

Anno aerae Christi comm. MCLXXXVII.

Paulus Praenestinus episcopus S. R. E. cardinalis, natione Romanus, electus est in Summum Pontificem die 19 decembris anno 1187, sequenti autem die coronatus est, et Clemens III appellatus. Sedit in pontificatu annos III, menses III, dies VIII, imperantibus in Oriente Isaacio Angelo, in Occidente vero Friderico Ænobarbo, mox Henrico VI imperatoribus. Obiit die 27 martii, anno 1191 (1), et sequenti die sepultus est in Ecclesia Lateranensi. Vacavit sedes dies duos (2).

I.°

Mandatum delegatis Apostolicae Sedis, ut in Guilielmum Scotiae regem admonitum de pace Ecclesiae Sancti Andreæ eiusque episcopo reddenda, nisi resipuerit, sententiam interdicti ferant etc. (3).

SUMMARIUM

Exordium. — Calamitates Ecclesiae S. Andreae eiusque episcopi. — Regem praedictum moneri mandat, ut episcopo rancorem suae indignationis remittat. — In regnum, regem, et fautores regios interdicti sententia promulganda. — Altaria et calices, in quibus Hugo celebravit tempore suae excommunicationis, purificanda. — Immutata ab Hugone in debitum statum inducenda. — Puniendi canonici si qui forte obedire nequiverint.

(1) In assignando electionis, obitusque Clementis PP. die, mense et anno, sequendum duxi Pagium saepe laudatum: penes quem legi possunt rationes nec infirmae quidem, quibus haec innititur chronologia. (2) Exclusis extremis. (3) Ex Concil., tom. XIII, col. 670.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Iocelino Glascuensi, et Matthaeo Aberdensi, et Ricardo Moresensi episcopis, et dilectis filiis Ernulfo de Merlas, et Hugoni de Neubotle, et de Sancta Cruce, et de Strivellina, et de Scona abbatibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad ea quae respiciunt honestatem, et salutem pariunt animarum, quamvis absque monitis intendere debeatis, et diligentem operam iuxta vestri officii debitum tribuere vos credamus: vestram tamen diligentiam ad maiorem in his solicitudinem exhibendam litteris apostolicis duximus exhortandam, ut eisdem operibus laude dignis tanto ferventius insistatis, quanto vobis salubrius erit in ipsis ad exhortationem apostolicam exactiorem diligentiam adhibere. Constat utique quosdam Ecclesiarum praelatos, cum his qui scandalizati fuerint debere pati iuxta normam apostolicam ustionem, et cum infirmantibus infirmari. Quantas vero persecutiones his temporibus sustinuerit Ecclesia Sancti Andreæ, quantas calamitates incurrerit et pressuras, quam etiam graviter hactenus fuerit perturbata sub umbra indignationis regiae celsitudinis et quassata; insuper venerabilis frater noster Ioannes episcopus Sancti Andreæ quot et quanta pericula sustinuerit et labores pro servanda libertate Ecclesiae sibi commissae, et ei a nobis et duobus nostris praedecessoribus confirmatae; cum ea omnia vobis sint manifesta, illa vestris auribus inculcare supervacuum videtur. Nunc igitur quam plurimum dignoscitur et de salute regia et de statu praescriptae Ecclesiae reformando, atque

Exordium.

Calamitates ecclesiae S. Andreae eiusque episcopi.

pace nisi ipsi episcopo conferenda nos convenit solicitudinem gerere congruentem et circumspectionem vestram ad corroborandam nobis idoneum (1) reputamus discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, atque praecipimus, quatenus post susceptionem literarum nostrarum convenientes in unum, sicuti decet viros providos et discretos, carissimi in Christo filii nostri Guilielmi illustris regis Scotiae praesentiam adeatis, et eum moneatis diligentius et instantius inducatis, ut episcopo memorato rancorem indignationis suae remittat, et in hoc Romanam Ecclesiam, quae serenitati regiae iam longo tempore detulit, non contemnat; sed eius et vestris monitis, prout regiae gloriae convenit et saluti, sine dilatione salubriter pareat et humiliter acquiescat, ac ipsum episcopum praescriptam dioecesim Sancti Andreæ in pace permittat habere; cum ex debito regiae dignitatis Ecclesias teneatur cum pastoribus suis non dispergere, sed fovere; non contemnere, sed amare; non persequi, sed tueri. Quod si monitis apostolicis, in propriae salutis periculum, quod absit, duxerit resistendum: in regnum suae celsitudinis et personam suam et omnes fautores regios nuncietis interdicti sententiam, infra viginti dies sine appellationis obstaculo auctoritate apostolica a vobis promulgandam. Illos insuper qui Hugoni obedientes extiterunt, et ei fomentum in sua obstinatione dederunt, postquam eum Sedes Apostolica a dioecesi Sancti Andreae removit perpetuo et excommunicationis sententiam in ipsum promulgavit, simili sententia percellatis, et publice nunciantes, excommunicationi subesse tamdiu faciatis, et ab aliis arctius evitari, donec ad mandatum Ecclesiae revertantur, absolutionis beneficium ab eodem episcopo petituri. Ad haec altaribus et calicibus, in quibus iam dictus Hugo, dum in excommunicatione positus celebravit, purificationem et sanctificationem iuxta consuetudinem Ecclesiae conferatis. Ad ecclesiam quoque Sancti Andreae pariter accedatis, et fratribus convocatis in unum, intretis capitulum, et de ordine et statu Ecclesiae diligentius inquiratis: et si quid in eadem Ecclesia per supradictum Hugonem immutatum inveneritis, vel statutum, auctoritate nostra id in statum debitum inducatis: et si quid in ipsa fuerit corrigendum, efficaciter studeatis id in melius reformare. Si vero, quod absit, aliquos ex canonicis ad recipiendum humiliter et devote pastorem suum praedictos duros inveneritis et rebelles: eos instantius moneatis, ut illi reverentiam et obedientiam patri debitam exhibeant, et a maligno atque damnabili proposito suo desistant: quod si contumaces extiterint, eos ab officio pariter et beneficio suspendatis, et excommunicationis vinculo innodetis, quo ipsos faciatis manere ligatos donec monitis et mandatis ecclesiasticis acquiescant. Quod omnes his exequendis interesse nequiveritis, reliqui ea nihilominus exequantur.

Regem praedictum moneri mandat, ut episcopo rancorem suae indignationis remittat.

In regnum, regem, et fautores regios interdicti sententia promulganda.

Hugoni obedientes excommunicandi

Altaria et calices in quibus Hugo celebravit tempore suae excommunicationis purificanda.

Immutata ab Hugone in debitum statum inducenda.

Puniendi canonici si qui forte obedire nequiverint.

Datum Pisae decimoseptimo kalendas februarii, indict. sexta.

Dat. die 16 ianuarii anno Domini 1188, pontif. anno I.

(1) Forte *idoneam*

II.

Confirmatio bonorum et privilegiorum ab antecessoribus Summis Pontificibus Cluniacensi monasterio concessorum (1).

SUMMARIUM

Cluniac. monasterium ab ipsa sui fundatione Sedi Apostolicae subiectum. — A Summis Pontificibus variis privilegiis donatum. — Inter quae perpetua concessa exemptio ab omni tum laicali, tum ecclesiast. iurisdict., praeter subiectionem eidem S. Sedi. — Confirmantur termini ab Urbano PP. II constituti. — Enumerantur abbatiae monasterio Cluniac. subiectae. — In priora-

(1) In Biblioth. Cluniac. edidit Martinus Marrier, col. 1453

tibus eidem subiectis nullus imposterum eligendus abbas. — Immunitas a solutione decimarum pro altaribus, ecclesiis, aliisque bonis cuiusque generis. — Monachi Cluniacenses sacris interdici nullo modo possint. — Omnia ad eos pertinentia confirmantur: — Quae hic propriis nominibus exprimuntur, cum locorum vocabulis, ubi illa consistunt. — Decretum ne infra parochias ad eosdem spectantes ecclesia ulla, vel capella construatur sine abbatis assensu: — Item ne quid a monast. Cluniacensi auferatur, vel alienetur: — Confirmatio et roboratio praesentis diplomatis cum solitis clausulis. — Clemen. PP. subscriptio. — Subscriptiones card. S. R. E.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni abbati Cluniacensi, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Cluniac. monasterium ab ipsa sui fundatione Sedi Apostolicae subiectum

A Summis Pontificibus variis privilegiis donatum:

Inter quae perpetua concessa exemptio ab omni tum laicali, tum ecclesiast. iurisdict., praeter subiectionem eidem S. Sedi.

Religionis monasticae modernis temporibus speculum, et in Galliarum partibus documentum, Beati Petri Cluniacense monasterium ab ipso suae fundationis exhordio Sedi Apostolicae in ius proprium est oblatum. Proinde patres nostri sanctae recordationis Ioannes XI, item Ioannes XIX, Agapitus II, Benedictus VI, item Benedictus VII, Leo VII, item Leo IX, Gregorius VI, item Gregorius VII, Alexander II, Stephanus, Victor III, Urbanus II, Paschalis II, Gelasius II, Calixtus II, Lucius II, Eugenius III, Adrianus IV et Urbanus III, Ecclesiae Romanae Pontifices, locum ipsum singularis dilectionis ac libertatis praerogativa donarunt, et universa et (1) pertinentia privilegiorum suorum sanctionibus muniverunt. Statutum est enim ut ecclesiae omnes, cimiteria, monachi, clerici et laici universi infra terminos habitantes, qui sunt a rivo de Salnai et ab ecclesia Rufiaci et Cruce de Lornant: a termino quoque molendini de Tornesac, per villam, quae dicitur Varenna, cum nemore Burserio: a termino etiam, qui dicitur Perois, ad rivum usque de Salnai, sub Apostolicae tantum Sedis iure ac tuitione permaneant. Neque ipsius Cluniacensis loci presbyteri, aut etiam parrochiani, ad cuiuslibet nisi Romani Pontificis et Clun. abbatis cogantur ire synodum vel conventum. Sane pro abbatis, monachorum seu clericorum infra praedictos terminos habitantium ordinatione, pro Chrismatis confectione, pro sacri Olei, ecclesiarum, altarium et cimiteriorum consecratione, Cluniacense monasterium quem maluerit antistitem evocet. Cluniacenses monachos ubilibet habitantes nulla omnino persona, praeter Romanum Pontificem, aut legatum, qui a latere ipsius fuerit destinatus, excommunicet aut interdicat. Sane terminos immunitatis loci vestri, qui a praefato antecessore nostro Urbano Papa II constituti sunt, praesentis decreti nostri pagina confirmamus, ne videlicet ullus homo cuiuscumque conditionis ac potestatis invasionem, praedam, aut rapinam facere, sive homicidium perpetrare praesumat infra ipsorum limites terminorum. Itaque termini sacri banni sunt hi: versus Berziacum terminus est ad bivium circa Sarratam, unde una via venit ad Cluniacum et altera ad Masillias. In strata versus Bellumiocum terminus est contra Carruvium, quod est desuper molendinum Cellerarii Clun. Citra Viengias ultra Cluviacum versus Masillias terminus est ad bivium, unde una via tendit ad Masillias, altera ad Sanctam Mariam de Bosco. Super Rufiacum terminus est ad summitatem defensi ad bivium, unde una tendit ad Besorniacum, altera ad Quarellam. Versus Sergiacum terminus est intra Carruvium citra locum ubi dicunt ad Turgum. In strata versus Cabilonensem pagum terminus est ad Grossam Cassaniam super Marniacum. Versus Brancedunum terminus est in via super Boscum Bannedum. Versus Trenorchium terminus est super rivulum quem dicunt Longam-Acquam. Inter Banoscum et Donziacum versus Petronam vel Zasiacum, terminus est ad tres fagos, ubi partiuntur noster boscus de Cluniaco et boscus Comitalis. Versus

Confirmantur termini ab Urbano PP. II constituti.

(1) Forsitan *et*.

Igiacam terminus est ad Carmos, super Montem Medium.

Enumerantur abbatiae monasterio Cluniac. subiectae.

In abbatiis, quae cum suis abbatibus ordinationi Cluniacensis monasterii datae sunt, videlicet S. Martialis Lemovicensis: monasterii novi Pictavis, S. Ioannis Angeliacensis: monasterii Lesatensis, Moysiacensis, Figiacensis in Cathurcensi pago: in Arvernia Mauziacensis, Tiernensis et Minatensis; in Antisiodozensi, S. Germani: in Rothomagensi abbatia apud Ponteseram: in Taroanensi, S. Wlmari, sine Cluniacensis abbatis consilio abbas nullatenus eligatur. Ad haec adiicimus, ut in omnibus prioratibus et cellis, quae nunc sine proprio abbate vestro regimini subiectae sunt, nullus futuris unquam temporibus abbatem ordinare praesumat; sed tam prioratus ipsi et cellae, quam et caetera in quibuslibet locis omnia, quibus Cluniacensis Ecclesia, Arvernensis concilii, quod per supradictum Papam Urbanum II celebratum est, tempore investita erat, de quibus tunc nulla quaestio mota est, tam tibi, quam successoribus tuis in pace semper et quiete serventur.

In prioratibus eidem subiectis nullus imposterum eligendus abbas.

Immunitas a solutione decimarum pro altaribus, ecclesiis, aliisque bonis cuiusque generis.

Pro altaribus et ecclesiis, sive decimis vestris, nulli episcoporum facultas sit gravamen aliquod vobis aut molestias irrogare. Sed sicut eorum permissione quaedam ex parte, quaedam ex integro habuistis, et in futurum habeatis. Ecclesiarum vestrarum decimas, quae a laicis obtinentur, si secundum Deum eorum potestati subtrahere vestrae religionis reverentia poterit, ad vestram et pauperum gubernationem vobis liceat possidere. Decimas laborum vestrorum, pro quibus tam vos, quam alios monasticae religionis viros inquietare episcopi consuerunt, illorum videlicet, quos dominicaturas (1) appellant, qui vestro sumptu a monasteriis et cellarum vestrarum clientibus excoluntur, sine omni episcoporum et episcopalium ministrorum contradictione deinceps quietius habeatis, qui vestra peregrinis fratribus et pauperibus erogatis. Ecclesiae omnes, quae ubilibet positae sunt, seu capellae vestrae et cimiteria libera sint et omnis exactionis immunia, praeter consuetam[4] episcopi paratam, et iustitiam in presbyteros, qui adversus sui ordinis dignitatem offenderint. Liceat quoque vobis, seu fratribus vestris presbyteros eligere: ita tamen ut ab episcopis, vel episcoporum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant, quam si committere illi, quod absit, de pravitate noluerint, tunc presbyteri ex Apostolicae Sedis benignitate officia celebrandi licentiam consequantur: ecclesiarum vero, seu altarium consecrationes, si dioecesani episcopi gratis noluerint exhibere, a quolibet catholico suscipiatis episcopo: nec cellarum vestrarum ubilibet positarum fratres pro qualibet interdictione vel excommunicatione divinorum officiorum suspensionem patiantur; sed tam monachi ipsi, quam et famuli eorum, si qui se monasticae professioni devoverunt, clausis ecclesiarum ianuis, non admissis dioecesanis, divinae servitutis officia celebrent et sepulturae debita peragant.

Monachi Cluniacenses, sacris interdici nullo modo possint.

Omnia ad eos pertinentia confirmantur:

Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona idem monasterium inpraesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant: in quibus haec propriis duximus exprimenda nominibus.

Quae hic propriis nominibus exprimuntur,

In Burgundia ecclesiam de Villa Franca, ecclesiam de Barberiaco, monasterium de Prims, ecclesiam de Belna cum appendiciis suis. In Francia ecclesiam Montis Desiderii, ecclesiam de Dompetra, ecclesiam de Crispeio. In Provincia monasterium iuxta Montem Pessulanum. In Tholosano episcopatu ecclesiam Sanctae Columbae. In Hispanis, Nazaram, S. Isidorum, S. Zoelum de Carrione, S. Romanum de Pennis, Villam Viridem, Vil-

(1) Dominicatura, dominium proprium, *proprietas*. (R. T.)

lam Francam, Vallem Viridem, Palumbarium, Bodinum, Vimeneriam, S. Martinum de Nebda, S. Vincentium de Salamantica, Sanctam Columbam de Burgis, Cornilianam, quae propriae Cluniacensi monasterio datae sunt. Item in Nivernensi episcopatu monasterium de Albiniaco, quod ad caritatem pertinet. In Francia monasterium de Causiaco, quod ad S. Martinum de Campis, canonicalem ecclesiam de Abbe-Villa. Item ecclesiam de Rua, quae ad monasterium de Abbe-Villa pertinet. In episcopatu de Castro ecclesiam S. Petri de Aliano. In episcopatu Tusculanensi ecclesiam Sanctae Mariae de Pesulo. In episcopatu de Urbe-Veteri ecclesiam Sanctae Mariae de Acquamola et ecclesiam S. Angeli.

Decretum ne infra parochias ad eosdem spectantes ecclesia ulla vel capella construatur sine abbatis assensu:

Probibemus autem ne infra parochias ad ius Clun. monasterii pertinentes absque Clun. abbatis assensu ullus ecclesiam vel capellam aedificare praesumat, salva in omnibus Sedis Apostolicae auctoritate. Inhibemus autem ne terras, seu possessiones alias et thesauros Ecclesiarum vestrarum liceat alicui vendere, seu alio modo alienare, vel loco pignoris obligare, vel alicui fratrum vestrorum, quo aliquo fideiubere, absque consensu abbatis et capituli vestri, aut maioris et sanioris partis. Quod si factum fuerit, decrevimus irritandum.

Item ne quid a monast. Cluniacensi aufeatur, vel alienetur:

Confirmatio et roboratio praesentis diplomatis cum solitis clausulis

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione aut sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se iudicio divino existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatinus et hic fructum bonae actionis percipiant et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Clement. PP subscriptio.

Ego Clemens catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

Subscriptiones cardinalium S. R. Ecclesiae

Ego Ioannes presbyter card. tit. Sancti Marci subscripsi.

Ego Laborans presb. card. S. Mariae Transtyberim tituli S. Calisti subscripsi.

Ego Albinus presbyter cardinalis tit. S. Crucis in Hierusalem subscripsi.

Ego Melior presb. card. Ss. Io. et Pauli tit. Pammachii subscripsi.

Ego Iacobus diaconus card. Sanctae Mariae in Cosmedin subscripsi.

Ego Octavianus Ss. Sergii et Bacchi diaconus card. subscripsi.

Ego Gofredus S. Mariae in Via Lata diaconus card. subscripsi.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card. subscripsi.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card. subscripsi.

Datum Laterani per manum Moysi Lateran. can. vices agentis cancellarii, v kal. martii, indictione VI, incarnationis dominicae anno MCLXXXVIII, pontificatus vero domini Clementis Papae III anno primo.

Dat. die 25 februarii anno Domini 1188, pontif. anno I.

III.

Privilegium concessum Scotorum Ecclesiae, et regi, quod a nullo possint excommunicari, nisi a Papa, vel ab eius de latere legato (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Scoticana Ecclesia Sedi Apostolicae immediate subiecta. — Ecclesia

(1) Edidit Baron ad ann. 1188.

et regnum Scotiae a nullo excommunicari posse, nisi a Rom. Pontifice. — Causae in regno exortae extra illud non asportandae, *etc.* — Libertates et immunitates a praedecessosibus Pontif. concessas confirmat et ratas habet. — Solitae clausulae.

Clemens episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Willelmo illustri Scotorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Cum universi Christi iugo subiecti ad Sedem Apostolicam patrocinium invenire debeant et favorem, illos tamen specialius convenit munimine protectionis confoveri, quorum fidem ac devotionem in pluribus est experta, ut ad ipsius electionis favorem tanto amplius provocetur et eius reverentiae devotiori affectione subdantur, quanto benevolentiae ipsius et gratiae pignus se noverint certius assecutos.

Scoticana Ecclesia Sedi Apostolicae immediate subiecta. Ea propter, charissime in Christo fili, reverentiam ac devotionem, quam ad Romanam te habuisse a longis retro temporibus Ecclesiam novimus, attendentes, praesentis scripti pagina duximus statuendum, ut Scoticana Ecclesia Apostolicae Sedi, cuius filia specialis existit, nullo mediante debeat subiacere; in qua hae sedes episcopales esse noscuntur: Ecclesia et regnum Scotiae a nullo excommunicari posse, nisi a Romano Pontifice. Ecclesiae videlicet Sancti Andreae Glasenensis, Dunkeldensis, Dublinensis, Brehinensis, Aberdonensis, Moraviensis, Resensensis, Katinensis, et nemini liceat nisi Romano Pontifici, vel legato ab ipsius latere destinato in regnum Scotiae interdicti, vel excommunicationis sententiam promulgare, et si promulgata fuerit, decernimus non valere. Adiicimus, ut nulli de caetero, qui de regno Scotiae non fuerit, nisi quem Apostolica Sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere.

Causae in regno exortae extra illud non asportandae, etc. Prohibemus autem, ut controversiae, quae fuerint in regno illo de possessionibus eius exortae, ad examen extra regnum positorum iudicium non trahantur, nisi ad Romanam Ecclesiam fuerit appellatum. Si qua vero scripta contra huius libertatis statuta apparuerint impetrata, vel imposterum istius concessionis mentione non habita contigerit impetrari, nullum tibi, vel ipsi regno circa huius praerogativae concessionem praeiudicium generetur. Libertates et immunitates a praedecessoribus Pontif. concessas confirmat et ratas habet. Praeterea libertates et immunitates tibi, vel eidem regno, vel Ecclesiis in eo constitutis a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus indultas et hactenus observatas, ratas habemus et illibatas futuris temporibus statuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat paginam nostrae constitutionis et prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Solitae clausulae. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani, tertio idus martii, pontificatus nostri, anno primo.

Dat. die 13 martii anno Domini 1188, pontif. anno I.

IV.

Sedis episcopalis translatio a civitate Wollin ad Camminensem, ac confirmatio bonorum omnium ad illam spectantium (1).

SUMMARIUM

Translatio sedis episcopalis ab una in aliam civitatem. — Confirmatio bonorum, iurium et privilegiorum (R. T.).

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Sigefrido Camminensi episcopo, salutem.

Translatio sedis episcopalis ab una in aliam civitatem. Auctoritate apostolica statuimus, sancimus et ordinamus, cum civitas, quae Wollin dicitur, in qua sedes episcopalis esse soleat, propter guerrarum incommoda deserta esse proponatur, ut in ec-

(1) Edidit Rangonus, Origin. Pomeran., pag. 159. — Vides hic bullae fragmentum, de quo iudicium nullum satis tutum dari potest; quae enim desiderantur, argumentum suspicionis non sunt.

clesia Sancti Ioannis Baptistae, apud civitatem Camminensem, quae populosior est, et securior habetur, haec ipsa sedes episcopalis sit, et perpetuis temporibus inviolabiliter permaneat. Similiter privilegia, bona et possessiones eiusdem Ecclesiae confirmamus, civitatem nempe Camin. cum taberna et foro, villis et omnibus earum appendiciis, castra scilicet Demin, Triboses, Ebozho Wollgast, Huznoym, Groswyn, Pyris, Stargard, Prentzlau cum foro et taberna et suis omnibus appendiciis. Tota Pomerania, usque ad Lebam fluvium cum foris et tabernis (1) decima fori Sichem.

Confirmatio honorum, iurium et privilegiorum.

Datum Laterani per manum Moysi Lateranensis canonici, vicem agentis cancellarii, VI kalendas maii, indictione VI, incarnationis dominicae anno MCLXXXVIII, pontificatus vero domni Clementis Papae tertii anno primo.

Dat. die 26 aprilis anno Domini 1188, pontif. anno I.

V.

Decretum, quo cavetur, ne canonici regulares per oppida vagentur (2).

SUMMARIUM

In Lateranensi concilio cautum ne canonici regulares per oppida divagentur: — Abbates eos ad monaster. debent reducere: — Bituricensi archiep. conceditur collatio Ecclesiarum de iure monach., vel canonicorum si ii intra tres menses de idoneo presbytero non providerint. — Solitae conclusiones.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Bituricensi archiepiscopo Aquitaniae primati, salutem et apostolicam benedictionem.

In Lateranensi concilio cautum ne canonici regulares per oppida divagentur:

Cum in Lateranensi concilio fuerit generaliter interdictum, ne monachi, aut etiam canonici regulares singulis in oppidis vel aliis locis popularibus habitent; sunt nonnulli, qui capellanorum vices agentes in parochialibus ecclesiis soli morantur et suae professionis immemores conversari saeculariter non formidant. Nos itaque providere volentes, ne quod provida fuit in concilio deliberatione statutum, pro privato aliquorum commodo irritetur, praesenti fraternitati tuae scripto concedimus, ut abbates eorum de illis reducendis ad claustrum, aut adimplendo quod in decreto exprimitur, non differas diligentius commonere. Si vero abbates commonitionem tuam fortasse contempserint, tu quod scribimus auctoritate nostra, remoto appellationis obstaculo, exequaris. Ad hoc nihilominus tibi auctoritate apostolica indulgemus, ut si monachi, vel canonici in tua dioecesi constituti, infra tres menses ad Ecclesias, in quibus illis praesentatio competit, et ad te institutio pertinet, non praesentaverint idoneos capellanos, tu, non expectata diutius praesentatione illorum, easdem Ecclesias, appellatione remota, canonice ordinandi liberam habeas facultatem. Sic tamen, ut ex hoc illis in posterum nullum debeat praeiudicium generari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Abbates eos ad monaster. debent reducere:

Bituricensi archiep. conceditur collatio Ecclesiarum de iure monach., vel canonicorum si ii intra tres menses de idoneo presbytero non providerint.

Solitae conclusiones.

Datum Laterani, V idus iulii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 11 iulii anno Domini 1188, pontif. anno I.

VI.

Confirmatio, seu designatio Ecclesiarum suffraganearum archiepiscopatus Bremensis (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Ecclesiae suffraganeæ designantur et cum omnibus possessionibus

(1) Forte addendum *et*. (2) Ex Cartario archiep. Bituricen. edidit Martène, Thesaur. Anecdot., tom I, col. 631.

(1) Inter privilegia arch. Hammaburg. edidit Lambec. apud Lindenbrog., Script. Septentrion., p. 164

confirmantur; — Addito immunitatis decreto.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Hartwico Bremensi archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Ex iniuncto nobis a Deo apostolatus officio, fratres et episcopos nostros, tam vicinos, quam longe positos sincerae charitatis affectu debemus diligere, et Ecclesiis, in quibus auctore Domino militare noscuntur, suam dignitatem et iustitiam integram conservare. Eapropter, ven. in Christo frater, tuis iustis postulationibus grato concurrentes assensu, Ecclesiam ipsam, cui auctore Domino praesides, cum omnibus pertinentiis suis, Lubecensem quoque, Zwerinensem, Racesburgensem et Ixseclanensem episcopatus, cum universis bonis tam spiritualibus, quam temporalibus, sicut iuste et sine controversia possides, tibi et Ecclesiae tuae auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc nostrae paginam confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Ecclesiae suffraganeae designantur et cum omnibus possessionibus confirmantur;

Addito immunitatis decreto.

Dat. Romae apud Sanctam Mariam, VII kalendas octobris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 25 septembris anno Domini 1188, pontif. anno I.

VII.

Abbati monasterii Cassinen., quod sub protectione Sedis Apost. recipitur, supra caeteros ordinis et Occidentis abbates asseritur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Praedecessorum more Cassinen. monast. sub Sedis Apostolicae protectione suscipit. — Et caeteris per Occidentem praeferendum esse declarat. — Clausulae et conclusiones consuetae.

(1) Ex archiv. monast. Cassinen. edidit Margar., loc. cit., num. CCX.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Roffrido abbati monasterii Sancti Benedicti Casinensis, eiusque fratribus, tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Omnipotenti Deo cuius melior est misericordia super vitas, gratias agimus, quoniam gloriosus in sanctis suis, atque mirabilis est, et virtutes suas, ubicumque vult, ineffabili bonitate ostendit. Ipse quippe dignationis suae potentia, B.mum Benedictum, patrem omnium constituit monachorum, ipse enim monasticae legislatorem et operatorem vitae eum esse disposuit. Ipse illius meritis, Casinense monasterium, in quo et sanctissime vixit et gloriosissime obiit, omnibus per Occidentem monasteriis clementi benignitate praefecit. Quoniam igitur dignum est, ut tam celebre et solemne monasterium Apostolica Sedes specialius amplectatur, monasterium ipsum ad exemplar praedecessorum nostrorum felicis memoriae Romanorum Pontificum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. Praeterea praedecessorum nostrorum sanctae memoriae Urbani et Calixti Romanorum Pontificum vestigia sequentes, vestrum coenobium caeteris per Occidentem coenobiis praeferendum asserimus. Et tam te, quam successores tuos, in omni conventu episcoporum seu principum superiorem omnibus abbatibus consedere, atque in iudiciis, priorem caeteris sui ordinis iuris sententiam proferre sancimus. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam *etc.*

Exordium

Praedecessorum more Cassinen. monast. sub Sedis Apostolicae protectione suscipit.

Et caeteris per Occidentem praeferendum esse declarat.

Clausulae et conclusiones consuetae.

Datum Laterani per manum Moysi sanctae Romanae Ecclesiae sub-diaconi, vicemagentis cancellarii, X kal. decembris, indictione VIII, anno incarnationis domi-

nicae MCLXXXVIII, pontificatus domini Clementis Papae III anno I.

Dat. die 22 novembris anno Domini 1188, pontif. anno I.

VIII.

Confirmatio statutorum ab Urbano III pro quiete et disciplina monachorum Grandimontensium (1).

SUMMARIUM

Apostolicae Sedis munus de dubiis in religione decernere. — Confirmat, quae decreverat Urbanus PP.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus Grandimontensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolicae Sedis munus de dubiis in religione decernere.

Rationis ordo requirit, et consuetudinis ecclesiasticae norma commendat, ut qui dubitationem in observantia christianae religionis adducunt, provisione moderationis apostolicae declarentur: ne igitur de regula vestra in posterum quaestio referatur; quam bonae memoriae Urbanus praedecessor noster de consilio et assensu cardinalium et multorum episcoporum Italiae praesentibus ex vobis tam clericis, quam conversis, ad eius firmitatem et perpetuam pacem per osculum pacis assensum praebentibus, noscitur correxisse, ut in eiusdem privilegio et in ipso plenius continetur, eam sub sigillo in praesentibus scriptis de verbo ad verbum duximus inserendam, quae talis est: Quisquis hanc religionem *etc.*, *usque* salvus erit. Amen. Ut autem praedicta regula perpetuis temporibus illibata consistat, ipsam prout ab eodem Urbano praedecessore nostro, ut superius diximus, correcta est, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere.

Confirmat quae decreverat Urbanus PP.

Datum Laterani pontificatus nostri anno I.

Dat. anno Domini 1188, pontif. anno I.

(1) Ex Gall. Christ. nov. edit., tom. II, inter instrumenta Ecclesiae Lemovic., num. XXXV. — Quae decreverit Urbanus PP. lege superius ad ann. 1186.

IX.

Canonizatio beati Stephani ordinis Grandimontensis institutoris (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — Legatis apostolicis ab Urbano Papa commissum, ut inquirerent de vita Stephani. — Quod commissum quoque a Clemente: — Qui eum Ss. numero adscribit.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Gerardo priori, et fratribus Grandimontis, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Ideo sacrosanctam Romanam Ecclesiam Redemptor noster caput omnium esse voluit et magistram, ut ad eius dispositionem et nutum divina gratia præeunte, quae ubicumque a fidelibus gerenda sunt, ordinentur, et errata in melius corrigantur, et ad eius consilium in ambiguis recurratur: quod ipsa statuerit, nemini quantumcumque de suis meritis glorietur, liceat immutare: ne si forte promiscua daretur universalis licentia, quaecumque sibi secundum voluntatem propriam occurrerent perpetrandi censura libertas cum secundum personarum diversitatem vota dissentiant in aliorum aliquando scandalum sine iusti descretione (2) libraminis commendanda supprimeret, et minus digna laudibus indebitis celebraret. Inde siquidem fuit, quod bonae memoriae praedecessor noster Urbanus, audita fama religionis et vitae commendabilis puritate, qua sanctae recordationis Stephanus Grandimontensis ordinis institutor emicuit, quanto etiam miraculorum testimoniis omnipotens Deus ipsius voluit mundo merita declarare. Legatis quos ad partes

Legatis apostolicis ab Urbano Papa commissum, ut inquirerent de vita Stephani.

(1) Ex Archiv. Vatic. (2) Forte *discretione*

illas direxit pro quibusdam negotiis Ecclesiae tractandis, plenam circa haec investigationem committere voluit, ut ex ipsorum, caeterorumque virorum, quibus sine dubitatione fides esset adhibenda, testimonio ad id agendum consulto procederent: quod et fidelium commodis, et ipsius sancti viri honori, qui hactenus velut in sterquilinio gemma latuerat congrue videretur: nos etiam ex testimonio charissimi in Christo filii nostri Henrici illustris Anglorum regis, necnon venerabilium fratrum nostrorum Guillelmi Remensis sanctae Sabinae presbyteri cardinalis, Bartholomaei Turonensis et Heliae Burdegalensis archiepiscoporum, et Seibrandi Lemovicensis episcopi, et dilectorum filiorum nostrorum Bobardi tunc Sancti Angeli, et Octaviani Sanctorum Sergii et Bacchi diaconorum cardinalium, qui in partibus illis functi sunt legationis officio, et aliorum multorum episcoporum, plenius instructi de vita meritis et conversatione, qua supradictus vir sanctus asseritur floruisse, et quod multis modis miraculorum indiciis divina voluit pietas eum illustrare: huius executionem negotii dilecti filii nostri Ioannis Sancti Marci presbyteri cardinalis Apostolicae Sedis legati duximus arbitrio committendam, per apostolica illi scripta mandantes, ut ad locum vestrum accedens, et convocatis adiacentium illarum partium episcopis, caeterisque viris religiosis, ipsum inter sanctos auctoritate qua fungimur nos denunciet adscripsisse: deinceps in sanctorum cathalogo numerandum, et per ipsius merita Redemptoris suffragia decrevisse cum reliquorum sanctorum interventionibus postulanda.

Quod commissum quoque a Clemente.

Qui eum Ss. numero adscribit.

Datum Laterani duodecimo kalend. aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 21 martii anno Domini 1189, pontif. anno II.

X.

***Bonorum confirmatio et privilegiorum concessio monasterio Sublacen., quod sub protectione Sedis Apostolicae suscipitur* (1).**

SUMMARIUM

Exordium. — Monasterium hoc sub Sedis Apostolicae protectione suscipit. — Disciplinam monasticam secundum B. Benedicti regulam servari mandat: — Eidem bona omnia confirmat. — In monasterii lacu piscari, vel molendina construere absque abbatis licentia prohibet; — Statutis poenis in violatores. — Castellum Sublacum cum suis pertinentiis monasterio adiudicatum confirmatur. — Item casalia, roccae, castra, *etc.* cum ecclesiis et pertinentiis; — Et quae ex antiquo iure Romanorum Pontificum et imperatorum concessionibus ad idem monasterium pertinere noscuntur. — Cellae cum suis ecclesiis et S. Benedicti haereditate in Afila posita: — Et ecclesiae in civitate Tyburtina cum omnibus earum pertinentiis. — De episcopo ecclesias dedicaturo, vel ordinationes facturo. — De libertate a iure alieno. — De abbatis electione per monachos facienda. — Immunitatis decretum pro supradictis — Cum solitis poenalibus conclusionibus. — Clemen. PP. subscriptio.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Beraldo abbati monasterii Sublacensis, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Quamvis universarum Ecclesiarum ex officio susceptae administrationis curam gerere teneamur; illarum tamen, quae ad Romanam Ecclesiam nullo mediante respiciunt, solicitudinem nos habere convenit, et earum paci ac tranquillitati Domino auxiliante providere.

Exordium.

Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et praefatum Sublacense monasterium, quod beati Petri iuris existit,

Monasterium hoc sub Sedis Apost. protectione suscipit.

(1) Ex archiv. monast. Sublacen. edidit Margarinus. loc. cit., num. CCXII.

in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Disciplinam monasticam secundum B. Benedicti regulam servari mandat:

In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem monasterio noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Eidem bona omnia confirmat.

Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona idem monasterium in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo praefatum monasterium est cum omnibus pertinentiis suis. Specum in quo beatus Benedictus in suae conversionis exordio habitavit cum adiacenti silva et monte toto circumcirca, et cum omnibus finibus aut pertinentiis antiquitus constitutis;

In monasterii lacu piscari, vel molendina construere absque abbatis licenti prohibet

et sub eodem specu lacum, sive fluvium ex eo procedentem: in quibus videlicet aquis nemini praeter abbatis et fratrum voluntatem, aut piscari, aut molendinum aedificare liceat usque ad arcum, qui dicitur de Ferrata, in territorio Ruviano. De forma quoque antiqua, quae ducit aquam de flumine ad plebem Sancti Laurentii, de aqua, quae vocatur Augusta, nemini liceat, praeter voluntatem vestram, aquam derivare, nisi quantum sufficiat terris rigandis et replendo fonte Baptismatis in eadem ecclesia. Nec aquimolum quisquam illic praeter vestram voluntatem aedificare praesumat, usque ad supradictum arcum de Ferrata:

Statuit poenas in violatores

si quis vero aliter egerit, banno Romanae Curiae distringatur, cuius banni medietas sacro nostro palatio, medietas eidem monasterio persolvatur:

Castellum Sublacum cum suis pertinentiis monasterio adiudicatum confirmat.

confirmamus etiam vobis et vestro monasterio castellum quod Sublacum dicitur, cum omnibus suis pertinentiis, sicut a praedecessoribus nostris constat esse concessum, cum montibus et collibus, fundis et casalibus, cum omnibus ecclesiis et rebus ad eas generaliter et in integrum pertinentibus. Fundum Canalis et fundum Gennae in integrum cum pertinentiis suis. Fundum Frassinum cum omnibus suis pertinentiis. Et locum qui vocatur Fundi, sicut extenditur usque ad Petram Imperatoris, et vadit in montem, qui vocatur Pionica, inde per serram in Monte Romano, et exit in Campum Longum, inde in Campum Catinum; deinde redit ad supradictam Petram Imperatoris. Locum qui dicitur Seminariam, cum finibus suis, sicut in antecessorum nostrorum privilegio continetur. Collem Altulum. Castellum Augustae cum fundis et casalibus suis.

Item casalia, roccae, castra, etc. cum ecclesiis et pertinentiis:

Casale Sanctae Felicitatis, cum eadem ecclesia, fundis et casalibus suis, et cum omnibus suis pertinentiis; sicut in eisdem privilegiis continetur. Roccam Cervariae, cum fundis et casalibus suis, et cum omnibus pertinentiis suis. Roccam Incameratae. Castellum Maranum, et Roccam Martini et Roccam de Meso cum omnibus eorum pertinentiis, cum veteri haereditate monasterii. Castrum Camoranum, cum rocca sua, et fundis et casalibus suis. Montem de Griffo. Vallem Frigidam. Montem de Meso et Finistellae, cum omnibus eorum pertinentiis. Castrum Geranum cum montibus et collibus, fundis et casalibus suis, cum massis et omnibus pertinentiis, et cum vetere haereditate monasterii: castellum Ampollonii, cum montibus et casalibus suis, et medietatem castri Sancti Angeli, cum ecclesiis, fundis, et massis et pertinentiis eorum, roccam Sancti Stephani cum pertinentiis suis. Vallem de Anigno. Cellam de Occia, cum montibus et collibus, fundis et casalibus suis. Toccianellum, fundum Orarum, fundum Microniacum, fundum Faninum, fundum Convitellum, fundum Aquaevivae et medietatem montis Afilani cum omnibus eorum pertinentiis, castrum Afilae,

cum montibus et collibus, et medietatem montis Afilani cum omnibus eorum pertinentiis. Castrum Pontiae cum montibus et collibus, et cum omnibus eorum pertinentiis. Castrum Royate cum rocca sua. Praeterea quae ex antiquo iure, et tam Romanorum Pontificum, quam etiam imperatorum concessionibus et privilegiis, ad idem monasterium Beati Benedicti pertinere noscuntur: Sala civitas quae vocatur Carsoli, cum massis et fundis et casalibus suis. Auricula, Roccam de Butte, Roccam Aprunii, Arsule, Rubianum et aliud Rubianum. Et super fluvium Anticulum Sarxaciniscum, Roccam de Miazi, Roccam de Sunici, Sambuci, Cierlianum, medietas de Ilice, massa Sancti Valerii, Piscanum, Mons Casalis, Civitella, Olibanum cum omnibus fundis et casalibus eorum. Oppidum Tusculanum cum rocca sua et cum omnibus suis pertinentiis, castellum Pallicani cum ecclesiis, fundis et casalibus, et omnibus pertinentiis suis. Confirmamus etiam vobis cellas ad idem monasterium pertinentes, videlicet ecclesiam Sancti Angeli in Afila positam, ecclesiam Sancti Georgii cum omnibus earum pertinentiis et cum veteri haereditate beati Benedicti; ecclesiam Sancti Stephani in Pilio; ecclesiam Sancti Angeli in Petra Lata; Sancti Sebastiani in Paliano; ecclesias Sancti Quintini et Sancti Blasii in Anticulo; ecclesiam Sancti Leucii in Babuco cum omnibus earum pertinentiis positis in territorio Campanino. In Castorio ecclesiam Sancti Petri in Camerata et Sancti Petri de Aprunio. In territorio Marsicano Sancti Petri in Nerfe; Sancti Benedicti in Rocca de Meruli; Sanctum Thomam de Transaquis, cum ecclesia Sancti Nicolai in villa posita cum earum pertinentiis, Sanctum Angelum in Albe, Sanctum Salvatorem in Avezano, Sanctam Mariam de Tufo cum suis pertinentiis. In valle Sorana, ecclesiam Sancti Pauli cum aliis tribus ecclesiis, cum villa iuxta se posita, et cum omnibus earum pertinentiis, Sanctum Ioannem de Pesculo, Sanctam Mariam de Anticulo, Sanctam Mariam de Rubiano, Sanctam Mariam de Artule. In civitate Tyburtina ecclesiam Sancti Antonini, Sanctae Crucis et Sanctae Barbarae cum omnibus earum pertinentiis. Aliam cellam ad honorem Sanctae Crucis in Quintiliano cum oliveto suo, et caeteris suis pertinentiis, et sex uncias de ecclesia Sanctae Mariae in eodem monte posita. Fundum Calcianum cum ecclesia Sancti Petri cum terris et vineis sicut per antiquos confines constat. Villa quae vocatur Papi cum ecclesia Sanctae Mariae, cum terris et vineis, et monte, qui vocatur Manicula. Ecclesiam Sanctae Mariae, quae ponitur in Porta, ecclesiam Sancti Sebastiani cum omnibus suis pertinentiis. Aquimoli tres, unum in Castro Veteri, alium foris Portam Maiorem et alium in Vesta. Iuxta castellum Gallicanum, ecclesias Sancti Pastoris, Sancti Angeli, Sanctae Mariae, Sancti Laurentii in Aqua Alta cum omnibus earum possessionibus. Romae monasterium Sancti Erasmi, cum domibus et hortis et caeteris possessionibus ad ipsum pertinentibus. Ad haec propter frequentes iniurias, quae ab episcopis, vel ipsorum ministris monasteriis ingeruntur, datam vestro coenobio facultatem a nostris praedecessoribus, vobis quoque ratam manere decernimus, ut ad ecclesias cum expedierit dedicandas, aut clericos in monasterio, sive in cellis, sive in castellis, aut villis monasterii ordinandos, a nobis episcopum postuletis. Quod si ad nos in tempore venire nequiveritis, quem malueritis catholicum episcopum adeatis, qui apostolica fultus auctoritate, quae postulantur exhibeat: nec a quoquam Ecclesiae alicuius episcopo super hoc contradictionem aut querimoniam patiatur. Ea propter omnem cuiuslibet Ecclesiae sacerdotem in praefato beati Benedicti monasterio ditionem quamlibet praeter Sedem Apostolicam habere prohibemus. Obeunte vero te nunc eiusdem loci ab-

Et quae ex antiquo iure Rom. Pontif. et imperatorum concessionibus ad idem monasterium pertinere noscuntur.

Cellae cum suis ecclesiis et S. Benedicti haereditate in Afila posita:

Et ecclesiae in civitate Tyburtina cum omnibus earum pertinentiis.

De episcopo Ecclesias dedicaturo, vel ordinationes facturo.

De libertate a iure alieno.

Immunitatis decretum pro supradictis. bate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et sancti Benedicti regulam elegerint; electus autem a Romano Pontifice consecretur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare, aut possessiones ipsius auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum conservatione, gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate, et Praenestini episcopi consueta iustitia, in Pontia, vel Roiate, sicut in instrumento compositionis de utriusque partis assensu facto exinde continetur. Si qua igitur in futurum ecclesiastica persona, sive saecularis, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

De abbatis electione per monachos facienda.

Cum solitis poenalibus conclusionibus

Clemen. PP subscriptio

Ego Clemens catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

Datum Laterani per manum Moysis S. R. E. subdiaconi vices agentis cancellarii, XII kal. maii, indict. VII, anno dominicae incarnationis MCLXXXIX, pontificatus vero domini Clementis Papae tertii anno secundo (1).

Dat. die 20 aprilis anno Domini 1189, pontif. anno II.

XI.

Canonizatio beati Ottonis episcopi Bambergensis (2).

SUMMARIUM

Facti series et enarratio. — Mandat ut diligentius de vita et miraculis inquirant: — Et si nihil obsistat, ipsum Othonem auctoritate apostolica freti canonizent (R. T.).

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Merseburgensi et Eistettensi episcopis, et dilectis filiis Sancti Emmerammi Ratisponensi, et Schwartzensi abbatibus decano, et Scholastico Wirtziburgensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series et enarratio. Ad audientiam apostolatus nostri ex quarumdam serie literarum et relatione multorum pervenit, quod divina potentia per merita et interventum beati Ottonis, qui Bambergensibus fuit episcopus, multam est operata salutem, praecipue in gente Pomeranica, ad quam fuit ab Apostolica Sede transmissus, et in ea compluribus miraculis donavit illi Dominus coruscare. Quoniam igitur iuxta divinae Scripturae testimonium lucerna non sub modio, sed super candelabrum est ponenda; discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus de vita ipsius et miraculis diligentius inquiratis, quae nobis fuerunt per multorum literas indicata. Et si non inveneritis aliquid quod obsistat, ipsum canonizatum auctoritate freti apostolica solemniter et publice nuntietis, anniversarium diem sui

Mandat ut diligentius de vita et miraculis inquirant.

Et si nihil obsistat, ipsum Othonem aucto-

(1) Ex hac caeterisque bullis patet, hunc Clementem non quartum, prout eum vocat annalista Mailrosensis, sed tertium appellandum: Guibertus siquidem, qui Gregorio VII legitimo Pontifici a schismaticis fuit superinductus, et Clementis III nomen usurpavit, non Papa, sed pseudopapa fuit, et antichristus. (2) Ex archiv. Vatic.

ritate apostolica freti canonizent.

transitus facientes et publice nuntiantes ad honorem Dei et ipsius beati viri memoriam solemnem haberi.

Datum Laterani tertio kalendas maii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 29 aprilis anno Domini 1189, pontif. anno II.

XII.

Ad Bambergenses de eadem re (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Expositio et series facti. — Mandat ut de vita et miraculis diligenter inquirant: — Et si nihil obstet, auctoritate apostolica ipsum beatum canonizent (n. 1.).

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Ottoni episcopo, et dilectis filiis canonicis, et universo clero, et populo Babenbergensi Montis Sancti Michaelis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Cum Sedi Apostolicae referuntur ea, quae ad salutem pertinent animarum, et devotionem cleri et populi manifestis indiciis respicere comprobantur, ea sicut convenit, libenter audimus, et ut debeant in Domino promoveri, favorem, ut expedit, impertimur apostolicum et assensum.

Expositio et series facti

Hinc est, quod cum ad audientiam apostolatus nostri, quarumdam serie literarum et multorum relatione pervenerit, quod divina potentia per miracula et interventum beati Ottonis, qui Babenbergensis fuit episcopus, sit multorum operata salutem, praecipue in gente Pomeranica, ad quam fuit ab Apostolica Sede transmissus, in qua donavit illi Dominus Deus compluribus miraculis coruscare. His gratanter auditis, et pro tantis beneficiis omnipotenti Domino gratiarum actionibus exsolutis, vestris piis desideriis ad laudem Dei satisfacere cupientes, venerabilibus fratribus nostris, Merseburgensi et Eistettensi episcopis, et dilectis filiis, Sancti Emmerammi Ratisponensi et Schwartzensi abbatibus decano, et Scholastico Wirtzeburgensi dedimus in mandatis, quatenus de vita ipsius et miraculis diligenter inquirant, quae nobis fuerunt per multorum literas indicata. Et si non fuerit inventum aliquid quod obsistat, ipsum canonizatum praedictae personae debeant solemniter et publice auctoritate freti apostolica nunciare, anniversarium diem sui transitus facientes et publice nunciantes ad honorem Dei et ipsius beati viri memoriam solemnem haberi.

Mandat ut de vita et miraculis diligenter inquirant:

Et si nihil obstet, auctoritate apostolica ipsum beatum canonizent.

Datum Laterani kalendis maii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 1 maii anno Domini 1189, pontif. anno II.

(1) Ex Codic. Canonizat. Sanctorum Fontanini p. 25.

XIII.

Recens fundatum S. Thomae de Erlesburen Parthenon confirmatur, et in Sedis Apostolicae protectionem recipitur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Monasterium sub protectione Sedis Apostolicae recipiens, — Sancti Benedicti regulam in eo servari mandat: — Bonaque omnia eidem confirmat. — Monialibus facultatem dat alias quoque personas in monast. recipiendi: — Ab eo autem regredi omnino prohibet. — Liberum autem monasterium ipsum ab omni violentia fore decernit. — Clemen. PP. et S. R. Eccl. card. subscriptiones.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus, priorissae monasterii Sancti Thomae de Erlesburen, eiusque sororibus tam praesentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Exordium

Prudentibus virginibus, quae sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis iugiter se participant ire obviam sponso, Sedes Apostolica de-

(1) Ex archiv. huiusce monasterii transcripsit I. V. C. Frider. Schannat

bet praesidium impertiri, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacrae religionis infringat; ea propter, dilectae in Christo filiae, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et praefatum monasterium S. Thomae de Erlesburen, in quo divino estis obsequio mancipatae, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam, atque institutionem Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Monasterium sub protectione Sedis Apostolicae recipiens,

Sancti Benedicti regulam in eo servari mandat.

Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona idem monasterium in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum *etc.* poteritis adipisci, firma vobis et eis, quae vobis successerint, et illibata permaneant; in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo praefatum monasterium situm est, cum omnibus suis pertinentiis, terras et usuaria, quae Ludewicus, loci vestri fundator, apud Erlesburen, monasterio vestro donavit, cum omnibus earum pertinentiis; iuspatronatus Ecclesiae de Dudenfelt, et quidquid habetis in locis ad ipsam pertinentibus; nemus, quod dicitur Wylresawen cum pertinentiis suis, possessiones, quas Theodoricus de Rulant, una cum matre et cohaeredibus suis, vobis donavit in agris, in pratis, in plano, et bosco et aliis suis pertinentiis, terras, domos, vineas, agros, quas habetis in Ratheca, Urteca, Withlica, Embilda, cum omnibus pertinentiis suis.

Bonaque omnia eidem confirmat.

Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e saeculo fugientes ad conversionem recipere. Prohibemus autem ut nulli sororum vestrarum, post factam in monasterio vestro professionem, fas sit absque priorissae suae licentia de eodem loco suo discedere: discedentem vero absque communium literarum cautione, nullus audeat retinere; paci quoque et tranquillitati vestrae paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum vestrorum nullus violentiam vel rapinam, seu furtum facere temere audeat vel praesumat.

Monialibus facultatem dat alias quoque personas in monast. recipiendi;

Ab eo autem regredi omnino prohibet.

Liberum autem monasterium ipsum ab omni violentia fore decernit.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare *etc.*

Ego Clemens catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

Clemen. PP.

Ego Albanus, Albanensis Eccles. episcopus.

et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Ego Octavianus, Hostien. et Velletrens. episcopus.

Ego Ioannes presb. card. tit. Sancti Marci.

Ego Pandulphus, basilicae XII Apostolorum presbyter card.

Ego Petrus presbyter card. tituli Sanctae Caeciliae.

Ego Petrus tit. S. Laurentii in Damaso presb. card.

Ego Petrus presb. card. S. Petri ad Vincula tit. Eudoxiae.

Ego Iordanus, presb. card. Sanctae Pudentianae tit. Pastoris.

Ego Ioannes Felix tit. S. Susannae presb. card.

Ego Iac. diaconus card. Sanctae Mariae in Cosmedin.

Ego Gratianus Ss. Cosmae et Damiani diac. card.

Ego Goffredus, Sanctae Mariae in Via Lata diac. card.

Ego Gregorius Sanctae Mariae in Porticu diac. card.

Ego Ioannes S. Theodorici diaconus card.

Ego Gregorius S. Mariae in Aquiro diac. card.

Datum Laterani per manum Moysis S. R. E. subdiaconi, vices agentis cancellarii, II nonas iunii, indict. VIII, incar.

dom. MCXC, pontificatus vero domini **Clementis Papae III anno tertio.**

Dat. die 6 iunii anno Domini 1190, pontif. anno III.

XIV.

Confirmatio bonorum omnium monasterii monialium S. Cosmae de Talliacotio Marsicanae dioecesis; quod ab ordinarii iurisdictione etiam quoad sacramentorum administrationem exemptum declaratur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Monast. sub protectione Sedis Apostolicae recipit: — Eique bona omnia confirmat: — In quibus nonnulla propriis vocabulis innuit. — Ab ordinarii iurisdictione, aliusve ecclesiasticae personae eximit. — Quamlibet exactionem, aut decimam eidem imponi vetat: — Prohibet quoque, ne intra fines paroch. ad illud spectantium capella ulla vel oratorium construatur: — Item ne alicui monialium liceat a monast. discedere: concedendo abbatissae contra inobedientes huic decreto omnimodam auctoritatem. — Nonnulla alia bona eidem confirmat cum suis privilegiis. — In generali interdicto sacra faciendi licentiam impertitur. — Abbatissis monasterii bona alienare non licere declarat: — Nec fideiubere: quod monialibus quoque interdicit. — Ordinis quoque pro clericis, ac Olei sacramenta, a quo maluerint episcopo, recipiendi facultatem indulget. — Decret. immunitatis a quacumque molestia, vi, *etc.* — Clement. PP. sigillum, et S. R. Eccl. card. subscriptiones.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Audoisae abbatissae monasterii S. Cosmae de Talliacotio, eiusque sororibus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Exordium. Quotiens a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri.

Monasterium sub protectione Sedis Apostolicae recipit. Ea propter, dilectae in Domino filiae, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et praefatum monasterium, in quo divino mancipatae estis obsequio, ad exemplar fel. rec. Alexandri Papae praedecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma vobis et his, quae post vos successerint, et illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. (Eique bona omnia confirmat;) Ecclesiam Sancti Viti cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Ioannis de Camerata cum pertinentiis suis, ius quod habetis in ecclesia S. Andreæ, quae est in Clereto, medietatem oblationum, quae in ecclesiis castri de Talliacotio in solemnitatibus Pasquae et Natalis Domini, et medietatem de oblationibus mortuorum, sepulturam maiorum hominum praefati castri, sepulturam Podii Bufarae cum medietate oblationum mortuorum, decimas molendinorum, quae sunt in valle Sanctorum Cosmae et Damiani, et in alveo suo triginta modios sementariotios terrae, vineas, terras, silvas, domos, casularia, quae in praedicto castro habetis, duo molendina, viginti duos pedes terrarum, de quibus homines vestri monasterii sunt infeodati, ecclesiam Sanctae Mariae de Sorbo cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Ceciliae cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Nicolai cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Petri cum pertinentiis suis, extra praefatum castrum, ecclesiam S. Ioannis de Camerata in colle de Palanga, quicquid habetis in ecclesia S. Andreæ. Praeterea

(In quibus nonnulla propriis vocabulis innuit.)

(1) Ex originali in archiv. edidit Gattula, Hist. Cassinen., saec. XII. — Non absimile privilegium huic monasterio concessit Alexander PP. III, anno 1171, in nostro Bullar., tom. II, pag. 747.

refutationem coram praedicto praedecessore nostro promissam, quam nobilis vir Bartholomaeus de Talliacotio (1) de pravis consuetudinibus, quas a vestro monasterio exigebat, coram personis pluribus fecit, ratam et firmam habentes, auctoritate apostolica prohibemus, ne consuetudines ipsas idem Bartholomaeus, vel haeredes eius aliquo tempore in monasterium exercere praesumant.

Ab ordinarii iurisdictione aliave ecclesiasticae personae eximit.

Statuimus etiam, ut nullus Marsorum episcopus in eandem Ecclesiam, vel eius moniales et clericos aliquid iurisdictionis exerceat. Nulli etiam episcopo, vel legato, qui a latere nostro, vel successoris nostri specialiter directus non fuerit, liceat suae legationis obtentu vos, vel succedentes vobis, Ecclesiam aut homines vestros, aut servientes, in Ecclesia vestra manentes ulla interdicti vel excommunicationis sententia praegravare, et nulli etiam fas sit praeter Romanum Pontificem vel legatum ab eius latere missum absque speciali mandato nostro moniales domus vestrae, vel clericos excommunicationis, vel interdicti vinculo innodare;

Quamlibet exactionem, aut decimam eidem imponi vetat.

et nulli episcoporum, vel alicui personae Ecclesiis vestris, maxime Ecclesiae S. Mariae de Sorbo, quae proprie iuris vestri existit, liceat novas et indebitas exactiones imponere, vel in eis procurationes, aut tallias sive demandas contra antiquam et rationabilem consuetudinem exercere, sicut est ibidem hactenus observatum. Praeterea decimas ad Ecclesias vestras spectantes de manibus laicorum redimendi, et quibuscumque rationabilibus modis poteritis, acquirendi vobis licentiam indulgemus; prohibentes, ut nullus easdem decimas absque consensu vestro de laica manu recipiat.

Prohibet quoque, ne intra fines paroch. ad illud spectantium capella ulla vel oratorium construatur.

Statuimus insuper, ut infra fines parochiarum vestrarum ecclesiam vel capellam, seu altare contra altare sine assensu dioecesani episcopi et vestro nullus aedificet, vel erigat, salvis tamen privilegiis Romanorum Pontificum. Praeterea nulli sororum vestrarum, vel clericorum liceat post factam in eodem loco professionem aliqua levitate, sine abbatissae suae licentia de claustro discedere, discedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere.

Item ne alicui monialium liceat a monast. discedere: concedendo abbatissae contra inobedientes huic decreto omnimodam auctoritatem.

Liceat autem abbatissae, quae pro tempore fuerit, in eam de sororibus suis, quae vobis ignorantibus, aut invitis, ab Ecclesia vestra discesserit, et secundo tertiove commonita, ad monasterium redire contempserit, regularem sententiam promulgare.

Nonnulla alia bona eidem confirmat cum suis privilegiis.

Ecclesia S. Petri in castro quod dicitur Talliacozzo sita et eiusdem capellani in eadem libertate permaneat, quam tempore antiquo habuit, et nunc habere noscitur. In eadem etiam libertate capellam S. Ægidii ibidem sitam volumus permanere. Medietatem molendini Ioannis Troctae, quam domina Aduisa abbatissa emit a domino Philippo de S. Donato, et medietatem silvae Capitis Aquae, et silvam collis de Coci.

In generali interdicto sacra faciendi licentiam impertitur

Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis in monasterio vestro clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, submissa voce divina officia celebrare;

Abbatissis monasterii bona alienare non licere declarat.

statuimus insuper, ut abbatissis, quae pro tempore fuerint, non liceat terras, ecclesias, seu possessiones alias, vel bona Ecclesiae vestrae sine communi consensu capituli vestri, vel maioris et sanioris partis imminuere, vel alicui in beneficium, seu precariam personaliter, vel in perpetuum de caetero dare, aut modo aliquo alienare.

Nec fideiubere, quod monialibus quoque interdicit

Interdicimus etiam, ne ulla monialis vestra, vel clericus, seu conversus sine licentia capituli, vel etiam ipsa abbatissa pro aliquo fideiubeat, quod si fecerit, nec Ecclesia vestra, nec aliquis locus vester ex illa fideiussione obligetur.

Ordinis quoque pro clericis, ac Olei sacramenta, a quo maluerint episcopo, recipiendi facultatem indulget

Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, absque omni contradictione et appellatione a quocumque malueritis suscipietis episcopo; sive ad Ecclesiam vestram a vobis vocato, sive in

(1) Vide tom. II, pag. 747.

alterius Ecclesia licite celebrante, siquidem catholicus fuerit, et gratiam atque communionem Apostolicae Sedis habuerit, sicut est hactenus observatum.

Decret. immunitatis a quacumque molestia, vi, etc.


Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate, et Cassinensis monasterii debita iustitia et reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi praesumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Clement. PP.

Ego Clemens catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

Sigillum.





et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Ego Albinus Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Octavianus Hostien. et Velletren. episcopus subscripsi.

Ego Ioannes presbyter cardinalis tit. S. Marci subscripsi.

Ego Pandulphus presbyter cardinalis basilicae XII Apostolorum subscripsi.

Ego Petrus presbyter cardinalis tituli S. Ceciliae subscripsi.

Ego Petrus tit. S. Laurentii in Damaso presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Petrus presbyter cardinalis S. Petri ad Vincula tit. Eudoxiae subscripsi.

Ego Iordanus S. Pudentianae tit. Pastoris presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Ioannes tit. S. Clementis cardinalis Tuscanus episcopus subscripsi.

Ego Ioannes Felix presbyter cardinalis tit. S. Susannae subscripsi.

Ego Iacobus diaconus cardinalis S. Mariae in Cosmedin subscripsi.

Ego Gregorius S. Mariae in Porticu diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Ioannes S. Theodori diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius S. Mariae in Aquiro diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Laterani per manum Moysis Romanae Ecclesiae subdiaconi vicem-gerentis cancellarii, II nonas iunii, indictione VIII, anno dominicae incarnationis MCXC, pontificatus domini nostri Clementis PP. III anno tertio.

Dat. die 6 iunii anno Domini 1190, pontif. anno III.

XV.

Confirmatio concordiae initae inter capitula Sancti Alexandri et Sancti Vincentii Bergomen. civitatis: qua stabilitur, ut unum capitulum, unum collegium, unaque sit Bergomen. Ecclesia cathedralis (1).

SUMMARIUM

Apostolicae Sedis cura in componendis Ecclesiarum et cleri discordiis. — Concor-

(1) Ex Bartholomaeo Zecchio edidit Ughell., Ital. Sac., ubi de Mediolan. archiepiscopis.

diam suprad. confirmat. — Tenor concordiae actae anno 1190, initae inter capitula S. Alexandri et S. Vincentii civitatis Bergomensis: — Qua statutum est ut unum sit utriusque Ecclesiae capitulum, unus chorus, unum collegium et unum patrimonium: — Cum nonnullis pactis et conditionibus. — Possessio formaliter capta de his quae supra invicem spoponderunt. — Et superveniente comite Landulfo, in osculo receptus est. — Statutum pro eligendis fratribus, defunctis subrogandis. — Dominus Obertus praesens praepositus ubicumque voluerit, moretur: eius vero successor apud ecclesiam S. Alexandri moretur, nisi de fratrum consensu apud ecclesiam S. Vincentii morari debeat. — Nomina testium qui concordiam supradictam inierunt; — Et testium qui concordiae adfuerant confirmatio. — Clement. PP., et S. R. Eccl. card. subscriptiones.

Clemens episcopus, dilectis filiis Alderado archidiacono, Oberto praeposito, et universis clericis Bergomen. Ecclesiae, salutem.

Apostolicae Sedis cura in componendis Ecclesiarum et cleri discordiis.

Ea, quae post discordiam et controversiam habitam inter partes meliori consilio subsecuto fuerint amicabili concordia terminata, ut inviolabilem obtineant firmitatem et futuris temporibus nemo temeritate qualibet obviare praesumat, iuxta postulantium voluntatem consentaneam rationi convenit sic apostolicae auctoritatis robore communiri.

Concordiam suprad. confirmat.

Ea propter vestris iustis postulationibus annuentes, pacem et concordiam et vestri collegii unionem inter vos prudenter conceptam et unanimi voluntate receptam, atque redactam in scriptum, sicut rationabiliter facta est, recepta pariter et servata, de fratrum nostrorum assensu auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem vero firmitatem tenorem ipsius scripti de verbo ad verbum duximus inserendum.

Tenor concordiae actae anno 1190, initae inter capitula S. Alexandri et S. Vincentii civitatis Bergomensis.

In Christi nomine MCXC, quadam die mensis decembris, quae fuit decima kal. ianuarii, indictione 8, D. Alderadus Ecclesiae S. Vincentii archidiaconus in praesentia et cum auctoritate domini Lanfranchi Bergomen. episcopi, et in praesentia et consensu domini Algisii eiusdem Ecclesiae archipresbyteri et dominorum magistri Galli primicerii presbyterorum Guillelmi, et Blasii, et Petri de Burgo, magistri Ioannis Asini, magistri Lanfranchi de Caravaza, Lanfranchi Mazori, Beltrami de Foro, Oberti Mapellio, Engelerii praepositi de Gratiaco, eiusdem Ecclesiae canonicorum, et nomine etiam aliorum fratrum eiusdem Ecclesiae absentium, elegit dominum Obertum ecclesiae Sancti Alexandri praepositum in fratrem canonicum et praepositum, et dominos presbyterum Ioannem de Bulgare Brunacum, magistrum Giraldum Guascum, magistrum Ioannem de Carvico, magistrum Rogerium de Burdelo, Guillelmum de Zoppo, Giraldum de Rivula, Ioannem Blancum, Guillelmum de Geroa, Albericum Guillel. Martini eiusdem ecclesiae S. Alexandri canonicos ibi praesentes, et caeteros canonicos Sancti Alexandri, qui erant absentes, in fratres et canonicos ecclesiae S. Vincentii, ibique versa vice ipse dominus Obertus praepositus in praesentia et cum auctoritate supradicti domini Lanfranchi Bergomensis episcopi, et in praesentia et consensu praedictorum fratrum suorum ibi praesentium, et nomine aliorum fratrum suorum absentium, elegit praefatum D. Adelardum archidiaconum in fratrem canonicum et archipresbyterum, et D. Aldigium in fratrem canonicum et archipresbyterum, et praefatos eorum fratres tam ibi praesentes, quam absentes in fratres et canonicos S. Alexandri ecclesiae. Quas omnes electiones in praesentia praenominati domini episcopi et eius auctoritate factas idem dominus episcopus ibidem confirmavit, ibique etiam et ipsi D. archidiaconus et D. Obertus praepositus et reliqui utriusque ecclesiae ibi praesentes fratres suo nomine et absentium in osculis vicissim se ibi in fratres, ut supra legitur, receperunt. Statuentes inter se vicissim prae-

fatus domnus archidiaconus et reliqui eius fratres ibi praesentes suo nomine et nomine aliorum fratrum iam dictae Ecclesiae absentium, nomine ipsius ecclesiae Sancti Vincentii, et domnus Obertus praepositus, caeterique eius fratres ibi praesentes suo nomine et nomine aliorum fratrum iam dictae. Absentium nomine ipsius Ecclesiae, ut unum sit de caetero utriusque Ecclesiae capitulum, unus chorus et unum collegium et unum patrimonium, et ut quicumque erit de caetero canonicus in una, sit canonicus in utraque, ut omnes sint canonici eiusdem capituli et chori et collegii, et ambae praefatae Ecclesiae dicantur una Bergomensis Ecclesia, et maior pars capituli, secundum quod suum est, maneat apud ecclesiam Sancti Vincentii: ita tamen, ut secundum voluntatem capituli, vel maioris partis de his, qui sunt vel erunt pro tempore apud Sanctum Vincentium, debeant venire et manere apud Sanctum Alexandrum, et de his, qui sunt vel erunt apud Sanctum Alexandrum, debeant venire et manere apud Sanctum Vincentium, salvo honore et reverentia, quem, vel quam domnus episcopus et canonici Sancti Vincentii et canonici S. Alexandri et alii clerici sunt soliti exhibere ecclesiae Sancti Vincentii, et salvo honore et reverentia, quem, vel quam domnus episcopus et canonici Sancti Alexandri et canonici Sancti Vincentii et alii clerici sunt soliti exhibere ecclesiae Sancti Alexandri. Praeterea canonici S. Vincentii ibidem posuerunt supradictum domnum praepositum in sedem praepositi, in choro ecclesiae S. Vincentii, ut amodo sit praepositus totius supradicti constituti capituli et iam dictae Bergomensis Ecclesiae; constituerunt insuper ibidem domnus archidiaconus et reliqui praenominatae ecclesiae fratres Sancti Vincentii ibi praesentes se de caetero possidere bona et res ipsius ecclesiae S. Vincentii tam nomine ecclesiae Sancti Alexandri et nomine canonicorum eiusdem Ecclesiae, quam nomine ecclesiae Sancti Vincentii, et suo, et e converso praefatus domnus praepositus et caeteri supranominati eiusdem Ecclesiae canonici ibi praesentes constituerunt de caetero possidere bona et res eiusdem ecclesiae Sancti Alexandri tam nomine ecclesiae Sancti Vincentii et nomine canonicorum eiusdem Ecclesiae, quam nomine ecclesiae Sancti Alexandri, et suo. Supervenit etiam ibi comes Landulfus dictae ecclesiae S. Vincentii canonicus in principio absens, qui ab eodem domno praeposito, et nomine aliorum fratrum ecclesiae Sancti Alexandri in fratrem et canonicum in ecclesia Sancti Alexandri fuit in osculo receptus, et ipse comes Landulfus eumdem domnum praepositum suo nomine et nomine aliorum fratrum ecclesiae Sancti Alexandri in praepositum et fratrem ecclesiae S. Vincentii, ut fecerunt alii eiusdem ecclesiae canonici, in osculo recepit. Ibidem statutum est insuper inter eos praefati D. Lanfranchi episcopi consensu et auctoritate: Si quis ex fratribus apud ecclesiam S. Alexandri pro tempore morantibus vita excesserit, et praefatum capitulum ad eum sepeliendum apud Sanctum Alexandrum convenerit, post eius sepulturam ibidem in alio eius loco subrogando et eligendo tunc capitulum concors fuerit, incontinenti ibi eum eligat si velit, alioquin si capitulum in alio subrogando et eligendo concordare non poterit, pro eodem negotio idem capitulum apud ecclesiam S. Vincentii conveniat, quod generaliter debet fieri, scilicet capitulum debet convenire apud Sanctum Vincentium et pro his negotiis, quae omnium fratrum consensum, sive auctoritatem tam in spiritualibus, quam in temporalibus desiderant, constitutum est inter eos, ut supradictus domnus Obertus, qui modo est praepositus apud Sanctum Vincentium vel apud Sanctum Alexandrum, ubicumque voluerit moraretur; successores vero eius, qui praepositalem post decessum ip-

Qua statutum est ut unum sit utriusque Ecclesiae capitulum, unus chorus, unum collegium et unum patrimonium:

Cum nonnullis pactis et conditionibus.

Possessio formaliter capta de his quae supra invicem spoponderunt.

Et superveniento comite Landulfo, in osculo receptus est

Statutum pro eligendis fratribus defunctis subrogandis.

Dominus Obertus praesens praepositus ubicumque voluerit, moretur: eius vero successor apud ec-

clesiam S. Alexandri moretur nisi de fratrum consensu apud ecclesiam S. Vincentii morari debeat.

sius sedem obtinebunt, unusquisque tempore suae praepositurae apud ecclesiam S. Alexandri moretur, nisi fuerit de consensu illius et fratrum ibidem degentium, ut apud ecclesiam Sancti Vincentii debeat morari. Addentes supradictis statutis dominus archidiaconus cum iam dictis suis fratribus, et dominus praepositus cum suis, ut quicumque ex fratribus supradicti capituli ullo tempore convictus fuerit a modo ad iam dictae unionis divisionem laborare, debeat beneficio, sive praebenda in eadem Ecclesia sibi concessa vel assignata in perpetuum carere; de quo singuli, qui erant praesentes, a praefato domno Lanfranco episcopo interrogati, affirmarunt sibi placere, si quae eidem domno episcopo convenere. Renuntiantibus archidiacono cum supradictis suis fratribus, et praeposito cum suis, omni alii speciali iuri, privilegio, usanziae, vel alterius, quod ullo tempore competit, vel competere possit alterutri supradictarum Ecclesiarum contra alteram. Actum in choro ecclesiae Sancti Vincentii in praesentia iam dicti episcopi, qui omnia supradicta ibidem confirmavit, et eius auctoritatem praestitit. Sfrondus de S. Alexandro, Lanfranchus de Monacha, Ioannes de Desenzano, Ottobonus de Amberzaco, Albertus Guasconis, Theutaldus de Tertio, Ioannes de Petringo, Rogerius de Muzo, Albertus de Lalio, Scotus de Lazaronus, Greppus Suardi, Albertonius Zoffo, Oddulirius de Squarzavacce, Maginfredus de Lalio, Lanfrancus Guasconis, Giraldus filius Alberti Guasconis, Federicus Colleonis, Gualbertus Braganiole, Sanzaminus de Zoffo et Valtascutus ibi testes fuerunt: postea vero de mense ianuarii proximo sequente, scilicet quadam die Iovis, qui fuit xv kalendas februarii, in Lobia canonicorum ecclesiae S. Alexandri domnus Bucho praedictae ecclesiae Sancti Vincentii canonicus, et dom. Pincis, et Albericus advocatus iam dictae ecclesiae S. Alexandri, supradicta omnia firmaverunt et firma et

Nomina eorum qui concordiam supradictam inierunt;

rata habuerunt, praesentibus ibi testibus Ardiliono de Lorano, Zanello Ottefusae et Alberto Scarpa.

Et testium qui concordiae adfuerunt confirmatio.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum *etc.* Amen.

Ego Clemens catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

Clement. PP.

Ego Albinus Albanensis episcopus ss.

Ego Octavianus Ostien. et Vellitren. episcopus subscripsi.

et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Ego Ioannes presbyter cardinalis tituli S. Marci subscripsi.

Ego Pandulphus basilicae XII Apostolorum presb. card. subscripsi.

Ego Petrus presbyter cardinalis tituli S. Ceciliae subscripsi.

Ego Petrus presb. card. S. Petri ad Vincula tit. S. Eudoxiae subscripsi.

Ego Iordanus S. Pudentianae tit. Pastoris presb. card. subscripsi.

Ego Ioannes tit. S. Clementis card. Tusculan. episcopus subscripsi.

Ego Ioannes Felix presb. card. tituli S. Susannae subscripsi.

Ego Iacobus S. Mariae in Cosmedin diaconus card. subscripsi.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmae et Damiani diac. card. subscripsi.

Ego Goffredus S. Mariae in Via Lata diac. card. subscripsi.

Ego Gregorius S. Mariae in Porticu diac. card. subscripsi.

Ego Bernardus S. Mariae Novae diaconus card. subscripsi.

Ego Gregorius S. Mariae in Aquiro diac. card. subscripsi.

Datum Laterani per manum Moysi S. R. E. subdiaconi vicem agentis cancellarii, IX kalendas iulii, indictione VIII, incarnationis dominicae MCXC, pontificatus vero domni Clementis Papae III anno III.

Dat. die 23 iunii anno Domini 1190, pontif. anno III.

XVI.

Canonizatio sancti Malachiae Hiberniae episcopi (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Huius Sancti Vita a S. Bernardo conscripta, — Pontifici praesentata a Iordano S. R. Eccl. card. — Qua examinata et discussa; auditis insuper testibus, — Malachiam sanctorum albo adscribit.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis abbatibus ad Cisterciense capitulum convenientibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium. Ideo sacrosanctam Romanam Ecclesiam Redemptor noster caput omnium fidelium esse voluit et magistram, ut ad eius dispositionem et nutum divina gratia præeunte, quae ubique a fidelibus gerenda sunt ordinentur, et errata in melius corrigantur, et ad eius consilium in ambiguis recurratur, et quod ipsa statuerit, nemini quantumcumque de suis meritis glorietur, liceat immutare, ne si forte promiscua daretur universalis licentia quaecumque sibi secundum voluntatem propriam occurrerint perpetrandi, confusa libertas, cum secundum voluntatem personarum vota dissentiant in aliorum aliquando scandalum sine iusti discretione libraminis commendanda suppprimeret et minus digna laudibus indebitis celebraret. Huius Sancti Vita a S. Bernardo conscripta, Inde siquidem fuit quod dilectus filius noster Iordanus Sanctae Pudentianae tituli Pastoris presbyter cardinalis ad preces quorumdam vestrum vitam sancti cuiusdam viri nomine Malachiae, qui apud Claravallem in Domino requiescit, a beato Bernardo primo Claravallensi abbate conscriptam, et miracula, quae Dominus ob ipsius merita declaranda per ipsum dignatus est operari, cum Pontifici praesentata a Iordano S. R. Eccl. cardinali. multorum vestri ordinis testimoniis nobis devote praesentare curavit, ut auctoritate apostolica, quid de ipsius meritis sentire deberet Ecclesia, publice deberemus omnibus declarare. Visis ergo tantorum virorum testimoniis, vita etiam ipsius et miraculis diligenter inspectis, precibus etiam et testimonio ipsius cardinalis et dilecti filii abbatis Casemarii, aliorumque quamplurium, quibus fidem omnimodam adhibendam credebamus, inducti, dictum sanctum virum Malachiam in sanctorum cathalogo de communi fratrum nostrorum consilio duximus adscribendum, et per ipsius merita Redemptoris suffragia cum reliquorum sanctorum interventionibus a Christi fidelibus statuimus postulanda. Qua examinata et discussa; auditis insuper testibus, Malachiam sanctorum albo adscribit. Volumus igitur, ut eam sibi reverentiam, quae sanctis debetur, universus ordo vester et alii fideles de licentia Sedis Apostolicae devote exhibeant, et in sanctorum numero secure conscribant.

Datum Laterani, secundo nonas iulii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 6 iulii anno Domini 1190, pontif. anno III.

(1) Ex Archiv. Vatic.

XVII.

Responsio ad consultationes episcopi Saguntini (1).

SUMMARIUM

Causa scriptae decretalis. — In causis ecclesiasticis testes censuris compellendi; — Et clerici iniuriam passi testimonio standum. — Ecclesiae pollutae quomodo emundandae.

Clemens etc. Saguntino episcopo.

Causa scriptae decretalis. Pervenit ad nos, quod in episcopatu tuo saepe contingat, quod a laico enormis et intolerabilis iniuria clerico multis adstantibus et videntibus inferatur, vel plebe praesente in ecclesia, eam diabolicae fraudis instinctu accidit horribiliter

(1) Ex appendice ad Concilium Lateran. III, Concil., tom. XIII, col. 637.

humano perfundi sanguine, et ob hoc iniuriantes in causam tracti negant se tantum facinus commisisse, et cum laesus illatam sibi iniuriam eorum testimonio, qui praesentes extiterunt et viderunt, probare desideret, ipsimet, licet veritatem cognoverint, contemnunt veritati testimonium perhibere. Sicque fit, quod ecclesiastica iustitia deperit et ordo clericalis vilescit. Accidit etiam quod cum plures frequenter in clericos temere violentas manus iniiciant, ad Sedem Apostolicam plurimis nequeunt obstaculis laborare, et quia super his tua nos fraternitas duxit consulendos, tuae consultationi taliter respondemus: quod hi, qui de rebus ecclesiasticis nolunt testimonium perhibere, si alias veritas nequiverit elici, ad id sunt per ecclesiasticam censuram compellendi. Si vero clerici passi iniuriam, veritatem forte aliquorum testimonio nequiverint comprobare, licet iuxta rigorem canonum unius testimonio non sit standum: tamen iuxta consuetudinem Romanae Ecclesiae propter reverentiam clericalis ordinis, ipsorum iuramento finem volumus adhiberi. Illos autem, qui valetudine praepediti, pro absolutionis beneficio ad Sedem Apostolicam nequeunt laborare, recepto ab eis, sicut moris est, iuramento, poteris absolvere: ita quod sanitati pristinae restituti, apostolico se conspectui repraesentent. Sexui vero foemineo et pueris ac senibus super hoc satis te credimus posse libere dispensare. Ecclesiis insuper quae sanguinis vel seminis sunt effusione pollutae, civitatis clericis convocatis cum processione et aquae benedictae aspersione, prout in ordinario habetur adscriptum, poteris emundare. De his etiam, quae clericis non enormem, sed modicam, vel levem iniuriam irrogaverint, tuae fraternitatis arbitrio duximus relinquendum.

In causis ecclesiasticis testes censuris compellendi;

Et clerici iniuriam passi testimonio standum.

Ecclesiae pollutae quomodo emundandae

COELESTINUS III

PAPA CLXXV

Anno aerae Christi comm. MCXCI.

Hyacinthus diaconus cardinalis Sanctae Mariae in Cosmedin, natione Romanus, electus in Romanum Pontificem die 30 martii anno 1191, et die 14 sequentis aprilis consecratus, Coelestinus huius nominis III est appellatus. Sedit in pontificatu annos VI, menses IX, dies IX (1), imperantibus in Oriente Isaacio Angelo, mox Alexio Angelo, in Occidente vero Henrico V imperatoribus. Obiit siquidem die 8 ianuarii (2) anni 1198 et sepultus est in Lateranensi basilica, honorifice. Non vacavit sedes (3).

I.

Cassantur, quae Cantuariensis archiepiscopus attentaverat contra privilegia monachorum Cantuariensium (4).

SUMMARIUM

Prooemium. — Gesta ab archiepiscopo contra conventum hunc, — Apostolica auctoritate revocat in irritum. — Conclusiones solitae.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori, et conventui Ecclesiae Christi Cantuariensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut ad apostolatus nostri debitum pertinere dignoscitur iis, quae rite et recte ordinata consistunt, vigorem conferre perpetuum, ita nimirum eis, quae secus

Prooemium.

(1) Inclusis quindecim, qui defluxerant ab electione ad consecrationem, diebus, emortuali vero excluso iuxta Pagium iuniorem. Baronius vero hoc intermedium tempus iuxta morem antiquorum Pontificum excludit, et Coelestino annos VI, menses IX, minus diebus duobus, assignat. (2) Hunc diem mortis Coelestini notat Innocentius III in encyclica quam scripsit initio sui pontificatus epistola, et quam nos suo loco dabimus. (3) Innocentius siquidem successor electus est sequenti die. (4) Ex Hist. Anglic. Script. X, ed. Selden., pag. 1324

fiunt, quam deceat, vires detrahere, enervare et infirmare tenemur.

Gesta ab archiepisc. contra conventum hunc.

Eapropter, dilecti in Domino filii, cum B. quondam archiepiscopus sive motu proprio, sive instinctu alieno vos et Ecclesiam vestram molestiis et iniuriis quandoque afflixerit, et scripta aliqua a Sede Apostolica in praeiudicium iuris vestri falsa suggestione, ut dicitur, impetraverit, quem magis tranquillitatati vestrae dare operam decuisset, paci vestrae paterna volentes in posterum sollicitudine providere, omnia, quae per memoratum archiepiscopum circa vos vi vel metu acta sunt, apostolica auctoritate revocamus in irritum, et nominatim ea, quae legato Romanae Ecclesiae praesente, et contradicente, contra mandatum Sedis Apostolicae facta dicuntur, sicut in autentico eiusdem legati *etc.*, videlicet Anagnini quondam presbyteri cardinalis ob causam vestram in Angliam directi continetur, et quaecumque contra ius vestrum, vel privilegiorum vestrorum tenorem idem archiepiscopus impetravit viribus carere, decernimus, statuentes, ut nullus unquam hominum ea, quae male gessit, trahere audeat in consequentiam: neque possint ea, quae tacita veritate a Sede Apostolica impetravit, iuri vestro, aut privilegiis ullo unquam tempore in aliquo praeiudicium generare.

Apostolica auctoritate revocat in irritum.

Conclusiones solitae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, v kal. iunii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 28 maii anno Domini 1191, pontif. anno I.

II.

Confirmatio privilegiorum omnium monasterii S. Ramberti Iuren. dioecesis (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Monasterium hoc sub Sedis Apostolicae protectione suscipit. — Ordinem monasticum servari mandat. — Eidem bona confirmat, — Eaque propriis nominibus appellans enumerat; — Ecclesias videlicet, cellas, capellas, *etc.* — Clericos et laicos recipiendi facultatem concedit. — Statuta nonnulla pro regulari disciplina et quiete monachorum. — Privilegia nonnulla elargitur. — Decretum immunitatis pro contentis in privilegio; — Quod solitis conclusionibus roboratur. — Coelestini PP., et S. R. Ecclesiae cardinalium subscriptiones.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Humberto abbati Sancti Ragniberti Iurensis, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, salutem perpetuam.

Exordium.

Quoties postulatur a nobis, quod religioni et honestati convenire dignoscitur, omnino nos decet libenter concedere et petentium desideriis congruum suffragium impertiri.

Monasterium hoc sub Sedis Apost. protectione suscipit.

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus et praefatum monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Ordinem monasticum servari mandat.

In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, ac B. Benedicti regulam in eodem monasterio noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona idem monasterium in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione

Eidem bona confirmat.

(1) Edidit Guichenon, Hist. Brixien., p. 4, pag. 234.

fidelium, seu aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant: in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo dictum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis et cum burgo adiacenti, cellam de Chamon, ecclesiam Sancti Michaelis de Monte Andrico, ecclesiam Sancti Petri de Villari Lagerio cum omnibus appenditiis earum, cellam de Villars Sales, ecclesiam Sancti Iuliani de Monte Maiori cum omnibus appenditiis earum, cellam Sanctae Mariae de Graveriis et ecclesiam Sancti Petri de Sanciaco, ecclesiam Sancti Petri de Asperomonte, ecclesiam Sancti Radulphi, ecclesiam de Munasco, cum appenditiis earum, cellam Sanctae Mariae de Lueys, ecclesiam Sanctae Mariae de Ianua, ecclesiam de Luziaco, ecclesiam Sancti Desiderii, ecclesiam de Campanieu cum appenditiis earum, ecclesiam S. Petri de Benoncia, ecclesiam Sancti Andreae de Tenayo, ecclesiam Sancti Mauritii de Argit, ecclesiam Sancti Martini de Vangiis, ecclesiam Sancti Laurentii de Onciaco, ecclesiam Sancti Petri de Aranda, cellam Sancti Michaelis de Rupe, ecclesiam S. Mauritii de Langiis, ecclesiam S. Hilarii de Torciaco, ecclesiam Sancti Martini de Cleysieu, ecclesiam Sancti Martini de Varey, ecclesiam Sancti Mauritii de Ambutriaco, ecclesiam Sancti Mauritii de Meyri, ecclesiam Sancti Andreae de Regniaco, cellam Sancti Petri de Vilieu, ecclesiam Sanctae Mariae de Hospitalari, capellam Sanctae Magdalenae de Loyes, cellam Sancti Christophori de Burgo, cellam Sancti Vincentii de Faramans, ecclesiam Sancti Martini de Stingiaco, cum appenditiis earum. Liceat quoque vobis clericos et laicos liberos et absolutos de saeculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, sine abbatis sui licentia nisi strictioris religionis obtentu fas sit ab eodem discedere. Paci quoque et tranquillitati vestrae paterna sollicitudine providere volentes, authoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu granciarum vestrarum nullus rapinam seu furtum committere, ignem apponere, hominem capere vel interficere, seu aliquam violentiam temere audeat exercere. Statuimus insuper ut nullus infra parochias vestras ecclesiam vel oratorium de novo sine vestra et dioecesani episcopi licentia aedificare praesumat, salvis indulgentiis Romanorum Pontificum. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare; Chrisma, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes monachorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a dioecesano episcopo, siquidem catholicus fuerit, et gratiam atque communionem Apostolicae Sedis habuerit, vobis sine pravitate aliqua praecipimus exhiberi.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare, vel eius possessiones auferre, ablatas retinere, vel minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salvis Sedis Apostolicae auctoritate, et dioecesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi peccatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena

Eaque propriis nominibus appellans enumerat;

Ecclesias videlicet, cellas, capellas, etc.

Clericos et laicos recipiendi facultatem concedit.

Statuta nonnulla pro regulari disciplina et quiete monachorum.

Privilegia nonnulla elargitur.

Decretum immunitatis pro contentis in privilegio;

Quod solitis conclusionibus roboratur.

fiat, atque in extremo iudicio districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco suá iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, per manum Ægidii Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, nonis augusti, indictione nona, incarnationis dominicae anno millesimo centesimo nonagesimo primo, pontificatus vero domini Coelestini Papae III anno primo.

Coelestini PP. Ego Coelestinus catholicae Ecclesiae episcopus.

et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones. Ego Albinus Albanensis episcopus.

Ego Octavianus Hostiensis et Veliternensis episcopus.

Ego Ioannes Praenestinus episcopus.

Ego Ioannes tituli Sancti Clementis, cardinalis Tusculanus.

Ego Ioannes Felix tituli Sanctae Susannae presbyter cardinalis.

Ego Guido presbyter cardinalis Sanctae Mariae Transtyberim tituli Calixti.

Ego Hugo presbyter cardinalis Sancti Martini.

Ego Beraldus Sancti Adriani diaconus cardinalis.

Ego Gregorius Sanctae Mariae in Porticu diaconus cardinalis.

Ego Ioannes Sancti Theodori diaconus cardinalis.

Ego Nicolaus Sanctae Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis.

Dat. die 5 augusti anno Domini 1191, pontif. anno I.

III.

Confirmatio erectionis episcopatus Zverinensis (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Ecclesiam hanc cum omnibus suis bonis sub Sedis Apostolicae protectione suscipit. — Bonorumque praedictorum enumeratio, — Cum iure decimarum ad mediam aut tertiam partem exigendarum. — Liberam electionem et dispositionem in colligendis stipendiis esse declarat. — Enarrata omnia confirmat, et dotem ad usum episcopi ratam habet, quam per partes enumerat; — Decretum immunitatis a quacumque molestia, — Additis solitis ad robur conclusionibus.

(1) Ex Linderbrogii Script. Septentrion., p. 164.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis Zeverinensis Ecclesiae tam praesentibus quam futuris canonice substituendis, in perpetuum.

Apostolici moderaminis clementiae convenit, ecclesiasticos viros diligere, et eorum loca pia protectione munire. Dignum namque et bonitati tali conveniens esse dignoscitur, ut qui ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus, ea et a pravorum hominum nequitia tueamur, et Apostolicae Sedis patrocinio foveamus. Exordium

Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et felicis recordationis Clementis Papae praedecessoris nostri vestigiis inhaerentes, praefatam Zverinensem Ecclesiam in honore beatae Dei Genitricis Mariae, et beati Ioannis Evangelistae dedicatam, et a nobili viro H. duce dotatam, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: in Brezne xxx mansos, in Ylowe IV villas, Cariviz, Mentina, Quazentiu, Instiz: in Swerin villam unam, Lizcowe, quae, mutato nomine, Alta Villa vocatur. In Silasne Rampe, in Sadelbandingen, Borist, ul-

Ecclesiam hanc cum omnibus suis bonis sub Sedis Apostol. protectione suscipit.

Bonorumque praedictorum enumeratio

terius Albiam, Virichim, II curias apud Todendorp, Nauliz iuxta Logonve, Navale theloneum I, Plote, parochiam in Zverin cum omni iure. Medietatem decimae in Sclazne, tertiam partem decimae in Mikelenburch, tertiam partem decimae in Ylowe, tertiam partem decimae in Zareze, tertiam partem decimae in Warnowe, tertiam partem decimae in Muriz, totam decimam in villis vestris per Zverinensem episcopatum. Ad decanatum eiusdem Ecclesiae II marcas denariorum ex redditibus episcopalibus, unam in Mikelenburch, aliam in Ylowe, et duas magnas mensuras annonae, quae Wilchskepel appellantur, de molendino in aquilonari parte Zverinensis civitatis posito, annuatim I triticei bracii, alteram siliginis. Ad praepositurам bannum totius Zwerinensis provinciae, per omnes Ecclesias et in ipsa civitate Zwerinensi, excepta principali synodo eiusdem civitatis. Ad luminaria ecclesiae novellae theloneum in Plone, et tertiam partem de redditibus in Nauliz. Praeterea liberam electionem in eligendo decanos, praepositos et canonicos, et liberam dispositionem in colligendis stipendiis, sicut hactenus habuistis, vobis auctoritate apostolica confirmamus, et ad exequias, et tricesimum, et ad anniversarium, ad solvenda debita, ad servientes remunerandos, cuiuslibet defuncti canonici, in Ecclesia stipendium, quod vivus habuit, post eius obitum, sicut Ecclesiae vestrae consuetudinis est, per annum vacare decernimus. Honorem quoque et dignitatem pontificalis sedis, quam Zverinensis Ecclesia hactenus habuisse dignoscitur, per praesentis scripti paginam eidem loco auctoritate apostolica confirmamus. Universam quoque dotem ad usum episcopi assignatam, perpetua stabilitate saepedictae Ecclesiae nihilominus confirmamus, totam videlicet terram Butisowe, cum omni utilitate et pertinentiis suis, sex villas in Ylowe, Moisz, Ledarsiz, Guguluosci, Iaztrove, Pancoviz, Gnesdiz, Liuzehou, et Goderac. In Kizin Wotencha prope Domin cum aliis quatuor villis, villam in Muriz, et aliam in Warnowe, insulam Zverin adiacentem usque ad rivulum, et aliam insulam prope Dobin, quae Libiz dicitur.

Cum iure decimarum ad medium aut tertiam partem exigendarum.

Liberam electionem et dispositionem in colligendis stipendiis esse declarat.

Enarrata omnia confirmat, et dotem ad usum episcopi ratam habet, quam per partes enumerat;

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus ac commodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate, et dioecesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinae ultioni subiaceat.

Decretum immunitatis a quacumque molestia.

Additis solitis ad robur conclusionibus.

Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Datum Romae apud Sanctum Petrum per manum Ægidii Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, octavo kalendas novembris, indictione decima, incarnationis dominicae anno millesimo centesimo nonagesimo primo, pontificatus vero domini Coelestini Papae anno primo.

Dat die 25 octobris anno Domini 1191, pontif. anno I.

IV.

Irritatio sententiae in Dunelmensem episcopum per Eboracensem archiepiscopum inconsulto prolatae.

SUMMARIUM

Provide ab episcopis sancita, servanda: — Quae vero minus provide reformanda. — Sententia Eboracen. archiepiscopi inconsulto prolata, — Auctoritate apostolica irritatur.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Lincolniensi, et Roffensi episcopis, et dilecto filio abbati de Burgo, salutem et apostolicam benedictionem.

Provide ab episcopis sancita, servanda: Sicut ea, quae a venerabilibus fratribus coepiscopis nostris circumspectione provida, et ratione praevia statuuntur, debemus illibata servare: ita quae minus Quae vero minus provide reformanda. quoque considerate aguntur providentia pleniori corrigere, et in statum debitum nobis imminet reformare.

Sententia Eboracen. archiepiscopi inconsulto prolata, Cum itaque venerabilis frater noster Gaufridus Eboracensis archiepiscopus in venerabilem fratrem nostrum Hugonem Dunelmensem episcopum, et quosdam alios excommunicationis sententiam promulgasset, et eorum nunciis ad nostram praesentiam venientibus in consistorio nostro fuisset hinc inde super ea sententia, et quibusdam aliis articulis plenarie disceptatum; nos cognoscentes tam in ipsum, quam in alios iaculatam sententiam inconsulte prolatam fuisse nullius causae rationabilis munimine roboratam, eam de consilio fratrum nostrorum denunciavimus publice non tenere, irritantes eam ne quid auctoritatis habeat Auctoritate apostolica irritatur. inhibentes. Ut itaque quod nos decrevimus per partes vestras publice nuncietur, per apostolica scripta vobis mandamus, ut eandem sententiam per Ecclesias vestras praedicetis auctoritate Sedis Apostolicae irritatam, ut fidelium populus tam ipsi episcopo, quam aliis una cum episcopo iniuste ligatis, fraternae commonitionis participium secure impendat, et ab illorum nullatenus, propter hoc communione recedat.

Datum Laterani.

(1) Ex Concil., tom. XIII, col. 69, et Baronio ad ann. 1191.

V.

Confirmatio donationum ab Eugenio III et Clemente III basilicae Sanctae Mariae Maioris de Urbe factarum (1).

SUMMARIUM

Clemens III palatium basilicae S. Mariae Maioris dedit. — Donationes eidem ab Eugenio III factae. — Eidem confirmantur. — Conclusiones et clausulae consuetae. — Coelestini Papae, et S. R. Eccl. card. subscriptiones.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei.

(*Deest initium*)

Nosque ab huiusmodi collationibus Clemens III palatium basilicae S. Mariae Maioris dedit. quatenus ibidem hactenus est servatum praesenti pagina duximus absolvendos. Ad haec quia felicis recordationis Clemens Papa praedecessor noster dum minori officio constitutus Praenestinae Sedi praesideret, in Ecclesia vestra palatium de proprio fecerit fabricari. Praenestino episcopo, qui pro tempore fuerit, ipsum inhabitandi, aut alii concedendi, seu a vobis postulandi omnem interdixit qualibet occasione facultatem, nec quis de nostris successoribus alicui palatium ipsum concedere, aut pro eo quod ipsum de proprio construi fecerit, quidquam a vobis debeat postulare, sed ipsum ita ad usum communem libere habeatis in perpetuum, sicut alias domus obtinetis. Praeterea . . . . qualiter apud Ecclesiam vestram a pueritia educatus fuerit atque nutritus, plurimum in veneratione et reverentia locum ipsum habens, cum Donationes eidem ab Eugenio III factae. fel. record. Eugenius Papa III de duodecim unciis oblationum B. Petri, et ministe-

(1) Edidit Ughell., Ital. Sac., ubi de Praenestinis episcopis.

riorum tres uncias Ecclesiae beati Petri concesserit, ipse de consilio fratrum suorum de novem unciis earundem oblationum, quae Sedi Apostolicae remanserunt, vobis, et per vos Ecclesiae supradictae unam unciam dedit, concessit in perpetuum, et firmavit, detractis tamen consuetis expensis, quas fieri oportebit pro ipsius modulo quantitatis. Nos vero ipsius vestigiis inhaerentes, tam constitutionem et concessionem palatii, quam etiam donationem unciae ipsius ratam habemus, et eam futuris temporibus illibatam manere sancimus.

Eidem confirmantur.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat *etc.*

Conclusiones et clausulae consuetae.

Datum Laterani per manum Ægidii Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, II nonas ianuarii, indictione X, incarnationis dominicae 1192, pontificatus vero domini Coelestini Papae III anno I.

Ego Coelestinus catholicae Ecclesiae episcopus.

Coelestini PP.

Ego Albinus Albanensis episcopus.

Ego Ioannes Praenestinus episcopus.

Ego . . . .

Ego . . .

Ego Ioannes tit. Sancti Ioannis.

Ego . . . . tit. Sancti Eusebii card.

Ego Romanus tit. S. Anastasiae.

Ego Ugus presbyter cardinalis Sancti Martini tit. Æquitii.

Ego Ioannes tit. S. Stephani in Coelio Monte presb. cardinalis.

Ego Gregorius Sanctae Mariae in Porticu diac. card.

Ego Renaldus Sanctae Mariae Novae diaconus card.

Ego Nicolaus S. Mariae in Cosmedin diac. cardinalis.

et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Dat. die 4 ianuarii anno Domini 1192, pontif. anno I.

VI.

Canonizatio Sancti Ubaldi episcopi Eugubini.

SUMMARIUM

Exordium. — Ubaldus religiosam vitam duxit, et miraculis claruit: — 1. Et ideo Ss. Confessorum Pontificum catalogo adscribitur. — 2. Festumque eius pro die 16 maii celebrari praecipitur.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri B. episcopo, et dilectis filiis B. Priori, clero, et populo Eugubino, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui secundum multitudinem miserationum suarum, illis qui natura fuerant filii irae, spiritum adoptionis, in quo clamamus, abba pater, indulget. Et homines ex lutea materia constitutos, in consortium angelorum et gloriam, sua pietate, assumit, sicut factum est temporibus nostris de sanctae recordat. Ubaldo Pontifice vestro. Qui cum pius et iustus dum in carne viveret, haberetur, post transitum, a vicinis et longe positis, propter miracula, quae per merita eius operatus est Deus, sanctus meruit extimari. Impletum est in ipso, quod Propheta dixit in psalmo: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui, Domine (1). Tu autem, frater episcope, apud Sedem Apostolicam constitutus, opportune et importune in humilitate, qua decuit, institisti, ut memoriam praedicti Pontificis canonizare, et ipsum adscribere sanctorum cathalogo auctoritate apostolica deberemus, consideratione habita ad religiosam vitam et ad multa miracula, quae per eum, postquam migravit a saeculo, Omnipotens dignatus est operari.

Ubaldus religiosam vitam duxit, et miraculis claruit:

§ 1. Nos vero opus istud intuentes

(1) Psalm. XLIV, 17 et 18.

Et ideo Ss. Confessorum catalogo adscribitur.

sensum, et intelligentias nostras excedere, quia potius est divini iudicii, quam humani, cum ipse solus plene noverit, qui sunt eius; suspendimus desiderium tuum aliquandiu, ut nobis et fratribus nostris, quid potius agendum esset, Spiritus Sancti gratia revelaret. Tua igitur tandem pia supplicatione inducti, et multorum episcoporum et aliorum testimoniis inclinati, non de propriis meritis, sed de misericordia Creatoris potissimum confidentes, de communi fratrum consilio acquievimus votis vestris. Et canonizantes praedictum Sanctum, auctoritate Bb. apostolorum Petri et Pauli, qua fungimur, licet immeriti, decrevimus, ut festum transitus ipsius, sicut beatissimi Confessoris apud vos perpetuo habeatur.

Festumque eius pro die 16 maii celebrari praecipitur.

§ 2. Quapropter universitatem vestram monemus et exhortamur in Domino, quatenus non in vacuum gratiam istam recipiatis, sed exemplo B. viri, renovemini spiritu mentis vestrae, et in reverentia Dei, et praedicti Sancti, et omnium aliorum, ferventiores solito existatis. Et festum eius XVII kalendas iunii hilariter annis singulis celebrantes, solicite operemini, quod vestra circa divinum cultum devotio profecisse, merito videatur. Et alii de facto vestro exemplum profectus assumant, et ipse vestris motus precibus, pro totius Ecclesiae statu, apud omnipotentem Dominum intercedat.

Datum Laterani IV nonas martii 1192, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 4 martii anno Domini 1192, pontif. anno II.

VII.

Descriptio ac designatio finium Scalensis episcopatus (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Scalensem Ecclesiam sub Sedis Apostolicae protectione suscipit. — Eidem bona omnia, seu potius fines confirmat. — Episcopi electionem ad canonicos spectare decernit. — Conclusiones et clausulae consuetae. — Coelestini Papae et S. R. Eccl. card. subscriptiones.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Alexandro Scalensi episcopo, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Exordium.

In Apostolicae Sedis specula, disponente Domino, constituti, fratres nostros episcopos tam vicinos, quam longe positos, firma debemus charitate diligere, et eorum postulationibus effectum celerem indulgere.

Scalensem Ecclesiam sub Sedis Apostolicae protectione suscipit.

Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, Scalensem Ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Eidem bona omnia, seu potius fines confirmat.

Statuentes ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, vel oblatione fidelium, vel aliis iustis modis, Deo opitulante, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, et illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Scalam Maiorem cum pertinentiis suis usque ad flumen quod dividit Scalam a Ravello a parte septentrionis ad lamam Cicini, et inde ad Sanctum Angelum de Petrabene, ubi est finis inter Scalam et Ravellum, a parte occidentis totum montem Candirecti usque ad Petram Palumbarum sicut vadit per planitiem et montem Cerbellani, cum pertinentiis suis, usque lactariam, a meridie a Planello, quod est sub Sancta Helena usque ad flumen Camneti, et vadit per Tabernatam et montem Scanni, et arcum Patalarum, et redit ad eundem Cerbellani, quicquid habetur in civitate Amalphiae, ecclesiam Sanctae Barbarae cum cellis et omnibus

(1) Ab exemplari edidit Ughell., Ital. Sac., tom. VII, ubi de Scalen. Ecclesia.

Episcopi electionem ad canonicos spectare decernit.

pertinentiis suis. Obeunte vero te nunc eiusdem loci episcopo, vel tuorum quolibet successorum, nullus ad eandem Ecclesiam in episcopum eligatur, nisi quem canonici eiusdem Ecclesiae, vel eorum pars consilii sanioris secundum Deum providerint eligendum.

Conclusiones et clausulae consuetae

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur tibi et tuis successoribus pro quorum gubernatione et substentatione concessa sunt usibus profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate, et metropolitani tui debita reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisque persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic bonae actionis fructum accipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen.

Coelestini PP et S. R. Eccl cardinalium subscriptiones

Ego Coelestinus catholicae Ecclesiae episcopus.

Ego Albinus Albanensis episcopus.

Ego Ioannes Praenestinus episcopus.

Ego Pandulphus basilicae XII Apostolorum presb. card.

Ego Melior Sanctorum Ioannis et Pauli presbyter card. tit. Pammachii.

Ego Ioannes tit. Sancti Clementis card. Tusculanus episcopus.

Ego Ioannes tit. S. Stephani in Montecoelio presb. card.

Ego Gratianus Ss. Cosmae et Damiani diac. card.

Ego Gerardus S. Adriani diaconus card.

Ego Sifredus Sanctae Mariae in Via Lata diac. card.

Ego Ioannes Sancti Theodori diaconus card.

Ego Gregorius Sanctae Mariae in Aquiro diac. card.

Datum Laterani per manum Moysi S. R. E. subdiaconi Lateranensis canonici, tertio idus martii, indictione x, incarnationis dominicae anno 1192 (1), pontificatus vero domini Coelestini Papae anno primo.

Dat. die 13 martii anno Domini 1192, pontif. anno I.

VIII.

Confirmatio privilegiorum ac libertatum Ecclesiae Scotorum, quam a sola Romana Ecclesia, eiusque de latere legato excommunicari decernitur (2).

SUMMARIUM

Exordium. — Scotiana Ecclesia soli Apostolicae Sedi subiecta, — Nequit ab alio, nisi a Romano Pontifice et eius a latere legato excommunicari. — Controversiae definiendae in eodem regno, nisi fuerit appellatum ad Rom. Ecclesiam; contrariis quibuscumque non obstantibus. — Solitae clausulae poenales.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Willelmo illustri Scotorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Cum universi Christi iugo subiecti apud Sedem Apostolicam patrocinium

(1) Vidimus superius die 13 martii anni 1191 Coelestinum Papam nondum fuisse electum: quare scriptoris errorem apertissimum emendantes, hocce diploma anno sequenti 1192 consignamus, quo potissimum anno iuxta statutam iam indictionum methodum, indictio x in cursu erat. (2) Edidit Bo[...]nius tom. XII.

invenire debeant et favorem; illos tamen specialius convenit promotionis munimine confoveri, quorum fidem et devotionem in pluribus est experta, ut ad ipsius dilectionis favorem tanto amplius provocentur, et eius reverentiae devotiori affectione subdantur, quanto benevolentiae ipsius et gratiae pignus se noverint certius assecutos. Ea propter, charissime in Christo fili, reverentiam, ac devotionem, quam ad Romanam te habuisse a longis retro temporibus Ecclesiam novimus, attendentes, praesentis scripti pagina duximus statuendum, ut Scoticana Ecclesia Apostolicae Sedis, cuius filia specialius existit, nullo mediante debeat subiacere, in qua hae sedes episcopales esse noscuntur: Ecclesiae videlicet Sancti Andreæ Glascuensis, Dunkeldensis, Dublinensis, Brehinnensis, Aberdonensis, Moraviensis, Rosaenensis, Cathinensis, et nemini liceat nisi Romano Pontifici, vel legato ab ipsius latere destinato, in regnum Scotiae interdicti, vel excommunicationis sententiam promulgare, et si promulgata fuerit, decernimus non valere. Adiicimus, ut nulli de caetero, qui de regno Scotiae non fuerit, nisi quem Apostolica Sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem, ut controversiae, quae fuerint in regno illo de possessionibus eius exortae, ad examen extra regnum positorum iudicum non trahantur, nisi ad Romanam Ecclesiam fuerit appellatum. Si qua vero scripta contra hoc libertatis statutum apparuerint impetrata, vel imposterum istius concessionis mentione non habita contigerit impetrari, nullum tibi, vel ipsi regno circa huius praerogativae concessionem praeiudicium generetur. Praeterea libertates et immunitates tibi, vel ei regno, vel Ecclesiis in eo constitutis, a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus indultas et hactenus observatas, ratas habemus, et illibatas futuris temporibus statuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis et prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Scotiana Ecclesia soli Apostolicae Sedi subiecta.

Nequit ab alio, nisi a Romano Pontifice et eius a latere legato excommunicari.

Controversiae definiendae in eodem regno, nisi fuerit appellatum ad Romanam Ecclesiam; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Solitae clausulae poenales.

Datum Laterani tertio idus martii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 13 martii anno Domini 1192, pontif. anno I.

IX.

Privilegium Fiscannensi monasterio, cui praeter caeteras immunitates eius monachos nonnisi ab Apostolica Sede excommunicari posse conceditur (1).

SUMMARIUM

Hoc monaster. de speciali iure B. Petri. — Ecclesiae illi subiectae non inconsulto excommunicandae. — Pro culpa parochi non tota suspendenda parochia. — Monachi vero non excommunicandi nisi a Sede Apostolica.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, in quorum parochiis ecclesiae monasterii Fiscannensis existunt, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum Fiscannense monasterium specialiter beati Petri iuris existat, nec dubium vobis debet existere, nec incertum, quin iniuriae fratrum in eo Domino famulantium specialiter videantur ad Romanam Ecclesiam redundare: ideoque universitati vestrae auctoritate apostolica districtius inhibemus, ne Ecclesias praedictorum fratrum dioecesana vobis lege subiectas sine manifesta et rationabili causa ullus vestrum interdicto supponat, et occasione unius Ecclesiae, a qua nonnunquam aliquid forte delinqueretur, aliae eiusdem dioecesis sicut a quibus-

Hoc monaster de speciali iure B. Petri.

Ecclesiae illi subiectae non inconsulto excommunicandae.

(1) Ex archiv. monasterii Fiscannensis.

Pro culpa parochi non tota suspendenda parochia.

dam vestrum hactenus perpetratum esse accepimus, ulla sententia praegraventur. Ad haec si aliquis parochianus cuiusquam Ecclesiarum vestrarum animadversione fuerit canonica percellendus, nequaquam pro unius culpa tota parochia divinorum celebratione fraudetur, nisi dominus loci fuerit qui peccavit, vel in culpa sua favorem habuerit aliorum. In monachos autem eiusdem Ecclesiae nullus contra privilegia Sedis Apostolicae excommunicationis et interdicti sententiam audeat promulgare: scituri quod si contra huius prohibitionis tenorem quisquam vestrum venire praesumpserit, factum eius impunitum nequaquam authore Deo relinquemus, et quod in fratrum praedictorum gravamen fuerit perpetratum, firmitatem aliquam non habebit.

Monachi vero non excommunicandi nisi a Sede Apostolica.

Datum Laterani, kalendis aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 1 aprilis anno Domini 1192, pontif. anno II.

X.

Confirmatio donationum omnium ab Hierosolymitanis regibus, aliisque Terrae Sanctae principibus Pisanis factarum (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Libertates et immunitates, et caetera quae G. quondam rex Hierosolymitanorum cum Sybilla uxore sua concessit, confirmat: — Nec non ea, quae Ricc. Anglorum rex, et C., quondam marchio Montisferrati. — Conclusiones et clausulae consuetae.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Pisanis civibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Sedis Apostolicae circumspectio circa eos benigniori cura versatur, et ipsorum commodis propensius intendere consuevit, quorum fidem et devotionem certiori experimento cognovit, et studium etiam plurium noscit utilitatibus inservire. Hac igitur consideratione inducti, nihilominus precibus inclinati, libertates et immunitates, ac caetera, quae vobis dilectus filius noster nobilis vir G. quondam Hierosolymitanus rex cum Sybilla uxore sua per regnum ipsius vestro considerato multiplici studio et scripti sui munimine confirmavit; quae insuper charissimus in Christo filius noster Ricc. illustris Anglorum rex, et bonae mem. C. quondam (1) marchionus Montisferrati rata habuerunt et firma, sicut ab eis consulte ac provide facta sunt, et in scriptis exinde confectis plenarie continentur, auctoritate duximus apostolica roboranda et praesentis scripti patrocinio munienda.

Libertates et immunitates, et caetera quae G. quondam rex Hierosolymitanorum cum Sybilla uxore sua concessit confirmat:

Nec non ea, quae Ricc. Anglorum rex, et C., quondam marchio Montisferrati.

Conclusiones et clausulae consuetae

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae paginam communitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani VI idus aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 8 aprilis anno Domini 1192, pontif. anno II.

XI.

Canonizatio Sancti Bernwardi episcopi Hildenesheimensis in Saxonia (2).

SUMMARIUM

Procemium. — Per delegatos apost. inquisitum prius de sanctimonia B. Bernwardi. — Sanctorum albo adscribit, et eius corpus inter reliquias collocari mandat.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Hildenesheimensi episcopo, et dilectis filiis clero eiusdem civitatis, universis etiam fidelibus per suam dioecesim constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium

Cum universorum Conditor et Creator mirabilis et gloriosus in sanctis suis

(1) Edidit Ughell., Ital. Sac., tom. III.

(1) Adde *filius*. (2) Ex Archiv. Vatic.

frequenter appareat, et dignetur per eos eius opera suis fidelibus revelare; dignum duximus et Omnipotenti pariter honorificum, quae in celebris memoriae Bernwardo quondam Hildenesheimensi episcopo per suam voluit gratiam demonstrare, suscipere humiliter et audire, ac propterea eum in sanctorum collegio numerare. Inde est quod de meritis ipsius, ac vita laudabili, ac miraculis multiplicibus per dilectum filium nostrum Centium tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem, et venerabilem fratrem nostrum Mogontinum archiepiscopum, Sabinensem episcopum Conradum, et alios episcopos, et dilectum filium Thidericum abbatem ecclesiae S. Michaelis in Hildenesheim, et honestas personas ac religiosas eius provinciae certiores effecti, et famam illius celebrem et commendandam memoriae plenius cognoscentes; fratrum nostrorum deliberatione habita diligenti, praedictum reverendissimum virum in sanctorum cathalogo duximus numerandum: et venerandum corpus eius de terrae gremio erigendum et inter sanctorum reliquias collocandum: ut ibi a Christifidelibus assidua devotione officium debitae venerationis accipiat, et ipsi per intercessionem eius felicem et Domino complacentem suorum delictorum veniam consequantur. Ideoque universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus quod de sancto ipso a nobis tam celebriter institutum est, vos publicantes eumdem Sanctum debitis obsequiis amodo praevenire curetis, ut vestras votivas preces, quas omnium Creatori porrexeritis, per intercessionem eius placabilem dignetur per suam misericordiam exaudire.

S. Bernwardus sanctorum albo adscribitur, et eius corpus inter reliquias collocari mandatur.

Data Romae apud Sanctum Petrum, sexto idus ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 8 ianuarii anno Domini 1193, pontif. anno II.

XII.

Ad episcopos Angliae monitoria: populum adhortentur, ut relictis peccatis, privatis compositis discordiis, a torneamentis cesset et ad Dominum convertatur: eosque, qui secus fecerint, excommunicatos declarent (1).

SUMMARIUM

Sedis Apostolicae assidua solicitudo pro recuperat. Terrae Sanctae. — Postremis hisce temporibus non recuperata propter fiduciam Christianorum in suis viribus. — Meliora speranda si ad Dominum puro corde clametur. — Similia exempla in populo Israelitico, — Qui cum Dei mandatis obedivit, de suis hostibus triumphavit; — Cum vero ab illorum observatione defecit, ab his victus et superatus est. — Abstinendum itaque a peccatis: — Et primo offensae inimicis remittendae, ut Dominus parcat populo suo. — Torneamenta relinquenda. — Particulares abiiciendae discordiae. — Qui vero hisce mandatis non obtemperaverint, excommunicandi.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopis et episcopis per Angliam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ad propulsandam iniuriam populi christiani et communis notam fidei abolendam, quam ei paganorum spurcitia in captione Sanctae Terrae, quae Domini est haereditas nuncupata, perniciose ac violenter impressit, et ad emendandam etiam civitatem sanctam et sepulchrum Dominicum ab Saracenorum et aliorum insuper occupantium immunditiis, a cauferendam illam per auxilium supernae clementiae a potestate illorum Sedes Apostolica suum debitum recognoscens, per diversas mundi partes nuncios saepe a suo latere, ac commonitorias litteras destinaverit, et in divina confisa clementia magnas illuc tendentibus impenderit indulgentias: licet, ut fraternitas vestra potest perpendere, ad haec agenda per

Sedis Apostolicae assidua solicitudo pro recuperatione Terrae Sanctae.

(1) Ex Concil., tom. XIII, col. 692.

exhortationes illius viriliter ac devote plurimi se accinxerint, et tot in transmarinis partibus Christi fideles propter haec saepe fuerint congregati, ut multitudo eorum oppugnantium numerum non modicum videretur excedere, et auxiliis ac viribus etiam praevalere: non multum tamen proficere potuit, vel his, qui ex adverso contendebant, obesse pro eo, sicut ex effectu datur intelligi, quod nisus et actiones eorum, qui fuerant ad partes illas profecti, Domino pro parte magna displicebant. Unde merito aliorum peccaminum, quia non in Deo, sed viribus propriis confidebant, et non erat ante ipsorum oculos timor Dei, ex praeconcepta superbia cor eorum permissum est obscurari, ut alia insuper agerent, quae minime convenirent, divinum contra se suis perversitatibus iudicium provocantes. Verum quia multae sunt misericordiae Domini, qui etsi ad malorum pervicaciam retundendam, et subdenda cervicosorum hominum colla disciplinae manus quandoque suas medicinaliter aggravat, et ut elevet opprimit, et percutit aut flagellat ut sanet; si ad eum cum debita fuerimus humilitate reversi et de peccatis castigati, ac de observandis Creatoris de caetero studio ferventiore mandatis firmum propositum assumpserimus, absque ulla poterimus haesitatione sperare, quod affluentius gratiusque nobis assistet, et de inimicis nominis Christi plenam indulgebit de coelo victoriam, ita quod universa, quae incurrimus hucusque gravamina oblivioni tradantur omnibus conversis retrorsum, et merita confusione ruentibus, qui oderunt Sion, et gentilibus praesumpserunt contaminationibus maculare.

Postremis hisce temporibus non recuperata propter fiduciam Christianorum in suis viribus.

Meliora speranda si ad Dominum puro corde clametur.

Attendentibus autem, ac studio diligenti scrutantibus, quales minas populo Israelis, cum ex promissione memoratam supra terram intraret, divina potestas tulerit, non erit dubitationis scrupulus, quin huiusmodi oppositioni opponat, quare nostrum pro Deo incaeptum conamen speratos non sit consecutum effectus. Dictum est enim illis, ut ab habitatorum illius terrae contagiis et spurcitiis abstinerent, et illorum vitia imitatione digna non ducerent, quae ipsis possint accidere in ruinam: sed legem Domini firmo proposito, et omni animi et intentionis nisu servarent. Quibus itaque monitis, si devote ac humiliter obedirent, unus eorum mille vinceret, ac decem ex illis decem millia. Quae certiori postmodum experimento noverunt, cum pauci de illis magnam ex illis, et infinitam quasi multitudinem trucidarent, et dum devote divinis intenderent mandatis, non fuit civitas, vel munitio, quae ipsorum posset evitare congressus, vel ipsorum subtrahi conamine aliquo, vel consilio et potestati. Quare tamen cum eorum filii, qui Dominum, ut ibi dicitur, non norunt, ab illorum, qui fuerant sibi legali promulgatione iniuncta temere coepissent observatione deficere, inimici eorum adversus eos cuneos obstruentes, suae illos potentiae saepius subiugaverunt, quos denuo per divinum sibi auxilium subegerunt, cum de commissis excessibus poenitentes, ac reatum suum recognoscentes, humiliter pia sunt ad Deum devotione conversi. Satis autem indubitanter potestis agnoscere, quod cum ex subortis discordiis proventus speratae victoriae, christianae militiae auferretur, causa erat simultatum, et odiorum frequentia in exercitu pullulantium, quia: Carnem posuerant brachium suum, et a Domino recesserant corda eorum.

Similia exempla in populo Israelitico:

Qui cum Dei mandatis obedivit, de suis hostibus triumphavit;

Cum vero et illorum observatione defecit, ab his victus et superatus est.

Si ergo volumus sine magno labore in adversariorum perniciem gloriosum per omnia obtinere triumphum: propter hucusque perpessa gravamina non deficiamus animo, sed requirentes cum humilitate ac cordis contritione misericordiam Creatoris, in confusionem eorum perpetuam insuperabilem poterimus victoriam ex consueta supernae dignitatis merito benignitate sperare. Haec itaque conside-

Abstinendum itaque a peccatis:

Et primo offensae inimicis remittendae, ut Dominus parcat populo suo.

ratione inducti, universis orbis principibus in remissionem iniunximus peccatorum, ut divini amoris et propriae salutis intuitu, si quis adversus aliquem concepit qualibet occasione rancorem, et si despexerit homini, Creatori dimittat, ne ulterius dissentiendi ad invicem occasio praebeatur, quae hactenus, et victoriae nobis, ut nostis, proventus abstulit, et maximae multitudini absque ullo commodo periculum mortis induxit, et toto animi studio id inter se consilii recipere procurent, quo, et interim valeat illud tantillum terrae Domini portionis, quae adhuc sub christianorum potestate tenetur nec perversorum manibus occupatur, inconcusse servari, et contra impiorum impetus sine aliquo pavore defendi, et accingatur denuo multitudo fidelium, quae illuc sub debita et devota humilitate itura, totam possit terram, et sepulchrum dominicum, devicto et conculcato penitus occupantium furore, liberare.

Ad haec etiam quia ex hoc nobis, et universo populo christiano nimium exuperat causa fletus, et tristari debemus omnibus modis, non laetari; dum videlicet terra, ubi steterunt pedes Domini, et salutis nostrae sunt sacramenta patrata, gentilium occupationibus detinetur: torneamenta, quae causa laetitiae inventa fuerunt, et tironum exercendae virtutis, penitus inhibemus, ut qui se voluerit exercere, ad terram illam accedat, ubi, et animae virtus viriliter poterit ac salubriter demonstrari. Taliter etiam unitati et pacis concordiae ad invicem procurent intendere, ut nullus sit, qui adversus alium guerram intendat, vel armis iniuriam audeat propulsare. Sed communiter potius studeant, quae dissidentium animos studio ac labore diligenti reforment.

Torneamenta relinquenda.

Particulares abiiciendae discordiae.

Si quis vero, quod non credimus, Dei timore postposito, et reverentia nostra et fidei christianae contempta, contra hoc agere aliqua temeritate praesumpserit, noverit nos vobis, et aliis archiepiscopis et episcopis districtius iniunxisse, ut eorum terras, qui contumaciter incaepto huiusmodi duxerint insistendum, interdicto ecclesiastico supponatis, et personas etiam, si opus fuerit, excommunicationis vinculo astringatis, et faciatis utramque sententiam inviolabiliter observari. Vobis ergo per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus quatenus ad ea, quae praediximus, celeriter adimplenda, omni tarditate et contradictione postpositis, vos accingatis, et studeatis per vestras dioeceses, dilatione et appellatione cessante, id executioni mandare.

Qui vero hisce mandatis non optemperaverint, excommunicandi.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, tertio idus ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 11 ianuarii anno Domini 1193, pontif. anno II.

XIII.

Confirmatio bonorum omnium, ac privilegiorum concessio monasterio S. Mariae de Ferraria ordinis Cistercien. Theanen. dioecesis (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Ecclesiam S. Mariae de Ferraria sub Sedis Apostolicae protectione recipit. — Eidem bona omnia confirmat. — Quae partim propriis vocabulis exprimit. — A decimarum solutione eximit, *etc.* — Infra locorum, seu grangiarum eiusdem monasterii ambitum quaslibet violentias exerceri prohibet. — Conclusiones et clausulae consuetae. — Coelestini PP. et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Nicolao abbati Sanctae Mariae de Ferraria, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris, in perpetuum.

Exordium.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse praesidium, ne

(1) Ab exemplari exscriptum edidit Ughell., Ital. Sac., tom. VI ubi de Theanen. Ecclesia, n. XIV.

forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur (quod absit) sacrae religionis infringat.

Ecclesiam S. Mariae de Ferraria sub Sedis Apostolicae protectione recipit:

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et praefatam ecclesiam Sanctae Mariae de Ferraria, quae in fundo a nobili viro Riccardo de Sangro pia vobis donatione concesso ad divinum obsequium construxistis, sed et cambium quod fecistis cum venerabili fratre nostro Matthaeo Capuano archiepiscopo, et Ecclesia Capuana, a quibus recepistis duas ecclesias dirutas, idest ecclesiam S. Martini, in qua Cisterciensem ordinem instituere statuistis, et Sanctae Luciae cum omnibus tenimentis earum, sicut habetis in publico instrumento, et locum illum ubi est ecclesia Sancti Angeli cum ipsa Ecclesia et tenimento suo, in ius et proprietatem sancti Petri, et sacrosanctae Romanae Ecclesiae ad instar felicis recordationis Lucii et Clementis praedecessorum nostrorum suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus,

Eiden. bona omnia confirmat:

statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis.

Quae partim propriis vocabulis exprimit.

Praedia quae contulit vobis illustrissimae memoriae W. Com. rex Siciliae, scilicet startiam de Camillant, startiam de Palmenso, et giardinum de Vallerari, startiam S. Stephani, et Pantanolli, et rivum Ianuli, et Fontis Stellae, et Sancti Petri in Lacu Sancto, usum pascuorum et omnium sylvarum in eodem tenimento Vaiani, startiam de Flavi, et Pedis Montis, quam dedit vobis Tancredus illustris Siciliae rex in tenimento Theani: tenimentum quod habetis intromonte, et in omnibus partibus eius, et quidquid habetis in Vairano. Praedium quod contulit vobis Ioannes Notarius iuxta flumen Vulturani, et quicquid vobis contulit Ugo de Prata, quicquid habetis in territorio Sancti Angeli, et omnia pascua in terra eiusdem Ugonis, et quod habetis in Catalasca, fundum de Sylva Plana, quem habetis ex dono Gimundi. Terram quam contulit vobis mulier nobilis Mathia, et praedictus Ugo in flumine Lese, ubi habetis molendinum Follae. Ecclesiam Sanctae Crucis cum suo tenimento: rationes Ecclesiarum, quas habetis in Neapoli. Beneficium quod debit vobis nobilis vir Ioannes comes Alifiae in eadem civitate, et domos et terras quas ibi habetis. Tenimentum W. de Latina quod dedit vobis nobilis vir Goffredus de Monte Fusculo. Praedium quod contulit vobis comes W. de Caserta in tenimento Tenesciae, quod fuit Ioannis Militis, Bassi molendinum, quod vobis contulit comes Rogerius de Molina in Isernia, et molendinum de Pintima, quod dedit vobis Molgerius Torellus et quod habetis in Petra et in Martiano et Isernia, domus Apothecam, et terras, quas Ioannes Riccardi dedit vobis in Capua, et domos, quas dedit vobis Petrus Alifiae in eadem civitate, et quod Sergius contulit vobis in Adversam.

A decimarum solutione eximit, etc.

Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus, vel sumptibus colitis tam de terris cultis, quam incultis *etc.*; liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos *etc.* Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum *etc.*; discedentem vero *etc.*; quod si quis forte *etc.*

Infra locorum, seu grangiarum eiusdem monasterii ambitum quaslibet violentias exerceri prohibet.

Paci quoque, et tranquillitati vestrae paterna in posterum sollicitudine providere volentes, prohibemus auctoritate apostolica ne quis infra ambitum locorum, seu grangiarum vestrarum furtum rapinamve committere, ignem apponere, hominem capere vel interficere, seu aliquam violentiam temere audeat exercere. Illud insuper auctoritate apostolica prohibemus, ne infra dimidiam leucam prope abbatiam vestram aliqua de novo habitatio fiat, de qua vobis debeat servatae hactenus libertatis et pacis

aliquod praeiudicium generari. Ordinationes vero monachorum vestrorum a dioecesano *etc.*

Conclusiones et clausulae consuetae.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare *etc.*, salva sedis *etc.* Si qua igitur in futurum *etc.* Cunctis autem eidem loco sua iura *etc.* Pax *etc.* Amen.

PERFICE GRESSUS MEOS IN SEMITIS † TUIS.
S. PETRUS, S. PAULUS.

COELESTINUS PAPA TERTIUS.

Coelestini PP. et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Ego COELESTINUS catholicae Ecclesiae episcopus.

Ego Albinus Albanensis episcopus.

Ego Octavianus Hostiensis et Vellitrensis episcopus.

Ego Ioannes Praenestinus episcopus.

Ego Petrus Portuensis et S. Rufinae episcopus.

Ego Pandulphus, basilicae XII Apostolorum, presbyter card.

Ego Melior Sanctorum Ioannis et Pauli presbyter card. et (1) Pam.

Ego Ioannes tit. Sancti Stephani in Coelio Monte presb. card.

Ego Censius tit. S. Laurentii in Lucina presbyter card.

Ego Goffredus tit. S. Praxedis presb. cardinalis.

Ego Bernardus S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis tit. Eudoxiae.

Ego Gratianus Ss. Cosmae et Damiani diac. card.

Ego Gregorius S. Mariae in Porticu diac. card.

Ego Gregorius S. Mariae in Aquiro diac. card.

Ego Gregorius S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Ego Ioannes S. Sergii et Bacchi diaconus cardinalis.

Ego Nicolaus Sanctae Mariae in Cosmedin diac. card.

Datum Laterani per manum Ægidii Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diac. cardinalis, sexto nonas martii, indict. XI, incarnationis dominicae MCXCII (1), pontificatus vero domini Coelestini Papae III anno II.

(1) Forsitan *tit.*

Dat. die 2 martii anno Domini 1193, pontif. anno II.

XIV.

Confirmatio bonorum omnium, finium, ac privilegiorum Theanen. Ecclesiae, ac praecipue diplomatis eiusdem favore editi a quodam Guimundo de Rocca Romana (2).

SUMMARIUM

Exordium. — Praedecessorum more universos Ecclesiae Theanen. fines conservari decernit: — Quos et propriis vocabulis describit; — Intra quos Theanensis civitas et hic nominata castella continentur; — Eidem bona omnia confirmantur. — Clericos omnes sub iure eiusdem Ecclesiae permanere praecipit. — Sententiam iam a praedecessoribus suis confirmatam, qua presbyteri Manianenses solvere cathedraticum episcopo Theanensi confirmat. — Libertates et immunitates eidem Ecclesiae a Guimundo de Rocca Romana concessas confirmat. — Tenor concessionis libertatum et immunitatum Eccl. Theanensi a Guimundo de Rocca Romana concessarum. — Concessiones singulae et primo quae personas respiciunt sacras, vel sacris addictas; — Deinde quae laicos homines et fideles Theanensis Ecclesiae existentes in locis hic designatis. — Tertiam partem decimarum demanii libere concedit. — Bono homine defuncto, episcopus Ecclesiam illi dum viveret concessam habeat et possideat: — Addita multa centum bisantiorum pro temeratoribus concessionis huius. — Decretum firmitatis pro supradictis, — Sub excommunicationis poena pro inobedientibus; — Observantibus vero

(1) Scriptoris certe incuria error irrepsit in hanc notam chronologicam: anno enim 1192, et quidem mense martio, nec undecima indictio in cursu erat, nec secundus pontificatus Coelestini annus numerabatur: quare iuxta statutam a nobis pontificiam chronologiam annus hic in nonagesimum tertium vertendus est. (2) Ab exemplari edidit Ughell., Ital. Sac., tom. VI.

pace et benedictione concessa. — Coelestini Papae, et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri nostro Theodino Theanensi episcopo, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Exordium.

In eminenti Apostolicae Sedis specula disponente Domino licet immeriti constituti, fratres nostros episcopos, tam vicinos quam longe positos, fraterna debemus charitate diligere, et eorum quieti et tranquillitati salubriter auxiliante Domino providere.

Praedecessorum more universos Ecclesiae Theanen. fines conservari decernit:

Eapropter, venerabilis in Christo frater Theodine episcope, tuis iustis postulationibus annuentes, ad instar praedecessorum nostrorum felicis recordationis Paschalis, Adriani, Alexandri, Lucii et Clementis Romanorum Pontificum praesentis scripti auctoritate sancimus, ut universi parochiae fines, sicut a Ioannis fel. record. XVIII Papae privilegio, quod Sandrario episcopo indultum est, determinati esse noscuntur, ita omnino integri tam tibi, quam tuis successoribus perpetuo conserventur, scilicet a primo latere, sicut ingreditur aqua de Sexto in fluvium Vulturnum, et sicut ipse fluvius descendit usque ad montem Anezone, et quomodo ascendit terra ipsius montis, et exit in finem de Melanico a secundo latere, quomodo vadit Terra de Monte, qui dicitur Molaria, et de Monte Maione, et descendit in decem pondera, et vadit in stafilium, et descendit . . . . de scabello, et in ipsa rigazo mittit in Sagonem, sicut idem Sagon vadit in locum, qui dicitur Balurum, ubi se coniungere videtur rivi rivi, qui dicitur Porti a tertio latere, quando ascenditur sursum per ipsum rivum usque in pontem de Censano, et revolvit per solium invadit, in pontem fractum, et ascendit in Vallonem, et progreditur in Cartilera, et exit in vadum, qui dicitur Area, et ascendit in Castellucum, et exinde pergit in rigaginem, quae ducit iuxta ecclesiam Sanctae Mariae, quae est in Baloneo Maiore, et ipsa bigago mittit in flumine de Gavigliano, a quarto latere est idem fluvius, et aqua quae dicitur Branta, et vadit in silicum, deinde pergit in furcam Sancti Martini, et exinde vadit per ipsos montes, et descendit per vallem de Almagno in supradicta aqua de Sexto, intra quos fines Theanensis civitas et castella continentur haec: Petra Molaria, Rocca Romana, Riardus, castrum Sancti Felicis Saianum, castrum quod nominatur Petra Marzana, Bairanum, Pensinae, Praesentianum Minianum, Caminum Casase Caspuli, Rocca Banterani, Cucuruzium, Mertula, Gallucium, Rocca Sanctae Crucis . . . . terra Marzanellum, Caianum, Colonia S. Ioannis inclusas, seu alia nonnulla monasteria quoque, seu ecclesiae clericorum, seu monachorum.

Quos et propriis vocabulis describit; Intra quos Theanensis civitas et hic nominata castella continentur.

Eidem Eccles. bona omnia confirmantur.

Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona ipsa Theanensis Ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, et illibata permaneant.

Clericos omnes sub iure eiusdem Ecclesiae permanere praecipit.

Porro eiusdem episcopatus clericos cuiuscumque ordinis sint a laicorum potestate subtractos sub tuo iure praecipimus permanere.

Sententiam iam a praedecessoribus suis confirmatam, qua presbyteri Manianenses solvere tenentur cathedraticum episcopo Theanensi confirmat

Ad haec cum iam pridem inter bonae memoriae Petrum praedecessorem tuum, et clericos Manianenses super solutionem cathedratici quaestio mota fuisset, tandem felicis recordationis Lucius Papa praedecessor noster tunc tit. S. Praxedis presbyter, et Ioannes sanctorum Sergii et Bacchi diaconi cardinalis ex delegatione Romani Pontificis recognoverunt de causa, et receptis idoneis testibus, quod praedecessores eiusdem episcopi a singulis presbyteris Manianensibus duodecim denarios per quadraginta annos nomine cathedratici percepisset, et plurium assertione comperto, quod huiusmodi consuetudo in Capuanae et Bene-

ventanae, et aliis circum adiacentibus provinciis servaretur cathedraticum ipsum sibi et successoribus suis a sacerdotibus praescripti castri secundum consuetudinem solvendum, quam utique sententiam sicut sub eodem Lucio a praedicto cardinale prolata, et sanctae memoriae Adriano et dicto Lucio, atque Clemente, praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, noscitur confirmata, futuris censemus manere temporibus illibatam.

Libertates et immunitates eidem Ecclesiae a Guimundo de Rocca Romana concessas confirmat.

Praeterea libertates et immunitates a dilecto filio nobili viro Guimundo de Rocca Romana Theanensi Ecclesiae rationabiliter concessas, sicut in scripto authentico confecto plenius continetur, ratas, et futuris temporibus illibatas servari mandamus. Ad maiorem vero firmitatem scriptum illud de verbo ad verbum huic praesenti paginae iussimus inserendum, quod sic se habet.

Tenor concessionis libertatum et immunitatum Eccl. Theanensi a Guimundo de Rocca Romana factae.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Incarnationis eius 1189, et 23 anno regni domini nostri secundi Guglielmi Dei gratia magnifici regis, mense februarii, indictione 7. Honori sanctae Matris Ecclesiae, eiusque iuri quisque christianus tanto propensius debet insistere, quanto in ipsius utero renascendi sumit initium, et per eam vitae perpetuae praestolatur eventum, idest quod nos Guimundus de Rocca Romana notum fieri volumus tam praesentibus, quam absentibus, quod cum multiplices et variae quaestiones, et super distinctis capitulis inter dominum Petrum venerabilem in Christo patrem nostrum Theanensem episcopum pro parte Ecclesiae suae *etc.* ..... verterentur, tandem per communium amicorum colloquia ad pacis unitatem et concordiam studuimus pervenire; asserebat enim idem venerabilis episcopus, presbyteros et clericos in terra nostra habitantes, a nobis et balivis nostris frequenter gravari et opprimi in illicitis et iniustis exactionibus, et in tollagiis animalium suorum; de tertia quoque parte decimae de demanii nostri quaestionem movebat idem dominus episcopus, quod non permittebamus eum habere integre et quiete, sicut pater noster dominus Andreas bon. mem. olim Roccae Romanae dominus Ecclesiae suae concesserat; querebatur insuper quod non permitteremus eum uti ecclesia S. Ioannis inclusa, secundum tenorem privilegii sui, quod remissum est Theanensi Ecclesiae per praenominatum dominum Andream patrem nostrum. Nos itaque ad bonum pacis et concordiae plenitudinem reformari cupientes, habito amicorum, et quorumdam fidelium nostrorum consilio, simulque pro animarum avi et genitoris nostri salute, atque pro redemptione peccatorum nostrorum in praesentia Nicolai Theanensis iudicis, et Petri notarii, aliorumque subscriptorum testium ad hanc super praedictis capitulis concordiam et pactionem studuimus pervenire. Concedimus namque, et perpetua stabilitate firmamus, ut presbyteri et clerici in terra nostra habitantes, qui patrimonium, vel tenimentum laicale a nobis non habent, a nobis, vel a balivis nostris nullam in personis, vel rebus suis molestiam patiantur, sed ab eis adiutorium exigatur: sed si forte nobis ex gratia aliquid largiri voluerint, libere, et absque inquietatione animi, Deo et Ecclesiae servire permittantur. Si vero aliqui sint qui patrimonium aut tenimentum a nobis habeant, secundum quod exigimus a fratribus eorum, vel pro iuribus patrimonii seu tenimenti, ab eis adiutorium exigatur. Si quis vero clericorum vel sacerdotum, criminaliter vel civiliter, seu de rebus ecclesiasticis amissarum, vel conventus ab episcopo, vel ab alio apud episcopum, fuerint episcopi et capituli Theanensis examinatio, iudicium et castigatio. Si vero clericus aliquis, vel laicus, aliquem sacerdotum vel clericorum de terra nostra apud archiepiscopum, qui in terra nostra per episcopum erit constitutus, vel amicabiliter apud syndicum congregationis nostrae terrae convenire voluerit, si ibi

Concessiones singulae; et primo quae personas respiciunt sacras, vel sacris addictas.

potuerit diffiniri, libere erit, si autem per eos terminari nequiverit, et per alterutrum ad maiorem Ecclesiam fuerit appellatum, sive sententia fuerit retractanda, ad cognitionem maioris Ecclesiae referatur, in iis autem omnibus neque nos neque balivi nostri in iudiciis seu coercitionibus clericorum aut sacerdotum nullatenus nos intermittemus. Clericos vero et sacerdotes terrae nostrae cum processione solemni in festo Sancti Ioannis ante Portam Latinam non solum accedere ad maiorem Ecclesiam permittemus, verum etiam venire nolentes districtione plenissima compellemus. Praeterea laicos homines et fideles Theanensis Ecclesiae in Casali Anguillari, et Scarpato, seu in aliis adiacentibus locis habitantes, nullis oppressionibus, nullis gravaminibus, nullis exactionibus aliquo modo fatigabimus, aut fatigare faciemus, secundum dominium eorum coercebo et iudicabo libera sit. Theanensis Ecclesiae eius rectorum: etsi intestati decesserint, possessiones et bona eorum libere et absque conditione ad Theanensem Ecclesiam devolvantur. Animalia quoque, et bona eorum non capiemus, nec capi faciemus, neque eos, neque balivi nostri de eis, vel de rebus eorum aliquatenus nos intermittemus, hoc excepto, quod in Pascha et in Nativitate Domini in vexeniis secundum quod facere antecessoribus nostris consueverunt, visitabunt, pro eo quod ipsi et Ecclesiae eorum securitatem habent in terra nostra, et commodum inde recipiunt in pascuis, lingis et aquis sicut alii homines de terra nostra; si vero in ultima voluntate affectu supremae voluntatis de rebus mobilibus nos amplecti eorum aliquis voluerit, nobis aliquid relinquendo, liberum eis sit nobis, sicut cuilibet alio extraneo relinquere secundum coactionem causam nostram, vel balivorum nostrorum, tertiam vero partem decimae demanii nostri libere et absolute concedimus Theanensi Ecclesiae habendam secundum quod dominus Andreas pater noster eidem Ecclesiae concessit. Postremo Ecclesiae S. Ioannis ad Clusas secundum tenorem privilegii a patre nostro eidem Ecclesiae collati libere et absolute dimittimus, salvo quod bonus homo canonicus, qui ex concessione memorati episcopi eandem Ecclesiam est adeptus, in vita sua pacifice et quiete possideat, et anniversaria secundum tenorem privilegii nostri a canonicis praedictae Ecclesiae fiant. Praedicto autem bono homine defuncto, episcopus in demanio Ecclesiam ipsam habeat, eamque libere, et sine contradictione possideat. Hanc autem nostram concessionem et super praedictis capitulis, seu constitutionibus ordinatione et compositione in manibus tuis, domine venerabilis pater, domine Theanensis episcope, pro parte, et vice Ecclesiae tuae in praesentia memorati iudicis et notarii, et subscriptorum testium per contradictionem confirmamus, obligantes nos, et nostros haeredes, vobis qui supra venerabili episcopo pro parte, et vice iamdictae Ecclesiae contra hanc nostram concordiam, pactionem, atque concessionem nullo tempore venire. Nam si nos qui supra Guimundus, vel nostri haeredes, vel aliquis pro parte, et vice nostra, hoc scriptum de hoc, quod continet, per qualecumque incendium dirumpere, vel removere, seu reformare consenserimus, aut in quavis parte refutare tentaverimus, centum bisantios poenae nos et haeredes nostros vobis qui supra venerabili Theanensi episcopo, eiusque successoribus, et parte iamdictae Ecclesiae componere obligavimus, et omnia supradicta complere: et haec carta ad hoc quod continet firma et stabilis permaneat semper, et de his omnibus complendis . . . . . nostro vobis qui supra Theanensi episcopo dedimus et fideiussores inde posuimus per convenientiam, nos ipsos, unde si necesse fuerit ad pignorandum obligavimus nos et nostros haeredes vobis, vestrisque successoribus, et partem dictae Ecclesiae de rebus nostris mobilibus et immobilibus pignorari

Deinde quae laicos homines et fideles Theanensis Ecclesiae existentes in locis hic designatis.

Tertiam partem decimarum demanii libere concedit.

Bono homine defuncto, episcopus Ecclesiam illi, dum viveret, concessam habeat et possideat.

Addita multa centum bisantiorum pro temeratoribus concessionis huius.

licita et illicita usque ad legem, et taliter nos qui supra Guimundus de Rocca Romana qualiter nobis actum et congruum fuit, qui supra venerabili patri Petro Theanensi episcopo pro parte et vice memoratae Ecclesiae Theanensis notificemus, et Petrum notarium qui interfuisti scribere rogavimus. Scripsi ego Petrus notarius, et interfui in territorio Theanensi, ubi dicitur Verclanicum. — Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, vel eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia illibata et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et substentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi praesumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisve sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sanctissimo Corpore Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructus bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Decretum firmitatis pro supradictis, Sub excommunicationis poena pro inobedientibus. Observantibus vero pace et benedictione concessa.

Coelestini PP. et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Ego Coelestinus catholicae Ecclesiae episcopus.

Ego Octavianus Ostien. et Vellitren. episcopus.

Ego Petrus Portuensis et S. Rufinae episcopus.

Ego Pandulphus basilicae XII Apostolorum presb. card.

Ego Ioannes tit. S. Clementis card., Tusculan. episcopus.

Ego Ioannes Felix presb. card. tituli S. Susannae.

Ego Romanus tit. S. Anastasiae presbyter card.

Ego Guido presbyter cardinalis tituli S. Mariae Transtyberim.

Ego Hugo presbyter cardinalis Ss. Silvestri et Martini tit. Equitii.

Ego Gregorius tit. S. Mariae in Porticu diaconus.

Ego Gregorius S. Mariae in Aquiro diac. card.

Ego Gregorius S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Ego Lotharius Ss. Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Nicolaus S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis.

Datum Laterani per manum Ægidii Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diac. cardinalis, 3 kalend. octobris, indictione XII, incarnationis dominicae anno 1193, pontificatus vero domini Coelestini Papae tertii anno tertio.

Dat. die 29 septembris anno Domini 1193, pontif. anno III.

XV.

Canonizatio S. Ioannis Gualberti abbatis et institutoris congregationis Vallis Umbrosae monachorum ordinis S. Benedicti.

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Supplicatio congregationis Vallis Umbrosae pro canonizat. Ioannis Gualberti eius primi abbatis. — 2. Canonizatio eiusdem, praevia huius Pontificis verificatione de sanctitate et miraculis. — 3. Eius festivitas recolenda, et suffragia requirenda, quem genuit et nutrivit ipsa Italia. 4. Relatio miraculi de inclinat. Crucifixi.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati, et conventui Vallis Umbrosae, salutem et apostolicam benedictionem.

Gloriosus Deus in sanctis suis et in maiestate mirabilis, ministros suos, qui sibi veraciter et sincere ministrant, non

Procemium.

solum immarcescibili bravio, et aeterno remunerat, verum etiam in praesenti vita per exhibitionem plurium miraculorum, commendabiles reddit, et secundum propheticum verbum, eos facit in aeterna esse memoria (1), et ab omnibus celebriter venerari. Nec enim quisquam catholicus ambigit, cum et hoc Scriptura Sacra testetur, quod in sanctis suis laudatur Dominus, et qui honorat eos, ipsum Dominum prorsus honorat, ipso attestante, qui dicit: Qui vos honorat, me honorat, et qui vos recipit, me recipit (2). Et item: Quod uni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis (3). Et quidem rationi consentaneum esse probatur, ut quandoquidem omnipotens Pater, Filii sui cohaeredes, eo quo ipsum honore voluit insigniri, ipso orante et dicente: Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus. Et rursum: Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui in caelis est (4). Homines qui ex lutea materia sunt, ipsius memoriam celebrent et venerentur in terris, cuius nomen creditur scriptum esse in coelis.

Supplicatio congregationis Vallis Umbrosae pro canonizat. Ioannis Gualberti eius primi abbatis.

§ 1. Hac nimirum consideratione inducti, cum preces dilectorum filiorum nostrorum Georgii abbatis, et conventus Passinianensis monasterii, vestrumque testimonium recepissemus et literas, ut inclitae recordationis Ioannem quondam abbatem Vallis Umbrosanae congregationis institutorem, qui Creatoris sui servus prudens extitit et fidelis, et familiae sibi commissae in tempore tritici mensuram impendit, et quem quia fuit super pauca fidelis, post obitum suum super multa Dominus ipse constituit, et multis miraculorum privilegiis insignivit, istis etiam temporibus, ut dicitur, incessanter illustrat, sanctorum cathalogo annumerare, et consociare vellemus.

Canonizatio eiusdem, praevia huius Pontificis verificatione de sanctitate et miraculis.

§ 2. Visum itaque est nobis, et communi consilio fratrum insedit, ut vicinorum episcoporum et aliorum praelatorum Ecclesiae, deberemus de conversatione eiusdem boni viri, et miraculis, testimonia praestolari. Demum vero cum episcoporum, abbatum, priorum, archidiaconorum, plebanorum, praepositorum ecclesiasticorum et monasticorum conventuum, atque aliorum, super eiusdem ministri Iesu Christi vita et conversatione, atque miraculis recepissemus testimonia et preces, super canonizando eodem, fratrum nostrorum convenientia requisita et habita, referentes gratias Creatori, qui Ecclesiam suam semper nova prole multiplicat, et tam rosarum, quam liliorum flore decorat, praenominatum beatum Ioannem canonizavimus, et numero confessorum Christi decrevimus adiungendum. Confessorum omnium regem prece humili deposcentes, ut eiusdem confessoris, qui sibi propter lucidas et conspicuas placuit actiones, precibus et meritis recolendis, ab instantibus periculis eruamur, et in nostris necessitatibus ipsius patrocinium sentiamus.

Eius festivitas recolenda.

§ 3. Vestrae itaque devotioni per apostolica scripta mandamus, atque praecipimus, quatenus de tanti patroni suffragio, quem genuit et nutrivit ipsa Italia, spiritualiter gratulemini, et eius memoriam certo die inter alios confessores veneratione celebri recolatis, ipsius festivitatem colere studeatis, in eo divinam omnipotentiam exaltantes. Si enim, attestante voce Dominica, Deum diligere comprobatur, qui mandata eius observat, a fructibus praenominati sancti viri cognoscitur, quod apud Deum possit et debeat pro peccatoribus efficaciter exaudiri. Qui evangelicae praedicationis, non surdus auditor, mundi gaudia, tanquam stercora reputans dereliquit, et sequens Christi vestigia, non solum in vestro monasterio monasticam religionem instituit, verum etiam septem monasteria fabricavit, et ad ultimum Passinianense monasterium reparans, in eo praesentem vitam laudabili decessu finivit.

§ 4. Illud tamen inter eius miracula

(1) Psalm. CXI. (2) Matth. X. (3) Matth. XXV. (4) Ioan. XII, 26.

Relatio miraculi de inclinat. Crucifixi. primum et praecipuum invenitur, quod pro quodam opere misericordiae cuidam in se delinquenti, ante ipsum in modum Crucis prostrato, provide et clementer exhibito, imago Crucifixi, ei adhuc in saeculari militia existenti, caput dicitur inclinasse.

Datum Laterani secundo nonas octobris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 24 octobris anno Domini 1193, pontif. anno III.

XVI.

Privilegium Eborum Ecclesiae indultum super iuribus, libertatibus etc. eiusdem Ecclesiae (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Ecclesiam hanc sub Sedis Apostolicae protectione suscipit. — Eidem bona omnia confirmat: — Quae propriis nominibus exprimens enumerat. — Prohibet ne archiepiscopus in decanum, canonicos, *etc.*, censuras promulget. — A decano archiepiscopo contra consuetudinem Ecclesiae homagium minime faciendum. — Capitulo electionis magistri Hospital. S. Petri ius confirmat. — Privilegia, immunitates *etc.* confirmat. — Prohibet ne ab archiepiscopo, vel ab alio, canonici *etc.* molestentur, seu graventur. — Provisi ab archiepiscopo, praesentandi decano et capitulo. — A receptis iuramentum faciendum. — Decretum immunitatis a quacumque molestia pro omnibus in praesenti privilegio contentis: — Cui excommunicatio adiungitur pro temeratoribus. — Pax et benedictio pro illud fideliter observantibus.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Simoni decano, et capitulo Ecclesiae Sancti Petri Eborum, eorumque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Exordium. Cum Romana Ecclesia, cui dante Domino praesidemus, iustis postulantium votis pia semper consueverit benignitate adesse, dignum est, et consonum, ut illi de speciali eius praesidio et protectione confidant, et ut possint ea contra malignorum incursus, tamquam optatae defensionis clypeo praemuniri, quorum fides et devotio in honore ipsius et reverentia certo rerum experimento probatur.

Ecclesiam hanc sub Sedis Apostolicae protectione suscipit. Eapropter, dilecti in Domino filii, iustis postulationibus vestris clementer annuimus et Ecclesiam vestram, in qua divino estis mancipati obsequio, sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. Eidem bona omnia confirmat: Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, aut aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant. Quae propriis nominibus exprimens enumerat. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis, scilicet villam de Dalton, cum pertinent., villam totam, cum pertinentiis, villam de Brothton cum ecclesia, molendino, et aliis omnibus pertinentiis: villam de Helperby cum pertinentiis: terram de Ulfrikby cum pertinentiis: terram de Gispesmare, cum pertinentiis: terram de Ledesham cum pertinentiis: terram de Noton cum pertinentiis: terram de Ckerpinbek, cum pertinentiis: ecclesiam de Burgo cum capella et omnibus aliis pertinentiis: ecclesiam de Lanum cum pertinent.: ecclesiam de Lesyngton cum pertinent.: ecclesiam de Quetungkebur cum pertinent.: ecclesiam Sancti Iohannis ad Pontem Eborum, ecclesiam Sancti Iohannis in Marsico: ecclesiam Sancti Laurentii in Walmegut cum pertinent. infra civitatem et extra, ecclesiam Sancti Andreae in Haecmangergat: ecclesiam S. Marci in Coyngestrete; ecclesiam S. Mariae ultra Usam: sexaginta solidos de Manerio de Patrington: duas marcas argenti de nundinis S. Petri ad Vincula in Eborum de Synodalibus, quadraginta solidos ad ma-

(1) Edidit Wilkins, Concil. Britanniae et Hiberniae, vol. I, pag. 503.

gistrum Scholarum spectantes. Antiquas quoque et rationabiles Ecclesiae vestrae consuetudines, et hactenus observatas, vobis et vestris successoribus confirmamus, et decernimus eas in Ecclesia vestra futuris temporibus absque contradictione cuiuslibet firmiter observandas.

Prohibet ne archiepiscopus in decanum, canonicos, etc. censuras promulget.

Auctoritate apostolica nihilominus prohibemus, ne archiepiscopus vester qui pro tempore fuerit, in decanum, vel aliquam personam, canonicos, vel eorum ministros, sive clerici sint, sive laici, aliquam excommunicationis, interdicti, seu suspensionis sententiam contra immunitatem, quam praedecessores vestri, et vos hactenus habuistis, sine assensu decani, et capituli, vel eos a choro arcere, vel ab Ecclesiarum ingressu: quod si forte praesumpserit, eam decernimus non tenere.

A decano archiep. contra consuetudinem Ecclesiae homagium minime faciendum.

Statuimus insuper ne decanus, qui secundum Deum in Ecclesia vestra fuerit institutus, contra Ecclesiae vestrae solitam libertatem, et consuetudinem hactenus observatam, homagium obtentu beneficii ecclesiastici archiepiscopo facere teneatur.

Capitulo electionis magistri Hospital. S. Petri ius confirmat.

Praeterea paterno intuitu providere volentes ne in iis, quae ad vos spectare noscuntur, laesionem aliquam incurratis, electionem liberam magistri domus hospit. Sancti Petri Eborum, sicut eam ex antiqua et approbata consuetudine hactenus Ecclesia vestra obtinuit, vobis vestrisque successoribus confirmamus, ita quod qui ibi pro tempore fuerit assumendus nonnisi per electionem vestram consuetam et canonicam assumatur.

Privilegia, immunitates, etc. confirmat.

Et ne status Ecclesiae vestrae temeritate qualibet circa observantias rationabiles mutationes seu turbationes incurrat, dignitates, libertates, immunitates, quae a regibus et principibus, seu archiepiscopis vestris, vobis et Ecclesiae vestrae rationabiliter sunt concessae, et a Romanis Pontificibus approbatae, seu etiam regum seu principum, vel archiepiscoporum, necnon episcoporum, Romanorum Pontificum autenticis continentur, ratas esse censemus, et eas perpetuam obtinere volumus firmitatem.

Prohibet ne ab archiepiscopo, vel ab alio canonici etc. molestentur, seu graventur

Prohibemus insuper ne archiepiscopus, vel aliquis alius contra antiquam et approbatam Ecclesiae libertatem personas, seu canonicos, aut clericos, vel homines vestros indebitis et consuetis excommunicationibus praegravare eos, pecuniaria poena eos mulctare praesumat, nec sine satisfactione debita relaxare sententias, quas capitulum vestrum secundum antiquam et approbatam Ecclesiae vestrae consuetudinem in invasores rerum, seu possessionum suarum illicite ac temerarie detentos, et in vestros homines graviter delinquentes, rationabiliter duxerit proferendas. Ordinationem quoque canonicorum, seu personarum, sicut ab ipsa fundatione loci hactenus est observatum, liberam esse decernimus, ut videlicet honesta idonea persona, cui archiepiscopus vester vacantem in Ecclesia vestra praebendam vel dignitatem duxerit conferendam, secundum antiquam Ecclesiae vestrae consuetudinem decano et capitulo praesentetur. Receptus autem per capitulum in canonicum pe[illegible]brum et panem, per manum decani et capituli debeat investiri: postmodum vero in osculo fratrum receptus de conservanda fidelitate Ecclesiae vestrae, et libertatibus, et consuetudinibus iuri consentaneis pro viribus defendendis: secretis capituli non detegendis iuramentum consuetum, et debitum interponat, et tunc de mandato decani et capituli per manum cantoris, prout moris est, installetur. Si quis vero, contra consuetudinem antiquam et approbatam in Ecclesia vestra, per aliquem fuerit introductus, nec pro persona, nec pro canonico habeatur. Si vero archiepiscopus vester, vacantem in Ecclesia vestra praebendam vel personatum, secun-

Provisi ab archiepiscopo, praesentandi decano et capitulo.

A receptis iuramentum faciendum.

dum Lateranensis concilii formam praescriptam idoneae personae, canonica admonitione praemissa, non contulerit, liceat vobis auctoritate apostolica, nullius contradictione, vel appellatione obstante, illam contra eiusdem concilii statuta conferre.

Conclusiones et clausulae. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei, et Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinae ultioni subiaceat. Cunctis autem eiusdem loci sua iura servantes, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Decrevimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis, confirmationis, prohibitionis, atque concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, decimo sexto kalendas iulii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 16 iunii anno Domini 1194, pontif. anno IV.

XVII.

Castella duo Puliano et Colle Alto Pennensi Ecclesiae ab Odone episcopo acquisita, eidem confirmantur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Castella duo acquisita ab episcopo Pennensi, ei et Ecclesiae suae confirmat. — Solitae clausulae.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Odoni Pennen. episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum.

Castella duo acquisita ab episcopo Pennensi, ei et Ecclesiae suae confirmat. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis iustis precibus annuentes, duo castella, videlicet Puliano et Collealto cum omnibus pertinentiis suis, quae tuo studio et diligentia Pennen. Ecclesiae acquisivisti, sic ea iuste, et sine controversia possides, et tibi, et per te Ecclesiae tuae auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat *etc.*

Datum Laterani, 2 kalendas augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 21 iulii anno Domini 1194, pontif. anno V.

XVIII.

Eboracensis archiepiscopus, propter contumaciam in sceleribus, suspensus declaratur ab officio muneris archiepiscopalis, cuius administratio decano cathedralis illius Ecclesiae demandatur (2).

SUMMARIUM

Exordium. — Eboracensis archiepiscopus suspensus. — Simoni Eboracensi decano ad-

(1) Edidit Ughell., Ital. Sac., tom. I, ubi de Pennensibus episcopis. (2) Ex Concil., tom. XIII, et Baronio.

ministrationem Ecclesiae in spiritualibus concedit. — Conclusiones solitae.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Simoni decano Eboracensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Cum universalis Ecclesiae regimen nobis licet insufficientibus divina favente gratia sit commissum, et singularem ex eis casibus praecavere teneamur, et utilitatibus providere; illud nobis est summopere praecavendum, ne inde Ecclesiae in temporalibus vel spiritualibus detrimentum incurrant, unde ipsarum honorem et commodum credimus procurare. Cum enim pensatis personarum meritis, et diligenter inspectis, aliquis iuxta suorum exigentiam meritorum per nos fuerit dignitatis potestate suspensus, et ab Ecclesiarum praelatione ad tempus amotus: ne subditis pastoris cura privatis malignandi materia tribuatur, et occasio litigandi eis tali debemus providere persona, quae, et litigantium dirimere quaestiones, et subditorum excessus corrigere noverit; et quantum sui officii debitum patitur, et diligat, et affectet. Inde est, quod cum Eboracensis archiepiscopus eius actibus exigentibus, et contumacia faciente, qui abusus patientia nostra neque a suis iniquitatibus destitit, nec nostro se conspectui, indulto sibi misericorditer termino, praesentavit, ab usu pallii, et episcopatus officii executione, a ministratione quoque tam spiritualium, quam temporalium et beneficiorum perceptione, nostra sit auctoritate suspensus; discretioni tuae auctoritate praesentium duximus indulgendum, ut cum consilio canonicorum in Eboracensi Ecclesia residentium, clericorum Eboracensis dioecesis excessus corrigere valeas, et querelantium tam clericorum, quam laicorum Eboracensis dioecesis controversias, quae iudicio exigunt ecclesiastico terminari, canonice definire, canonica severitate, appellatione remota, percellens eum, qui super hoc contumaciter duxerit resistendum, donec eidem Ecclesiae aliter fuerit sollicitudine nostra provisum.

Eboracensis archiepiscopus suspensus.

Simoni Eboracensi decano administrationem Ecclesiae in spiritualibus concedit.

Conclusiones solitae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani decimo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 23 decembris anno Domini 1194, pontif. anno v.

XIX.

De eadem re ad clerum Eboracensem (1).

SUMMARIUM

Praefatio. — Querelae contra archiepiscopum. — Commissio pro contra archiep. inquisitione. — Idem archiepisc. ad Sedem appellat Apostolicam. — Pontifex terminum appellationis prorogat. — Quo transacto, nec per se accedentem, nec aliquem mittentem, — Eum propter contumaciam suspensum denunciari mandat.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis abbatibus, prioribus, archidiaconis, et aliis clericis, comitibus, et baronibus et aliis in Eboracensi provincia constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Praefatio. Quam misericorditer Romana Ecclesia super facto Eboracensis episcopi processerit, videre licet, si litterarum nostrarum tenorem, quas utraque partium a Sede Apostolica diversis temporibus impetravit, diligenter attentis.

Querelae contra archiepiscopum. Cum enim significantibus dilectis filiis decano et capitulo Eboracensi, et non paucis abbatibus, prioribus et aliis Ecclesiae praelatis in regno Angliae constitutis, ad apostolatus nostri audientiam

(1) Ex Concil., tom. XIII, col. 700.

pervenisset, dictum archiepiscopum, pastoralis officii debito praetermisso, saecularibus negotiis implicari, et divinis obsequiis non clericis ordinandis, non ecclesiis dedicandis, non synodis celebrandis, non benedicendis abbatibus, sed venationibus, et aucupio totius anni sui studium applicare, et exercere alia, quae commisso sibi officio pontificali et honori non modicum derogant, non statim formavimus iudicium contra eum, sed inquisitionem famae ipsius venerabili nostro Lincolniensi episcopo, et dilectis filiis archidiacono de Northamtun, priori de Ponte (1) Fracto duximus committendam, cupientes ipsum archiepiscopum per intimationem suspensionis, si de his, quae nobis fuerant significata, constaret, vel si ea legitime comprobari non possent per exhibitionem canonicae purgationis, quam ei cum tribus episcopis, et totidem abbatibus feceramus indici, a suis excessibus deterrere, et ad veritatis tramitem revocare. Verum quoniam idem archiepiscopus, antequam citatio eorumdem iudicum pervenisset, ad Sedem appellavit Apostolicam: dicti iudices iuxta litterarum nostrarum tenorem, spatio ei trium mensium indulto kalendas iunii, quo appellationem interpositam prosequi non differret, ipsi procurarunt pro termino assignare. Deinde vero, cum archiepiscopus ipse iter arripuisset ad Sedem Apostolicam veniendi, timens, ne propter inclementiam aeris aliquod ipsius periculum eveniret, a nobis litteris et nunciis postulavit, ut statutum sibi terminum deberemus misericorditer prorogare. Nos vero precibus ipsius annuentes, et credentes, quod eo citius de suis excessibus poeniteret, quod nos ad audiendas petitiones suas magis propitios et faciles inveniret, terminum usque ad octavas B. Martini proximo praeterituras prosequendae appellationis ad ipsum purgandum statuimus, memoratis iudicibus dantes

Commissio pro contra archiep. inquisitione

Idem archiepisc. ad Sedem appellat Apostolicam

Pontifex terminum appellationis prorogat.

(1) Alias *Sancto*.

nihilominus in mandatis, ut si tunc inde archiepiscopus nostro aspectui neglexerit se praesentare, exinde iuxta priorum litterarum tenorem in causa procederent, et quae ipsis per easdem litteras mandata fuerant exequi procurarent. Caeterum, memorato termino iam transacto, cum ad Romanam Ecclesiam nec accesserit, nec aliquem miserit responsalem, qui absentiam suam quolibet modo excusaret: ipsius inobedientiam et contumaciam attendentes, ipsum ab usu pallii et pontificalis officii executione, administratione etiam tam temporalium, quam spiritualium, ac perceptione beneficiorum duximus suspendendum, memoratis iudicibus per apostolica scripta mandantes, ut eum per totam Eboracensem dioecesim et provinciam suspensum a nobis publice statuant nunciare; ideoque universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem archiepiscopo, vel officialibus eius, nec in spiritualibus, nec in temporalibus praesumatis aliquatenus respondere: sed si quas inter aliquos vestrum in Eboracensi positorum quaestiones oriri contingat, quae iudicio ecclesiastico debeant terminari, ad audientiam dilecti filii nostri Simonis Eboracensis decani easdem controversias deferatis ipsius iudicium recepturi humiliter et firmiter servaturi: scientes nos eidem decano de solita Sedis Apostolicae misericordia indulsisse, ut cum consilio canonicorum suorum in Eboracensi Ecclesia residentium excessus corrigat clericorum, et eorum, ac laicorum, qui ecclesiasticam audientiam exigunt, in Eboracensi dioecesi definiat quaestiones.

Et archiepiscopum propter contumaciam suspensum denunciari mandat.

Datum Laterani decimo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 23 decembris anno Domini 1194. pontif. anno V.

XX.

Sequitur ad Lincolniensem episcopum, aliosque delegatos apostolicos pro executione superallatarum literarum (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Quid actum sit cum Eboracensi archiepiscopo. — Viris fide dignis referentibus, Eboracensis excessus enumerantur. — Libertates Ecclesiae, usus et consuetudines, et Romanorum Pontificum privilegia ipsa spernit. — Violenter aggreditur Ecclesias, et inde eiicit quos non probat. — Eboracense capitul. contra archiep. excessus ad Sedem Apostol. appellavit. — Idoneis personis relictis, pueris et inhonestis personis Ecclesias assignat. — Easdem etiam sua voluntate vacare facit, et earumdem fructus retinet. — Literae a Pontifice datae pro inquirenda veritate. — In quibus inter alia insertum, famae publicae attendendum, ubi deessent accusatores. — Terminus praesentationis differtur et appellatio ad S. Sedem prorogatur. — Ad octavam usque beati Martini, qua transacta, in archiep. procedendum ordinat. — Sententia suspensionis in eum lata. — Praemissa a iudicibus peracta confirmat. — Canonicos excommunicatos, et alios ad cautelam absolvi mandat. — Omnibus excommunicatis qui in clericos violentas iniicierunt manus.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Lincolniensi episcopo, et dilectis filiis archidiacono de Northamptun, et priori de Ponte Sancto, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Cum sacrosancta Romana Ecclesia super immobile fundamentum, lapidem scilicet angularem et verum perpetua stabilitate fundata de se ipsa veritate dicente: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, per beati Petri merita Ecclesiarum omnium magisterium et primatum ad principem apostolorum Domino postulante, si diligis me pasce oves meas, et non solum corporum, sed etiam animarum iudiciariam accepit potestatem, eodem apostolorum principe audiente a Domino: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum in coelis: (1) nos quos non propria merita, sed sola divina miseratio ad Summi Pontificatus apicem evocavit, si iudicia nostra recta volumus, et provida deliberatione formare, et potestate nobis tradita non abuti, illius debemus quantum humana permittit fragilitas exempla sectari, in quo Sedes Apostolica fundata consistit, et a quo caeterarum Ecclesiarum curam suscepit, et ligandi atque solvendi plenitudinem potestatis: mirabilis enim super omnia Deus, et inscrutabilis divini consilii altitudo, licet incomprehensibilia sint iudicia eius, et investigabiles viae ipsius, aliquid tamen ex his, quae in inferioribus operatur, sic recte conspicimus, nobis, et aliis Ecclesiarum praelatis in forma iudicii innuit imitandum, qui cum sterilem arborem de vinea sua iuxta illud Evangelii praeceperit scindendam, ne terram fertilem occuparet, praemisit dicens: Ecce tres anni sunt ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio: succide ergo illam (2). Hoc siquidem nos, licet nemini, sed humanae fragilitatis subiacentes defectibus, intra nos ipsos assidua meditatione pensantes, auditis excessibus Eboracensis episcopi, et de inhonesta vita, et de inutili conversatione eius rumoribus in nostra et fratrum nostrorum audientia recitatis, non statim formavimus iudicium contra eum, sed exemplo illius, cuius miserationes super caetera opera eius, ut sterilis arbor pullularet in fructus, et vigorem reciperet iam amissum, non modico temporis spatio ad correctionem ipsius multiplicatis litteris et mandatis non destitimus laborare, nunc eum ad viam salutis nostris monitis revocantes, nunc per interminationem suspensionis officii et beneficii deterrentes ab iniquitatis suae semitis et erroris sicut vobis, qui totam rei seriem

Quid actum sit cum Eboracensi archiepiscopo.

(1) Ex Concil., tom. XIII, col. 702.

(1) Matth. XVI, Ioan. XXI. (2) Luc. XIII.

et processum negotii quoad ordinem agnovistis, credimus manifestum.

Ar. hiep. Eboracensis excessus enumerantur.

Sane ad audientiam nostram ex personarum et capituli Eboracensis Ecclesiae insinuatione pervenit, et idipsum dilectorum nostrorum Roberti de Eboraco, et Rogeri de Selebi, et aliorum undecim abbatum Praemonstratensis Ordinis testimonia manifeste declarare videntur: quod Gaufridus Eboracensis archiepiscopus sacramenta iniuncti sibi officii vilipendens venatione, aucupio, et aliis militaribus curis inutiliter occupatus, ordinationi clericorum, ecclesiarum dedicationibus, aut synodis celebrandis, nec manum, nec operam post sui promotionem adhibuit, nec abbatem aliquem benedixerit, licet tam contra clericos, quam abbates ad maledicendum et excommunicandum linguam consueverit iuxta morem proprium indiscrete laxare. Libertates Ecclesiae suae, ac consuetudines approbatas evacuat ac subvertit: appellationes, quae solent esse ad remedium oppressorum, ad Romanae Sedis iniuriam reduxit in contemptum, et plures pro eo quod ad nos appellationem emiserant, vinculis fecit carceralibus vehementer adstringi. Personas Ecclesiae suae post appellationem ad nos factam honoribus et beneficiis spoliavit: quosdam canonicorum appellatione contempta excommunicationi subiecit: privilegia Romanorum Pontificum, in eius praesentia sua omnino auctoritate frustrantur: et qui forte alias tutus esset, in ostensione privilegii nostri, optati coram eo praesidii beneficium demeretur. Cum contingit aliquem ad subtractam sibi Ecclesiam, vel possessionem per Iudices delegatos auctoritate nostra restitui eum, per quem iudicium executioni mandari debebat, statim sentiet inimicum. Plures enim taliter destitutos destituit, et ecclesias suas, per ministros suos violenter aggrediens fores earum fregisse, et eos proponitur per violentiam expulisse: quam plures reatum periurii fecit perniciose incurrere, ipsos ab obedientia, quam archidiaconis suis canonice servandam iuramento promiserant quadam necessitatis violentia retrahendo. Praeterea maiorem Ecclesiam cum multitudine armatorum aggrediens, fores capituli per violentiam confringi et asportari fecit, et bona canonicorum et clericorum plurium, qui res suas tam in Ecclesia, quam in Thesauraria ibi deposuerant, fecit per potentiam detineri. Pro quibus omnibus Eboracense capitulum ad nostram praesentiam appellavit. Comperimus etiam ex testimonio praedictorum, quod Ecclesiis quandoque vacantibus, praesentatas sibi ab his, ad quos praesentatio pertinet, personas idoneas non admittit: sed eas aut pueris, aut minus honestis personis assignat, usus pariter, et praesentantis, et instituentis officio, aut facit eas de sola voluntate vacare, ut earum fructus usibus ipsius applicentur, et quod sustentationi alicuius honesti clerici debebatur, sibi non metuit retinere. Adiecerunt etiam, quod cum spiritualia dona gratis debeant, et sine pravitate distribui, frequenter donat Ecclesiam, aut eam scindit per partes contra statuta canonica, vel in ea sibi novam et indebitam retinet pensionem, possessionem, et quamplures excommunicatos, vel suspensos, nonnisi pecunia interveniente absolvit: religiosi vero et honesti in conspectu eius despecti et contemptibiles fiunt; viles, et suspectae personae de facili familiaritatem eius, et gratiam assequuntur. Nos vero de rumoribus tam profanis auditis non semel, sed saepius tam praedictorum quam aliorum praelatorum, in regno Angliae, et in Eboracensi provincia positorum, litteris, nostris auribus frequentius inculcatis volentes eum a suis excessibus deterrere, et ad exequendum pastoralis officii debitum revocare: inquisitionem famae ipsius vobis duximus committendam, ut vocatis abbatibus, et prioribus, et ecclesiasticis personis Eboracensis dioecesis inquireretis de praemissis dili-

Eboracense capitul. contra archiep. excessus ad Sedem Apostol appellavit.

Idoneis personis relictis, pueris, et inhonestis personis Ecclesias assignat.

Easdem etiam sua voluntate vacare facit, et earumdem fructus retinet.

Inquisitio a Pontifice datur pro inquirenda veritate

gentius veritatem, et si accusatores legitimi procederent contra eum, auditis quae proponerentur hinc, et inde, et depositionibus testium redactis in scriptis, eas sigillorum vestrorum signatas munimine ad Sedem Apostolicam transmittere deberetis, assignato partibus termino competenti quoad audiendam sententiam nostro se conspectui praesentarent; hoc etiam iisdem litteris meminimus fuisse insertum, ut deficientibus accusatoribus, si fama publica faceret contra eum, purgationem ipsius cum tribus episcopis, et totidem abbatibus, sublato appellationis obstaculo incidere curaretis. In qua si forte deficeret, ipsum ab archiepiscopali officio et administratione suspensum nostro faceretis conspectui praesentari; si vero archiepiscopus memoratus, antequam citatio vestra perveniret ad ipsum, ad Sedem Apostolicam appellaret, induciis ei trium mensium indultis, si intra eos interpositam appellationem prosequi negligeret, vel differret, ipsum ab omni pontificali officio, et archiepiscopatus administratione nostra nunciaretis auctoritate suspensum. Quia vero idem archiepiscopus antequam per vos citaretur ad causam, sicut nobis suis litteris et nunciis intimavit, Sedem curavit Apostolicam appellare, et vos ei ad prosequendam appellationem kalendas ianuarii pro termino assignastis: ipsius laboribus, et expensis, ac timente (1) si aestivo tempore ad urbem accederet, aliquod personae ipsius ex aeris inclementia periculum proveniret, cum, sicut nobis intimatum fuerat, iter arripuisset ad Sedem Apostolicam veniendi, et paratus extiterit de obiectis sibi criminibus respondere, de solita Sedis Apostolicae benignitate prosequendae appellationis ab ipso usque ad octavas B. Martini proximo praeteritūras terminum duximus prorogandum; omnia, quae fuerunt contra eum impetrata ad eundem terminum suspendentes, et revocantes in statum pristinum quid-

(1) Forte *ne si*.

quid contra eum post appellationem ad nos interpositam priorum litterarum obtentu fuisset a nobis, vel aliis immutatum. Vobis etiam per apostolica scripta districte mandavimus, ut nisi in octavis Sancti Martini nostro conspectui se praesentaret, iuxta formam primae commissionis, sublato cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, procedere nullatenus differretis. Verum quoniam memoratus archiepiscopus abusus patientia nostra nec ad Romanam Ecclesiam accessit, nec responsalem aliquem destinavit, qui, vel eius absentiam excusaret, cum eum non modicum ultra praefixum sibi terminum misericorditer curavit expectare, licet eo ipso videatur confessus de crimine, quod nostro se conspectui praesentare neglexerit, ipsum ab usu pallii, et omnis episcopalis officii executione, administratione quoque tam spiritualium, quam temporalium, et beneficiorum perceptione ipsius Eboracensis Ecclesiae et provinciae duximus suspendendum: ut sic saltem a suae iniquitatis pertinacia resipiscens, canonice se veritatis censuram in se non exigat fortius exerceri. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus atque praecipimus quatenus eum per omnes Ecclesias Eboracensis dioecesis et provinciae suspensum a nobis publice nuncietis, omnibus clericis et laicis eiusdem provinciae ex parte nostra firmius iniungentes, ne ipsi archiepiscopo, vel officialibus eius in temporalibus vel spiritualibus respondere praesumant, donec de ipso archiepiscopo aliud duxerimus statuendum. Mandamus autem, et per vos volumus in Eboracensi dioecesi nunciari; ut si forsitan inter aliquos quaestiones moveri contingat, quas ecclesiastico iudicio conveniat terminari, ad audientiam dilecti filii nostri Simonis Eboracensis decani, qui cum consilio canonicorum in eadem Ecclesia residentium, et clericorum excessus committimus corrigendos, et litigantium tam clericorum quam laicorum

Sententia suspensionis in archiep. lata.

controversias decidendas referant ipsius iudicium suscepturi humiliter et firmiter servaturi. Ad haec omnia, quae auctoritate litterarum nostrarum, antequam ad vos secundarum notitia pervenisset super negotiis eundem archiepiscopum contingentibus, tam restitutionibus ablatorum, quam de aliis provide et rationabiliter statuistis, rata decrevimus permanere, mandantes, ut auctoritate nostra suffulti ad Eboracensem Ecclesiam accedentes, iuxta priorum litterarum tenorem, tam in inquisitione famae, quam restitutione ablatorum canonicis facienda nihilominus procedatis, non impediente appellatione vel absentia archiepiscopi memorati, nec obstantibns litteris in primarum litterarum praeiudicium hactenus impetratis. Ad haec praesentium vobis auctoritate iniungimus quatenus sententiam excommunicationis in quosdam canonicos, vicarios, clericos et servientes canonicorum Eboracensis Ecclesiae, ab eodem archiepiscopo post appellationem ad nos interpositam, promulgatam irritam iudicetis penitus et inanem; ita tamen ut dictos canonicos, et alios in eadem sententia nominatos ad maiorem cautelam auctoritate Apostolicae Sedis absolvatis. Omnes autem illos, qui in Benedictum clericum supradicti decani, Gualterum presbyterum, Ricchardum de Semare, et quinque de Caval clericos, et alios clericos Eboracensis Ecclesiae, manus temerarias iniecerunt, vel qui eis violentiam praeceperunt inferri, tamdiu nuncietis appellatione remota excommunicationis vinculo detineri, donec passis iniuriam congrue satisfecerint, et cum vestrarum testimonio litterarum ad Sedem veniant Apostolicam absolvendi. Quod omnes his exequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur.

Praemissa a iudicibus peracta confirmat.

Canonicos excommunicatos, et alios ad cautelam absolvi mandat.

Datum Laterani decimo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 23 decembris anno Domini 1194, pontif. anno IV.

XXI.

Mandatum archiepiscopo Rothomagensi, de publice iis excommunicandis, qui excommunicatos ad Ecclesiae communionem admittebant (1).

SUMMARIUM

Quam necessarium sit poenis coerceri malos. — Facti series exponitur. — Facultas archiepiscopo excommunicandi eos qui anathematizatos in Ecclesiae communionem recipiunt.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Rothomagensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Eos qui contra praelatos suos supercilium electionis assumunt, et in contumacia perdurantes, nec eorum sententiam servant, nec monitis deferunt, vel mandatis, non minus credimus debere puniri, quam devotorum et humilium obedientia remunerari debet, et ab omnibus merito commendari. Nisi enim fuerit superbia edomata, et Apostolicae Sedis auctoritate depressa, ordo ecclesiasticus deperibit, et quibuslibet incentivum accrescit, et materia delinquendi. Ad audientiam siquidem apostolatus nostri te significante pervenit, quod cum quosdam propter suos excessus excommunicationis vinculo innodaris, et ab omnibus decreverit evitandos, religiosi, et alii quidam in tua dioecesi constituti ipsos ad communionem suam recipere ausu temerario praesumpserunt, et ad celebrationem admittere divinorum. Licet autem tales ipso iure minori sunt excommunicatiene adstricti, et ex hoc a Corporis et Sanguinis Christi participatione amoti: ut tamen citius poeniteant, et a suis iniquitatibus resipiscant, nisi ad commonitionem tuam sua voluerint praesumptione desistere, et ad hoc quod hactenus attentarunt satisfactionem congruam exhibere, ut eos vinculo excommunicationis innodes, et communionem eis ecclesiasticam interdicas, liberam tibi

Quam necessarium sit poenis coerceri malos.

Facti series exponitur.

(1) Ex Concil., tom. 13, col. 712.

tribuimus auctoritate praesentium facultatem. Nulli ergo *etc.*

Datum Laterani idibus ianuarii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 13 ianuarii anno Domini 1195, pontif. anno v.

XXII.

Priori et monachis Sancti Pancratii de Lewes, de non promittendis Ecclesiis antequam vacent, pro iisque pensionibus non solvendis (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Facti series exponitur; — Decretum Pontificis. — Clausulae consuetae.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori, et monachis Sancti Pancratii de Lewes, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Quae in praeiudicium Ecclesiarum praeter iuris ordinem, perperam attemptantur, auctoritate sunt apostolica corrigenda, et cum nobis immineat ex iniunctae servitutis officio de singulis Ecclesiis per universum orbem diffusis paterna sollicitudine cogitare, ipsarum debemus utilitati consulere, et onera sublevare tenemur.

Facti series exponitur;

. Accepimus siquidem quod ad instantiam quorumdam nobilium, quibus favorem vestrum non poteratis de facili denegare, primas, secundas et tertias vacantes Ecclesias, quibusdam clericis promisistis, quibus interim certas solvitis pensiones, ex quarum solutione Ecclesia vestra non modicum aggravatur; eapropter vestris postulationibus favorem apostolicum impendentes, vos et Ecclesiam vestram ab huiusmodi promissionibus Apostolicae Sedis auctoritate absolvimus, et ad talium pensionum solutionem decernimus non teneri, districtius inhibentes ne Ecclesias, antequam vacent, alicui

Decretum Pontificis.

(1) Edidit Rymer, Archiv. Anglic., tom. I, pag. 93.

promittere praesumatis, vel de ipsis aliquem investire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae consuetae.

Datum Laterani quinto kalendas maii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 27 aprilis anno Domini 1195, pontif. anno VI.

XXIII.

Prior et fratres Sanctae Mariae de Rheno in monasterio Sanctae Praxedis de Urbe degentes ob inobservationem regulae et inobedientiam eadem Ecclesia privantur (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Incuria dd. fratrum in Ecclesiae huius administratione: — Eisdem subtrahitur, — Et cardinali titulari conceditur. — Clausulae poenales consuetae.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Sifredo tituli Sanctae Praxedis presbytero cardinali, salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium

Cum ex iniuncto, quod licet indigni gerimus, apostolatus officio nobis immineat omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerere, ad eas tenemur oculos specialiter paternae provisionis extendere, quae in urbe positae ad nos spectare noscuntur, et ad nullum alium, sicut condecet, habentes respectum providentiae nostrae, et curam speciali quadam praerogativa expectaverunt, et expectant favorabilis subventionis auxilium. Cum igitur Ecclesia Beatae Praxedis priori et fratribus Sanctae Mariae de Rheno per bonae memoriae Anastasium antecessorem no-

(1) Ex Archiv. Vatic

strum olim ordinanda et disponenda commissa fuisset, ut ordo canonicus per eos in ea perpetuis temporibus servaretur illaesus, deficiente tandem in ipsa religionis vigore, et per iniuriam fratrum, qui in eadem deservierant, usurariis debitis enormiter excrescentibus, instantius a nobis, et saepius postulasti, ut reparationi eiusdem Ecclesiae paterna sollicitudine deberemus intendere, et providere cautius, ne ad extremam exinanitionem deducta cogeretur omnimodis expirare. Tuis igitur instantissimis postulationibus prout debuimus annuentes, per fratres nostros ad Ecclesiam supradictam descendimus, et contra nimium defectum, quo laborare dicebatur, reparationem necessariam cognoscentes, praedictos priorem et fratres Sanctae Mariae de Rheno per litteras nostras commonuimus, ut accederent ad praesentiam nostram, de his quae praediximus responsuri. Quia igitur per annum circiter expectati in his, quae per suos enormiter acta fuerant, nullum curaverunt emendationis remedium adhibere. Nos sicut nec debuimus nolentes, ut saepedicta Ecclesia tam in spiritualibus, quam in temporalibus prorsus extenuata deficeret, ipsam de communi consilio omnium fratrum nostrorum ab omni cura, ordinatione, subiectione et obedientia saepedictorum fratrum, et Ecclesiae Sanctae Mariae de Rheno subtraximus tam privilegia quam scripta, omniaque de ipsa Ecclesia Sanctae Praxedis eisdem ab Ecclesia Romana indulta fuerant, ut omnem ordinationem, quam in ea fecerant, decernentes imposterum viribus omnino carere, ipsam tibi et successoribus tuis disponendi et ordinandi tam in spiritualibus quam in temporalibus liberam concedimus auctoritate apostolica facultatem. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Incuria dd. fratrum in Ecclesiae huius administratione.

Eisdem subtrahitur,

Et cardinali titulari conceditur

Clausulae

Datum Laterani secundo kalendas martii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 28 februarii anno Domini 1196, pontif. anno VI.

XXIV.

Approbatio congregationis monachorum Montis Virginis, ordinis Sancti Benedicti.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Monasterium Montis Virginis sub protectione recipit apostolica. — 2. Ordinem ibi observari mandat. — 3. Bona omnia ei confirmat: — 4. Nonnullaque enumerat; — Cum iuribus in possessionibus et hominibus; — In tenimentis, castris, civitatibus, ecclesiis, *etc.* — 5. Exemptiones nonnullas et privilegia elargitur. — 8. Interdicti tempore officia, submissa voce, celebrare; — 9. Ordinationes clericorum *etc.* a quacumque episcopo accipere concedit. — 10. Liberam decernit sepulturam. — 11. De abbatis electione. — 12. Decretum immunitatis, — Cum clausulis poenalibus pro temeratoribus; — Concessa observantibus benedictione. — Coelestini PP., et S. R. Eccl. card. subscriptiones.

Coelestinus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Gabrieli abbati monasterii Sanctae Mariae Montis Virginis, eiusque monachis tam praesentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse praesidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur (quod absit) sacrae religionis infringat.

Exordium.

§ 1. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuentes, praefatum monasterium Sanctae Dei Genitricis et Virginis Mariae de Monte Virgine, in quo divino

Monasterium Montis Virginis sub protectione recipit apostolica.

estis mancipati obsequio, ad exemplar praedecessorum nostrorum fel. record. Alexandri III et Lucii III Romanorum Pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Ordinem ibi observari mandat.

§ 2. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et B. Benedicti regulam, in eodem monâsterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Bona omnia ei confirmat:

§ 3. Praeterea quascumqne possessiônes, quaecumque bona idem monasterium in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis.

Nonnullaque enumerat;

§ 4. Locum ipsum, in quo praefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Iuliani, cum hospitali in territorio Avellini, et in eodem territorio terras, vineas, castaneta et hortos. In territorio castri Submontis, terras, vineas et castaneta. Castrum Mercuriani cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesias S. Nicolai et S. Basilii, ecclesiam Sanctae Margaritae tam in oblationibus, quam in possessionibus. In tenimento Avellini ecclesias Sancti Marci et Sancti Damiani. Quicquid iuris habetis in ecclesia Sancti Nicolai, et homines, et possessiones quas ibi habetis in eodem tenimento, possessiones, quas habetis in Monte Forti. In tenimento Atripaldae ecclesiam Sanctae Mariae de Agello, et alias pessessiones, quas ibidem habetis, homines et alias possessiones, quas habetis in Candida. Possessiones quas habetis in Crypta. In territorio Cicalae ecclesiam Sanctae Mariae de Plesco, et homines et possessiones quas ibi habetis. Homines et possessiones quas habetis in Casali Baiani. In tenimento Palmae, ecclesiam Sanctae Crucis, et homines, molendinum et alias possessiones quas ibi habetis. In tenimento Sancti Severini, ecclesiam S. Andreæ, homines, molendinum et alias possessiones, quas ibidem habetis. Homines et possessiones, quas habetis in tenimento Montorii. Domos et possessiones, quas habetis in Salerno. Possessiones, quas habetis in tenimento Aversae, et in casale Casecimiani. Possessiones, quas habetis in tenimento Theani. Possessiones, quas habetis in tenimento Capuae. Possessiones quas habetis in tenimento Montis Fusculi. Ecclesiam S. Ioannis, ecclesiam Sanctae Mariae, et ecclesiam S. Bartholomaei cum hominibus et possessionibus quas ibidem habetis. Homines, molendinum et alias possessiones quas habetis in tenimento Tuphi. Possessiones quas habetis in tenimento Argentii. Possessiones quas habetis in Limatula. Homines et possessiones quas habetis in tenimento Parolisii. Homines, domos et possessiones quas habetis in castro Cervinariae. In Beneventana civitate ecclesiam Beatorum Apostolorum Philippi et Iacobi, domos, vineas et alia tenimenta quae ibidem habetis. Ecclesiam Sanctae Mariae de Petra Pollicina cum hominibus, et possessionibus, et pertinentiis suis, et alia tenimenta, quae ibidem habetis. Ecclesiam S. Petri a Palmaria cum pertinentiis suis, et alia tenimenta, quae ibidem habetis. In tenimento Lapisii ecclesiam S. Marthae, et homines, et possessiones quas ibidem habetis. In tenimento Tautasis molendinum et alias possessiones. In tenimento Frequenti, ecclesiam S. Nicolai, et homines, et possessiones, quas ibidem habetis. In tenimento Vici, ecclesiam S. Ioannis: homines, molendinum et balcatoria, et alias possessiones. In tenimento Bisacciae ecclesiam S. Petri et alias possessiones. In tenimento Asculano, ecclesiam S. Petri et alias possessiones. In tenimento Amandi, ecclesiam Sanctae Mariae, et ecclesiam S. Marci,

Cum iuribus in possessionibus et hominibus;

In tenimentis, castris, civitatibus, ecclesiis, etc.

et alias possessiones, domos videlicet et vineas. In Maula Dentericii, ecclesiam Sanctae Mariae, et alias possessiones. In Castello Magno ecclesiam S. Christofori, et alias possessiones, homines, molendinum, et alias possessiones quas habetis in tenimento Montellae, et in civitate Troiana, domum, vineas et terras in loco, qui dicitur Sclavi. Ecclesiam Sancti Mauri, cum possessionibus, quas ibidem habetis. In tenimento Celentiae ecclesiam Sancti Spiritus, cum omnibus pertinentiis suis. In tenimento Massae ecclesiam S. Honuphrii, cum molendinis, vineis et aliis possessionibus et cum omnibus pertinentiis. In tenimento Corneti ecclesiam S. Heliae, domos, vineas, et alias possessiones quas ibidem habetis. Possessiones, quas habetis in tenimento Dianae. In tenimento Turbiae ecclesias Sanctae Margaritae et Sanctae Mariae de Olivis, molendinum, vineas, et alias possessiones, quas ibi habetis. In tenimento Sancti Clerici ecclesiam Sanctae Mariae de Angelis, homines, vineas, et alias possessiones. Ecclesiam Sanctae Mariae de Fontibus, vineas et alias possessiones, quas ibidem habetis. In tenimento Albani, et Tricarici, ecclesiam S. Leonis, Christophori, atque Iconii, domos, vineas et possessiones. Ecclesiam S. Helenae, cum vineis et aliis possessionibus. Ecclesiam Sancti Martini cum possessionibus suis. In castro S. Agathae de Apulia domos, molendinum, olivetum, vineas et alias possessiones, quas ibidem habetis. In castro Cryptae domos et alias possessiones. In civitate Ariani domos, vineas et alias possessiones. Ecclesiam S. Sylvestri, in tenimento Frequenti. In tenimento Rocchae Sancti Felicis ecclesiam S. Caesarii, et ecclesiam Sancti Nicolai, et homines, et possessiones, quas ibidem habetis.

Exemptiones nonnullas et privilegia elargitur.

§ 5. Sane novalium vestrorum, quae propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere aut extorquere praesumat.

§ 6. Liceat quoque vobis clericos vel laicos, liberos et absolutos e saeculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere.

§ 7. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem, fas sit absque sui abbatis licentia de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere.

Interdicti tempore officia submissa voce celebrare.

§ 8. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare.

Ordinationes clericorum etc., a quacumque episcopo accipere concedit.

§ 9. Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, et alia ecclesiastica sacramenta a dioecesano suscipietis, siquidem catholicus fuerit, et gratiam atque communionem Apostolicae Sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate qualibet exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatis impendat.

Liberam decernit sepulturam.

§ 10. Libertatem quoque, quam in donatione Ecclesiarum vestrarum, et receptionem mortuorum ad sepulturam bonae memoriae Ioannes Avellinensis episcopus cum suorum clericorum assensu rationali dispositione concessit, nos etiam auctoritate apostolica confirmamus, et firmam in posterum decernimus permanere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salva videlicet iustitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

De abbatis electione.

§ 11. Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia ponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars maioris et sanioris consilii, secundum Dei timorem, et B. Benedicti regulam providerint eligendum.

Decretum immunitatis,

§ 12. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare, vel possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate, et dioecesani eius, in quo fueritis, iustitia. Si qua ergo in futurum ecclesiastica, saecularisve persona, hanc temere constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisq. sui omni tempore careat; reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Cum clausulis poenalibus pro temeratoribus;

Concessa observantibus benedictione.

Perfice gressus meos in semitis tuis.

Coelestini PP.

Ego Coelestinus Catholicae Ecclesiae episcopus.

et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Ego Octavianus Hostiensis et Vellitrensis episcopus.

Ego Petrus Portuen. et S. Ruffinae episcopus.

Ego Petrus S. Caeciliae presb. card.

Ego Io tit. S. Clementis card Viterbien. et Tusc. episc.

Ego Guido Sanctae Mariae Transtyberim tit. S. Calisti presbyter cardinalis.

Ego Chrant. tit. S. Laurentii in Lucina presb. card.

Ego Io. tit. S. Priscae presb. card.

Ego Gratianus presb. card.

Ego Gregorius presb. card.

Ego Nicolaus presb. card.

Ego Berardinus presb. card.

Ego Lotharius presb. card.

Ego Gregorius presb. card.

Datum Lateran., per manum Centii S. Luciae in Orthea diac. card., domini Papae camerarii, II non. novemb., indictione tertia, incarnationis dominicae anno 1197, pontificatus domini Coelestini anno VII.

Dat. die 4 novembris anno Domini 1197, pontif. anno VII.

XXV.

Ad decanum Rothomagensem super nonnullis iuris articulis (1).

SUMMARIUM

De remedio appellationis. — An appellatio teneat si in pluribus articulis sit appellatum, in quorum uno contigerit appellationem vetari. — De iudice suspecto. — Quid de cella dicendum quae a subiectione eximi voluit. — Responsio quaesito. — De iudicibus delegatis. — Si omnes interesse nequiverit, duo exequantur mandatum. — Quid agendum cum actor vinculo excommunicationis obstrictus sit. — Sextam hanc quaestionem solvit Pontifex. — An teneatur respondere super causa eadem pro qua fuerit excommunicatus.

(Prudentiam..... *et infra*)

Sane consuluisti nos utrum cum causa appellatione remota committitur, et reus coram eodem iudice actorem convenerit, et actor super conventione appellationis obstaculum interponit; an sit huiusmodi appellationi deferendum? Nos vero ita sentimus quod cum actoris et rei eadem

De remedio appellationis

(1) Ex Concil., tom. XIII, col. 715.

sit conditio, et uno eodemque iure circa appellationis remedium debeat uterque censeri, sicut desiderat actor, ut sibi iuxta mandatoris rescriptum iustitia fiat appellatione remota: eodem modo reconvenienti debet in sua iustitia respondere.

An appellatio teneat si in pluribus articulis sit appellatum, in quorum uno contigerit appellationem vetari

Secundo requiris, cum pluribus articulis in una commissione positis, in uno tantum contingit appellationem expresse vetari; utrum appellatio teneat, si super aliis sit appellatum? in quo tibi respondemus, quod cum secundum beatum Gregorium verba intentioni deserviant, et haec sit nostra intentio, ut de omnibus articulis, qui in commissione ponuntur, iustitia suum consequatur effectum; in omnibus appellatio intelligitur interdicta. Nihil enim interest utrum inhibeatur primo, an secundo, an medio, an in fine, cum, sicut utriusque iuris argumenta docent, ea quae in principio ad medium, et ad finem, illa vero quae in medio ad finem, atque principium saepe referri contingat.

De iudice suspecto

Tertio postulas edoceri, cum aliquis iudicem tanquam suspectum recusat; an causam suspicionis debeat allegare, et eam, nisi manifesta sit, coram eodem iudice probare teneatur. Utrum etiam iudex possit in eodem iudicio et negotio procedere, si ille qui suspicionem obiicit, causam eius aut non velit, vel non possit in iure probare. Consultationi tuae taliter respondemus, quod cum aliquis proponit iudicem se habere suspectum, suspicionis causam coram eodem allegare tenetur: sed partes, ut in aliquos non valde remotos conveniant, per eundem iudicem debent cogi: coram quibus si causa suspicionis intra terminum competentem probata non fuerit, tum demum auctoritate sua iudex utetur. Quod si coram ipsis causa suspicionis probata fuerit: causae cognitioni supersedere tenebitur recusatus: ipsa namque ratio dictat, quia suspecti et inimici iudices esse non debent.

Quid de cella dicendum quae a subiectione eximi voluit.

Praeterea quarto loco quaestio talis accessit, quod quaedam cella eximi voluit a subiectione, qua matrici domui tenebatur, *et infra*. Fratres illius cellae se confitentes in iure illi domui quondam fuisse subiectos, referebant subiectionem olim de hac subiectione fuisse motam, et transactione sopitam eatenus, ut quemdam annuum censum Ecclesiae matrici reddentes essent a subiectione principalis domus exempti. Caeterum exadverso prior maioris domus duo pariter allegabat; unum scilicet quod ex quo confessi fuerant se dudum illi domui fuisse subiectos, et non ante transactionem esse exemptos, constabat eos fuisse rebelles, eo ipso quod ante transactionem et exceptionem se commendabant, vel contendebant ab eiusdem iurisdictione esse subtractos, nec transactio subsequens eos poterat a tanto crimine inobedientiae relaxare. Prior consequenter pro maiori Ecclesia proponebat, quod de spirituali subiectione transigere non liceret.

Responsio quaesito

Respondemus igitur, quod ex praedicta fratrum confessione, contra eos sententia procedere debeat, praesertim cum illa transactio, licet nobis de illo, quod cella determinate reddere tenebatur, constare nequiverit, iniquitatem simoniacam continuisse putetur.

De iudicibus delegatis

Quinto loco supplicas informari, utrum cum tribus causa committitur, ita quod si omnes interesse nequiverint, duo nihilominus eam exequantur: si reus a duobus tantum fuerit convocatus, venire necessario teneatur. Et si citatus a pluribus coram duobus comparuerit, tertio nec veniente per se, vel per literas, ut fieri solet, excusante an duo praesentes in causa possint procedere, et eam sententiae calculo terminare? In hoc casu taliter respondemus, quod cum aliquis delegatorum iudicum per certum nuncium, vel excusatorem literatorie destinatum non ostenderit se interesse non posse, vel alias de eodem canonice constare non poterit: residui procedere ad causae cognitionem non debent. Quod si

processerint, nihil reputabuntur egisse. Illa quippe fuit antiqua Apostolicae Sedis provisio, ut huiusmodi causarum recognitiones duobus, quam uni, tribus, quam duobus libentius delegaret, cum sicut canones attestantur integrum sit iudicium quod plurimorum sententiis confirmatur.

Si omnes interesse nequiverit, duo exequantur mandatum.

Adiicimus etiam quod ubi fuerit in commissione appositum (ut si omnes interesse nequiverint, duo eam nihilominus exequantur). Si aliquis ex ipsis, cum possit, noluerit interesse, duo nihilominus in causa procedant, licet ille tertius gravissime sit arguendus pro eo, quod mandatum apostolicum exequi subterfugiat aut contemnat. Idem quoque per omnia ducimus observandum in causa quae committitur duobus, eo apposito, et si ambo adesse nequiverint, alter nihilominus exequatur.

Quid agendum cum actor vinculo excommunicationis obstrictus sit

Sexta nobis proposita ex parte tua quaestio continebat, quod cum aliquibus iudicibus causa committitur, et quandoque contigit quod reus actori obiicit, quod stare non potest in iudicio, utpote vinculo excommunicationis adstrictus. Si reus non velit statim eum probare excommunicatum, sive non possit, an actor nihilominus audiri debeat, donec super eo quod obiicitur rei veritas fieri patefacta.

Sextam hanc quaestionem solvit Pontifex.

Hanc dubitationem taliter removemus, quod si ille qui tale quid statim, vel infra terminum competentem non probaverit legitime quod intendit, actor permitti debet, ut sine offendiculo quolibet audiatur. Caeterum si vel ex confessione actoris, vel alio quolibet modo, legitime constiterit esse actorem vinculo excommunicationis adstrictum, a iudicibus delegatis secundum formam Ecclesiae valet absolvi: itaut si propter aliam iustam causam et evidentem ab ordinario iudice, vel delegato excommunicatus fuerit, ad excommunicatorem debet absolvendus remitti: qui si malitiose adhibuerit, delegati iudices id ritu ecclesiastico libere exequantur; dummodo non sit tale genus excommunicationis illius, cuius absolutio Sedi Apostolicae reservetur. Explorati si quidem iuris existit, ut delegatis iudicibus, quibus principale committitur, et accessorium committatur.

An teneatur respondere super causa eadem pro qua fuerit excommunicatus.

Si vero ab his fuerit praestitum iuramentum quod stabit mandato Ecclesiae, absolutus rursus interrogas, an coram eisdem delegatis, vel ordinario a quo excommunicatus extitit, teneatur super eadem causa, pro qua excommunicatus fuerat, respondere, et quorum debeat iudicio, vel mandato stare? In quo casu taliter respondemus, quod coram ipsis excommunicatoribus super illa causa pro qua fuerat excommunicatus stare debet, et eorum servare mandatum, nisi specialiter fuerit illud aliis iudicibus a Sede Apostolica delegatum. Quod si excommunicatores malitiose distulerint: tunc delegati eamdem iurisdictionem quam in principali, et in accessorio exercebunt.

INNOCENTIUS III

PAPA CLXXVI

Anno aerae Christi comm. MCXCVIII.

Innocentius III antea Lotharius, Trasimundi filius, natione Italus, patria Anagninus, ex nobili comitum Signiae genere ortus, antea diaconus cardinalis Ss. Sergii et Bacchi, electus est Romanus Pontifex die 8 (1) ianuarii anno 1198. Dilata est (2) eius ordinatio in presbyterum usque ad sabbatum Quatuor Temporum, nono kalendas martii, et sequenti dominica (die scilicet 22 februarii) fuit apud Sanctum Petrum in episcopum consecratus, et in eiusdem apostoli cathedra constitutus.

(1) Hanc suae electioni diem assignat Innocentius in epistola, quam scripsit de legitima sui electione a nobis inferius referenda: data est enim *Laterani*, v *idus ianuarii*. (2) Sic legitur in Actis vitae Innocentii a Francisco Bosqueto, ex vetere Collegii Fuxensis ms. editis, et quorum exemplar asservatur Romae in Bibliotheca Vallicelliana.

Sedit in pontificatu annos XVIII, menses VI, dies IX (1), temporibus Alexii Angeli, Balduini et Henrici Orientis, Othonis in Occidente imperatorum. Obiit siquidem Perusii die 16 iulii anni 1216, ibique sepultus est in ecclesia cathedrali Sancti Laurentii. Vacavit sedes per diem (2).

I.

De legitima sui electione, quae ut fausta, reipublicaeque salutaris existat, omnes Deum orare iubet (3).

SUMMARIUM

Procemium. — Quae obitum Coelestini PP. sequuta sunt usque ad novi Pontificis electionem. — Haec favore Innocentii facta est, qui licet dignitatem amplissimam recusaret; — Tamen acquiescens voluntati fratrum, et fultus Dei adiutorio, papatum accipit. — Hortatur ut omnes pro eo in Ecclesiae universalis gubernatione orent Dominum.

Innocentius episcopus servus servorum Dei.

Procemium. Ineffabilis sapientia Conditoris sic omnia, quae alto consilio simul ab aeterno praevidit, per labentium temporum vices mirabili quadam dispositione dispensat, ut nec error in ordine, nec in opere fit defectus: cum divina Scriptura testante cuncta fecerit in numero, pondere, et mensura. Licet ergo nihil in terra sine certa causa, propriaque ratione disponat, imperfectum tamen conditionis humanae non solum in causis operum deficit perscrutandis, verum etiam in ipsis causarum operibus vix sufficit admirari. Quod utique considerans Apostolus exclamabat: O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius (1). Quamvis enim universae viae Domini misericordia et veritas, et omnia opera eius iudicia sunt, testante Propheta (2); usque adeo tamen successus hominum, humiliationem et exaltationem eorum dextera Domini, licet iusta, occulta tamen ratione procurat, ut causa nobis non modici stuporis existat, quod in regimine potestatis iuniores quandoque senioribus anteponit. Ut iuxta Prophetam, filii nascantur pro patribus, qui super omnem terram principes constituti, dominici nominis recordentur: sicut de nobis ipsis a Domino factum est, et est mirabile in oculis nostris. Sane fel. mem. Coelestino patre ac praedecessore nostro, VI idus ianuarii, viam universae carnis ingresso, et in Lateran. basilica (sicut moris est) honorifice tumulato, fratres nostri, videlicet episcopi, presbyteri et diaconi cardinales, et nos ipsi cum eis simul in unum secessimus, ut tanto licentius et tutius de substitutione Pontificis tractaremus, quanto tractatus ipse maiorem deliberandi copiam, et amplioris circumspectionis consilium requirebat. Cumque missarum solemnibus in honorem Sancti Spiritus celebratis requisitae fuissent omnium voluntates, ad insufficientiam nostram oculos extenderunt: humano forsan aestimantes arbitrio, in sacculo Beniamin scyphum argenteum invenire. Licet plures ex ipsis aetatis, ordinis et meriti ratione potuissent ad tantae dignitatis apicem dignius evocari. Cuius siquidem dignitatis onus cum insufficientia nostra penitus recusaret, utpote nostris debilibus humeris importabile, sub illius tamen confidentia et exemplo, qui infirmitatem beati Petri trina prius negatione probatam, post trinae confessionis vocem in gubernatione suarum ovium confirmavit. Quod personae nostrae multiplex imperfectio denegabat, in ipsius contulimus voluntatem, fratrum nostrorum ac-

Quae obitum Coelestini PP. sequuta sunt usque ad novi Pontificis electionem.

Haec favore Innocentii facta est, qui licet dignitatem amplissimam recusaret;

Tamen acquiescens voluntati fratrum, et

(1) A die electionis, non consecrationis deducendos. (2) Exclusis extremis. Honorius siquidem successor electus est die 18 iulii anni 1216, ut infra dicemus. (3) Ex Raynaldi Annal. etc., Baluz., Epist. Innoc. III, lib. I, epist. I.

(1) Rom. XI, 33. (2) Psalm. XXIV, 10.

processerint, nihil reputabuntur egisse. Illa quippe fuit antiqua Apostolicae Sedis provisio, ut huiusmodi causarum recognitiones duobus, quam uni, tribus, quam duobus libentius delegaret, cum sicut canones attestantur integrum sit iudicium quod plurimorum sententiis confirmatur.

Si omnes interesse nequiverit, duo exequantur mandatum.

Adiicimus etiam quod ubi fuerit in commissione appositum (ut si omnes interesse nequiverint, duo eam nihilominus exequantur). Si aliquis ex ipsis, cum possit, noluerit interesse, duo nihilominus in causa procedant, licet ille tertius gravissime sit arguendus pro eo, quod mandatum apostolicum exequi subterfugiat aut contemnat. Idem quoque per omnia ducimus observandum in causa quae committitur duobus, eo apposito, et si ambo adesse nequiverint, alter nihilominus exequatur.

Quid agendum cum actor vinculo excommunicationis obstrictus sit

Sexta nobis proposita ex parte tua quaestio continebat, quod cum aliquibus iudicibus causa committitur, et quandoque contigit quod reus actori obiicit, quod stare non potest in iudicio, utpote vinculo excommunicationis adstrictus. Si reus non velit statim eum probare excommunicatum, sive non possit, an actor nihilominus audiri debeat, donec super eo quod obiicitur rei veritas fieri patefacta.

Sextam hanc quaestionem solvit Pontifex.

Hanc dubitationem taliter removemus, quod si ille qui tale quid statim, vel infra terminum competentem non probaverit legitime quod intendit, actor permitti debet, ut sine offendiculo quolibet audiatur. Caeterum si vel ex confessione actoris, vel alio quolibet modo, legitime constiterit esse actorem vinculo excommunicationis adstrictum, a iudicibus delegatis secundum formam Ecclesiae valet absolvi: itaut si propter aliam iustam causam et evidentem ab ordinario iudice, vel delegato excommunicatus fuerit, ad excommunicatorem debet absolvendus remitti: qui si malitiose adhibuerit, delegati iudices id ritu ecclesiastico libere exequantur; dummodo non sit tale genus excommunicationis illius, cuius absolutio Sedi Apostolicae reservetur. Explorati si quidem iuris existit, ut delegatis iudicibus, quibus principale committitur, et accessorium committatur.

An teneatur respondere super causa eadem pro qua fuerit excommunicatus.

Si vero ab his fuerit praestitum iuramentum quod stabit mandato Ecclesiae, absolutus rursus interrogas, an coram eisdem delegatis, vel ordinario a quo excommunicatus extitit, teneatur super eadem causa, pro qua excommunicatus fuerat, respondere, et quorum debeat iudicio, vel mandato stare? In quo casu taliter respondemus, quod coram ipsis excommunicatoribus super illa causa pro qua fuerat excommunicatus stare debet, et eorum servare mandatum, nisi specialiter fuerit illud aliis iudicibus a Sede Apostolica delegatum. Quod si excommunicatores malitiose distulerint: tunc delegati eamdem iurisdictionem quam in principali, et in accessorio exercebunt.

INNOCENTIUS III

PAPA CLXXVI

Anno aerae Christi comm. MCXCVIII.

Innocentius III antea Lotharius, Trasimundi filius, natione Italus, patria Anagninus, ex nobili comitum Signiae genere ortus, antea diaconus cardinalis Ss. Sergii et Bacchi, electus est Romanus Pontifex die 8 (1) ianuarii anno 1198. Dilata est (2) eius ordinatio in presbyterum usque ad sabbatum Quatuor Temporum, nono kalendas martii, et sequenti dominica (die scilicet 22 februarii) fuit apud Sanctum Petrum in episcopum consecratus, et in eiusdem apostoli cathedra constitutus.

(1) Hanc suae electioni diem assignat Innocentius in epistola, quam scripsit de legitima sui electione a nobis inferius referenda: data est enim *Laterani*, v *idus ianuarii*. (2) Sic legitur in Actis vitae Innocentii a Francisco Bosqueto, ex vetere Collegii Fuxensis ms. editis, et quorum exemplar asservatur Roma in Bibliotheca Vallicelliana.

Sedit in pontificatu annos XVIII, menses VI, dies IX (1), temporibus Alexii Angeli, Balduini et Henrici Orientis, Othonis in Occidente imperatorum. Obiit siquidem Perusii die 16 iulii anni 1216, ibique sepultus est in ecclesia cathedrali Sancti Laurentii. Vacavit sedes per diem (2).

I.

De legitima sui electione, quae ut fausta, reipublicaeque salutaris existat, omnes Deum orare iubet (3).

SUMMARIUM

Prooemium. — Quae obitum Coelestini PP. sequuta sunt usque ad novi Pontificis electionem. — Haec favore Innocentii facta est, qui licet dignitatem amplissimam recusaret; — Tamen acquiescens voluntati fratrum, et fultus Dei adiutorio, papatum accipit. — Hortatur ut omnes pro eo in Ecclesiae universalis gubernatione orent Dominum.

Innocentius episcopus servus servorum Dei.

Prooemium. Ineffabilis sapientia Conditoris sic omnia, quae alto consilio simul ab aeterno praevidit, per labentium temporum vices mirabili quadam dispositione dispensat, ut nec error in ordine, nec in opere fit defectus: cum divina Scriptura testante cuncta fecerit in numero, pondere, et mensura. Licet ergo nihil in terra sine certa causa, propriaque ratione disponat, imperfectum tamen conditionis humanae non solum in causis operum deficit perscrutandis, verum etiam in ipsis causarum operibus vix sufficit admirari. Quod utique considerans Apostolus exclamabat: O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius (1). Quamvis enim universae viae Domini misericordia et veritas, et omnia opera eius iudicia sunt, testante Propheta (2); usque adeo tamen successus hominum, humiliationem et exaltationem eorum dextera Domini, licet iusta, occulta tamen ratione procurat, ut causa nobis non modici stuporis existat, quod in regimine potestatis iuniores quandoque senioribus anteponit. Ut iuxta Prophetam, filii nascantur pro patribus, qui super omnem terram principes constituti, dominici nominis recordentur: sicut de nobis ipsis a Domino factum est, et est mirabile in oculis nostris. Sane fel. mem. Coelestino patre ac praedecessore nostro, VI idus ianuarii, viam universae carnis ingresso, et in Lateran. basilica (sicut moris est) honorifice tumulato, fratres nostri, videlicet episcopi, presbyteri et diaconi cardinales, et nos ipsi cum eis simul in unum secessimus, ut tanto licentius et tutius de substitutione Pontificis tractaremus, quanto tractatus ipse maiorem deliberandi copiam, et amplioris circumspectionis consilium requirebat. Cumque missarum solemnibus in honorem Sancti Spiritus celebratis requisitae fuissent omnium voluntates, ad insufficientiam nostram oculos extenderunt: humano forsan aestimantes arbitrio, in sacculo Beniamin scyphum argenteum invenire. Licet plures ex ipsis aetatis, ordinis et meriti ratione potuissent ad tantae dignitatis apicem dignius evocari. Cuius siquidem dignitatis onus cum insufficientia nostra penitus recusaret, utpote nostris debilibus humeris importabile, sub illius tamen confidentia et exemplo, qui infirmitatem beati Petri trina prius negatione probatam, post trinae confessionis vocem in gubernatione suarum ovium confirmavit. Quod personae nostrae multiplex imperfectio denegabat, in ipsius contulimus voluntatem, fratrum nostrorum ac-

Quae obitum Coelestini PP. sequuta sunt usque ad novi Pontificis electionem.

Haec favore Innocentii facta est, qui licet dignitatem amplissimam recusaret;

Tamen acquiescens voluntati fratrum, et

(1) A die electionis, non consecrationis deducendos. (2) Exclusis extremis. Honorius siquidem successor electus est die 18 iulii anni 1216, ut infra dicemus. (3) Ex Raynaldi Annal. etc., Baluz., Epist. Innoc. III, lib. I, epist. I.

(1) Rom. XI, 33. (2) Psalm. XXIV, 10.

fultus Dei adiutorio, papatum accipit.

quiescentes instantiae: ne reluctatio diuturna dissidii pareret detrimentum, aut dispositioni divinae videretur aliquatenus obviare: sperantes quod ille, qui dat omnibus affluenter, et non improperat: qui novissimum fratrem virum utique secundum cor suum in regem de postfoetantes assumpsit, de lapidibus suscitabit filium Abraae, vocans ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt: ut infirma eligens fortia quaeque confundat. Nos igitur ecclesiasticae provisionis solicitudinem assumentes, et non modicum confidentes de vobis, quos nobis Dominus ad tantae difficultatis onus levius perferendum solicitudinis nostrae voluit esse participes: universitatem vestram rogamus, monemus, et exhortamur in Domino, quatenus insufficientiam nostram vestris orationibus apud Dominum adiuvetis: et circa commissam nobis dominici gregis custodiam diligenter et utiliter vigilantes, defectum nostrum humiliter supplere velitis, et iniunctam nobis ecclesiastici oneris gravitatem vigilanti studio comportare. Nos enim vos tamquam principalia membra Ecclesiae honorare intendimus, et in necessitatibus vestris (quantum Dominus permiserit) adiuvare.

Hortatur ut omnes pro eo in Ecclesiae universalis gubernatione orent Dominum.

Datum Lateran. quinto id. ianuarii.

Dat. die 9 ianuarii 1198, pontif. anno I.

II.

Confirmat sententiam per legatos Apostolicae Sedis latam contra Marcovaldum libertatis ecclesiasticae violatorem, et patrimonii Ecclesiae invasorem (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Longanimitas erga Marcovaldum adhibita. — In contumacia persistens a legatis Sedis Apost. excommunicatur. — Sentenlia ab Innocent. confirmatur. — Fautorum poenae.

(1) Ex Baluz., loc. cit., epist. 38.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis episcopis per Marchiam constitutis.

Exordium

Et zizania non avellere ante messem, evangelica doctrina praecipimur (1): et malos usque ad sententiam tolerare, canonica institutione monemur: verum et zizania in manipulos colligata comburere debemus post messem, et iniquos post sententiam evitare. Hoc siquidem attendentes, licet Marcovaldus multa contra libertatem ecclesiasticam, et Ecclesiae patrimonium praesumpsisset, eum tamen excommunicare distulimus, ne si admonitio non praecederet ad proferendam sententiam, non zelo rectitudinis, sed ex odio moveri potius videremur. Caeterum cum dilecti filii nostri C. tituli Sancti Laurentii in Lucina, et I. tituli Sanctae Priscae presbyteri card., Apostolicae Sedis legati, de mandato nostro Marchiam fuissent ingressi, et dictum Marcovaldum per suas literas attentius monuissent, ut ab ecclesiarum incendio, villarum et castrorum devastatione, quae in eorum oculis perpetrabat, desisteret, et exercitum dimitteret; cuius occasione tota fere Marchia vastabatur: nec ipse eorundem legatorum monitis paruisset, in eum propter contumaciam excommunicationis sententiam protulerunt. Nos igitur, quod ab eisdem card. factum est, ratum habentes, ac volentes inviolabiliter observari, praesertim cum plura subsint, quare fuerit excommunicationis sententia feriendus, utpote qui fidem Ecclesiae multoties praestitam violavit, qui patrimonium Ecclesiae invadere ac detinere praesumpsit, et illud saepe commonitus, restituere non curavit: fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus tam eum, quam complices eius excommunicatos publice nuncietis, et faciatis per vestras dioeceses nunciari. Nos enim praedecessorum nostrorum statuta sequentes, ac attendentes, quod magis oporteat Deo servire, quam hominibus, omnes, qui ei

Longanimitas erga Marcovaldum adhibita.

In contumacia persistens a legatis Sedis Apostolicae excommunicatur.

Sententia ab Innocent. confirmatur

(1) Matth. XIII, 29.

Marcovaldo fidelitate sunt vel sacramento astricti, apostolica auctoritate a sacramento absolvimus: et ne ipsi fidelitatem observent, modis omnibus prohibemus: cum fidelitatem, quam aliqui christiano principi iuraverunt, Deo, eiusque sanctis adversanti, et eorum praecepta calcanti, nulla mandentur auctoritate servare. Omnes autem, qui ei post denunciationem ipsam divina praesumpserunt officia celebrare, usque ad mandatum nostrum suspensionis praecipimus sententiae subiacere. Ideoque praesentium vobis auctoritate mandamus, quatenus omnes, qui ei iuramenti vel fidei tenebantur religione astricti, denuncietis et denunciari faciatis per Sedem Apostolicam absolutos.

Fautorum poenae.

III.

Confirmat regulas quasdam a canonicis Perusinis mutuo assensu factas ad quietem et communem vitam in capitulum inducendam (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Regulae Perusini capituli coram delegato apostolico compactae — Confirmantur. — Numerus capitularium, et officiorum distributio. — Archipresbyter. — Ordinarius eiusque munera. — Camerarius. — De electione archipresbyteri. — Eius muneris partes. — De novitiis. — De vestitu canonicorum. — De victu. — Aliae regulae. — De laicis servientibus. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, archipresbytero, et canonicis Perusinis.

Exordium

Ad tollendas lites illas, quas fraternum plerumque odium comitatur, per quas etiam quies, profectusque claustralium impeditur, speciali solicitudine intendere nos oportet, quanquam generaliter omnium fidelium amplecti pacem, et quaerere ex iniunctae nobis pastoralis curae officio teneamur. Ea siquidem consideratione diligenter inducti, cum ad notitiam nostram super observatione ordinis in Ecclesia vestra vobis divisis ad invicem, et propter hoc ad Sedem Apostolicam laborantibus quaestio pervenisset, dilectum filium G. Sancti Adriani diaconum cardinalem vobis designavimus auditorem. Mediante itaque ipsius vigilantia studiosa, inter vos super discordia illa per Dei gratiam amicabiliter convenistis: et certam inde constitutionem mutuo consensu formastis: quae futuris temporibus a vobis et successoribus vestris perpetuo debeat conservari. Eam autem nobis fecimus recitari, et auditam auctoritate curavimus apostolica confirmare, rationabilem ipsam, et sine pravitatis vitio cognoscentes: unde ad maius iudicium firmitatis constitutionem eandem praesenti scripto duximus inserendam. Est ergo in ipsius vestrae compositionis principio constitutum, ut in Ecclesia vestra sint octo regulares canonici et professi, duo alii clerici, qui in subdiaconatus, vel accolitatus officio tam interius, quam exterius sufficiant deservire: in quorum servitio nullus omnino laicus admittatur: praedictorum autem octo, maior archipresbyter erit, alius ordinarius, sequens camerarius fiet, ita quod archipresbyter inter omnes praelationis officium obtinebit, utpote cum sit penes eum omnis circa domum ipsam auctoritas et ipso praesente cuncta cessent officia, et per eum, cum assensu tamen omnium fratrum, vel maioris partis, cum necesse fuerit, disponatur. Ordinarius vero claustrum debet ex officio custodire, signare diligenter, et auscultare a singulis lectiones: quia nullus debet legere, nisi lectio, quae legenda est, prius ab eo fuerit auscultata: divina officia in ecclesia temperabit, et qua voce utendum sit, servato moderamine providebit: religionem faciet observari, vices archipresbyteri in ipsius absentia suppleturus: excessus quoque, si qui essent, (quod absit) in capitulo referet: et cum consilio fratrum absente archipresbytero, poeni-

Regulae Perusini capituli coram delegato apostolico compactae.

Confirmantur.

Numerus capitularium, et officiorum distributio.

Archipresbyter

Ordinarius eiusque munera

(1) Ex Baluz., loc. cit., epist. 46.

tentiam super his imponet: libros debet nihilominus custodire. Haec omnia, quae praemisimus, si utrumque istorum abesse contigerit, per tertium debet sine recusatione suppleri. Camerarius siquidem omnia debet recipere, et etiam ei convenit resignari quicquid ad manus devenerit aliorum. Ipse vero quod cuique opus erit, iuxta facultates domus provide dispensabit: mancias, et alia, quae fuerint necessario danda, intus et foris cum consilio archipresbyteri sine murmure tribuet: quo absente, recipiet hospites, et eis hilariter ministrabit. Cum autem fuerit archipresbyter eligendus, eligentur prius a capitulo tres de ipsis fratribus bonae opinionis, et vitae, quorum unus sit presbyter, alius diaconus, tertius subdiaconus, qui exquisita seorsum, et per scripturam fratrum omnium voluntate illum eligent, et in sede constituent, in quem maioris et sanioris partis vota concurrent. Quo facto eidem habenti regulam beati Augustini prae manibus, tribuent omnes obedientiae manum. Erit autem talis electus, qui vel sit sacerdos, vel possit ad sacerdotium promoveri. Ipse vero archipresbyter ordinarium et camerarium, prius tamen assensu fratrum omnium, vel sanioris partis requisito separatim, instituet: et ipse camerarius per unamquanque hebdomadam super datis et receptis reddet coram archipresbytero et fratribus in capitulo rationem. Novitios quidem ad regularis ordinis observantias aspirantes, archipresbyter cum consilio fratrum, vel sanioris partis, recipiet. Sublato vero illo, quod de professione dicitur, ad mandatum nostrum cum subintelligatur non positum, et expressum soleat vitium generale. Caeterum novitii claustrum ingressi, in ultimo chori debent per manum archipresbyteri institui, ibique debent per octo dierum numerum residere. Postmodum si sacerdos fuerit, in ultimo sacerdotum stallo: si vero diaconus, in ultimo sui ordinis ponendus erit: et ita de caeteris statuetur. Praeterea circa necessitates fratrum ita fuit de consensu mutuo dispositum et statutum, ut videlicet quisque canonicorum duas habeat interius breves camisias, et duas bracas, sine quibus nunquam iaceat, et unam exteriorem camisiam cum pellicia; quae duo usque ad talos pertingant. Cortibaldum (1) insuper, subaros (2) quoque in hyeme, setulares (3) habeant in aestate, caligas tam lineas, quam laneas, et scafones (4) similiter habeant duplicatos: cappas nigras singuli de mantellario habeant, vel nadivo (5): pelles agninas albas, duobus linteolis in lecto, et uno coopertorio sint contenti: non tamen contra ordinem erit, si archipresbyter, sicut aliis plus laborat, et plus oneris sustinet, plus consequatur honoris. Camerarius vero, qui nova dat vestimenta canonicis, vetera recipiat in traditione novorum. Sane mensura panis et vini reservanda est archipresbytero, et cap. distinguenda, scilicet archipresbyter pro duobus canonicis portionem habebit, qui etiam a camerario eleemosynam dandam recipiet, habens cum camerario ipse donandi usque ad viginti solidos facultatem. Sine assensu vero communi, vel minoris partis, praedictam ei summam excedere non licebit. Praeterea nulli clericorum licitum erit stare in refectorio, vel choro praesente conventu, nisi cappa vel toga regulariter induatur: in quibus duobus locis continuum convenit silentium conservari; ad quae loca ipsis praesentibus nulli patebit laicorum ingressus. Sine licentia quidem archipresbyteri, vel ordinarii, si praesentes fuerint, claustrum exire alicui canonico non licebit: quibus absentibus, sufficit tantum, ut ab eo, qui maior erit, licentia requiratur. Nunquam

Camerarius. — De electione archipresbyt. — Eius muneris partes — De novitiis — De vestitu canonicorum. — De victu. — Aliae regula

(1) *Cortibaldus* vel *curtibaldus*, vestis species a brevitate sic dicta. (2) Calceamenti species, *Subari* sunt, ex subere confecta. (3) *Setularis*, vel *sotularis* (uti legit Ducangius), pedulium genus, quo maxime monachi utebantur in aestate. (4) *Scafones*, eadem qua *Subari* notione, calceamenti genus. (5) *Nadivus* pannus dicitur qui in eadem provincia fit. (R. T.)

autem licebit alicui canonico scholas adire, nec in hoc excusabit eum licentia expetita, immo sequetur excommunicatio praesumentem, nec post ad locum suum vel officium admittetur, salva tamen Apostolicae Sedis auctoritate. Caeterum cum archipresbyterum, vel quemlibet de fratribus ad aliquem locum traxerint negocia certa domus, de manu camerarii expensas recipient, quarum ei residuum (si forte aliquid superfuerit) resignabunt: archiprespyter cum ad aliquem locum ire voluerit, fratris, quem elegerit, societatem habebit. De exitu fratrum a claustro, quod regula praecipit, observetur, ut videlicet ille eat, cui archipresbyter duxerit iniungendum. Dictum etiam fuit, quod quisque fratrum, et etiam camerarius faceret hebdomadam suam, nisi necessitas iusta impediat: et tunc officium suum per aliquem de fratribus exequatur. Ad haec servientes laicos, qui sunt, vel pro tempore necessarii erunt, removere, vel recipere ad officium camerarii pertinebit: quibus etiam mercedem, praemissa in omnibus auctoritate, et consilio archipresbyteri pro recepto, vel recipiendo servitio solvet: et illi devote fratribus servient, qui devotius, et cum maiori reverentia studebunt tanquam maiori et digniori archipresbytero famulari. Nulli ergo omnino hominum liceat huius paginam constitutionis et nostrae confirmationis infringere *etc., usque ad verbum* contraire: salva in omnibus Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur *etc.*

De laicis servientibus

Clausulae

Datum Laterani, nonis martii.

Datum die 7 martii 1198, pontif. anno I.

IV.

Confirmato Pisanis archiepiscopis metropolitico iure super Corsicanis Ecclesiis, eisdem concedit primatum super provincias Turritanam, Calaritanam et Arborensem.

SUMMARIUM

Exordium. — Innocentii II decretum de Corsicanis Ecclesiis. — Ab Innocentio III confirmatur. — Pisani archiepiscopi primatus super Calaritanam et Arboren. provinciis. — Item super Turritanam. — Confirmatur quoque eidem legatio Sardiniae. — Alia privilegia.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Ubaldo Pisano archiepiscopo, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Si sua cuique iura illibata servamus, et eos, qui in Ecclesia Dei pro iniuncto sibi officio et devotione sincera plus aliis elaborant, dignae retributionis vicissitudine diligentius ac specialius honoramus: quod nostrum est iuxta commune debitum (sicut debemus) exequimur, et Apostolicae Sedis honorem integre custodimus. Proinde cum felicis memoriae praedecessor noster Innocentius Papa de discordia et guerra quae inter Pisan. et Ianuen. civitates extitit, multas hominum clades et christianorum captivitates innumeras pervenisse considerans, utriusque partis saluti tam spiritualiter, quam temporaliter paterna sollicitudine studuerit providere, atque pro bono pacis et recompensatione episcopatuum, quos utique a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesiae Pisanae concessos, in insula Corsicae a praedecessore tuo bonae memoriae archiepiscopo Uberto acceptit, in Galuren. iudicatu duos episcopatus, Galtelin. videlicet, et Civitaten., et Populonien. episcopatum sibi, eiusque successoribus, et per eos Ecclesiae Pisan. concesserit, et metropolitico iure subiecerit. Nos, qui in Sedis Apostolicae administratione (licet indigni, disponente Domino) sibi successimus, eandem concessionem, antecessorum nostrorum bonae memoriae Adriani, Alexandri, Clementis, et Coelestini Papae vestigiis inhaerentes, auctoritate apostolica confirmamus, et ratam manere censemus. Paredecessorum quoque nostrorum vestigiis inhaerentes, vobis primatus honorem Turritan. provinciae confirmamus. Ad maiorem etiam honoris cumulum Pisan. civitatis, ut Pisan. Ecclesia, cum universo eiusdem ci-

Exordium.

Innocentii II decretum de Corsicanis Ecclesiis.

Ab Innocentio III confirmatur.

vitatis populo in fidelitate atque devotione sacrosanctae Romanae Ecclesiae iugiter perseveret, et in ipsa quotidie augumentetur, pro devotione quoque et honestate tua, frater Ubalde Pisan. archiepiscope, personam tuam, et per te Pisan. Ecclesiam ampliori munimine volumus decorari. Tibi ergo, tuisque successoribus primatum super Calaritan. et Arboren. provincias datum concedimus, et auctoritate Sedis Apostolicae confirmamus: ita quidem, ut eos ad concilium vocandi, excessus eorum corrigendi, et in doctrina apostolica confirmandi, atque caetera omnia, quae ad ius primatus pertinent, in eos exercendi habeatis liberam facultatem. Verumtamen supradictarum duarum provinciarum archiepiscopos ad concilium non vocabitis Pisas, sine conscientia (1) Romani Pontificis. Super Turritan. vero provinciam, dignitatem primatus, sicut a praedecessoribus nostris Ecclesiae Pisan. concessum est, habeatis: legationem quoque Sardiniae a praedecessore nostro Papa Urbano praedecessoribus tuis concessam, et felicis memoriae Innocentii, et sanctae recordationis Eugenii, atque Anastasii et Coelestini Romanorum Pontificum privilegiis in perpetuum roboratam, tibi, tuisque successoribus praesentis scripti pagina confirmamus, et confirmationem ipsam ratam et inconvulsam perpetuis temporibus decernimus permanere. Denique ut Pisan. civitas, quae favore coelestis numinis de inimicis christiani nominis victoriam frequenter obtinuit, et eorum urbes plurimas subiugavit, amplius honoretur, equo albo cum nacho albo (2) in processionibus utendi, et crucem, vexillum scilicet dominicum, per subiectas vobis provincias portandi, et per spacium illud Vulteran. episcopatus, quo de Pisan. episcopatu ad Populonen. transitur, tibi, tuisque successoribus licentiam damus. Pallii quoque usum fraternitati tuae concedimus, ut videlicet eo secundum consuetudinem Pisan. Ecclesiae perfruaris, et in consecrationibus trium episcoporum in Corsica, Alerien. videlicet, Aiacen. et Sagonen., ac praedictorum duorum in Sardinia, et Populien. episcopi, quorum metropolitanus existis. Si qua igitur in futurum *etc.*

Pisani archiepiscopi primatus super Calaritanam et Arboren. provincias.

Item super Turritanam.

Confirmatur quoque eidem legatio Sardiniae.

Alia privilegia.

(1) Forsitan *consensu*. (R. T.) (2) Vide vol. II, pag. 375.

V.

Litteras apostolicas sub dimidia datas bulla parem cum iis, quae bulla integra diriguntur, firmitatem habere, decernit (2).

SUMMARIUM

Ut Pontifex electus fuit, statim petitionibus intendere coepit. — Insolitum usum mittendi apostolicas literas sub dimidia bulla. — Adprobat, et parem firmitatem bullarum integrarum obtinere decernit.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis archiepiscopis, et episcopis, et aliis Ecclesiarum praelatis, ad quos litterae istae pervenerint.

Ne promotionis nostrae primitias Domino negaremus, cui cum universa opera nostra consecrare tenemur, statim post electionem nostram tam pauperum, quam aliorum apud Sedem Apostolicam existentium petitionibus intendere coepimus et eorum negocia promovere: ne si otio tanto tempore vacaremus, corpus et animus ex otiositate torperent. Verum quoniam insolitum fuit hactenus, ut sub dimidia bulla ad tot et tam remotas provincias litterae apostolicae mitterentur, et ex hoc litterae ipsae diutius, quam vellemus, possint ex alicuius dubitatione suspendi: ut quorum interest, parcamus laboribus, et expensis, universas litteras, quae ab electionis nostrae die, usque ad solemnitatem consecrationis sub bulla dimidia emanarunt, parem cum illis fir-

(1) Ex Baluz., loc. cit., Epist. 83.

mitatem obtinere decernimus, quae in Bulla integra diriguntur. Nulli ergo etc.

Datum Laterani, tertio nonas aprilis.

Dat. die 3 aprilis 1198, pontif. anno I.

VI.

Confirmat transactionem quamdam initam inter Rothomagensem archiepiscopum, et Ricchardum Angliae regem (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Permutatio facta. — Confirmatur. — Instrumentum permutationis. — Tenor permutationis. — In escambium Manerii concedit omnia molendina quae Rothomagi possidebat cum haec permutatio facta fuit. — Homines archiepiscopi de praedicto escambio habebunt libertates et consuetudines quas habuerunt homines de Andeli dum Manerium in manu esset archiepiscopi. — Rex, quantum in se est, iram Dei in violatores advocat. — Testium nomina. — Solitae clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Waltero Rothomagensi archiepiscopo.

Exordium. Cum emergentium litigia quaestionum vix possint sine alterutrius litigantium laesione iudicialiter diffiniri: si quando partes inter se super mota quaestione honeste conveniunt, tanto libentius compositioni eorum praesidium apostolicum impertimur, quanto per hoc neutrum laedimus, et amplius utrumque iuvamus. Intelleximus siquidem tam ex litteris tuis, quam reverendissimi in Christo filii nostri Ricchardi Angliae regis illustris, et plurium aliorum, quod super discordia, quae inter te et eumdem regem super villam Andeli cum Rupe, ac Insula mota fuerat, regia serenitas evangelicum illud attendens: Qui se humiliat, exaltabitur: et: Quanto maior es, humilia te in omnibus (2): humiliavit magnificentiam suam, et severitatem regiam passus est emolliri, ut ad honorem eius, cui servire regnare est, amicabilem tecum compositionem iniret, et in utilitatem Rothomagensis Ecclesiae molendina, quae habuit apud Rothmagum cum villis de Diepa, et Boteilles et Manerio de Lovers cum omnibus pertinentiis et libertatibus suis, et ministerio de Lovers, et foresta de Aliermont (sicut in authentico eiusdem regis confecto exinde plenius continetur) tecum perpetuo commutaret. Confirmatur. Nos igitur permutationem ipsam, sicut amicabiliter facta est, et ab utraque parte recepta, et authentico ipsius regis exprimitur, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem autem huius nostrae confirmationis evidentiam, authenticum ipsum de verbo ad verbum nostris duximus litteris exprimendum, quod tale est: Instrumentum permutationis. Ricchardus Dei gratia rex Angliae, dux Normaniae, Aquitaniae, comes Andegaviae, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, iustitiariis, senescalcis, vicecomitibus, praepositis, ministris, ballivis, et omnibus fidelibus suis salutem. Cum sacrosancta Ecclesia sponsa sit regis regum, et unica dilecta illius, per quem reges regnant, et principes gubernacula possident, tanto ampliorem ei volumus devotionem et reverentiam exhibere, quanto certius non regiam tantum, sed omnem a Domino Deo esse credimus potestatem. Unde sicut venerabilis Rothomagensis Ecclesia, quae inter universas terrarum nostrarum plurima celebritate dignoscitur enitere, pro rerum necessitate, vel temporum nostris ducit utilitatibus opportuna diligentia consulendum. Sic nos eiusdem matris nostrae commodis et augmentis digna compensatione dignum ducimus respondere. Sane villa Andeliaci, et quibusdam aliis adiacentibus locis, quae erant Rothomagensis Ecclesiae minus sufficienter firmatis, inimicis nostris in terram nostram Norman. per eadem loca patebat ingressus, per quae incendiis, et rapinis, necnon et aliis

(1) Ex Baluz., Epist. 108. (2) Luc. XIV, 11, Eccli. III, 20.

hostilitatis saevitiis in eandem terram nonnunquam licentius grassabantur. Quocirca venerabili patre Vualtero archiepiscopo et capitulo Rothomagen. debitum habentibus, ad nostra, et praedictae terrae nostrae damna respectum, facta est haec permutatio inter Ecclesiam Rothomagen. et archiepiscopum Rotho. Walterum ex una parte, et nos ex altera parte de Manerio (1), de Andeli in hac forma, scilicet, quod idem archiepiscopus de conscientia et voluntate domini Papae Coelestini III, et de assensu capituli Rothomagen. Ecclesiae, et coepiscoporum suorum, et cleri eiusdem archiepiscopatus, concessit et in perpetuum quietum clamavit nobis et haeredibus nostris praedictum Manerium de Andeli cum novo castello de Rupe, et cum foresta, et cum aliis omnibus pertinentiis et libertatibus suis, exceptis ecclesiis et praebendis et feudis militum, et excepto Manerio de Fraxinis, cum pertinentiis suis. Quae omnia idem archiepiscopus Ecclesiae Rothomagen. et sibi, et successoribus suis retinuit, cum omnibus libertatibus et consuetudinibus suis, et cum omni integritate sua in perpetuum: ita quod tam milites, quam clerici, et omnes homines tam de feudis militum, quam de praebendis, sequentur molendina de Andeli, sicut consueverunt, et debent, et molitura erit nostra: archiepiscopus autem, et homines sui de Fraxinis molent ubi idem archiepiscopus volet, et si voluerint molere apud Andeli, dabunt molituras suas, sicut alii ibidem molentes.

Tenor permutationis

In escambium autem praedicti Manerii de Andeli cum pertinentiis concessimus et in perpetuum quieta clamavimus Ecclesiae Rothomagen. et praedicto archiepiscopo et successoribus suis omnia molendina, quae nos habuimus Rothomagi quando haec permutatio integre facta fuit, cum omni sequela et molitura sua, sine aliquo retenimento eorum, quae ad molendina pertinent, vel ad molituram: et cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus, quas solent et debent habere. Nec alii licebit molendinum facere ibidem ad detrimentum praedictorum molendinorum, et debet archiepiscopus solvere eleemosynas antiquitus statutas de eisdem molendinis. Concessimus etiam eis villam de Diepa, et villam de Boteilles cum omnibus pertinentiis et libertatibus et liberis consuetudinibus suis, exceptis eleemosynis constitutis in Manerio de Diepa a nobis et antecessoribus nostris: quarum summa est trecentae et septuaginta duae librae, quae debent solvi per manum praedicti archiepiscopi et successorum suorum his, quibus assignatae sunt. Concessimus etiam eisdem Manerium de Lovers cum omnibus pertinentiis, et libertatibus, et liberis consuetudinibus suis, cum ministerio de Lovers, salvis ad opus nostrum venatione nostra, et destructione forestae: ita tamen quod non sit in reguatdo. Concessimus etiam eis totam forestam de Aliermont cum feris, et omnibus aliis pertinentiis et libertatibus suis, sicut eam habuimus. Haec autem omnia in escambium praedicti Manerii de Andeli, cum praedictis pertinentiis data, habebunt Ecclesia Rothomagen. et praedictus archiepiscopus et successores sui in perpetuum cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis, sicut praedictum est.

In escambium Manerii concedit omnia molendina quae Rothomagi possidebat cum haec permutatio facta fuit

Homines autem praedicti archiepiscopi de praedicto escambio habebunt omnes libertates et liberas consuetudines, quas habuerunt homines de Andeli dum Manerium ipsum esset in manu ipsius archiepiscopi. Haec etiam omnia, quae idem archiepiscopus in hoc escambio recepit, vuarantizabimus nos et haeredes nostri Ecclesiae Rothomagen. et praedicto archiepiscopo et successoribus suis in perpetuum contra omnes homines: ita quod si aliquis escambium aliquod est recepturus pro aliquo praedictorum, quae memoratus archiepiscopus hic recepit, nos vel haeredes nostri facie-

Homines archiepiscopi de praedicto escambio habebunt libertates et consuetudines quas habuerunt homines de Andeli dum Manerium in manu esset archiepiscopi.

(1) *Manerium*, habitatio est cum certa agri portione a *manendo* dicta. (R. T.)

mus illud escambium, et Ecclesia Rothomagen. haec praedicta in perpetuum pacifice possidebit. Nos autem, quantum rex potest, excommunicamus, et concedimus, quod incurrat indignationem omnipotentis Dei quicumque contra hoc factum venerit. Testibus his, Huberto Cantuarien. archiepiscopo, Ioanne Vigornien., Hugone Conventren., Savarico Bathonien., Henrico Bayocen., Garino Ebroicen., Lisiardo Sagien., Willielmo Lexovien., Willielmo Constantien. episcopis. N. abbate S. Trinitatis de Monte Rothomagen., Regino S. Wandreg., Victore S. Georgii, N. ulterioris portus, Osberto de Pratellis, N. de Augo, N. de Cornevillis abbatibus, Ioanne comite Maurit., Othone comite Pictaven., Balduino comite de Albamare, Rad. comite Augi, Will. Mariscallo comite de Strigolll., Willielmo filio Rad. Sen. Norm., Roberto de Tumeban Sen. Andrea, Willielmo de Humeto, Constabl. Norm. Giliberto filio Renif., Hugone Brun., Gaufrid. de Lezimaco, Willielmo de Rupibus, Rad. Camerario de Tancarvill., Willielmo Marcel. Rad. Teissim, Gaufredo de Sai, Roberto de Harecort, et multis aliis. Datum per manum Eustachii electi Helien. tunc agentis vices cancellarii, apud Rothomagum, anno ab incarnatione Domini MCXCVII, die 16 octobris: anno regni nostri VIII. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Testium nomina.

Solitae clausulae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum per manum Rainaldi domini Papae notarii, cancellarii vicem agentis, sexto kalendas maii, indictione I, incarnationis dominicae MCXCVIII, pontificatus vero domini Innocentii Papae III anno I.

Dat die 26 aprilis 1198, pontif. anno I.

VII.

***Ratum habet foedus initum inter Philippum Franciae regem, et Balduinum comitem Flandriae* (1).**

SUMMARIUM

Procemium. — Confirmatio foederis (*de quo in epitome*). — Tenor tractatus, seu conventionis. — Summi Pontificis interposita auctoritate. — Clausulae.

(1) Ex Baluz., Epist. 130

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Philippo illustri regi Franciae.

Licet ex iniuncto nobis apostolatus officio cunctorum teneamur providere quieti, et pacem inter singulos exoptare, quietem tuam et regni tui tanto specialius conservare volumus; et debemus, et inter magnificentiam regiam, et homines suos firmae pacis existere foedera, studiosius affectamus, quanto personam tuam specialiori diligimus in Domino charitate, et pacem tuam, et regni tui ad Ecclesiae commodum cognoscimus efficacius redundare. Ea propter, charissime in Christo fili, tuis iustis precibus inclinati, et petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, gratum impertientes assensum, felicis mem. C. Papae praedecessoris nostri vestigiis inhaerentes, compositionem factam inter serenitatem tuam, et dilectum filium nostrum Baldum comitem Flandriae pro pace perpetuo servanda, sicut rationabiliter facta est coram viris religiosis et prudentibus, et scripto authentico roborata, et firmata pluribus iuramentis, et ab utraque parte recepta, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem autem ipsius facti notitiam, authenticum praedicti comitis, de verbo ad verbum praesentibus literis apponi fecimus, et transcribi: cuius tenor talis est: Ego Baldus comes Flandr. et Hainen. notum facio universis praesentibus pariter, et futuris, quod ego concessi et iuravi domino meo Ligio Philippo illustri regi Franciae, quod omnibus diebus vitae meæ bona fide et sine fictione ipsum iuvabo contra omnes homines, qui possunt vivere et mori praeterquam de terra Hainen. contra dominum meum episcopum Leodicen. si ipse vellet inquietare regem Franciae, vel rex Franciae

Procemium.

Confirmatio foederis (de quo in epitome).

Tenor tractatus.

eum, sive contra dominum imperatorem de eadem terra, neque regi Franciae de huiusmodi auxilio faciendo nunquam deero, quamdiu idem dominus meus rex Franciae rectitudinem mihi facere voluerit in curia sua, et me facere iudicari per eos, qui me iudicare debent in curia regis Franciae: et hoc faciam domino meo regi Franciae assecurari per iuramenta viginti hominum meorum de Hainen., quos elegerit rex Franciae in hunc modum. Ipsi iurabunt et literas suas patentes regi Franciae inde dabunt, quod mihi consulent, et volent, et efficient ad posse suum bona fide, ut hanc conventionem teneant domino regi Franciae integre: et quod si ab hoc resiliero, in captionem domini regis Franciae ibunt Parisios infra quadraginta dies, postquam id sciverint, vel per se, vel per submonitionem regis Franciae, nisi infra eosdem quadraginta dies regi Franciae emendatum fuerit: nec de captione regis Franciae exibunt, donec illud sit emendatum, et quotiescumque me continget ab hac conventione resilire, toties Parisios in captione regis Franciae ire, et captionem ei tenere tenebuntur ad eundem modum, qui praedictus est. Eandem securitatem faciam fieri domino regi Franciae contra omnes homines a quadraginta hominum de terra mea Fland., quam modo teneo, quos ipse rex Franciae elegerit: et quam cito ad me venerit per ius meum terra, quam comitissa uxor quondam avunculi mei N. comitis Fland. Philippi tenet nomine dotalitii a quadraginta hominum eorum illius terrae, quos rex Franciae elegerit, eandem securitatem fieri et praestari faciam domino meo regi Franciae. Et quicumque morientur ex his, qui hanc fecerunt regi Franciae securitatem, haeredes eorum eandem securitatem praestare regi Franciae faciam. Quicumque hominum meorum de utraque terra praedicta huiusmodi securitatem domino regi Franciae noluerint, terras suas eis auferam, nec reddam, donec regi Franciae dictam fecerint securitatem. Et interim alios ad electionem regis Franciae faciam regi facere illam securitatem: caeterum dominum N. Remen. archiepiscopum, et N. Atrebaten. et N. Cameracen. et N. Tornacen. et N. Morinen. episcopos rogabo, et bona fide requiram, quod quotiescumque me a praedictis conventionibus resilire contigerit, toties me excommunicent, et terram meam totam interdicto supponant, non obstante aliqua appellatione, donec id emendatum sit regi Franciae: et literas meas patentes tam archiepiscopo, quam dictis episcopis dabo continentes me his concessisse, quod hanc iustitiam possint in me exercere, non obstante appellatione, si a dictis conventionibus resiliero: et efficiam ad posse meum, quod ipsi litteras suas patentes super hoc dabunt regi Franciae. Ita etiam quod quicumque successerint Remen. archiepiscopo et memoratis episcopis, ad idem faciendum super me et super terram meam domino regi Franciae tenebuntur: dominum Papam etiam, et alios summos Pontifices domini Summi Pontificis interposit
Papae successores rogabo, et literas meas auctoritate.
patentes, quas tradam regi Franciae, quatenus domino regi Franciae suas super hoc confirmationis dent literas et iustitiae in me, et terram meam exercendae, si ab his resiliero. Sciendum praeterea, quod domino meo Philippo regi Franciae, et haeredi suo quieto feudum Bolen., et feudum Gumar. et feudum Osiaci, siquid in illis feudis habeo, quae omnia iuravi, et sigillo meo rata firmavi. Nulli ergo *etc.* Clausulae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum.

Dat. anno 1198.

VIII.

De palatio Iudicum et Tabellionum Beneventanae civitatis statutum confirmat (1).

SUMMARIUM

Causa privilegii. — Statuta. — Confirmantur. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, consulibus, iudicibus, et populo Beneven.

Causa privilegii. In dilectione civitatis vestrae, ac vestra, praedecessorum nostrorum volentes vestigiis inhaerere, ut et vos in progenitorum vestrorum devotione, quam circa Sedem Apostolicam habuerunt, ferventius de caetero, et fidelius persistatis: quae ad profectum vestrum proveniant, sine honoris nostri dispendio gratis vobis, et tam libenter, quam liberaliter indulgemus. Sane exhibitum fuit quoddam scriptum, in praesentia nostra, in quo capitula quaedam erant expressa, quae de communi omnium vestrum assensu, nostris petebatis literis confirmari: de quibus nos quaedam excepimus, quae iuxta votum vestrum vobis duximus concedenda. Statuta. Cum ergo a vobis sit communiter constitutum, ut iudices pro salario nihil accipiant, ultra vigesimam litis, nec de subscriptione testamentorum, vel aliis contractibus, iudices ipsi a civibus plusquam duos tarenos, aut notarii nisi unum: extra civitatem autem iudices centesima, notarii vero ducentesima sint eorum, quae testamento legantur, aut quocumque modo veniant in contractum portione contenti: vestris precibus annuentes, id (sicut a vobis est communiter Confirmantur. postulatum) concedimus, confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus: praesenti quoque confirmationi adiicimus, ut si quando curia sub certo banno inhibuerit fieri assemblatas, hi, qui contravenire praesumpserint, bannum sine diminutione persolvant: exceptis ministerialibus curiae, quos iuxta mandatum rectoris, qui pro tempore fuerit pro commodis civitatis, volumus, cum necesse fuerit, et rector mandaverit, convenire: salva in omnibus Sedis Apostolicae auctoritate. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum quinto idus iunii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 9 iunii anno Domini 1198, pontif. anno I.

(1) Ex Baluz., Epist. 256.

IX.

Canonicis basilicae Sancti Petri de Urbe quemdam concedit redditum, et bona nonnulla confirmat (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Innocentius antea canonicus huius basilicae. — Concessio eidem facta. — Non obstantibus privilegiis contrariis quibuscumque. — Clausulae consuetae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, canonicis Basilicae Principis Apostolorum tam praesentibus, quam futuris canonice substituendis, in perpetuum.

Cum in lege veteri non solum laborum primitiae, verum etiam hominum primogenita Domino mandentur offerri, nos, quos ipse (licet immeritos) gratuito coelestis gratiae rore perfusos, ad summi pontificatus apicem sublimavit, ut primogeniti simus in multis fratribus, cum omne opus nostrum teneamur Domino consecrare, promotionis nostrae primitias ipsi fideliter offerre decrevimus; ut in honorem apostolorum principis, cui (licet immeriti) non sine magno quodam, et admirabili sacramento, successimus officio pastorali, cum ea die simus in Sede Apostolica consecrati, qua beatus Petrus apostolus in episcopali fuit cathedra collocatus, sacrosanctam eius basilicam licet tenuis, alicuius tamen muneris privilegio decorare; sperantes, quod is, qui munus Habel, et minuta viduae missa in Gazo- Exordium.

(1) Ex Baluz., Epist. 295.

philacium acceptavit, nostrae quoque respiciat humilitatis affectum, non quantum, sed ex quanto proferamus attendens: qui cum sit Dominus omnium, et bonorum nostrorum non egeat, quid digne possimus tribuenti retribuere non habemus: quia de suo reddimus, non de nostro largimur. Ea propter, dilecti in Domino filii, vobis tanquam specialibus principis apostolorum ministris, ob ipsius apostoli reverentiam cupientes utiliter providere, attendentes etiam quod inter caeteras ecclesias per universam urbem diffusas, basilicam principis apostolorum, utpote sedem nostram specialius diligere ac honorare tenemur, sicut qui olim in ipsa vobiscum pariter canonici beneficium assecuti, nunc de filio in patrem eius divina sumus miseratione promoti. Alteram quartam ministeriorum ad honorem Dei et apostolorum principis, ac ut sollicitius et devotius divinis officiis intendatis; de communi fratrum nostrorum consilio, vobis et successoribus vestris perpetua donatione concedimus, et Apostolicae Sedis privilegio communimus; itaut deinceps medietatem omnium ministeriorum sine diminutione qualibet habeatis. Ad haec ecclesias Sancti Iacobi, et Sancti Leonardi sitas in Septiniano, quantum ad spiritualia pleno vobis iure subiicimus, super iurepatronatus nemini praeiudicium facientes. Ab Ecclesiis autem Sancti Michaelis, Sanctae Mariae in Saxia, et Sanctae Mariae in Transpadina, concedimus, et statuimus in scrutinio, Baptismo, processionibus, et Chrismatis confectione, vobis subiectionem et reverentiam perpetuis imposterum temporibus exhiberi. Nullis obstantibus privilegiis, cum hoc beneficium vobis de certa conscientia conferamus: reservantes nobis et successoribus nostris in tribus praedictis Ecclesiis institutionem, destitutionem, et correctionem omnium clericorum. In caeteris autem Ecclesiis, quae sunt in civitate Leoniana, et per stratam usque ad montem Malum, ius, quod hactenus habuistis, vobis, et successoribus vestris auctoritate apostolica in perpetuum confirmamus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam Beati Petri temere perturbare *etc.* Si qua igitur *etc.*

Innocentius antea canonicus huius basilicae.

Concessio eidem facta:

Clausulae.

Datum Laterani per manum Rainaldi domini Papae notarii vicem agentis cancellarii, tertio idus martii, indictione prima, incarnationis dominicae anno MCXCVIII, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno primo.

Dat. die 13 martii anno Domini 1198, pontif. anno I.

X.

Ratum habet statutum legati apostolici in Lombardia, quod haeretici ad dignitates nec eligi, nec eligere possint (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Decretum legati apost. — Eiusdem confirmatio.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, archidiacono Mediolanensi.

Procemium.

His, quae ad ampliandam fidem catholicam, et reprimendam pravitatem haereticam statuuntur, auctoritatem nostram libenter impendimus et favorem. Sane, sicut accepimus, dilectus filius noster G. Sanctae Mariae in Porticu diaconus cardinalis, dum legationis fungeretur officio in partibus Lombardiae, de consilio venerabilium fratrum nostrorum Mediolaneo. archiepiscopi, et episcoporum, qui ad eum Veronae convenerant, et quorumdam etiam sapientum, instituit, ut de caetero haeretici ad consilia et dignitates Lombardiae nullatenus admittantur: nec eligendi alios eis arbitrium conferatur: nec in eligendis personis ad eas vocem debeant aliquam obtinere. Ad id autem servandum imposterum, potestates,

Decretum legati apost.

(1) Ex Baluz., Epist. 297.

consules, consilia Lombardiae astringen. constituit iuratoria cautione, et te ad recipienda iuramenta eorum in quibusdem civitatibus deputavit, indulta tibi libera facultate contumaces excommunicationis, et terras eorum interdicti sententiis feriendi. Nos igitur, quod ab

Eiusdem confirmatio.

eodem cardinali provida deliberatione statutum est ratum habentes, ut iuxta mandatum eius a civitatibus illis super hoc exigas et recipias iuramenta, ad quas te ipse duxeris destinandum, iniungimus auctoritate tibi praesentium indulgentes, ut contradictores excommunicationis sententia ferias, et terras eorum subiicias interdicto. Nulli ergo *etc.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum decimoseptimo kalendas iulii.

Dat. die 15 iunii anno Domini 1198, pontif. anno I.

XI.

Confirmatio regularium institutionum canonicorum Praemonstratensium, quibus nonnulla conceduntur privilegia (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — Omnes regulares ordinis huius institutiones confirmat. — Regulas eis imponit. — Libri qui ad officium pertinent uniformiter teneantur. — Abbates singulis annis ad generale capitulum convenire debent: — In quo diligenter pertractanda sunt quae ad disciplinae regularis incrementum et animarum aedificationem spectant. — Abbates infames aut inutiles deponendi. — Ecclesiastica censura pronunciata in depositos qui datae sententiae non acquiescunt. — De electione et benedictione abbatis. — De visitatione Praemonstraten. Ecclesiae. — De abbatibus inferiorum abbatiarum. — Nonnulla privilegia elargitur. — Nulli liceat in his quae ad ordinis instituta spectant appellare. — E saeculo fugientes liberae personae ad conversionem recipi possunt. — Consuetudines et constit. Ordinis confirmat. — Nonnullas concedit exemptiones. — Nulla persona fratres ad saecularia iudicia audeat provocare: sed tantum apud ecclesiasticum iudicem. — Interdicitur usus suscipiendi curiositatis animalia ad nutriendum. — Nulla ecclesiastica persona fratres interdicere aut suspendere potest. — Solitae clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Petro abbati Praemonstraten. et caeteris abbatibus et canonicis Praemonstraten. ordinis tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

In eminenti Apostolicae Sedis specula (licet immeriti) disponente Domino constituti, pro singulorum statu soliciti esse compellimur, et ea sincere tenemur amplecti, quae ad incrementum religionis pertinent, et ad virtutum spectant ornatum, quatenus religiosorum quies ab omni sit perturbatione secura, et a iugo mundanae oppressionis servetur illaesa, cum apostolica fuerit tuitione munita.

Prooemium.

Attendentes, itaque, quo modo religio et ordo vester multa refulgens gloria meritorum, et gratia redolens sanctitatis, palmites suos a mari usque ad mare extenderit ipsum ordinem, et universas domos eiusdem ordinis apostolicae protectionis praesidio duximus confovendas, et praesenti privilegio muniendas. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus benignius annuentes, ad exemplar felicis recordationis Alexandri, Lucii, Urbani, et Clementis praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, universas regulares institutiones et dispositiones, quas de communi consensu, vel maioris et sanioris partis fecistis, sicut inferius denotantur, auctoritate apostolica roboramus, et praesentis scripti privilegio communimus: videlicet ut ordo canonicus, quemadmodum in Praemonstraten. Ecclesia, secundum beati Augustini regulam, et dispositionem recol. memoriae Norberti quondam Praemonstraten. ordinis institutoris, et successorum suorum, in candido habitu institutus esse dignoscitur, per omnes eiusdem ordinis Ecclesias

Omnes regulares Ordinis huius institutiones confirmat.

Regulas eis imponit.

(1) Ex Baluz., Epist. 329.

perpetuis temporibus inviolabiliter observetur, et eiusdem penitus observantiae. Iidem quoque libri, qui ad divinum officium pertinent, ab omnibus eiusdem ordinis uniformiter teneantur: nec aliqua Ecclesia, vel persona ordinis vestri, adversus communia ipsius ordinis instituta privilegium aliquod postulare, vel obtentum audeat quomodolibet retinere. Nulla etiam Ecclesiarum ei, quam genuit, quamlibet terreni commodi exactionem imponat, sed tantum pater abbas curam de profectu, tam filii abbatis, quam fratrum domus illius habeat, et potestatem habeat secundum ordinem corrigendi, quae in ea noverit corrigenda: et illi ei tanquam patri reverentiam filialem humiliter exhibeant. Abbas autem Praemonstraten. Ecclesiae, quae mater esse dignoscitur aliarum, non solum in his Ecclesiis, quas instituit, sed etiam in omnibus aliis eiusdem ordinis, et dignitatem, et officium patris obtineat, et ei ab omnibus tam abbatibus, quam fratribus debita patri obedientia impendatur.

Abbates singulis annis ad generale capitulum convenire debent.

Praeterea omnes abbates ordinis vestri, singulis annis, ad generale capitulum Praemonstraten., postposita omni occasione, conveniant: illis solis exceptis, quos a labore viae corporis retardaverit infirmitas: qui tamen idoneum pro se delegare debebunt nuncium, per quem necessitas et causa remorationis suae capitulo valeat nunciari. Hi autem, qui in remotioribus partibus habitantes, sine gravi difficultate singulis annis se nequiverint capitulo praesentare, in eo termino conveniant qui in ipso eis capitulo fuerit constitutus. Si vero quilibet abbatum, aut praepositorum, per contumaciam, vestrum capitulum frequentare desierint, liceat abbati Praemonstratensi, consilio sui capituli, eos usque ad dignam satisfactionem sententia percellere regulari: et sententiam, quam praefatus Praemonstraten. abbas, sive in generali capitulo, sive extra capitulum consilio coabbatum, in praelatos et subditos totius ordinis vestri canonice tulerit, nulli archiepiscoporum, seu episcoporum, nisi forte de mandato Romani Pontificis, liceat relaxare.

In quo diligenter pertractanda sunt quae ad disciplinae regularis incrementum et animarum aedificationem spectant.

In generali igitur vestro capitulo praesidente abbate Praemonstraten., caeterisque considentibus, et in spiritu Dei cooperantibus, de his, quae ad aedificationem animarum, ad instructionem morum, et ad informationem virtutum, atque incrementum regularis disciplinae spectabunt, sermo diligens habeatur. Porro de omnibus quaestionibus et querelis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quae in ipso capitulo propositae fuerint, illud teneatur irrefragabiliter, et servetur, quod abbas Praemonstraten. cum his, qui sanioris consilii, et magis idonei apparuerint, iuste ac provide iudicabit.

Abbates infames aut inutiles deponendi.

Sane si abbas aliquis vestri ordinis infamis, vel inutilis, aut ordinis sui praevaricator inventus fuerit, et prius per patrem suum abbatem, aut per nuncios eius admonitus suum corrigere et emendare delictum neglexerit, aut cedere (si amovendus fuerit) sponte noluerit, auctoritate generalis capituli deponatur: et depositus sine dilatione ad domum unde exivit, seu ad aliam eiusdem ordinis, quam elegerit, sine ulla conditione temporalis commodi revertatur, in obedientia abbatis, sicut caeteri fratres ipsius domus firmiter permansurus. Id ipsum etiam alio tempore (si necesse fuerit) et capitulum, sine scandalo vel periculo expectare nequiverit, per abbatem Praemonstratensem, et patrem abbatem, et alios abbates, quos vocaverit, fieri licebit.

Ecclesiastica censura pronunciata in depositos qui datae sententiae non acquiescunt

Quod si depositus in se datae sententiae contumaciter contraire tentaverit, tam ipse, quam principales eius, qui de ordine vestro fuerint in sua contumacia fautores, ab abbate Praemonstraten. et caeteris abbatibus censura ecclesiastica, donec satisfaciant, arceantur. Verum cum aliqua Ecclesiarum vestrarum abbate proprio fuerit destituta, vel cum ibi abbatis electio regulariter non fuerit celebrata, sub patris abbatis potestate ac dispositione con-

sistat, et cum eiusdem consilio, qui eligendus fuerit, a canonicis eligatur. Electo autem fratres Ecclesiae statim obedientiam promittant: qui non quasi absolutus a potestate patris abbatis, vel ordinis sui archiepiscopo, vel episcopo, in cuius dioecesi fuerit, praesentetur, plenitudinem ab eo officii percepturus: ita tamen, quod post factam archiepiscopo vel episcopo suo possessionem, occasione illa non transgrediatur constitutiones ordinis sui, nec in aliquo eius praevaricator existat. Si quis etiam ex vobis canonice electus in abbatem, dioecesano episcopo, semel et iterum per abbates vestri ordinis praesentatus, benedictionem ab eo non potuerit obtinere, nec Ecclesia, ad quam vocatus est, destituta, consilio periclitetur, officio et loco abbatis plenarie, secundum ordinem, fungatur in ea, tam in exterioribus providendis, quam in interioribus corrigendis, donec aut interventu generalis capituli vestri, aut praecepto Romani Pontificis, seu metropolitani, benedictionem suam obtineat. Porro nulla persona ecclesiastica pro chrismate, aut consecrationibus, et ordinationibus, aut pro sepultura pretium, aut pro benedicendo abbate, et deducendo in sedem suam, palefridum, aut aliquod aliud a vobis exigere, nullus vestrum, etiam si exigatur, dare praesumat: quia et exigentem, et dantem, nota et periculum simoniacae pravitatis involvit. Caeterum si aliqua Ecclesiarum vestrarum pastoris solacio destituta, inter fratres de substituendo abbate discordia fuerit vel scissura suborta, et ipsi facile ad concordiam vel unitatem revocari nequiverint, pater abbas consilio coabbatum suorum eis idoneam provideat personam, et illi eam sine contradictione recipiant in abbatem: quam si recipere contempserint, sententiae subiaceant, quam pater abbas cum consilio coabbatum suorum in eos duxerit auctoritate ordinis promulgandam. Ad haec quoniam Praemonstraten. Ecclesia prima mater est omnium Ecclesiarum totius ordinis, et patrem super se alium non habet, sicut ad cautelam et custodiam ordinis statutum est, per tres primos abbates Laudun., Floressien., Cuissiacen. annua ibidem visitatio fiat: et siquid in ipsa domo corrigendum fuerit, absque maiori per eos audientia corrigatur. Quod si abbas in corrigendo tepidus, et fratres saepius moniti incorrigibiles permanserint, ad generale capitulum referatur, et sicut melius visum fuerit, consilio generalis capituli emendetur, et sententia in hac parte capituli sine retractione aliqua observetur. Quoties vero Ecclesia Praemonstraten. sine abbate fuerit, ad praefatos tres abbates eius cura respiciat, et a canonicis ipsius Ecclesiae, cum eorum consilio, persona in abbatem idonea eligatur: ad consilium suum quatuor aliis abbatibus ad eandem Ecclesiam pertinentibus pariter advocatis, quos ipsi canonici providerint advocandos. Liceat quoque unicuique matri Ecclesiae ordinis vestri cum consilio abbatis Praemonstraten. de abbatibus Ecclesiarum, quae ab ea processisse noscuntur, sive etiam de alia eiusdem ordinis inferiore Ecclesia, sibi quemcumque voluerit (si tamen idoneus extiterit) in abbatem assumere. Personam autem de alio ordine nulla Ecclesiarum vestrarum sibi eligat in abbatem, nec vestri ordinis aliqua in abbatem monasterii alterius ordinis, nisi de auctoritate Romanae Ecclesiae, ordinetur. Nulli etiam canonicos, vel conversos vestros sine licentia abbatum recipere, aut susceptos liceat retinere. Sane nulli ecclesiastici vestri ordinis liceat ad aliquam aliam professionem temeritate qualibet se transferre. Si quae vero Ecclesia canonicorum alterius ordinis ad ordinem vestrum venerint, ad Eccles. vestri ordinis habeant sine refragatione respectum, in qua vestrum noscuntur ordinem assumpsisse. Praeterea si inter aliquas Ecclesias vestri ordinis de temporalibus quaestio emer-

De electione et benedictione abbatis.

De visitatione Praemonstr. Ecclesiae.

De abbatibus inferiorum abbatiarum

Nonnulla privilegia elargitur.

serit, non extra ordinem ecclesiastica vel saecularis audientia requiratur, sed mediante Praemonstraten. abbate, et caeteris, quos vocaverit, aut charitative inter eas componatur, aut auditis utrinque rationibus eadem contreversia iusto iudicio terminetur. Ad maiorem quoque ordinis vestri pacem conservandam districtius prohibemus, ne aliquis praelatorum vel subditorum vestrorum in his, quae ad disciplinam et instituta ordinis spectant, audeat prout statutum est in Lateranen. concilio appellare, sed si quisquam appellare tentaverit, nihilominus illi, quorum interest, regularem disciplinam exercere debebunt. De caetero, quoniam a strepitu et tumultu saecularium remoti pacem et quietem diligitis, grangias vestras, et curtes, sicut et atria Ecclesiarum, a pravorum incursu et violentia libera fore sancimus, prohibentes, ut nullus ibi hominem capere, spoliare, verberare, seu interficere, aut furtum vel rapinam committere audeat: ob evitandas vero saecularium virorum frequentias, liberum sit vobis, salvo iure dioecesanorum episcoporum, oratoria in grangiis et curtibus vestris construere: et in ipsis vobis, et familiae vestrae divina officia (cum necesse fuerit) celebrare, et ipsam familiam, nisi aliqui sint, qui in vicinia habeant propria domicilia, ad confessionem, communionem, et sepulturam, cum vestri ordinis honestate suscipere. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e saeculo fugientes, ad conversionem recipere, et eas cum rebus suis sine contradictione aliqua retinere. Infirmos quoque absolutos, qui in extrema voluntate ad vos se transferri, aut apud vos sepeliri deliberaverint, nullus impedire, seu res eorum legitimas detinere praesumat; salva tamen haeredum legitima portione, et canonica iustitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Ad maiorem etiam ordinis vestri reverentiam et regularis disciplinae observantiam, vobis filii abbates subiectos vestros ligandi et solvendi plenam concedimus facultatem. Quia vero singula, quae ad religionis profectum, et animarum salutem ordinastis, praesenti abbreviationi nequivere annecti, nos cum his, quae praescripta sunt, consuetudines vestras, quas inter vos religionis intuitu regulariter statuistis, et deinceps auctore Domino statuetis, auctoritate apostolica roboramus, et vobis, vestrisque successoribus, et omnibus, qui ordinem vestrum professi fuerint, perpetuis temporibus inviolabiliter observandas decernimus: nec aliquae literae habeant firmitatem, quae tacito nomine Praemonstraten. ordinis, contra libertates vobis ab Apostolica Sede indultas fuerint impetratae. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere praesumat, licet fundorum dominis pro rei proprietate aliquem censum, vel quotamlibet partem frugum reddatis. Interdicimus vero episcopis, et aliis Ecclesiarum praelatis, nisi servato evectionis numero in Lateranen. concilio constituto, in vestris monasteriis hospitari. Ad grangias autem vestras, et ad curtes hospitandi gratia, nonnisi in magna necessitate divertant, et tunc contenti sint ipsarum mansionum cibariis consuetis cum honestate atque charitate exhibitis. Nulli autem saeculari personae vel ecclesiasticae in aliqua domorum vestrarum liceat carnibus vesci, nisi manifeste aegritudinis causa, et hoc in solis monasteriis conventualibus vestris. Prohibemus, insuper, ne aliqua persona fratres ordinis vestri audeat ad saecularia iudicia provocare: sed si quis adversus eos aliquid sibi crediderit de iure competere, sub ecclesiastici examine iudicii experiendi habeat facultatem. Licitum praeterea vobis sit, in causis vestris fratres vestros idoneos ad testificandum adducere, et eorum testimonio (sicut

Nulli liceat in his quae ad ordinis instituta spectant appellare.

E saeculo fugientes liberae personae ad conversionem recipi possunt.

Consuetudines et constit. Ordinis confirmat.

Nonnullas concedit exemptiones.

Nulla persona fratres ad saecularia iudicia audeat provocare: sed tantum apud ecclesiasticum iudicem.

rectum fuerit) et propulsare violentiam, et iustitiam vendicare. Prohibemus quoque ne cuilibet ecclesiasticae, vel saeculari personae fas sit in Ecclesiis vestris contra statuta Lateranen. concilii tallias exercere, vel quaslibet alias vobis ineptas et iniquas exactiones imponere. Interdicimus etiam vobis, ne feras, aves, canes, sues, et caetera huiusmodi curiositatis animalia a quolibet ad nutriendum sive custodiendum in detractionem vestri ordinis suscipere praesumatis. Porro, ut quietius Deo servire possitis, et discurrendi a vobis necessitas auferatur, praesenti scripto duximus indulgendum, ut si episcopis vestris, aut malitiose differentibus, vel pro iusto impedimento non valentibus ordinationes et caetera ecclesiastica ministeria vobis conferre, aliquem episcoscopum, de cuius ordinatione et officio plena sit nobis notitia, hospitem vos habere contigerit, liberum sit vobis ab eo et ordinationes, et caetera sacramenta suscipere: dum tamen praeiudicium dioecesano episcopo non debeat generare. Praeterea postulatione vestra clementius inclinati, praesenti pagina duximus inhibendum, ne quis archiepiscopus vel episcopus, aut eorum officiales, Ecclesias vestras, seu regulares personas eorum, absque manifesta et rationabili causa interdicere seu suspendere praesumat: sed siquid in eis fuerit corrigendum, ad audientiam generalis capituli Praemonstraten. referatur, et ibi prout iustitiae, et honestati congruerit, emendetur. Porro si qui episcopi aut eorum officiales in personas vestras aut Ecclesias sententiam aliquam contra libertatem eisdem a praedecessoribus nostris, vel a nobis indultam, promulgaverint, eandem sententiam, tamquam contra Apostolicae Sedis indulta prolatam, statuimus irritandam. Decernimus ergo *etc.*, salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur *etc.*

Interdicitur usus suscipiendi curiositatis animalia ad nutriendum.

Nulla ecclesiastica persona fratres interdicere aut suspendere potest.

Datum Reat. per manum Raynaldi domini Papae notarii, cancellarii vicem agentis, sexto kalendas augusti, indictione prima, anno dominicae incarn. MCXCVIII, pontificatus vero domini Innocentii Pap. III anno primo.

Dat. die 27 iulii anno Domini 1198, pontif. anno I.

XII.

Confirmat privilegia Perusinae civitatis (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Perusium ad proprietatem S. A. pertinens. — Consulatus ei et antiqua privilegia confirmantur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Ioanni potestati, et populo Perusino.

Apostolica Sedes, quae (disponente Domino) cunctorum fidelium mater est et magistra, speciales filios ampliori consuevit gratia honorare; ut eos, et ad devotionem suam ferventer accendat, et ad obsequium suum diligenter invitet. Nos ergo, qui miseratione divina huic Sanctae Sedi (licet immeriti) praesidemus, devotionis, et fidei puritatem, quam erga matrem et dominam vestram sancrosanctam Romanam Ecclesiam geritis attendentes, vestris quoque precibus inclinati, quos inter alios fideles nostros speciali charitate diligimus, civitatem Perusin., quae ad ius et proprietatem ipsius pertinere dignoscitur, cum pertinentiis suis, et nunc habitis, et in antea legitime acquirendis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. Eam vero nunquam alienabimus, sed semper ad manus nostras curabimus retinere. Consulatum autem cum iurisdictione sua vobis auctoritate apostolica confirmamus: concedentes, ut his, qui sunt ipsius iurisdictioni subiecti, liberum sit ad potestatem, vel consulem, qui pro tempore fuerint, legitime appellare. Consuetudines quoque

Exordium.

Perusium ad proprietatem S. A. pertinens.

Consulatus ei et antiqua privilegia confirmantur.

(1) Ex Baluz., Epist. 313.

vestras antiquas et novas, rationabiles et communiter observatas duximus approbandas. Salva in omnibus Apostolicae Sedis auctoritate pariter, et iustitia, et Ecclesiarum omnimoda libertate. Nulli ergo *etc.*, protect. conf. et concess. *etc.*

Datum Tuderti, sexto nonas octobris.

Dat. die 2 octobris 1198, pontif. anno I.

XIII.

De modo faciendi electiones episcoporum in regno Siciliae (1).

SUMMARIUM

Siciliae reges bene de Sede Apost. meriti. — Ad dissentiones evitandas quae possunt in electionibus oriri. — Modus illarum faciendarum praescribitur. — Adhortatio ad regem, ne libertatem violet electionis. — Clausulae consuetae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, imp. reginae Siciliae, ac charissimo filio illustri regi Siciliae.

Siciliae reges bene de Sede Apost. meriti.

Nec novum, nec iniustum existit, si regno Siciliae gratiam facimus specialem, quod inter universas et singulas regiones, in quibus nomen colitur christianum, fere semper promptius et devotius in Ecclesiae Romanae devotione permansit: et ab eo specialius meruit honorari. Reges siquidem, et principes eius in Apostolicae Sedis fidelitate fortius roborati, usque adeo ei fideliter et familiariter adhaeserunt, ut ad ipsius exaltationem potenter intenderint, et ab ea nullius divelli potuerint impetu tempestatis, se in ipsa et per ipsam exaltari credentes: et in ea (post Deum) suae spei ponentes, et gaudii fundamentum. Specialiter autem inclytae recordationis F. quondam pater, Vu. frater, et Vu. nepos tui filia imperatrix reges Siciliae familiari eam venerati sunt devotionis obsequio: ex praedecessoribus nostris usque adeo non minus in adversis, quam prosperis adhaeserunt: ut cum fratribus nostris vobis ob eorum memoriam, et constantiam sinceritatis, quam ad nos vos habere cognovimus, per effectum, quantum cum Deo et nostra possumus honestate deferre velimus: et salva iustitia, et Ecclesiarum canonica libertate, petitionibus vestris assensum facilem exhibere. Ne igitur ulla de caetero inter nos et successores nostros, ac vos et haeredes vestros super electionibus dissensio suscitetur, modum faciendae in posterum electionis, praesentibus curavimus literis explicare: in quibus sic in multis regiae serenitati deferimus, ut libertatem Ecclesiae non laedamus.

Modus faciendarum electionum.

Sede vacante capitulum significabit vobis et vestris haeredibus obitum decessoris: deinde convenientes in unum, invocata Spiritus Sancti gratia, secundum Deum eligent canonice personam idoneam, cui requisitum a vobis praebere debeatis assensum, et electionem factam non different publicare. Electionem vero factam et publicatam denunciabunt vobis, et vestrum requirent assensum. Sed antequam assensus regius requiratur, non intronizetur electus, nec decantetur laudis solemnitas, quae intronizationi videtur annexa: nec antequam auctoritate pontificali fuerit confirmatus, administrationi se ullatenus immiscebit. Sic enim honori vestro volumus condescendere, ut libertatem canonicam observemus: nullo prorsus obstante rescripto, quod a Sede Apostolica fuerit impetratum.

Adhortatio ad regem, ne libertatem violet electionis.

Rogamus ergo serenitatem regiam, et attentius exhortamur, quatenus contra praescriptam electionis formam nec vos veniatis de caetero, nec cogatis alios, nec patiamini qualibet occasione venire: sed taliter in hoc nobis studeatis, et ecclesiasticae libertati deferre, ut timorem eius habere prae oculis videamini, per quem reges regnant, et principes dominantur, et sponsam eius Ecclesiam venerari.

(1) Ex Baluz., Epist. 409.

Clausulae consuetae.

Nulli ergo *etc.*, hanc paginam nostrae dispositionis et constitutionis *etc.*

Datum Lateran.

XIV.

Sequitur ad archiepiscopos et episcopos regni Siciliae (1).

SUMMARIUM

Regnum Siciliae ad ius et proprietatem Sedis Apostolicae pertinet. — Illud proinde Romani Pontifices speciali quadam semper praerogativa dilexerunt. — Libera ad S. Sedem appellatio.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, archiepiscopis, episcopis, et aliis Ecclesiarum praelatis, et universo clero in Sicilia constitutis.

Regnum Siciliae ad ius et proprietatem Sedis Apostolicae pertinet.

Si charissimae in Christo filiae nostrae C. imperatrici reginae una cum charissimo filio illustri rege Siciliae in multis gratiam facimus specialem, non est ab aliquibus in admiratione ducendum: cum regnum Siciliae ad ius et proprietatem Ecclesiae Romanae pertineat, et in eius fidelitate perstiterit, ac permanserit unitate. Nostis etenim qualiter inclitae recordationis R. Vu. et Vu. Siciliae reges illustres in apostolicae devotionis fere semper permanserint firmitate, qualiter praedecessores nostros fuerint humiliter venerati, qualiter etiam in Ecclesia Romana post Deum suae spei posuerint, et gaudii fundamentum, et in ea, et per eam se crediderint exaltari. Nostis etiam qualiter praedecessores nostri Romani Pontifices reges ipsos, ac regnum Siciliae quadam semper praerogativa dilexerint, et ad augumentum ipsius, utpote quod peculiarie (sicut est) et proprium reputabant, intenderint, et quietem. Quia vero quantuncunque velimus eorum honori deferre, libertatem canonicam, et honestatem ecclesiasticam intendimus observare. Ne igitur ulla de caetero inter nos et successores nostros, et praedictam imperatricem et filium eius Siciliae regem illustrem, vel haeredes eorum, super electionibus denuo dissensio suscitetur, quae hactenus inter Ecclesiam, et regnum rancoris cuiusdam, et indignationis fomitem ministrabant, modum faciendae in posterum electionis praesentibus curavimus literis explicare: in quibus sic regiae serenitati deferimus, ut libertatem ecclesiasticam non laedamus. Sede vacante significabit capitulum eis, et eorum haeredibus obitum decessoris *etc.*, *usque ad verbum* immiscebit. Ideoque universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, et districte praecipimus, quatenus cum aliquam Ecclesiarum vestrarum pastore vacare contigerit, secundum praescriptam electionis formam, omni gratia et timore postpositis, procedatis: nec contra eam aliqua praesumatis accusatione venire. Alioquin electiones taliter factas diligenti discussione praehabita, dante Domino infirmare curabimus, et elegentium transgressionem animadversione debita castigare. Volumus etiam nihilominus, et mandamus, ut de caetero ad Romanam Ecclesiam libere cum opus fuerit appelletis, et interpositis ad nos appellationibus curetis humiliter et devote deferre. Nos etiam quoties necessitas postulaverit, Apostolicae Sedis legatos ad vos curabimus destinare: qui quae plantanda sunt plantent, et evellant, quae fuerint evellenda, quorum obediatis monitis et praeceptis. Nullo prorsus in omnibus praescriptis capitulis obstante privilegio, vel rescripto, quod a Sede Apostolica fuerit impetratum. Ut autem, quae praescripta sunt apud vos nulla possint oblivione deleri, mandamus, atque praecipimus, quatenus forma literarum istarum ad perpetuam memoriam in maioribus Ecclesiis transcripta servetur (1).

Illud proinde Romani Pontifices speciali quadam semper praerogativa dilexerunt.

Libera ad S. Sedem appellatio.

(1) Ex Baluz., Epist. 510.

(1) Hasce literas quamvis nullo notentur chronologico caractere, non ultimo loco iuxta servatum usque adhuc morem reposuimus, sed huic consignamus anno, quo datas fuisse certum est, et ex ipso registro patet.

XV.

Lundensi Ecclesiae primatus conceditur super caeteras regni Svetiae Ecclesias (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Lunden. archiep. primas regni Svetiae. — Modus petendi pallium. — Haec omnia confirmantur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Absaloni Lunden. archiepiscopo, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Procemium. In eminenti Apostolicae Sedis specula, disponente Domino, constituti, salubriter iniuncti nobis officii exequimur actionem, si ea, quae per antecessores nostros ad salutem fidelium instituta noscuntur, consensu nostro firmamus, et ne cuiuslibet temeritatis quatiantur incursu, exactam diligentiam adhibemus. Cum enim Ecclesiae suae promiserit Dominus, dicens: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram (2): illi bene videntur patribus successisse, atque utiliter impositum gerere principatum; qui non potestate laetantur, sed ad salutem eorum, qui gubernandi sunt cum timore ac tremore creditae potestatis auctoritatem exercent: studentes semper antecessoribus suis in bonis actibus conformari; et quae laudabiliter ab eis facta sunt, et servare in semetipsis, et aliis nihilominus servanda monstrare. Hac itaque nos suscepti officii consideratione inducti, et felicis memoriae Adriani Papae antecessoris nostri vestigiis inhaerentes, quod ipse de confirmatione regni Svetiae cum fratrum suorum consilio et voluntate constituit, nos etiam firmum et illibatum perpetuis temporibus decernimus permanere. Constituit enim quod Lunden. archiepiscopus, qui pro tempore fuerit, super regnum illud primatum semper obtineat, et ordine quo subsequitur, debeat ei præesse: qui tanto frequentius et utilius illi terrae, quae ad salutem fidelium pertinent, ministrabit, quanto necessitatem eorum, atque defectum e vicino plenius poterit intueri. Pallium enim antecessori tuo tribuit, ut archiepiscopum in regno Svetiae, quam citius opportunitas occurrerit, ordinaret, et pallium, quod nostra ei vice conferret, eo quidem ordine observato, ut videlicet is, qui per Lunden. archiepiscopum metropolitanus ibi fuerit institutus, gratiam consecrationis per manum archiepiscopi Lunden. adeptus, ipsi, et Lunden. Ecclesiae, salva fidelitate Romanae Ecclesiae, fidelitatem et obedientiam iuramento promittat. Pallium sane taliter consequetur: nuncius Lunden. Ecclesiae siquidem cum nuncio illius Ecclesiae pro impetrando pallio ad Ecclesiam Romanam accedat, et cum illud a Romano Pontifice impetraverit, ad Lunden. Ecclesiam reportabunt. Lunden. autem archiepiscopus illud accipiens, archiepiscopo Svetiae tribuet, et fidelitatem et obedientiam Romanae Ecclesiae iureiurando promittet. Metropolitano vero ibi ad honorem Dei, et decorem domus suae salutemque fidelium constituto, Lunden. archiepiscopus, et dignitate primatus in perpetuum praesidebit, et ipse ei reverentiam et obedientiam tanquam suo primati humiliter exhibere curabit. Quod utique in bonae memoriae Stephano quondam Upsalen., qui a praedecessore tuo piae recordationis Escillo archiepiscopo, tempore felicis memoriae Alexandri Papae, eo praesente Senon. ratione iam dictae institutionis gratiam consecrationis accepit, et sub antecessoribus nostris bonae memoriae Lucio et Clemente, secundum praescriptum ordinem in Io. et Petro supradictae Ecclesiae episcopis, quos tua fraternitas in archiepiscopos consecravit, et pallium vice ipsorum antecessorum vestrorum contulit, dignoscitur adimpletum. Quoniam igitur hoc sicut a praenominato Adriano antecessore nostro statutum est, ita sub te, et antecessore tuo effectum accepit, nos memorati Adria-

Lunden. archiep. primas regni Svetiae.

Modus petendi pallium.

Haec omnia confirmantur

(1) Ex Baluz., Epist. 417. (2) Psalm. XLIV 17

ni, et felicis recordationis Alexandri, Lucii, Urbani, Clementis et Coelestini praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis in tam laudabili opere inhaerentes, nostro, et fratrum nostrorum favore prosequimur, et firmum, et illibatum perpetuis temporibus decernimus permanere. Nulli ergo *etc.*, hanc paginam nostrae confirmationis *etc.*, salva Apostolicae Sedis auctoritate. Si qua igitur *etc.*

Datum Laterani, per manum Raynaldi domini Papae notarii cancellarii vicem agentis, nono kalendas decembris, indictione secunda, incarnationis dominicae anno MCXCVIII, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno primo.

Dat. die 23 novembris anno Domini 1198, pontif. anno I.

XVI.

Populo Tudertino antiqua confirmat privilegia (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Civitas Tudertina iuris Sedis Apostolicae. — Consulatus ei et antiquae consuetudines confirmantur. — Solitae conclusiones.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, consulibus, et populo Tudert.

Exordium. Sacrosancta Romana Ecclesia, quae omnium fidelium mater est et magistra, illos propensius diligere consuevit, quos in devotione, ac fidelitate, sua novit ferventius permanere; et ut liberius possint ab omnium incursibus manere securi, eos tanquam pia mater protectionis suae munimine confovere. Eapropter, dilecti in Domino filii, devotionem, quam erga nos, et Romanam Ecclesiam habere noscimini attendentes, vestris quoque precibus inclinati, civitatem Tudertinam, quae ad ius et proprietatem Apostolicae Sedis pertinere dignoscitur, quam, et nos ad manus nostras semper volumus retinere; ita quod ei, cui vices nostras commiserimus, secundum mandatum nostrum debeatis integre respondere, sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti pagina communimus. Consulatum autem cum iurisdictione sua vobis auctoritate apostolica confirmamus: concedentes, ut hi, qui sunt ipsius iurisdictioni subiecti, liberum sit ad consules, qui pro tempore fuerint, legitime appellare: ita tamen quod appellationi ad Sedem Apostolicam interpositae humiliter deferatur. Consuetudines quoque antiquas vestras, et rationabiles, et communiter observatas duximus approbandas. Salva in omnibus Apostolicae Sedis auctoritate, pariter et iustitia, et earum omnimoda libertate.

Civitas Tudertina iuris Sedis Apostolicae

Consulatus ei et antiquae consuetudines confirmantur.

Nulli ergo *etc.*, nostrae protectionis conf. *etc.*, conc. *etc.*

(1) Ex Baluz., Epist. 424.

XVII.

Fratribus Sanctae Trinitatis redemptionis captivorum regula datur, iuxta quam vivere debeant.

SUMMARIUM

Exordium. — Regulam servandam eis tradit. — 1. Obedientia ministro praestanda. — Reddituum divisio. — Tertia pars semper in redemptiones faciendas irroganda. — 2. Numerus FF. ad componendam domum. — De vestibus. — Equis uti non debent. — 3. De ieiuniis. — De victu, ac praesertim usu carnis. — Quae ab iis cavenda sint. — 4. De infirmis et hospitibus. — 5. De silentio. — Capitula particularia singulis dominicis habenda. — Poenae culparum. — De capitulo generali. — 6. De electione ministri. — A quibus deponendus. — 7. De iis qui huius ordinis fratres esse voluerint. — 8. Quae fratribus facere non liceat. — De orationibus. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Iohanni ministro et fratribus Sanctae Trinitatis.

Exordium. Operante divinae dispositionis clementia, in Sedis Apostolicae specula consti-

tuti, piis debemus affectibus suffragari, et eos, cum a caritatis radice procedunt, perducere ad effectum; praesertim ubi quod quaeritur, Iesu Christi est, et privatae communis utilitas antefertur. Sane cum tu, dilecte in Christo fili frater Iohannes minister, ad nostram olim praesentiam accessisses, et propositum tuum, quod ex inspiratione divina creditur processisse, nobis humiliter significare curasses, intentionem tuam postulans apostolico munimine confirmari; nos ut desiderium tuum fundatum in Christo, praeter quem poni non potest stabile fundamentum, plenius nosceremus, ad venerabilem fratrem nostrum episcopum, et dilectum filium abbatem Sancti Victoris Parisien. cum nostris te duximus literis remittendum; ut per eos, utpote qui desiderium tuum perfectius noverant, de intentione tua, et intentionis fructu ac institutione ordinis, et vivendi modo instructi, assensum nostrum tibi possemus securius et efficacius impertiri. Quia igitur, sicut ex eorum literis cognovimus evidenter, Christi lucrum appetere videmini plus quam vestrum, volentes ut apostolicum vobis adsit praesidium, regulam iuxta quam vivere debeatis, cuius tenorem dicti episcopus et abbas suis nobis inclusum literis transmiserunt cum his quae de dispositione nostra, et petitione tua, fili minister, duximus adiungenda, praesentium vobis et successoribus vestris auctoritate concedimus et illibata perpetuo manere sancimus. Quorum tenorem, ut evidentius exprimatur, inferius iussimus annotari.

Regulam servandam eis tradit.

§ 1. In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Fratres domus Sanctae Trinitatis sub obedientia praelati domus suae, qui minister vocabitur, in castitate, et sine proprio vivant. Omnes res, undecunque licite veniant, in tres partes dividant aequales, et in quantum duae partes sufficient, exequantur ex illis opera misericordiae, cum sui ipsorum et eis necessario famulantium moderata sustentatione. Tertia vero pars reservetur ad redemptionem captivorum qui sunt incarcerati pro fide Christi a paganis, vel dato pretio rationabili pro redemptione ipsorum, vel pro redemptione paganorum captivorum, ut postea rationabili commutatione, et bona fide, redimatur christianus pro pagano secundum merita et statum personarum. Cum vero pecunia data fuerit, vel aliquid aliud, licet specialiter et proprie detur ad aliquid, semper de consensu illius, qui dederit, tertia pars separetur, et aliter non recipiatur, exceptis terris, pratis, vineis, nemoribus, aedificiis, nutrituris et huiusmodi. Fructus enim inde exeuntes, deductis expensis, scilicet medietate remota pro expensis, in tres partes dividentur aequales; sed quae paucas vel nullas recipiant expensas, omnes dividantur. Cum vero panni vel calceamenta, vel minuta huiusmodi, quibus necesse sit uti, quae vendi vel conservari non expedit, data fuerint, vel a se ipsis habuerint, non dividantur, nisi ministro domus et fratribus visum fuerit expedire. De quibus singulis dominicis diebus, si fieri potest, in capitulo deliberetur. Si tamen praedicta, ut panni, terrae, nutriturae, sive minuta venderentur, precium inde proveniens in tres partes ut supra dividatur.

Obedientia ministro praestanda. *Redditiuum divisio.* *Tertia pars semper in redemptiones faciendas irroganda.*

§ 2. Omnes ecclesiae istius ordinis intitulentur nomine Sanctae Trinitatis, et sint plani operis. Fratres possunt esse in una cohabitatione, tres clerici et tres laici, et praeterea unus, qui procurator sit; qui non procurator, sed minister, ut dictum est, nominetur, ut frater N. minister domus Sanctae Trinitatis, cui fratres repromittere ac impendere obedientiam teneantur. Omnibus fratribus suis, sicut sibimet, minister fideliter administret. Vestimenta sint lanea, et alba; et liceat eis habere pellicias singulis singulas, et bracas, quas iacentes non deponant. Iaceant in laneis; ita quod plumea fulcra, vel culcitras, nisi in aegritudine laborantes, in domibus propriis minime ha-

Numerus FF. ad componendam domum. *De vestibus*

Equis uti non debent.

beant. Cervical vero ad sustentationem capitis permittantur habere. In cappis fratrum imponantur signa. Equos non ascendant, nec etiam habeant, sed asinos tantum liceat ascendere, datos, vel accomodatos, vel de propriis nutrituris susceptos.

De ieiuniis.

§ 3. Vinum sumendum a fratribus taliter temperetur, ut sobrie sumi valeat. Ieiunent ab idibus septembris, secunda, quarta, et sexta feria, et sabbato, nisi solemnis festivitas intervenerit, usque ad Pascha; sic tamen ut ab Adventu usque ad Nativitatem Dominicam, et a Quinquagesima usque ad Pascha, exceptis dominicis diebus, in cibo quadragesimali ieiunent, et alia similiter ieiunia, quae consuevit Ecclesia celebrare. Potest tamen quandoque minister ieiunium cum discretione relaxare propter aetatem, vel viam, et aliam iustam causam, vel facultate inspecta etiam augmentare. Carnibus datis ab his qui foris sunt, vel sumptis de propriis nutrituris, vesci liceat tantum in dominicis diebus a Pascha usque ad Adventum Domini, et a Natali usque ad Septuagesimam, et in Nativitate et Epiphania Domini, et in Ascensione Domini, et Assumptione et Purificatione Beatae Mariae, et in festivitate Omnium Sanctorum. Nihil emant ad victum, praeter panem, et pulmentum, scilicet fabas, et pisa et huiusmodi legumina, olera; oleum, ova, lac, caseos, et fructus. Sed neque carnes, neque pisces, sive vinum liceat emere, nisi ad necessitatem infirmorum, vel minutorum, vel pauperum, aut in magnis solemnitatibus. Liceat tamen nutrituras emere, et nutrire. Cum vero in itenere sive peregrinatione fuerint, liceat eis, sed parce, vinum emere et pisces in Quadragesima, si necesse fuerit, et si quid eis datum fuerit, inde vivant, et residuum in tres partes dividant. Tamen si fuerint in via profecti ad redimendum captivos, quicquid eis datum fuerit, totum debent ponere in redemptionem captivorum praeter expensas. In civitatibus, in villis, sive castellis, in quibus proprias domos habuerint, nihil omnino extra domos illas, nisi forte in domo religionis, etiamsi a quovis rogentur, comedant, vel bibant, nisi forte aquam, in domibus honestis; nec pernoctare praesumant extra huiusmodi domos. Nunquam in tabernis vel in huiusmodi locis inhonestis habitent, comedant, vel bibant. Qui autem hoc praesumpserit, iuxta arbitrium ministri gravi vindictae subiaceat.

De victu, ac praesertim usu carnis.

Quae ab iis vendenda sint.

De infirmis et hospitibus.

§ 4. Talis sit caritas inter fratres, clericos et laicos, ut eodem victu, vestitu, dormitorio, refectorio et eadem mensa utantur. Infirmi seorsum dormiant, et comedant: ad quorum curam habendam conversus aliquis, laicus, sive clericus, deputetur, qui ea quae necessaria fuerint, inquirat et ministret sicut fuerit ministrandum. Moneantur tamen infirmi, ut lauta sive nimium sumptuosa cibaria non requirant, commoda potius et salubri moderatione contenti. Cura hospitum et pauperum, et omnium euntium et redeuntium uni de discretioribus et benignioribus fratribus iniungatur, qui audiat eos, et ut expedire viderit, caritatis solatium administret. Requirat tamen ab illis quos crediderit admittendos, si eis quae fratribus apponuntur velint esse contenti. Ad lauta quidem et sumptuosa cibaria non oportet quemquam admitti. Quaecunque tamen praestanda sunt, cum hilaritate praestentur, et nulli maledictum pro maledicto reddatur. Si quis, et maxime religiosus, ad hospitandum advenerit, benigne suscipiatur, et caritative iuxta posse domus illi subministretur. Avena tamen vel aliud in loco avenae hospitibus non detur, si fuerint in civitate, vel oppido, vel ubi venalis inveniatur, nisi forte religiosi sint hospites, vel tales, qui ad manum non habeant, et non emere possint. Si autem hospites venalem non invenerint, et in domo qua suscepti fuerint inveniatur, congruenter eis praebeatur. Nullus frater laicus vel clericus sit, si fieri potest, sine proprio officio; si quis

vero laborare noluerit, et potuerit, locum ipsum deserere compellatur, cum Apostolus dicat: Qui non laborat, non manducat (1).

De silentio.

§ 5. Silentium observent semper in ecclesia sua, semper in refectorio, semper in dormitorio. De necessariis tamen liceat loqui in aliis temporibus aptis, et remissa voce, humiliter, et honeste; et extra praedicta loca ubique sermo eorum sit honestus et sine scandalo. Similiter et eorum omnis status, gestus, vita, actio, et omnia alia honesta in eis reperiantur.

Capitula particularia singulis dominicis habenda.

Capitulum, si fieri potest, singulis dominicis diebus in singulis domibus minister cum fratribus suis teneat, et de negotiis domus, et domui sive fratribus datis, ut ad redemptionem captivorum tertia pars deputetur, fratres ministro, et minister fratribus rationem fideliter reddant. Non solum fratribus. Sed et familiae domus pro capacitate sua similiter singulis dominicis diebus, si fieri potest, exhortatio fiat, et quid credere aut agere debeant, simpliciter moneantur. De omnibus rebus et clamoribus in capitulo fratres iudicentur. Nullus fratrum fratrem suum in publico accuset, nisi bene possit probare.

Poena culpatum.

Qui autem hoc fecerit poenam subeat, quam reus subiret, si convinci potuisset, nisi minister ex causa cum eo dispensare voluerit. Si qui scandalum, vel aliquid huiusmodi fecerint, vel (quod absit) se invicem percusserint, iuxta arbitrium ministri, maiori vel minori vindictae subiaceant. Si quis frater in fratrem peccaverit, idest contra fratrem, idest, eo solo sciente, qui iniuriam passus est, sustineat patienter, licet sit innocens; et cum quieverit commotio animorum, benigne et fraterne commoneat, et corripiat eum usque ter inter se et ipsum solum, et poenitentiam agere de commisso, et a similibus in posterum abstinere. Quod si non audierit, dicat ministro, et ille corripiat eum secreto secundum quod viderit saluti eius expedire. Qui vero scandalum movit, et per se emendare voluerit, totum ante pedes scandalizati petens veniam se extendat; et si semel non sufficit, usque ter illud idem faciat. Si vero hoc in publicum venerit, quaecumque secutura fuerit poenitentia, haec sit prior, scilicet, ante pedes ministri petendo veniam totius corporis extensione, et postea secundum eius arbitrium emendetur.

De capitulo generali.

Generale capitulum semel in anno celebretur. Quod fieri debet in octavis Pentecostes. Si pro necessitate domus debitum aliquod fuerit contrahendum, prius in capitulo fratribus proponatur, et cum eorum fiat consilio, et assensui, ut sic, et suspiciones, et murmurationes evitentur. Si quisquam de substantia domus violentiam fecerit, et ad iudicem oportuerit referri, non ante hoc fiat, quam caritative ille a fratribus primo, post ab aliis vicinis similiter moneatur.

De electione ministri.

§ 6. Electio ministri per commune fratrum consilium fiat; nec eligatur secundum dignitatem generis, sed secundum vitae meritum, et sapientiae doctrinam. Ille vero qui eligitur, sacerdos sit, vel clericus ordinibus aptus, et sit professus: minister vero, sive maior, sive minor, sacerdos sit. Maior minister confessiones fratrum omnium congregationum eiusdem ordinis audire potest. Minor vero minister omnium fratrum suae domus audiat confessiones; dummodo verecundia repetiti excessus occasionem minime praebeat tardius praelatis suis vel minus pure quam deceat confitendi. Solicite vero minister provideat, ut praecepta regulae, sicut caeteri fratres, per omnia teneat. Postquam vero electus fuerit, si ex culpa deponi meruerit, per maiorem ministrum convocatis tribus vel quatuor ministris minoribus deponatur, et alius, qui dignus sit, loco eius subrogetur. Si vero pro remotione terrarum vel alia causa rationabili maior minister hoc facere non poterit, ministris minoribus magisque religiosis committat; et quod

(1) II, Thessalon. III, 10.

illi fecerint auctoritate maioris ratum habeatur. Maior vero minister si pro excessibus corrigendus vel deponendus sit, per quatuor, aut quinque ministros eiusdem ordinis magis religiosis hoc fiat, qui tunc auctoritate generalis capituli ad hoc eligi debent.

A quibus deponendus.

§ 7. Si quis huius ordinis frater esse voluerit, primo per annum cum expensis suis, praeter victum, habitu suo, et omnibus suis retentis, in ordine pro Deo serviat, et post annum, si bonum et conveniens videatur ministro domus et fratribus et illi, et locus vacaverit, recipiatur. Nihil tamen pro receptione sua exigatur. Si quid tamen gratis dederit, recipiatur; dum tamen tale sit de quo non videatur Ecclesiae litigium imminere. Si vero de cuiusquam moribus visum fuerit dubitandum, prolixior de eo probatio habeatur. Si ante receptionem aliquis se intemperanter habuerit, et impatiens disciplinae, et ad arbitrium ministri non emendaverit mores suos, tribuatur ei modeste licentia cum omnibus quae attulit, recedendi. In ordine vero aliquis non recipiatur antequam annum videatur vigesimum complevisse. Professio vero in arbitrio ministri relinquatur.

De iis qui huius ordinis fratres esse voluerint.

Quae fratribus facere non liceat.

§ 8. Pignora non accipiant, nisi decimas cum licentia sui episcopi, de manu laici. Iuramenta non faciant nisi in magna necessitate, et cum licentia ministri, vel iussi ab episcopo suo, vel ab alio vices apostolicas gerente, et hoc pro honesta et iusta causa. Si quod vitium in re, quae venditur notum fuerit, indicetur emptori. Depositum auri, vel argenti vel pecuniae non liceat eis suscipere. Ipsa die qua infirmus venerit, vel apportatus fuerit, de peccatis suis confiteatur, et communicet. Omni secunda feria (praeterquam in octavis Paschae, et Pentecostes et Nativitatis Domini, et Circumcisionis et Epiphaniae, et praeterquam in festivitatibus quae ad colendum pronunciantur), finita missa pro fidelibus, fiat absolutio fidelium defunctorum in caemiterio. Singulis quoque noctibus ad minus in hospitali coram pauperibus pro statu et pace sanctae Romanae Ecclesiae et totius christianitatis, et pro benefactoribus et pro his pro quibus generalis Ecclesia consuevit orare, communis fiat oratio.

De orationibus

§ 9. In regularibus horis morem B. Victoris observent; nisi forte pausationes, vel aliae prolixitates, vel vigiliae, occasione laboris et paucitatis servientium de consilio piorum et religiosorum virorum fuerint remittendae. Propter paucitatem etenim suam tantas pausationes in psallendo facere non tenebuntur, nec ita tempestive surgere. In rasura similiter ordinem Sancti Victoris sequantur clerici, laici vero barbas non radant, sed eas crescere modeste permittant.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae

Datum Laterani, XVI kalendas ianuarii, anno incarnationis dominicae, millesimo centesimo nonagesimo octavo, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno primo.

Dat. die 17 decembris 1198, pontif. anno I.

XVIII.

Canonizatio Sancti Homoboni.

SUMMARIUM

Prooemium. — B. Homoboni virtutes. — Eius gloriosa mors. — Miracula. — Testes de supradictis rebus requisiti. — Sanctorum catalogo adscribitur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universo clero et populo Cremonensi.

Proemium

Quia pietas promissionem habet vitae quae nunc est et futurae, iustus et misericors Dominus fideles suos, quos praedestinavit ad vitam, frequenter in hac vita glorificat, et semper in futura coronat; quibus et per Prophetam promittit: Dabo vos in laudem, gloriam et honorem in cunctis populis, et per se pollicetur: Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Mirabilis enim in se ipso Dominus, mirabilis in sanctis, mirabilis in omnibus operibus suis, verum nobis exhibet suae virtutis indicium, et frigescentem iam in pluribus caritatis igniculum, mirabilium suorum signis accendit, assumptis in gloriam suam qui certaverunt legitime in hoc mundo, ad memorias eorum innovat signa, et mirabilia iuxta Prophetam immutat (1): ut qui sanctus est apud ipsum, sanctus etiam ab hominibus habeatur, et in hoc praesertim haereticorum confundatur perversitas, cum ad catholicorum tumulos viderint prodigia pullulare. Licet autem iuxta testimonium veritatis, sola finalis perseverantia exigatur ad sanctitatem animae in Ecclesia triumphanti, quoniam qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit, duo tamen, virtus videlicet morum, et virtus signorum, opera scilicet pietatis in vita, et miraculorum signa post mortem, ut quis reputetur sanctus, in militanti Ecclesia requiruntur. Nam quia frequenter angelus Satanae se in Lucis angelum transfigurat, et quidam faciunt opera sua bona, ut videantur ab hominibus, quidam etiam coruscant miraculis, quorum tamen vita merito reprobatur (sicut de Magis legitur Pharaonis), et etiam antichristus, qui electos etiam, si fieri potest, inducet miraculis suis in errorem, ad id nec opera sufficiunt sola nec signa, sed cum illis praecedentibus ista succedunt, verum nobis praebent indicium sanctitatis; nec immerito nos ad ipsius venerationem inducunt quem Dominus suus ostendit miraculis venerandum. Haec autem duo ex verbis Evangelistae plenius colliguntur, ubi de Apostolis loquens ait: Illi autem profecti praedicabant ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis (1). In eo namque quod ait cooperante, eos operatos esse demonstrans, et in eo quod sequitur sequentibus signis, eos exponens immo Dominum in eis miraculis claruisse. Hoc etiam Dominus usque hodie operatur in sanctis, et potentiam suam signis evidentibus manifestat, dum vivorum curat aegritudines ad memoriam mortuorum, et eos plus posse post mortem, et felicius vivere mortuos, qui in Domino moriuntur, quam qui vivunt in mundo demonstrat. Sane veniens ad praesentiam nostram venerabilis frater noster episcopus vester, multis viris religiosis et alii honestis personis de sua dioecesi comitatus, cuiusdam beati viri et re et nomine Homoboni, vitam et actus necnon et modum transitus eius, humiliter nobis aperuit; in quibus et sanctae ipsius degustavimus conversationis odorem, Deumque mirabilem et omnia opera eius in fide cognovimus et praedicavimus gloriosa. Idem etenim sanctus tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dat in tempore suo, prout eorundem nobis assertio facta tam viva voce, quam aliorum plurium honestorum literis patefecit, adeo in lege Domini, meditabantur die ac nocte, ut ei serviens in timore et secundum Prophetam media nocte surgens ad confitendum ei, matu-

B. Homoboni virtutes.

(1) II, Tim.

(1) Marc. XVI, 20.

tinis semper laudibus interesset. Missae quoque officium et alias horas cum summa devotione frequentans, ita assiduis orationibus insistebat, ut in certis horis haut incessanter oraret, aut horas ipsas aliquando praeveniret, nisi forte ipsum solicitudo, quam super pace reformanda per civitatem tanquam pacificus vir gerebat, aut occasio eleemosynae pro pauperibus acquirendae, seu alia iusta causa in aliis operibus misericordiae detineret. Qui nimirum ante crucem dominicam ex assuetudine se prosternens, opus quodlibet faciendo, stando, sedendo, iacendo, ad orationem labia movere continuo videbatur. Inter alia vero pietatis opera quae tam circa pauperes, quos secum in domo propria tenebat, et pariter procurabat, quam circa alios indigentes, quibus viventibus humanitatis officium, mortuis sepulturae beneficium consueverat devotus impendere diligentius exercebat, ipse a saecularium hominum consortio segregatus, inter quos virebat quasi lilium inter spinas, haereticorum, quorum pernicies partes illa infecit, austerus extitit aspernator. Deducto autem sic vitae sanctae curriculo, cum ad matutinale officium, prout dictum est, in festivitate Sancti Brictii surrexisset, circa missae primordia idem se ante crucem dominicam more solito in oratione prosternens, dum cantaretur hymnus Angelicus, beato fine quievit. Quae vero, quot, et quanta miracula fuerint subsecuta, et quot advenientibus ad sepulchrum eius sanitatis beneficia sint impensa, cum longum sit enumerare per singula, unum inter caetera ad assertionem catholicae fidei duximus expressius annotandum. Cum enim quaedam daemoniaca mulier ad sepulchrum eius deducta fuisset, ne aliqua fraus lateret, eadem primo fuit aqua non benedicta respersa; quae se patienter aspergi permittens, aquam secundo respuit benedictam. Et ut res evidentiori experimento pateret, oblatam non consecratam absque aliqua praesentia sibi recipiens praesentatam, Eucharistiam consecrata subsequenter abhorruit, nec recepit: quae et meritis eiusdem sancti liberata recessit. Ut autem virtus morum, prout est superius praelibatum, licet omnis dubitatio amoveri ex subsecutione signorum per divinum iudicium videretur, fide apud nos clarescceret pleniori, ne miraculorum etiam virtus aliqua fraude posset vel figmento iuvari, veritatem rei solicitius duximus inquirendam. Fidem namque, quam super conversatione ipsius absque figmento hypochrisis fraudulento divinum iudicium, ut dictum est, manifeste ostendere videbatur, per testimonium dilecti filii Osberti presbyteri Sancti Egidii Cremonensis praesentis cum episcopo memorato, recepto ab eo firmavimus iuramento: sub cuius obstentatione videlicet iuramenti ipse, qui patrinus eius existens per XX annos et amplius confessionem eius saepe receperat, quae de illius Sancti conversatione praemisimus cum ipso episcopo et aliis supradictis iuratis similiter asseruit esse vera, et de obedientia quam in orationibus, vigiliis, et aliis poenitentiae fructibus, quae sibi ab eo imposita erat, plus iniuncto satisfaciens exhibebat, nos reddidit certiores. Ea etiam quae de miraculis ipsis fuerant nobis exposita, per iuramentum omnium praedictorum, qui propter hoc venerant, fide suscepimus pleniori; assertione ipsius episcopi sub firmo verbo sacerdotis requisita in virtute obedientiae concurrente, ut sic divinum et humanum secuti iudicium, cum maiori procedere securitate possemus. Cum igitur haec omnia, tam de probitate morum, quam virtute signorum, ad fa-

Eius gloriosa mors

Miracula

Testes de supradictis rebus requisiti.

vorem petitionis, pro qua episcopus memoratus, et alii supradicti ex parte vestra vehementer instabant, concurrere videremus, de fratrum nostrorum consilio post multam deliberationem habitam cum eisdem archiepiscopis et episcopis, quos super hoc ad consilium nostrum admisimus, de divina misericordia, et eiusdem Sancti meritis confidentes, ipsum sanctorum catalogo duximus ascribendum; statuentes ut in die depositionis ipsius, eiusdem festivitas devote a vobis et aliis christifidelibus annis singulis de caetero celebretur. Inde est quod universitatem vestram rogamus in Domino et monemus, per apostolica scripta praecipiendo mandantes, quatenus eiusdem Sancti memoriam, prout dictum est, cum celebritate debita venerantes, eius apud Deum suffragia humiliter imploretis, per cuius merita ad gaudia aeterna pertingere valeatis.

Sanctorum catalogo adscribitur.

Datum Laterani, II idus ianuarii.

Dat. die 12 ianuarii 1199, pontif. anno I.

XIX.

Flandriae comites sub protectione Sedis Apostolicae recipiuntur, nonnullaque eisdem conceduntur privilegia (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Flandriae comites cum omnibus bonis sub protectione Apost. Sedis suscipit; — Statuit ne aliquis in illos sententiam excommunicationis ferat; — Si lata fuerit, irritam esse declarat.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Baldoino comiti Flandriae, et Mariae uxori eius.

Exordium.

Apostolica Sedes, quae, disponente Domino, cunctorum fidelium mater est generalis, licet omnes teneatur paterno affectu diligere, in eos tamen uberius gratiam suae dilectionis effundit, quos ad exhibenda sibi grata devotionis obsequia invenit promptiores. Attendentes igitur dilectionis fervorem, quam praedecessores vestri ad Romanam Ecclesiam habuisse noscuntur, et devotionem nihilominus quam vos ad personam nostram habere proponitis, firmo gerimus in proposito voluntatis, personas vestras oculo benigniori respicere, et sincerioris dilectionis, et gratiae brachiis amplexari: ac in his, quae a nobis secundum Deum duxeritis requirenda, gratanter vobis assensum apostolicum impertiri. Eapropter volentes vos tanquam speciales Ecclesiae filios protegere pariter et tueri, personas vestras cum omnibus bonis, quae in praesentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum *etc.*, *usque ad verbum* suscipimus. Auctoritate praesentium districtius inhibentes, ne aliquis sine manifesta et rationabili causa, in personas vestras excommunicationis, aut in terras vestras interdicti praesumat sententias promulgare. Ad haec adiicientes statuimus, ut si vos in aliquo praesenseritis aggravari, libere vobis liceat Sedem Apostolicam appellare. Si quis vero post appellationem ad nos legitime interpositam in vos vel terras vestras excommunicationis aut interdicti sententias promulgaverit, ipsas decernimus non tenere.

Flandriae comites cum omnibus bonis sub protectione Apostolicae Sedis suscipit.

Nulli ergo *etc.*, protectionis, inhibitionis et institutionis *etc.*

Datum Lateran., IV kal. maii.

Dat. die 28 aprilis 1199, pontif. anno II.

(1) Ex Baluz., lib. II, Epist. 43.

XX.

Nonnulla fratrum de Calatrava instituta et privilegia confirmantur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Locum de Calatrava sub protectione recipit apostolica. — Instituta eis a

(1) Ex Baluz., lib. II, Epist. 51.

Cisterciensibus tradita confirmat. — De vestibus. — De victu. — De ieiuniis. — Bona omnia eis confirmat, quae omnia propriis nominibus enumerantur. — Nonnulla concedit privilegia.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, N. magistro, et fratribus Ordinis de Calatrava tam praesentibus quam futuris secundum Ordin. Cistercien. fratrum viventibus.

Exordium

Quoties a nobis petitur *etc.*, *usque ad verbum* annuimus, et fel. rec. Alexandri et Gregorii praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, praefatum locum de Calatrava, et locum de Salvaterra, in quo ad serviendum Deo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti pagina communimus.

Locum de Calatrava sub protectione recipit apostolica.

In primis siquidem statuentes, ut institutio, quam abbas et fratres Cistercien. vobis in eodem loco morantibus, non ut familiaribus, sed ut veris fratribus fecisse dicuntur, perpetuis temporibus ibidem inviolabiliter observetur, videlicet, ut militaribus armis accincti contra Sarracenos pro tuitione christiani populi fideliter dimicetis. Praeterea ea, quae de victu et vestitu vestro praefati abbas, et fratres Cistercien., et universum capitulum eiusdem ordinis a vobis regulariter observanda sanxerunt, vobis nihilominus confirmamus: videlicet ut lineis in femorabilibus tantum vobis liceat uti; vestes quoque moderatas, honestas et commodas secundum consilium Morimunden. abbatis, et magistri vestri, cum scapulari pro habitu religionis habebitis.

Instituta eis a Cisterciensibus tradita confirmat.

De vestibus.

Vestiti et cincti dormietis: et in oratorio, dormitorio, refectorio et in coquina silentium iugiter tenebitis. Cavebitis autem ne in qualicumque veste, aut superfluitatis argui, aut curiositatis notari possitis.

De victu

Tribus vero in hebdomada diebus, idest feria tertia, quinta, et die dominica, cum praecipuis solemnitatibus vobis carnibus vesci licebit: uno tantum ferculo, et unius generis, quantum ad carnes pertinet, contenti eritis, et ad mensam ubique silentium tenebitis.

De ieiuniis.

Ab exaltatione quoque Sanctae Crucis, usque ad Pascha tribus diebus, scilicet secunda feria, quarta et sexta, praeter Natale Domini, Epiphaniam, Hypapante, et festivitates Omnium Sanctorum et Apostolorum, omnes qui praesentes domi fuerint, in septimana qualibet ieiunabunt. Qui autem in castris militiae fuerint, pro magistri arbitrio ieiunia observabunt.

Bona omnia eis confirmat, quae propriis nominibus enumerantur.

Praeterea quascunque possessiones *etc.*, *usque ad verbum* vocabulis exprimenda. Calatrava cum pertinentiis suis, et quintis, et omnibus pertinentiis suis. Castellum de Caracui cum omnibus pertinentiis suis. Castellum Dolarcus cum pertinentiis suis. Castellum de Benevento cum omnibus pertinentiis suis. Castellum de Suffera cum pertinentiis suis. Castellum de Malagon cum portaticis, et aliis pertinentiis suis. Castellum de Gualdaferza cum pertinentiis suis. Domum de Nombroca cum pertinentiis suis; domos de Toleta cum tendis, molendinis, vineis, terris, et hortis; ecclesiam Sancti Romani ultra Tagum cum pertinentiis suis. Domos de Talaveira cum vineis, olivetis, hortis, molendinis, canalibus, et puteis, et cum aldeis, et aliis pertinentiis suis. Domos de Salamancella cum pertinentiis suis. Domos de Macheda cum vineis, hortis, tertis, et aliis pertinentiis suis. Mendeno cum suis pertinentiis. Sotello cum suis pertinentiis. Castellum de Assecha cum suis pertinentiis. Casasola cum suis pertinentiis. Alfondega cum suis pertinentiis. Figarola cum suis pertinentiis. Castellum de Cyrol cum suis pertinentiis. Castellum de Sorita cum portaticis, quintis, aldeis, et aliis pertinentiis suis. Ca

stellum de Almogera cum portaticis, quintis, aldeis, et aliis pertinentiis suis. Balaga cum pertinentiis suis. Almonacir cum suis pertinentiis. Pengia cum suis pertinentiis. Onnon cum pertinentiis suis. Casas de Collado, de Verniges et Ova cum pertinentiis suis. Medietatem de Moracella cum pertinentiis suis. Castellum de Cogollndo cum aldeis et pertinentiis suis. Hereditatem de Mollin. cum domibus suis, et cum aldea de Merla, et pertinentiis suis. Ecclesiam Sancti Salvatoris de Soria. Ecclesiam Sanctae Mariae de Villares Pardos cum omnibus domibus, aldeis, vineis, et earum pertinentiis. Castellum de Alcobella cum suis pertinentiis. Berezosa cum Baldalbin, ecclesiis, et pertinentiis suis. Castellum Rubeum cum omnibus pertinentiis suis. Villam de Valvert cum pertinentiis suis. Burgell in Navara cum ecclesia et aliis pertinentiis suis. Formella cum pertinentiis suis. Hospitale de Bellota, cum ecclesia, et pertinentiis suis. Domum de Formosella cum haereditatibus et pertinentiis suis. Quintanella de Borona cum suis pertinentiis. Haereditatem de Alvellos cum domibus et suis pertinentiis. Villas de Perros, et canones in Campo de Monnio cum suis pertinentiis. Terradellos ibidem cum suis pertinentiis. Fontodra iuxta Amaia cum pertinentiis suis. Palatia in Ripa de Pisorga cum suis pertinentiis. Medietatem de Avarcha cum ecclesia ipsius loci, et pertinentiis suis. Famusco in Rivo de Asageva cum pertinentiis suis. Vallorabona in episcopatu Palentin. cum pertinentiis suis. Sanctam Mariam Domino Echa super rivum de Pisorga, et Villam Ramira in Alcordutella, et haereditates in termino de Courel cum pertinentiis suis. Padellam cum ecclesia S. Mariae, et pertinentiis suis. Ravanal cum ecclesia iuxta castrum Vert. et Val. in Ripa de Stola, et Navam cum pertinentiis suis. Caso cum pertinentiis suis in Asturus, cum ecclesia, et pertinentiis suis. Villester iuxta Bamba, pallos in Ripa de Doira, et ecclesiam Sanctae Mariae de Zamorra cum pertinentiis suis. Pinos in Gallitia, et Congeli in Gallitia iuxta Allariz, domum de Allariz, domos de Troncoso, et minium cum vineis, terris et pertinentiis suis. Domum de Benevento super Orvegun cum pertinentiis suis. Vannexandines in terra de Astorga cum domibus et pertinentiis suis. Ecclesiam de Maiorica cum domibus et pertinentiis suis. Elpererii inter civitatem Rodrogo et Tronchoso cum omnibus possessionibus et pertinentiis suis. Domos de Segobia cum tendis, vineis et aliis pertinentiis suis. Erigerum cum omnibus pertinentiis suis. In Portugal in civitate, quae dicitur Estora, duos Alcazarel, vetus et novum, cum omni haereditate regia et aliis pertinentiis suis. Castellum de Guluce cum pertinentiis suis. Domos de Scaren cum haereditate regia de Ortalogon, et pertinentiis suis, castellum de Alcanethet, Alpedriz, Benamesi, Iurumenia, Albofeira, Malfora, et casas de Ulixbona cum vineis et aliis pertinentiis suis. Cazaraboton, Sanctum Vincentium, Bolvaidi, Oriz. In Aragona castellum de Alcaniz cum villa sua, aldeis, et aliis pertinentiis suis. Medietatem de Maella cum olivetis, et pertinentiis suis. Pomer cum pertinentiis suis. Salvam terram, castellum de Domnifronda, Sanctum Silvestrum, medietatem de Veilozeil, Contai, et Enforlopes. Castrum lege Eerraira, Cameles, et Ort. cum pertinentiis suis. Quintanella de Redofresnos, S. Felicem, et Losbarros cum pertinentiis suis, et S. Nicolaum de Lamina, et Sequela cum pertinentiis suis. Sane laborum *etc.* Liceat quoque vobis clericos *etc.* Prohibe- Nonnulla concedit privilegia

mus insuper, ut nulli *etc.* Cum autem generale *etc.* Liceat etiam vobis in locis vestris sine manifesto dispendio vicinarum Eccl. oratoria construere, in quibus fratres et familiae vestrae divinum audire officium, et christianam habere valeant sepulturam. Clerici quoque ordinis vestri clericum priorem habeant, cui professionem faciant, reverentiam ac subiectionem impendant. Nihilominus vero praesenti decreto sancimus, ut si quis in aliquem fratrum vestrorum, temerarias manus iniecerit, nisi rationabilis causa obsistat, excommunicationis sententia sit astrictus, et illud pro tutela vestra tam in sententia, quam in poena servetur, quod sub Innocentio Papa de clericorum tuitione noscitur institutum. Regulares, et antiquas consuetudines ordinis vestri a praedecessoribus vestris, et a vobis hactenus observatas aliqua levitate mutari, seu etiam possessiones domorum vestrarum alienari, nisi de magistri providentia fiat, cum consensu capituli, vel maioris et sanioris partis, auctoritate apostolica prohibemus fieri. Prohibemus insuper, ut infra fines parochiarum, vestrarum, quas a Sarracenis acquisistis, vel imposterum acquiretis, capellas vel oratoria, seu ecclesias nullus audeat sine assensu vestro construere, si vos pro necessitate populi duxeritis construendas: in quibus cum constructae fuerint, liceat vobis clericos eligere, et episcopo praesentare: quibus si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Praeterea novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis, seu decanis, aliisve ecclesiasticis, saecularibusve personis, vobis omnino fieri prohibemus. Chrisma vero *etc.* Inhibemus adhuc ne interdictos *etc.* Paci quoque *etc.* Ad haec libertates *etc.* Decernimus ergo *etc.* Salva in omnibus Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur *etc.*

Datum Laterani, per manum Rainaldi domini Papae, notarii cancellarii vicem agentis, quarto kal. maii, indict. secunda, incarn. vero dom. anno MCXCIX, pontif. vero domini Innoc. Papae tertii anno secundo.

Dat. die 28 aprilis 1199, pontif. anno II.

XXI.

Turonensibus archiepiscopis primatus conceditur super Ecclesiam Dolensem (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Quaestio inter Dolen. et Turonen. Ecclesias. — Quid factum sit ab Innocentio Papa ad eam componendam. — Partes auditae, rationesque allatae. — Decessorum firmans decreta, Dolensem Ecclesiam Turonensi subiectam declarat. — Solitae clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Bartholomaeo Turonen. archiepiscopo, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Licet primum et praecipuum Ecclesiae fundamentum sit unigenitus Dei filius Iesus Christus, iuxta quod dicit Apostolus: Quia fundamentum positum est, praeter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus (2): secundum tamen, et secundarium Ecclesiae fundamentum existit beatissimus apostolus Petrus, ad quem veritas ait: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam (3); qui sicut a Christo petra dictus est Petrus, ita etiam a Christo capite vocatus est caput, ipso sibi dicente: Tu vocaberis cephas (4), ut per hoc universi Proœmium.

(1) Ex Baluz., Epist. 79. (2) I Cor. III, 11. (3) Matth. XVI, 18 (4) Ioan. I, 42.

fideles agnoscerent quod ad ipsum tamquam ad fundamentum et caput maiores debeant Ecclesiarum causae referri, quatenus quod ipso tanquam a capite principali fuerit auctoritate statutum, ab ipso tanquam in fundamento stabili firmitate consistat. Nobis ergo (qui, licet indigni, locum eius in Apostolica Sede tenemus) incumbit ex debito pastoralis officii de universali Ecclesia scandala tollere, ac iurgia resecare, et tam emergentes de novo quaestionum articulos, quam causas ab antiquo tractatas, sed adhuc in antiquae contentionis scrupulo remanentes, iudicialis sententiae calculo terminare. Inter caeteras vero causas veteres ac modernas, vetus illa quaestio, quae inter Turonen. et Dolen. Ecclesias vertebatur, Ecclesiam non modicum usque ad haec moderna tempora conturbabat: ad quam vel sopiendam concordia, vel iudicio terminandum, post multas praedecessorum nostrorum citationes, nos tandem dilecto filio Ioanne Dolen. electo ad Sedem Apostolicam accedente, termino utrique partium a bonae memoriae Coelestino Papa praedecessore nostro praefixo, cum tu nonnisi nuncios minus sufficienter instructus pro sola dilatione petenda misisses, partem citavimus, Ecclesiae Turonen. mandantes, ut quicquid de te quocumque modo contingeret, pars eadem per se, vel per procuratores idoneos ad Apostolicam Sedem accederet, nostrae dispositionis formam, vel iustae diffinitionis sententiam receptura. Alioquin ex tunc nos ad horum alterum procedere curaremus. Dicto igitur electo Iuliano, Rodulfo et Hugone canonicis Dolen. cum litteris de procuratione ipsis super hac causa specialiter ab Ecclesia Dolen. concessis, et dilectis filiis Gaufrido cancellario, Senoreto, Ioanne, Ernaudo canonicis Turonen. et Gaufrido de Ioviaco, cum litteris de rati habitione datis eis, tam a te, quam Ecclesia Turonen. in nostra praesentia constitutis, frequenter per nos, interdum etiam per fratres nostros audientiam plenam et benignam indulsimus: et quae fuerunt hinc inde proposita intelleximus diligenter. Fuit autem propositum ex parte Dolen. Ecclesiae, quod cum eadem Ecclesia longissimo tempore fuerit in possessione metropoliticae dignitatis, sicut ex gestis quorundam sanctorum, et aliis scriptis apparere dicebat: tandem cum temporibus bonae memoriae Nicolai Papae praedecessoris nostri Festiniano tunc in archiepiscopum Dolen. promoto, usum pallii a Sede Apostolica postulasset, licet idem Nicolaus quod petebatur, ei non duxerit concedendum: quia litteras Apostolicae Sedis, quas praedecessores eius praedecessoribus ipsius Festiniani in pallii collatione transmiserant, ei non fecerat praesentari: non tamen quod petebatur negavit expresse, sed partes ad suam praesentiam convocavit: mandans Erardo tunc archiepiscopo Turonen. ut ad ipsum suum legatum transmitteret: cum quo et Dolen. Ecclesia suos nuncios destinaret, ut utriusque positis coram eo aequa lance causa librata, quae esset sedes metropolitica plenius appareret. Scripsit etiam idem Nicolaus, sicut ex authentico ipsius apparet, Salomoni tunc regi Britannorum, et uxori eius, ut idem Festinianus idoneum mitteret ad Romanam Ecclesiam ex proprio clero legatum: qui scripta fidei catholicae documenta deferret, et eumdem Festinianum ita credere et servare de caetero iuramento firmaret: quod nisi palleum ei disposuisset per eundem legatum transmittere, non mandasset. Verum eodem Nicolao sublato de medio, cum nuncii Dolen. Ecclesiae ad Apostoli-

Quaestio inter Dolen et Turonen Ecclesias.

Quid factum sit ab Innocentio Papa ad eam componendam.

Partes auditae, rationesque allatae

cam Sedem accessissent, bonae memoriae Adrianus Papa, eidem Festiniano palleum cum privilegio destinavit; quod pars Dolen. Ecclesiae per scriptum authenticum non probavit. Praeterea quod temporibus Ioannis VIII Ecclesiae Dolen. archiepiscopus praesideret, nixa est pars eadem comprobare per litteras eius, quas Mayn. archiepiscopo destinavit, et caeteris episcopis per Britanniam constitutis. Caeterum cum quidam iuvenis felicis recordationis Gregorio VII consecrandus fuisset a Dolen. Ecclesia praesentatus, ipse iuvene illo propter minorem aetatem repulso, I. tituli S. Melanii abbatem in Dolen. archiepiscopum consecravit: ei, et successoribus eius pallei usum indulgens, et mandans episcopis Britanniae, ut ei tanquam archiepiscopo reverentiam et obedientiam exhiberent. Quae quoniam authenticum non habebat, per Urbani II litteras voluit edocere: felicis etiam recordationis Urbanus II R. Dolen. archiepiscopo, iuramento ab ipso recepto, quod memoratus G. praedecessor ipsius praedecessori eiusdem R. et successoribus eius usum pallei concessisset, sicut in transcripto litterarum ipsius G. quarum authenticum se habere iuravit, erat expressum, munus pallei ex Apostolicae Sedis liberalitate concessit. Licet ipsi mandasset, ut exhibere se nullatenus recusaret ad discutiendam querimoniam, quam Turonen. archiepiscopus de subiectione Dolen. Ecclesiae, et obedientia sibi negata, tam apud ipsum, quam praedecessores eius fecerat saepe proponi, idem etiam eum in litteris quas principibus, et populo Dolen. Ecclesiae destinavit, pro iustitiis eiusdem Ecclesiae duxit archiepiscopum nominandum, sicut per scriptum authenticum pars eadem demonstravit. Piae quoque memoriae Paschalis II Baldrico Dolen. archiepiscopo a Gerardo tunc Engolismen. episcopo auctoritate Sedis Apostolicae instituto, palleum, plenitudinem scilicet officii pastoralis indulsit, ut eo secundum consuetudinem praedecessorum suorum uteretur.

Paschalis II archiep. Baldrico pallium indulserat

Praeterea in synodo a bonae memoriae Calixto Papa celebrata Remis, B. Dolen. archiepiscopus cum duobus suffraganeis suis interfuisse legitur, et ad ipsam prius tanquam archiepiscopus evocatus. Honorius insuper cum praedictum G. tunc Engolismen. episcopum tanquam legatum suum, et Apostolicae Sedis vicarium destinaret, inter alios legitur B. archiepiscopo Dolen. scripsisse, ut eum reverenter susciperet, et ipsi humiliter obediret: qui etiam B. quatuor suffraganeos habuisse probatur. Ad haec felicis memoriae Innocentius Papa praedecessor noster G. Dolen. archiepiscopum et suffraganeos eius ad concilium, quod Pisis postea celebravit, legitur evocasse, et ad querimoniam eius citasse archiepiscopum Turonen., et super subiectione, quam a Dolen. petebat, iustitiam ostenderet Ecclesiae Turon. et eidem Dolen. de Alaten. dioecesi responderet. In quo etiam piae memoriae Coelestinus eundem praedecessorem suum Innocentium est secutus. Et licet bonae memoriae Lucius Papa II praedecessor noster contra Dolen. Ecclesiam pro Turonen. sententiam promulgarit, semper tamen Dolen. Ecclesia in libertatis possessione permansit; cum, sicut in scripto etiam ab adversa parte inducto perspicitur contineri, concessum fuerit, ut G. tunc Dolen. archiepiscopus quandiu Ecclesiae præesset eidem, usum pallei non amitteret, nec alii, quam Romanus Pontifex subiaceret. Idem etiam G. cum ad Capuanae Sedis metropolim aspiraret, in via cum Turonen. archiepiscopo dicitur collusisse, nec bene defendisse causam Dolen. Ecclesiae, a qua tam corpore, quam animo discedebat, cum statim post sententiam transierit ad Ecclesiam Capuan. Oliverius quoque successor ipsius electus, eosdem suffraganeos, quos G. praedecessor eius habuerat, habuit, et in Dolen. Ecclesia ministravit, sicut per plures testes fuerat comprobatum. Adiecit etiam pars Dolen.

Innocentius PP. Dolensem archiepiscopum et suffraganeos eius ad concilium evocavit.

quod processu temporis bonae memoriae Eugenius Papa praedecessor noster felicis record. B. Claraevallen. abbatem ad sopiendam inter easdem Ecclesias controversiam destinavit: cuius statutum servare noluit Ecclesia Turonen. Caeterum cum H. postmodum Dolen. electus propter illiteraturam suam apostolico se timeret conspectui praesentare, cum cantore et quatuor aliis canonicis Dolen. Andegavis, quasi cum Turonen. compositurus accessit, et exinde contra prohibitionem cantoris, et alterius canonici senioris, cum tribus iunioribus Turonen. adiit civitatem, et corruptis aliis tribus canonicis per collationem praebendarum, et salvo iure Dolen. Ecclesiae iurare inductis, se servaturos, quod oblata eis chartula continebat, a Turonen. archiepiscopo munus consecrationis accepit. Quod autem idem H. tres iuvenes memoratos corruperit, uni scilicet archidiaconatum, alteri praebendam conferens, et tertio praebendam susceptam de manu laicali confirmans: quod cantor, et socius eius eidem H. ne Turonis accederet, curaverint districtius inhibere, quod iidem iuvenes, salvo Dolen. Ecclesiae iure, iuraverunt: quod idem H. adulterinum sigillum habuerit, eadem pars per suos testes sufficienter asseruit fuisse probatum. Adiectum est etiam, quod litterae nomine Dolen. Cap. super ipsius H. praesentatione confectae, verae non essent; utpote in quibus nomen praemittebatur decani; cum decanus nullum haberet in eadem Ecclesia personatum, sed cantor primum locum potius obtineret. Idem etiam H. in professione, quam fecit archiepiscopo Turonen. se non episcopum, sed archiepiscopum nominavit. Caeterum cum idem H. propter praedicta non fuisset a Dolen. receptus, ad Apostolicam Sedem accedens, a bonae memoriae Adriano Papa praedecessore nostro ab obedientia fuit, quam Turonen. archiepiscopo in consecratione sua promiserat, absolutus. Sed hoc non potuit pars eadem per litteras

Quid in hac causa Adrianus PP. praestiterit;

authenticas demonstrare. Cui cum Dolen. Ecclesia ab eodem Adriano Papa usum pallei tum ex tenore concordiae, quam inter se et Turonen. archiepiscopum factam fuisse confitebatur, tum ex antiqua consuetudine postularet: nuncii vero Turonen. Ecclesiae compositionem quamdam factam per abbatem de Fontanis, in qua Dolen. Ecclesia suffraganeis renunciasse dicebant, peterent confirmari, addentes, quod sic fuerat a praefato Lucio Papa praedecessore nostro de fratrum consilio per sententiam deffinitum, parte Dolen. Ecclesiae praedictam compositionem et sententiam non tenere dicente: cum is, qui in Dolen. Ecclesia tunc praesulatus gerebat officium, dolum adhibuisset, et fraudem, utpote qui cum iam ad Capuanam metropolim aspiraret, nihil ad commodum Dolen. Ecclesiae allegavit: cum et Dolen. Ecclesia praesens in examinatione negocii non fuisset. Idem etiam Adrianus praedictam compositionem omnino cassavit, et eam vires censuit non habere. Eidem H. pallei usum indulgens, ac E. tunc archiepiscopo Turonen. praecipiens, ut aut cum eo super suffraganeis conveniret, aut usque ad festum Sancti Michaelis proximo tunc venturum plenam ei exhibiturus et recepturus iustitiam apostolico se conspectui praesentaret. Interim autem ipsum, vel clericos eius excommunicationis, vel interdicti sententia non praesumeret aggravare. Iterum etiam idem Adrianus ad festum Omnium Sanctorum citavit partem Ecclesiae Turonen., et eundem H. frequenter in litteris suis archiepiscopum nominavit: quod ex scriptis authenticis pars eadem demonstravit. Insuper bon. mem. Alexander Papa eumdem Adrianum praedecessorem suum postmodum imitatus, dictum H. nominavit archiepiscopum, et te non semel, sed et saepius, et tandem peremptorio evocavit, ut ad Apostolicam Sedem accederes, Roll. tunc Dolen. electo de suffraganeis responsurus. Asseruit etiam idem Ale-

Quid dein Alexander PP. fecerit;

xander in suis litteris, sicut ex earum inspectione patebat, quod dictus Adrianus praedecessor ipsius quaestionem illam, quae inter Turonen. et Dolen. Ecclesias per sententiam terminata fuerat, coeperat retractare. Unde volens plenius super causa ipsa cognoscere veritatem, cum utraque parte praesente, a Roll. tunc Dolen. electo testes recepisset inductos, et depositiones eorum super quibusdam capitulis admisisset, G. tunc Senonen., H. Baiocen. et abbati Sanctae Genovefae et decan. Baiocen. tam testes, quos ipse receperat super quibusdam aliis capitulis audiendos, quam alios ab alterutra partium inducendos, recipiendos, et audiendos super possessione subiectionis, in qua te, tu frater archiepiscope, esse dicebas, vel libertatis, in qua se idem tueri nitebatur electus super capitulis certis commiserit; quem Lucius etiam successor ipsius in hoc imitatus, N. Cenoman. decanum, I. de Veteri Ponte archidiacono Rothomagen., N. Ianuen. praeposito Sanctae Mariae de Castell. per suas litteras idem iniunxit: qui iuxta mandatum apostolicum procedentes, receperunt testes super praedictis capitulis inductos a partibus, et eorum depositiones redigentes, in scriptis sub sigillis suis ad Sedem Apostolicam transmiserunt. Ex his ergo concludens Dolen. Ecclesia postulabat, ut cum in libertatis semper possessione fuisset, dictum electum Ioan., per dilectum filium nostrum Ior. tituli Sanctae Pudentianae presbyterum cardinalem, tunc Apostolicae Sedis legatum auctoritate apostolica confirmatum, consecrare in archiepiscopum, et ei usum pallei curaremus de solita Sedis Apostolicae benignitate conferre. Caeterum ex parte Turonen. Ecclesiae fuit ad praedicta responsum, quod cum olim tota Britannia fuisset Turonen. Ecclesiae tanquam metropoli suae subiecta, Britannis tandem conspirantibus contra regem Francorum, et proprium sibi constituentibus regem, occasione beati Sansonis

Quid Lucius PP.

quondam Eboracen. archiepiscopi, qui dum in partibus Britanniae pateretur exilium, in Dolen. Ecclesia cum archiepiscopalibus insignibus ministrarat, Dolen. Ecclesia contra Turonen. supercilium elationis assumpsit, Britannis volentibus sibi novum archiepiscopum, sicut novum regem creaverant, suscitare. Unde bonae memoriae Nicolaus Papa praedecessor noster Salomoni tunc regi Britanniae scribens, quod omnes episcopi regni eius suffraganei essent Ecclesiae Turonen. per litteras suas expressit: adiiciens tandem, ut si contentiosus agere vellet, ad Sedem Apostolicam destinaret: ut quae esset sedes metropolitica per eius iudicium appareret. In aliis etiam litteris directis eidem Turonen. Ecclesiae metropolim esse Dolen. Ecclesiae, sicut ex praedecessorum suorum monimentis, et exemplis priorum patere dicebat, asseruit: et Festiniano Dolen. antistiti scribens, quod Turonen. Ecclesia metropolis eius esset se comperisse, sicut ex litteris eius apparet, descripsit, necessarium esse adiiciens, ut eam Dolen. episcopi sequerentur, et ipsam in negociis suis adirent: nec exquirere ipsius iudicium detrectarent, sicut per monimenta praedecessorum suorum, et exempla priorum dicebat ostendi. Addito ut idem Festinianus se metropolitanum nullatenus appellaret, quousque scripta Romanorum Pontificum, quae in acceptione pallei eius antecessores acceperant, destinaret: cum in regestis Siri et Adriani nullatenus invenisset, quod Bestovaldo, et Iunemeno praedecessoribus eiusdem F., sicut scripserat, usum pallei concessissent. Praeterea Ioannes Papa praedecessor noster episcopis Britanniae interdixit, ne iuri Ecclesiae Turonen. resisterent, super omnibus, quae Turonen. archiepiscopus ad suam pertinere metropolim asserebat, donec utraque partium ad Apostolicam Sedem accederet, ut ibidem eadem causa finiretur. Adiiciens quod si aliter agerent, se scirent excommunicationis sententiae

Quid Nicolaus PP.

Quid Ioannes PP.

subiacere, et ab omni ecclesiastico beneficio esse suspensos. Quem piae recordationis Leo Papa successor ipsius postmodum imitatus, se in scriptis veterum reperisse asseruit omnes episcopos Britanniae Turonen. archiepiscopo subiacere. Adiiciens quod cum ad eum in Remen. concilio super hoc quaestio delata fuisset, statuerat, ut Dolen. pseudoarchiepiscopus cum suis subiectis Romano concilio interesset, non solum super hoc, sed etiam de simonia etiam responsurus. Quod quia implere contempsit, eum, et omnes episcopos, qui ei adhaeserant, excommunicationis sententia innodavit: sic scilicet, ut nec peragerent divinum officium, nec audirent, nec etiam benedicere attentarent. Tandem vero cum utraque partium super hoc coram fel. rec. Gregorio Papa VII praedecessore nostro diutius litigasset, idem Gregorius post longam discussionem in Romana synodo, utraque parte praesente, et causa non sine multo labore discussa, contra Dolen. Ecclesiam sententiam promulgavit: ut nisi forte Britanni a subiectione eiusdem Ecclesiae se possent authentica Sedis Apostolicae auctoritate tueri, Turonen. Ecclesiam matrem suam, et metropolim recognosceret, et eam quam decet metropolitanum subiectionem et obedientiam Turonen. archiepiscopo exhiberet: usu pallei tunc Dolen. electo reservato, sic tamen, ut nullus successor eius ad dignitatem huiusmodi aspiraret, sed tam ipsi, quam caeteri episcopi Britanniae sub Turonen. archiepiscopi magisterio perpetuo permanerent. Ad quod melius cognoscendum idem Gregorius legatos Sedis Apostolicae in provinciam destinavit: qui congregato concilio Xanctonis, auditis propositis, cum Dolen. Ecclesia nullum ad suae defensionis praesidium Apostolicae Sedis privilegium induxisset, sed quasdam litteras potius sub nomine Adriani Papae confectas, quas P. clericus Dolen. antistitis ipso audiente, ac tacente in regesto Romanae Ecclesiae se mentitus fuerat reperisse, et quas idem antistes falsatas esse in versiculo, in quo de datione pallei fiebat mentio, recognovit, quod Gregorius sub conditione statuerat, pure curaverunt et simpliciter diffinire: scilicet, ut tam idem Dolen. quam caeteri Britanniae episcopi, perpetuam deinceps subiectionem et obedientiam exhiberent archiepiscopo Turonen., quod praedictus Dolen. in manu dicti Gregorii Papae post datum iudicium promiserat se facturum: quamvis autem praedictorum Ioannis, Leonis, Gregorii, et legatorum eius pars eadem authentica non haberet, ea tamen authentica esse per bonae memoriae Urbanum II authenticum demonstravit. Cumque postmodum R. Dolen. episcopus memorati Urbani Papae se conspectui praesentasset, iuramento firmavit, quod praedictus Gregorius praedecessor eius, salva querimonia Turonen. Ecclesiae, pallei usum concesserat: sic tamen, ut si etiam Dolen. Ecclesia in causa succumberet, usum pallei nihilominus retineret: quod per quasdam litteras eiusdem Gregorii ostendere nitebatur, propter quod Urbanus ei pallium indulsit. Caeterum cum R. Turonen. archiepiscopus ad eius praesentiam accessisset, et quod per eundem Gregorium et legatos eius diffinitum fuerat, demonstrasset, idem Urbanus de consensu partium certum terminum partibus assignavit: ad quem si qua partium non veniret, causae suae periculum sustineret. Unde Turonen. ad terminum veniente, Dolen. per nuncium vero suum excusationes solummodo praetendente minus legitimas, causa cognita, de consilio fratrum suorum sancivit, ut tam Dolen. quam caeteri episcopi Britanniae Turonen. Ecclesiam suam esse metropolim recognoscerent, et debitam ei reverentiam exhiberent, nec ullo ulterius tempore post Roll. obitum ad usum pallei Dolen. episcopus aspiraret, sicut in eius authentico perspeximus contineri. Idem

Quid Leo PP.

Quid Gregorius PP. VII.

Quid Urbanus PP. II.

etiam Urbanus episcopis Britanniae suam sententiam denuncians praecepit, ut Turonen. sicut archiepiscopo suo imposterum obedirent. Cum autem postmodum tempore bonae memoriae Lucii Papae II causa eadem fuisset ad Apostolicae Sedis audientiam procurante Dolen. Ecclesia revocata, ipse, utraque parte praesente, latam ab eodem Urbano per sententiam confirmavit: et Turonen. Ecclesiam super Dolen. et aliorum episcoporum Britanniae obedientia per baculum investivit: praecipiens, ut tam Dolen. quam caeteri episcopi Britanniae Turonen. Ecclesiae tanquam propriae metropoli subiacerent, et ei debitam obedientiam et reverentiam exhibere curarent. Hac tamen moderatione habita, ut G. tunc Dolen. episcopus retineret usum pallei quoad viveret, et Romano tantum Pontifici subiaceret, sed post ipsum nullus Dolen. episcopus ad usum pallei aspiraret, sicut in ostenso nobis ipsius authentico privilegio continetur. Qui etiam Briocen. et Trecor. episcopos ab obedientia Dolen. absolvit: et ut Turonen. archiepiscopo reverentiam et obedientiam exhiberent iniunxit; adiiciens, quod si mandati essent apostolici contemptores, sententiam quam Turonen. proferret in eos, ratam haberet, et faceret inviolabiliter observari. Mandans etiam comiti et baronibus Britanniae, ut sententiae nullatenus obviarent, sed eam paterentur executioni mandari. Alioquin ratam haberet sententiam, quam Turonen. archiepiscopus in contradictorem quemlibet promulgaret. Hanc autem eiusdem Lucii sententiam Eugenius et Anastasius successores ipsius auctoritate apostolica confirmarunt: et idem Eugenius ratam habuit excommunicationis sententiam, quam in Dolen. et Briocen. clericos E. tunc Turonen. archiepiscopus propter eorum inobedientiam promulgarat. Tandem vero Dolen. Ecclesia sententiae parere coacta, Hugonem tunc electum suum consecrandum per decem

(Quid Lucius PP. II)

(Quid Eugenius PP. III et Anastasius PP. IV.)

Dolen. canonicos et clericos cum decreto capituli subscriptiones canonicorum omnium continente, absolutione recepta ab archiepiscopo Turonen., eidem archiepiscopo praesentavit, et ei professionem fecit, sicut alii suffraganei archiepiscopo suo facere consueverunt, ac rediens a clero et populo Dolen. fuit cum processione receptus. Et licet idem H. postmodum, sicut ab adversa parte proponitur pallium, et absolutionem obedientiae, quam in consecratione sua exhibuerat Ecclesiae Turonen., tacita de latis sententiis veritate, et falsitate suggesta: scilicet quod ille, qui tunc in Dolen. Ecclesia praesulatus gerebat officium, fraudem adhibuerat, nec sufficienter partem Dolen. Ecclesiae defenderat, a Sede Apostolica impetrasset: rediens tamen eidem archiepiscopo debitam obedientiam exhibere curavit, et se teneri recognovit, eidem, ad concilium eius vocatus accessit, et tam ei quam I. eiusdem archiepiscopi successori obedientiam, sicut suo metropolitano reverenter impendit, sicut per testes fuerat legitime comprobatum. Qui cum tandem, quia transgressus fuerat proprium iuramentum, ab eodem I. fuisset excommunicationis vinculo innodatus, tandem caecitate percussus, poenitens, et de periurio sponte confessus, absolutionis ab eo beneficio impetrato, annulum etiam ei resignavit: quod totum per testes fuerat comprobatum. Idem quoque Adrianus in litteris, quas pars adversa super pallio eidem H. concesso, inducit, inter caetera protestatur, quod quia super controversia proposita, plenam non potuerat cognitionem habere, cum altera pars in negatione consisteret, et se non habere mandatum penitus affirmaret, nihil ab eo fuerat super eodem negocio terminatum. Felicis etiam recordationis Alexan. Papa praedecessor noster de sententia Lucii, confirmatione Eugenii et Anastasii, concordia H., et pallio ipsi H. ab Adr. Papa concesso habita mentione,

(Quid Alexander PP. III)

Turon. Ecclesiae in Dolen. ius metropolicum reservavit: mandans Dolen. capitulo, ut si forsan in personam idoneam convenisset, eam Turon. archiepiscopo confirmandam, et consecrandam, si electionem factam inveniret canonice, praesentaret, et consecraturus ei debitam obedientiam et reverentiam secundum Ecclesiae consuetudinem exhiberet. Adiiciens, quod si per legatos Sedis Apostolicae eorum esset electio confirmata, et electus etiam consecratus, nihilominus ad eundem archiepiscopum vocatus, accederet, et ei obedientiam exhiberet. Quod si forsan ab eo vocatus ad praesentiam eius infra tres menses accedere non curaret, ex tunc idem Alexander ipsum ab administratione temporalium, et executione officii, quod post electionem susceperat, suspendebat, sicut per eius authentica patuit manifeste. Nec nocuit, nec nocere potuit Ecclesiae Turon. quod idem Alex. forte in favorem Dolen. electi citavit partes, testes recepit, et aliis recipiendos commisit: cum non in praeiudicium alterutrius partium id intelligatur egisse; praesertim cum tibi etiam ad Turon. metropolim evocato, Dolen. dioecesis in pulsatione campanarum, et causarum delatione detulerit, et abbas Sancti Iacuti, qui est de Dolen. dioec., ad concilium tuum vocatus accesserit, et tibi etiam curaverit obedientiam exhibere. Nos ergo diligenter auditis, quae fuerant hinc inde proposita, et rationibus, et allegationibus partium cum instrumentis et attestationibus sufficienter inspectis, de fratrum nostrorum, et tam archiepiscoporum, quam episcoporum existentium, apud Apostolicam Sedem consilio, petitionem Dolen. Ecclesiae interlocuti sumus non esse aliquatenus admittendam: cum probatus non esset Dolen. Ecclesiam in libertatis possessione, sed Turonen. potius in subiectionis ipsius possessione manere. Ad abundantiorem autem cautelam ab eodem electo coram fratribus nostris quaesivimus, si Dolen. Ecclesia iam probasset, vel adhuc posset probare, dolum, quem praefatus G. Dolen. archiepisc. dictus est commisisse, per quem pars Dolen. Ecclesiae remansisse proposita fuerat indefensa. Qui respondit, quod dolus ille nec probatus fuerat, nec poterat comprobari: cum saepe dictus G., et qui cum eo venerant in Apuliam transeuntes, nunquam postea remearint. Et quamvis causa non super proprietate, super qua saepe fuerat sententialiter diffinitum, sed super possessione tantum subiectionis et libertatis commissa sub certa forma fuisset; ad omnem tamen occasionem tollendam, liberam eis concessimus facultatem, ut ex his, quae acta fuerant, adhuc summatim de proprietate proponeret, si quod posset rationabiliter allegare. Audientia ergo sibi propter hoc publica in consistorio bis indulta, quia praeter praemissa nihil ad commodum partis suae potuit allegari: cum quasi praenosceret, quod debet in causa succumbere, electioni renunciare voluit in manibus nostris, et a commissa sibi et sociis suis a Dolen. capitulo super eadem causa procuratione cessare. Nos autem nolentes hominum malitiis indulgere, nec renunciationem recepimus, nec passi fuimus, ut a commisso sibi, et sociis suis a Dolen. Ecclesia super eadem causa procuratoris officio resileret. Ipso igitur nihil quod ad causam suam faceret postmodum proponente, cum ipsum negocium diu quidem cum multa diligentia nos, et fratres nostri sufficientissime discussimus, praemissis et aliis multis rationibus per idoneos advocatos, ab utraque parte prudenter inductis: quas propter prolixitatem superfluam in hac pagina praetermisimus annotare: de communi fratrum nostrorum consilio, auctoritate Dei Omnipotentis, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et nostra utraque parte praesente, praedictas praedecessorum nostrorum sententias confirmantes, decer-

Innoc. PP. III decessorum firmans decreta, Dolensem Ecclesiam Turonensi subiectam declarat.

nimus, statuimus et sancimus, ut Dolen. Ecclesia perpetuis semper temporibus suffraganea plene subiaceat Ecclesiae Turonen., et debitam ei suae verae metropoli reverentiam et obedientiam cum aliis suffraganeis Ecclesiae Turon. impendat: nec unquam Dolen. episcopus ad pallei usum aspiret. Et ne causa toties diffinita, de caetero valeat in contentionis scrupulum refricari, si qua post hac instrumenta, vel argumenta pro parte Dolen. Ecclesiae possent quomodolibet inveniri, nos auctoritate apostolica nihil ea penitus valitura censemus. Nulli ergo *etc.*, diffinitionis *etc.*

Datum Laterani per manum Rainaldi domini Papae notarii, cancellarii vicem agentis, kalendas iunii, indictione secunda, incarn. dominicae anno MCXCIX, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno secundo.

Dat. die 1 iunii 1199, pontif. anno II.

XXII.

***Privilegium clericis Ecclesiae Ss. Sergii et Bacchi de Urbe concessum* (2).**

SUMMARIUM

Exordium. — Bona huic Ecclesiae confirmata. — Cuius fines hic describuntur. — Quae bona propriis vocabulis designantur, — Atque nonnullorum limites etiam assignantur. — Bona insuper alia, super quibus quaestio fuerat agitata, apostolica auctoritate Ecclesiae eidem confirmat. — Clausulae consuetae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Romano archipresbytero, et clericis Sanctorum Martyrum Sergii et Bacchi tam praesentibus quam futuris, in perpetuum.

Exordium

Licet omnium Ecclesiarum sit nobis cura et solicitudo commissa, illis tamen, quae in urbe consistunt, tanto solicitius nos convenit providere, et earum iura illibata servare, quanto amplius ad iurisdictionem nostram noscuntur specialius pertinere. Ea propter, dilecti *etc.*, *usque ad verbum* annuimus. Et praefatam ecclesiam Beatorum Martyrum Sergii et Bacchi, in qua divino *etc.*, *usque ad verbum* vocabulis. Medietatem arcus triumphalis, qui totus in tribus arcubus constat, de quo unus de minoribus arcubus propinquior est vestrae Ecclesiae, supra quem una ex turribus aedificata esse videtur: et medietatem de arcu maiori, qui est in medio cum caminatis iuxta minorem arcum cum introitibus, et exitibus suis, et aliis omnibus suis pertinentiis, quae sub his finibus concluduntur. A primo latere est altera medietas eiusdem arcus triumphalis iuris haeredum Cimini: a secundo latere est aliud claustrum suprascripti Cimini, et curtis, et via publica: a tertio latere est curtis Ecclesiae vestrae: et a quarto latere est via publica, quae pergit ante supradictam Ecclesiam: sicut in instrumento locationis factae a bonae memoriae Gregorio eiusdem Ecclesiae diacono cardinali plenius continetur. Ecclesiam Salvatoris de Statera cum pertinentiis suis: ecclesiam Sancti Laurentii positam sub Capitolio cum causis, cryptis, hortis, et omnibus aliis suis pertinentiis. Omnes domos positas in Gallicis, quae his finibus concluduntur. A duobus lateribus tenet Ecclesia vestra: a tertio tenet Ecclesia Sanctae Martinae: a quarto latere via publica, quae pergit ante dictam Ecclesiam. Omnes domos, quae sunt positae in regione Piri, cum casalinis, et hortis, et aliis pertinentiis suis, praeter unum casalinum iuris Sancti Sabae, et unam domum Pantalei addextratoris; domum unam positam a regione Sancti Adriani iuxta columnas Sancti Ioannis ante Portam Latinam. Domum unam positam iuxta domum Ioannis de Ascesa. Quatuor cryptas, cum casalinis ante se, usque ad Viam Publi-

Bona huic Ecclesiae confirmata.

(1) Vide Baronium ad annum 859. (2) Ex Baluzio, Epist. 94.

cam post ecclesiam Salvatoris de Statera, quas emistis ab haeredibus Petri de Ascesa. Unum casalinum in regione Sancti Theodori in pede Canapariae: duo casalina iuxta columnam perfectissimam: unum casalinum iuxta domum Rogerii de Rozo, et iuxta domum Urb. turrim in casale Barbarian. cum terris, vineis, sylvis, pratis, montibus, collibus, pascuis, salictis, arboribus fructiferis et infructiferis, puteis, fontibus, rivis, aedificiis parietinis, et aliis suis omnibus pertinentiis: quae infra subscriptos terminos continentur. A primo latere rivus de Luzan, et tenimentum haeredum Fusci de Berta, et tenimentum Sanctae Anastasiae: a secundo latere via publica Ardeatina usque ad fossatum Sancti Nicandri: a tertio latere idem fossatus inter vos et ecclesiam Sanctae Mariae de Aventin. et tenimentum Sancti Georgii et Quatuor Sanctorum Coronatorum: a quarto latere tenimentum Sanctae Mariae Maioris, et tenimentum monasterii S. Mariae in Campo Martis, usque ad praedictum rivum Luzan. Quatuor vinealia iuxta Cantarum Alban. terram quam habetis in territorio Ariciae supra lacum de Nemo: duo fila salinarum in Bordanaria, in loco, qui dicitur Caput Bovis iuxta filum Sancti Pancratii. Tenimentum Tusculani vobis, et Ecclesiae Sanctae Mariae in Porticu, a felicis recordationis Coelestino Papa praedecessore nostro concessum: quod infra hos fines concluditur. A primo latere via Cavon., a secundo latere fossatus, qui ascendit ad columnam felleris usque in caput pantani: a tertio latere super caput pantani usque ad limitem maiorem, et per eundem limitem usque ad fossatum Berardi Anagnini: a quarto latere per idem fossatum usque ad viam Cavonis. Inferioris vero Camellariae parochiam, et eiusdem Camellariae proprietatem, ita quod nulla iniuria inferatur habitatoribus ipsius Camellariae. Ab habitatoribus superioris Camellariae, hortum quoque Sancti Laurentii, sive supra Sanctum Laurentium, terram, quae quondam fuit Olivetum a Cava usque ad Salvatorem. Terram supra Olivetum usque ad Balneariam, sive Vascam. Hortum Sancti Sergii, sive post Sanctum Sergium, et hortum inter columnas usque ad Abscidam, et usque ad custodiam Mamortinam: super quibus inter vos, et Ecclesiam Sanctae Mariae de Capitolio quaestio diutius fuerat agitata, et ex delegatione felicis memoriae Coelestini Papae praedecessoris nostri per dilectos filios I. tit. Sancti Stephani in Coelio Monte, et Sofr. tit. Sanctae Praxedis presbyteros cardinales amicabili compositione sopita, sicut in scripto eorumdem cardinalium exinde confecto plenius continetur, vobis, et per vos Ecclesiae vestrae auctoritate apostolica confirmamus. Duas insuper petias vinearum in Vivario infra muros urbis, et unam extra portam Sancti Pauli in Castannola, et aliam petiam foris Portam Latinam cum cryptis, torcularibus, et aliis earum pertinentiis vobis nihilominus confirmamus. Decernimus ergo *etc.*, salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur *etc.* Clausulae consuetae.

Dat. Laterani per manum Rainaldi Acheruntini archiepiscopi, cancellarii vicem agentis, sexto nonas iulii, indictione secunda, incarnationis dominicae anno MCXCIX, pontificatus vero domini Innocentii Papae III anno secundo.

Datum die 2 iulii 1199, pontif. anno II.

XXIII.

Compostellano archiepiscopo Ulixbonensis et Elborensis episcopatus subiiciuntur (1).

SUMMARIUM

Status controversiae inter archiepiscopum Compostellanum et episcopos Ulixbonensem et Elborensem. — Quo iure hae Ecclesiae archiepiscopo Compostellano subiectae. — Iura archiepiscopi violata. — Ab archiepiscopo propositae rationes. — Archiep. Bracarensis momenta. — Compostellani

(1) Ex Baluz., Epist. 59.

responsiones, *etc.* — Quid fecerint hac in re Romani Pontifices — Literae Coelestini PP. super eodem negotio. — Quod per falsum procuratorem agitur in iudicio valet, si postea per dominum approbatur. — Decretum Pontificis quo definitur Compostellan. Ecclesiam metropolitico iure in duobus supradictis episcopat. gaudere: — Cum solitis clausulis.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Petro Compostellano archiepiscopo.

Status controversiae inter archiepiscopum Compostell. et episcopos Ulixbonensem et Elborensem.

In causa duorum episcopatuum, videlicet Ulixbonen. et Elboren., quae inter te ac venerabilem fratrem nostrum Bracaren. archiepiscopum vertebatur; cuius examinationem plenariam sola sententia Sedi Apostolicae reservata, felicis recordationis Urbanus Papa praedecessor noster vicedomino Brixien. et magistro I. Bergomen. commisit in Hispaniam destinatis: te coram ipso vicedomino, altero iam collega post citationem defuncto, contra dictum archiepiscopum in initio proposuisse cognovimus, quod Bracaren. archiepiscopus post litteras citationis receptas, post appellationem et inhibitionem a te interpositas, ne in praedictis episcopatibus aliquid in tuum praeiudicium attentaret, electos illius temporis consecravit. Unde te offensum graviter querebaris: ubi a te nihilominus fuit propositum contra ipsum, quod ante invasionem barbaricam Ulixbona et Elbora civitates ad Emeriten. metropolim pertinebant; sed ea postmodum captivata, et ipsae cum ea captivae fuerunt, donec dignitas eius cum omni iure suo in Compostellana Ecclesia est translata. Dictae quoque civitates christianorum cultui sunt faciente Domino restitutae: de quibus usque ad tempora iam dicti praedecessoris nostri non fuit in dubium revocatum, quin ad Compostellanam Ecclesiam pertinerent: licet rex Portugall. ad suggestionem Bracaren. Ecclesiae ius Ecclesiae Compostellan. pluries molestavit: pro cuius prohibitione secundus Elboren. electus in tantum distulit consecrari, quod absque consecratione decessit: cuius successor, et tertius Ulixbonen. electus, praefato rege vivente non fuerunt ab aliquo consecrati. Huius autem violentiam successor filius superavit: cogens Bracaren. archiepiscopum cogi volentem, ut iam dictos electos, quod pater nunquam fecerat, consecraret. Contra quod ex parte tua prius fuerat ad Sedem Apostolicam appellatum: a qua commissionem, de qua praemisimus impetraras: proponens coram dicto vicedomino Brixien. te illos duos episcopatus possidere, ac possedisse, atque ad tuam ipsos Ecclesiam pertinere: petens nihilominus: ut Bracaren. archiepiscopus tibi de illatis iniuriis satisfaceret, et cohiberetur de caetero, ne in praedictis episcopatibus te libere uti iurisdictione metropolitica impediret, quos ad Ecclesiam tuam indubitate spectare per Apostolicae Sedis privilegia; concilia quoque, divisiones, et historias, et publicam famam, sicut in causa quatuor episcopatuum feceras ostendere nitebaris, parte altera respondente Bracaren. Ecclesiam illos duos episcopatus, et possidere tunc, et ab eo tempore possedisse, quo per gratiam Dei, et virtutem A. regis Portugallen. duae civitates praedictae de manu paganorum fuerant liberatae, atque ad cultum fidei christianae per Bracaren. archiepiscopi praedicationem reductae: et iure suo sic usum archiepiscopatum Bracaren. asserebat tibi aliquatenus iniuriam non fecisse. Ex his ergo circa iniuriarum possessionis, et proprietatis articulos, intentionem tuam asserebas esse fundatam, et ad singulos articulos partem alteram respondisse. Ad iniurias quidem et possessionem expresse, ad proprietatem vero latenter; cum iuxta canonicas sanctiones quicquam ad suam cathedram pertinentia loca lucrari negligunt in catholicam unitatem, si post tempus canonicum id

Quo iure hae Ecclesiae archiepis. Compostellano subiectae.

Iura archiepiscopi violata.

Ab archiepiscopo propositae rationes.

moniti non effecerint, ad eum perveniunt, qui poterit ea sua praedicatione lucrari. Porro Bracaren. archiepiscopus respondebat, quod cum in praemisso iudicio satisfactio tantum iniuriarum petita fuisset, et ut cohiberetur archiepiscopus Bracaren. ne impediret te uti iurisdictione metropolitica in illis duobus episcopatibus, sicut ex forma libelli coniicitur manifeste: profecto nec proprietatem, nec possessionem ab eo iam petere poteras in praesenti iudicio, praesertim cum te diceres possessorem; unde proprietatem vel possessionem ab eo petere non valebas, quae nonnisi a possidentibus repetuntur: adiungens, quod, etsi ad proprietatem vel possessionem aliquid pertinens a parte sua coram nobis fuerit allegatum, cum ius suum fuerit protestata, non debebat in eius dispendium redundare. Interdictum quoque uti possidetis, quod in hoc casu locum videbatur habere: cum utraque partium se possidere diceret, tibi non competere proponebat, cum te, sicut dicebat, non probaveris possessorem, nec interdicto illo alius agere, valeat, quam possessor; in quo ille debet per sententiam obtinere, qui nec vi, nec clam, nec precario ab altero possidet. Tu vero possessionem Ecclesiae tuae multipliciter ostendere satagebas, tam per confessiones adversae partis, quam per electorum et episcoporum recognitiones, et professiones, et obediendientiam eorundem, quam etiam per executiones Romanorum Pontificum, quae singula tam instrumentis, quam testibus asserebas esse probata. Interrogatus enim in iure G. Bracaren. archiepiscopus proximus antecessor istius, si credebat aliquem praedecessorum suorum hos episcopatus aliquando possedisse, respondit: quidam dicunt sic, quidam non, et ideo nescio quibus credam: et addidit postea: nec inde certus sum, nec incertus; quae verba in id eum videbantur inducere, ut nullum praedecessorum suorum crederet possedisse. Primus autem post liberationem Ulixbonen. episcopus G. nomine, necnon et Alvarus successor ipsius professionem fecerunt in scriptis, et etiam manualem Compostellanan. archiepiscopo, et ei sicut metropolitano suo reverentiam et obedientiam impenderunt. Tertius quoque qui superest, dum adhuc esset electus, idem cum tota sua Ecclesia recognovit, veniens ut confirmationem electionis, et munus consecrationis reciperet ab archiepiscopo memorato, nisi de medio fere itineris per prohibitionem regis sui fuisset ad propria revocatus: sicut per multos testes asserebas esse probatum. Executiones quoque Romanorum Pontificum, videlicet Alexandri, Lucii et Coelestini, qui possessionem, quam te habere, licet cum perturbatione, credebas, declarare voluerunt, demonstrant, quod te in plenum iurisdictionis usum inducere curaverunt, facultatem tibi liberam tribuentes suspendendi, excommunicandi, et electionem cassandi, praecipientes etiam sententias a te latas inviolabiliter observari, sicut in eorundem litteris continetur. Pro iurisdictionis autem executione libere obtinenda in Elboren. episcopatu, punitus est Bracaren. archiepiscopus in episcopatibus Galletiae tibi per Sedem Apostolicam assignatis, sicut in litteris bonae memoriae Alexandri Papae contineri dicebas. Ex litteris etiam Ulixbonen. episcopi, quas ostendebas bullatas, ostendere nitebaris, quod Elboren. episcopus sententiam a te latam in ipsum incaeperat observare. Bracaren. autem archiepiscopus respondebat professiones praedictas non esse per testes approbatas, quandam ipsis testibus de ratione temporis impossibilitatem obiiciens; asserens etiam, quod per professiones huiusmodi clam ignorante Bracaren. archiepiscopo factas, non potuit Ecclesia Bracaren. sua possessione privari: cum, et quaedam earum factae fuisse probentur, cum Ulixbonen. episcopus exulabat, possessionem suam multo plenius et efficacius

Archiep. Bracarensis momenta

Compostellani responsiones, etc.

Quid fecerint hac in re Romani Pontifices.

satagens comprobare: cum omnes episcopi a liberatione civitatum illarum in illis duobus episcopatibus per Bracaren. archiepiscopum fuerint consecrati, qui ei tanquam suo metropolitano reverentiam et obedientiam impenderunt, venientes ad concilia Bracaren. tanquam proprii suffraganei et querelas suas coram eodem archiepiscopo proponentes, sicut per multos testes asserebat, et tuae partis, quaedam etiam instrumenta sufficienter esse probatum. Litteras autem bonae memoriae Coelestini Papae praedecessoris nostri super eodem negocio pro te contra Bracaren. Ecclesiam impetratas, in nullo sibi posse praeiudicare dicebat; cum lite pendente fuerint impetratae, quando non licet etiam supplicare. Tu vero praeter praemissa fortius allegabas, quod cum G. Bracaren. archiepiscopus et M. canonicus et clericus tuus olim essent in praesentia bonae memoriae Alexandri Papae praedecessoris nostri pariter constituti, eodem M. clerico tuo firmiter praeponente, quod Bracaren. archiepiscopus plures de suffraganeis tuis, et praecipue Ulixbonen. et Elboren. episcopos occupaverat; dictus archiepiscopus e contra respondens, asseruit, quod praefatos episcopos nullatenus detineret, nec ab eis obedientiam vel reverentiam aliquam exigeret, nec etiam quomodolibet impediret, quo minus tibi, et Ecclesiae tuae obediant, et subiectionem impendant. Adiecit etiam quod cum nobilis vir dux Portugallen. civitatem Elboren. coepisset, ne in paganismum rediret, instantia eius N. praedecessor suus ibidem episcopum consecravit. Sed tamen ab eo nullam obedientiam vel reverentiam requisivit, immo, ut Ecclesiae Compostellanae obediret mandavit, qui nondum propter paupertatem, et quia nimium remotus est, ad tuam accessit Ecclesiam. De aliis vero episcopatibus quos idem M. clericus tuus dicebat ad tuam Ecclesiam pertinere, dixit quod ad Ecclesiam suam spectant, et sibi iure metropolitico debent subesse, et super hoc privilegium Romanorum Pontificum multa produxit. Cumque ab eodem nuncio tuo idem praedecessor noster instantius requisisset, si qua exinde privilegia Ecclesia tua haberet, et ipse asseverasset se id omnino nescire, statuit ut episcopi, quos Bracaren. non recognovit, ad te pertinerent: asserens ad Ecclesiam suam ipsos spectare, ei, et Ecclesiae suae quousque hoc iudicio diffiniretur, obedientiam et reverentiam impendant: et ipse praedictos duos episcopos libere tibi, et Ecclesiae tuae obedire permittat. Licet autem Bracaren. archiepiscopus contra praedictas litteras allegaret, quod illa confessio sibi praeiudicare non poterat, cum in iure facta non fuerit; eo quod praefatus M. non procurator, aut responsalis, sed canonicus tantum, et clericus in illis litteris appellatur, quia tamen saepe dictus Bracaren. archiepiscopus illas litteras impetravit, et eis pro se usus est in iudicio, magnumque de illis commodum acquisivit: et tu quod per eundem M. canonicum et clericum tuum super hoc factum fuit ratum habes, et approbas. Unde iam ille non potest obiicere, quod nullus pro parte sua ibi fuerit procurator: nam, et quod per falsum procuratorem agitur in iudicio valet utique, si postea per dominum approbatur: tum etiam praesumendum sit pro facto Romani Pontificis: unde coniicitur quod coram Alexandro Papa, qui statutum illud emisit, lis fuerit contestata. Nos attendentes quod forma petitionis, quam tu in hoc iudicio porrexisti, eadem est cum forma constitutionis, quam dictus praedecessor noster Alex. Papa fecisse probatur, cum forma quoque assertionis, quam Bracaren. archiepisoopus coram eodem Alex. fecisse dignoscitur, super quo testes in hoc iudicio producti fuerunt, et attestationes etiam publicatae, necnon et super ipsis attestationibus disputatum, rationibus et allegationibus utriusque

Literae Coelestini PP. super eodem negotio.

partis diligenter auditis, et cognitis, attestationibus quoque ac instrumentis visis, et intellectis, habito fratrum nostrorum consilio, de communi deliberatione decernimus, et sententialiter deffinimus, ut Bracaren. archiepiscopus, vel Ecclesia Bracaren. nullatenus te, vel Ecclesiam Compostellan. impediat, quo minus in praedictis duobus episcopatibus plene ac libere iurisdictionem metropoliticam valeas exercere. Nulli ergo *etc.* Deffinitionis *etc.*

Datum Lateran. sexto nonas iulii.

Datum die 1 iulii 1199, pontif. anno II.

XXIV.

Compostellana Ecclesia erigitur in metropolitanam (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Emeritae si ad potestatem christianorum redierit episcopus restituendus. — Episcopatus Compostellano suffraganei. — Bona ei confirmantur et redditus. — Bonorum enumeratio. — Inter alia, regalis capellania et cancellaria quam Alphonsus Hispaniae rex concessit Ecclesiae Compostellanae et suo scripto roboravit. — Monasterium S. Laurentii de Carbonario eidem Ecclesiae iurispatronatus confirmatur: — Nec non terrae, villae, ecclesiae cum iuribus et pertinentiis in nonnullis episcopat. hic designantur et eidem confirmantur; — Addito etiam iure regali. — Clausulae consuetae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Petro Compostellano archiepiscopo eiusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Exordium

In eminenti Apostolicae Sedis specula disponente Domino constituti, *etc.*, *usque ad verbum* Assen. ad exemplar praedecesssorum nostrorum felicis record. Calixti, Anastasii, Alexandri et Lucii Rom. Pont. Compostellan. Beati Iacobi Ecclesiam, cuius in eo venerandissimum corpus est positum, Apostolicae Sedis privilegio communimus, et ob ipsius a Deo electi Apostoli reverentiam archiepiscopalis cathedrae dignitatem, quam opulentissima quondam, et famosi nominis Emeritana civitas, prius quam peccatis exigentibus ab impia Saracenorum tyrannide possideretur, habuisse dignoscitur, praesentis scripti pagina in perpetuum confirmamus. Statuentes, ut eadem Emeritana civitas, si ad potestatem christianorum Domino donante redierit, episcopum habeat: qui Compostellano archiepiscopo sicut metropolitano suo debeat perpetuo subiacere. Omnem quoque pontificalis officii plenitudinem, quam ipsius Emeritanae Ecclesiae antistites antiquitus habuerunt Compostellanus praesul Ecclesiae integre semper obtineat, et quiete. Suffraganei vero episcopi Emeritan. metropoli, qui per Lusitaniam provinciam, vel modo sedes proprias obtinent, vel in futurum per Domini misericordiam obtinuerint, Salaman. videlicet, Abulen., Caurien., Civitaten., Placentin., Pacen., Oxonoben., et praeterea Lamecen. et Egitanien., necnon Ulixbonen. et Elboren., sicut in nostris sententiis continetur: Compostellano archiepiscopo, cuius consecratio ad Rom. tantum Ecclesiam spectat, obedientiam et reverentiam tanquam proprio metropolitano prorsus exhibeant. Ipse autem illos consecrandi, ad sua concilia convocandi, cum ipsis etiam ecclesiastica negocia terminandi, et eorum Ecclesias disponendi, auctoritate Sedis Apostolicae liberam omnino habeat facultatem. Prohibemus autem, ut nulli canonicorum eiusdem Ecclesiae Beati Iacobi, qui ad aliarum Ecclesiarum praelationem assumpti sunt, vel in posterum assumentur, honorem vel praebendam, seu canonicatum in ipsa Ecclesia liceat retinere, sed alia idonea persona in loco ipsius subrogetur, quae ipsi Ecclesiae deserviat, et eiusdem beneficium sortiatur. Illum etiam censum, qui vota dicitur, quem

Emeritae si ad potestatem christianorum redierit episcopus restituendus.

Episcopatus Compostellano suffraganei.

(1) Ex Baluz., Epist. 130.

Bona et confirmantur et redditus

Hispanorum catholici reges ex singulis boum paribus a flumine Pisorga usque ad mare occidentale, et per totam Lusitaniam provinciam, atque etiam in Toleto et Transserram annuatim persolven. pro salute totius terrae liberaliter statuerunt, eidem Ecclesiae confirmamus, et omnimodo interdicimus, ut nulli fas unquam sit eum ipsi Ecclesiae qualibet occasione subtrahere. Obeunte vero te, *etc.* Praeterea quascumque possessiones, *et usque ad verbum* vocabulis. Civitatem ipsam Compostellam cum Cauto suo, cum ecclesiis et monasteriis infra eam, vel eius territorium constitutis, cum omni iure tam dioecesano quam regali, et cum terminis totius episcop., videlicet cum archipresbyteratibus de Morracio, et de Inter Ambos Pontes de montibus utriusque, de Taberiolis, et de Ciria, de Pilonio, et de insula Laonii, de utroque Coronato, de Dormian. et Superaddo, et Aranga, et Monte Iaurino quomodo dividitur, cum Parrega de Pruciis, et de Bisauciis, cum tota interiacente dioecesi, a castello Sancti Pelagii de Luco usque Transancos: monasteria quoque omnia, et conventuales, seu alias ecclesias infra hos terminos constitutas, cum omni iure parochiali, et quae intra regalia beati Iacobi continentur, cum omni seu patronatus, seu alio iure, quod ad reges pertineat, videlicet monasterium S. Pelagii de Ante Altaria, monasterium Sancti Martini de Foris, ecclesiam Sanctae Mariae de Sara, monasterium Sanctae Mariae de Canogio, monasterium Sancti Petri de Foris, monasterium Sancti Iusti de Luania, monasterium de Superaddo, de Azivario, de Codefeda, de Mosonzo, de Ciniis, de Monteferro, de Borgondo, de Nogaria, de Solandres, de Calavario, de Siavia, de Rivomalo, de Moriame, de Ozon, de Zavarde, de Portu Orii, de Numeti, de Civitio, de Briviis, de Meeis, de Dormian, de Calago, de Podio, de Lerze, de Armentaria, de Harcos, et monasterium Sancti Iohannis de Cavea, Sancti Cristophori, Sancti Vereximi, Sancti Georgii, Sancti Thomae, de Pimario, et Sancti Iacobi de Ermello. Praeterea regalem cappellaniam et cancellariam, quam bonae memoriae Alfonsus illustris Hispaniae rex Ecclesiae vestrae concessit, et scripti sui pagina roboravit. Castrum quoque quod vocatur Honestum, et Iriam cum servis et omnibus appendiciis suis, castrum, quod vocatur Sancta Maria de Lanceata, cum ecclesiis et omnibus pertinentiis suis. Castrum, quod vocatur Ciria cum ecclesiis et omnibus pertinentiis suis. Castrum quod dicitur Citofacta, cum ecclesiis et omnibus pertinentiis suis. Castrum quod dicitur Cathobadi cum pertinentiis suis. Castrum Darauum, cum villis, et ecclesiis, et omnibus pertin. suis. Castrum quod dicitur Luparia cum ecclesiis et pertinentiis suis. Territorium quod vocatur Amaca cum omnibus possessionibus, quas ibi habetis. Pistomarcos cum servis et possession. quas in eo habetis. Bisétium cum servis, quos ibi habetis. Dubriam cum possessionibus quas ibi habetis. Lanias cum pertinentiis suis. Lucrosam cum servis et pertinentiis suis. Montanos cum ecclesiis et possessionibus, quas ibi habetis. Coronatum cum possessionibus, quas ibi habetis. Ventosam cum insula de Laonio. Montes, quos quandoque Suarius Friolae a vestra Ecclesia tenuit, cum altera medietate integros. Burgum de Ponte Veteri cum pertinentiis suis: Taveiriolos cum ecclesiis et possessionibus, quas ibi habetis. Ripam Uliae cum ecclesiis et possessionibus, quas ibi habetis. Deciam cum possessionibus et ecclesiis regalibus, et omnibus pertinentiis suis: terram de Superaddo integram cum pertinentiis suis. In eadem Deeia monasterium Sancti Laurentii de Carbonario, quod Ecclesiae Compostellanae secundum iuspatronatus adiudicatum est per sententiam dilecti filii nostri G. Sancti Angeli li-

Bonorum enumeratio.

coni cardinalis tunc Apostolicae Sedis legati. Medietatem burgi de Faro cum pedagio navium, et iuresisci. Villas de Cecia in Nemancos, et de Oca in Bregantin., de Leiloio, in Seia, de Avegundo Piaveladegio, Liure, et de Ruiis in Endis, de Tooure in Pruciis cum Cautis, ecclesiis et pertinentiis suis, et alias ecclesias seu possessiones, quas iure proprietatis extra fines regalium vestrarum per eundem episcopatum habetis. In episcopatu quoque Mindunien. ecclesiam Sancti Laurentii de Arbore cum Cauto, quod dicitur Villa de Maures, et villam Petri cum ecclesia sua, et ecclesias de Rivo Averso, et Sanctae Eolaliae Altae, et de Radigosa, et Sanctae Mariae de Turre, et Sancti Martini de Palatiis cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Lucen. villas de Recelli, et de Cesa. In episcopatu Aurien. villas de Amarante, de Iovin, et de Vite, et de Villari Regis, et medietatem Souti de Parata. In episcopatu Tuden. Cautum, quod dicitur de Molis cum omnibus ecclesiis intra ipsum contentis, et monasterium de Cella, et villas de Lazorio, Baldranes, Lamula et Nugaria. In episcopatu Bracaren. villas de Cornelian. cum ecclesiis suis, et Moaci, et Gandufi, cum montibus, exitibus et pertinentiis suis. In valle Carceris hospitale, quod dicitur Anglorum cum ecclesia sua, et aliam ecclesiam, quae ipsi ex eadem parte superiacet: et villas de Tabladelo, et de Parata. In episcopatu Astoricen. villas de Cacauell. cum ecclesia sua, et de Carvallial, et ecclesiam Sancti Iacobi de Requeixo, de Sanabria. In episcopatu Legionen. domos, quae fuerunt archidiaconi Thomae. In ipsa civitate villam de Ledigos, cum ecclesia sua, et partem villae de Furones, cum omni iure, quod habetis in ecclesia. In ripa Estolae, villam Alexis, et villam Leandri cum ecclesiis suis, et iuxta monasterium Sancti Facundi villam Cerame. In episcopatu Palentin. ecclesiam Sancti Michaelis de Vallouria, et villam dictam Savugelo de Raaces cum pertinentiis suis, et omni iure regali, sicut Alphonsus illustris, Castellanorum rex Ecclesiae B. Iacobi, eam donasse dignoscitur. In episcopatu Oveten. in villa Olerxida omnes ecclesias, et in Benevento ecclesiam Sanctae Mariae de Ventosa. In Asturiis ecclesias Sancti Ioannis de Cerreda, et villam Armillum cum hospitali, quod est in Strata cum montibus et omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Zamoren. villas et ecclesias de Arquilinis, et de Arcos, et ecclesiam Sancti Iacobi de Zamora: villas de Palatiis, et de Spino, et de Aldeola cum ecclesiis suis. In episcopatu Salamantin. villam de Munigno, Asnar cum Ecclesiis suis, et villam, quae dicitur Ecla, et villam Bilvestre cum iure regali, et ecclesiam Sancti Martini de Ledesma, et alias ecclesias vel possessiones, quas in praedictis episcopatibus habetis. In episcopatu Caurien. castrum quod dicitur Attalaia Pelagii, videlicet cum terminis suis, et ecclesiam de Granata, quae dicitur Sancti Iacobi, cum domibus et piscariis, et aliis possessionibus, quas ibi acquisistis: ecclesias quoque et possessiones, quas in Vasconia, et in Italia, et in aliis partibus orbis per diversos episcopatus habetis.

Addito etiam iure regali.

Decernimus ergo *etc.* Salva in omnibus Apostolicae Sedis auctoritate. Si qua igitur *etc.*

Clausulae consuetae

Datum Lateran., per manum Rainaldi Acheruntini archiepiscopi cancellarii vicem agentis, secundo idus iulii, indictione secunda, incarnationis dominicae anno MCXCIX, pont. vero domini Innocentii Papae III anno secundo.

Dat. die 14 iulii 1199, pontif. anno II.

XXV.

Quod rudiores laici de Scripturis Sacris temere iudicare, privatim convenire et concionari, sacerdotes et Ecclesiam contemnere non debeant (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — Libri sacri gallice redditi. — Abusus inde exorti. — Praedicatio non in occulto, sed publice facienda. — Arcana fidei non omnibus passim exponenda. — Praedicationis officium non temere a quoquam usurpandum. — Sacerdotum dignitas. — Sacerdos non a populo reprehendendus, sed ab episcopo. — Balaam quomodo ab asina correctus. — Adhortatio ad Christifideles, ut ab enarratis abstineant pravitatibus.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis Christifidelibus tam in urbe Meten., quam eius dioecesi constitutis.

Prooemium. Cum ex iniuncto nobis apostolatus officio facti simus secundum Apostolum sapientibus, et insipientibus debitores, pro universorum salute nos oportet esse solicitos, ut et malos retrahamus a vitiis, et bonos in virtutibus foveamus: tunc autem opus est discretione maiori, cum vitia sub specie virtutum occulte subintrant, et angelus Sathanae se in angelum lucis simulate transformat. Sane significavit nobis venerabilis frater noster Metensis episcopus per litteras suas, quod tam in dioecesi, quam urbe Meten. laicorum et mulierum multitudo non modica tracta quodammodo desiderio Scripturarum, Evangelia, epistolas Pauli, Psalterium, Moralia Iob, et plures alios libros sibi fecit in gallico sermone transferri. (Libri sacri gallice redditi) Translationi huiusmodi adeo libenter, utinam autem et prudenter intendentes, ut secretis conventionibus talia inter se laici et mulieres tractare praesumant, et sibi invicem praedicare: qui etiam aspernantur eorum consortium, qui se similibus non immiscent, et a se reputant alienos, qui aures et animos talibus non apponunt. (Abusus inde exorti.) Quos cum aliqui parochialium sacerdotum super his corripere voluissent, ipsi eis in faciem restiterunt: conantes rationes inducere de Scripturis, quod ab his non deberent aliquatenus prohiberi. Quidam etiam ex eis simplicitatem sacerdotum suorum fastidiunt: et cum ipsis per eos verbum salutis proponitur, se melius habere in libellis suis, et prudentius se posse id eloqui, submurmurant in occulto. Licet autem desiderium intelligendi divinas Scripturas, et secundum eas studium adhortandi reprehendendum non sit, sed potius commendandum, in eo tamen apparent merito arguendi, quod tales occulta conventicula celebrant, officium sibi praedicationis usurpant, sacerdotum simplicitatem eludunt, et eorum consortium aspernantur, qui talibus non inhaerent. Deus enim lux vera, quae omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, in tantum odit opera tenebrarum, ut apostolos suos in mundum universum praedicaturos Evangelium omni creaturae missurus, eis aperte praecepit dicens: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, praedicate super tecta: per hoc manifeste denuncians, quod evangelica praedicatio non in occultis conventiculis, sicut haeretici faciunt, sed in ecclesiis iuxta morem catholicum est publice proponenda. (Praedicatio non in occulto, sed publice facienda.) Nam iuxta testimonium veritatis, omnis qui male agit, odit lucem: et ad lucem non venit, ne eius opera arguantur. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta: propter quod cum Pontifex interrogasset Iesum de discipulis suis, et de doctrina eius, respondit: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, et in templo quo omnes Iudaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. Porro si quis obiiciat, quod iuxta praeceptum dominicum non

(1) Ex Baluz., Epist. 132.

est Sanctum dandum canibus, nec margaritae mittendae sunt ante porcos, cum et Christus ipse non omnibus quidem, sed solis Apostolis dixerit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, caeteris autem in parabolis: intelligat canes et porcos non eos esse, qui Sanctum granter accipiunt, et margaritas libenter acceptant: sed illos, qui: Sanctum dilacerant et margaritas contemnunt quales sunt qui evangelica verba et ecclesiastica sacramenta, non ut catholici venerantur, sed abhominantur potius ut haeretici, oblatrantes semper, et blasphemantes: quos Paulus apostolus post primam et secundam commonitionem docet esse vitandos.

Arcana fidei non omnibus passim exponenda.

Arcana vero fidei sacramenta non sunt passim omnibus exponenda: cum non passim ab omnibus possint intelligi, sed eis tantum, qui ea fideli possunt concipere intellectu: propter quod simplicioribus inquit Apostolus: Quasi parvuli in Christo lac potum dedi vobis, non escam. Maiorum est enim solidus cibus, sicut aliis ipse dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos, inter vos autem nihil iudicavi me scire nisi Iesum Christum, et hunc Crucifixum. Tanta est enim divinae Scripturae profunditas, ut non solum simplices et illiterati, sed etiam prudentes et docti non plene sufficiant ad ipsius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura: Quia multi defecerunt scrutantes scrutinium. Unde recte fuit olim in lege divina statutum, ut Bestia, quae montem tetigerit, lapidetur: ne videlicet simplex aliquis et indoctus praesumat ad sublimitatem Scripturae sacrae pertingere, vel eam aliis praedicare, scriptum est enim: Altiora te ne quaesieris. Propter quod dicit Apostolus: Non plus sapere quam oporteat sapere, sed sapere ad sobrietatem. Sicut enim multa sunt membra corporis, omnia vero membra non eundem actum habent, ita multi sunt ordines in Ecclesia, sed non omnes idem habent officium: quia secundum Apostolum: Alios quidem Dominus dedit apostolos, alios prophetas, alios autem doctores *etc*. Cum igitur doctorum ordo sit quasi praecipuus in Ecclesia, non debet sibi quisquam indifferenter praedicationis officium usurpare: nam secundum Apostolum: Quomodo praedicabunt nisi mittantur: et veritas ipsa praecepit apostolis: Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Quod si forte quis argute respondeat, quia tales invisibiliter mittuntur a Deo: etsi non visibiliter mittantur ab homine, cum invisibiliter missio multo sit dignior, quam visibilis, et divina longe melior, quam humana. Unde Ioannes Baptista non legitur missus ab homine, sed a Deo, sicut Evangelista testatur: Quia fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes. Potest, et debet utique ratione praevia responderi, quod cum interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nude tantum asserere, quod ipse sit missus a Deo, cum hoc quilibet haereticus asseveret: sed oportet ut astruat illam invisibilem missionem per operationem miraculi, vel per Scripturae testimonium speciale. Unde cum Dominus vellet mittere Moysem in Ægyptum ad filios Israel, ut crederetur ei quod mitteretur ab ipso, dedit ei signum, ut converteret virgam in colubrum, et colubrum iterum reformaret in virgam. Ioannes quoque Baptista suae missionis speciale testimonium protulit de Scriptura, respondens sacerdotibus et levitis, qui missi fuerant ad interrogandum quis esset, et quare baptizandi sibi officium assumpsisset: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini: sicut dixit Isaias propheta. Non ergo credendum ei, qui se dicit missum a Deo, cum non sit missus ab homine, nisi de se speciale proferat testimonium de Scripturis, vel evidens miraculum operetur. Nam et de his, qui missi leguntur a Deo, Evangelista testatur: Quod ipsi profecti praedicabant ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. Licet autem scientia

Praedicationis officium non temere a quoquam usurpandum.

Sacerdotum dignitas.

valde sit necessaria sacerdotibus ad doctrinam, quia iuxta verbum propheticum: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem exquirunt ex ore eius: non est tamen simplicibus sacerdotibus etiam a scholasticis detrahendum, cum in eis sacerdotale ministerium debeat honorari: propter quod Dominus in lege praecepit: Diis non detrahes, sacerdotes intelligens: qui propter excellentiam ordinis, et officii dignitatem, deorum nomine nuncupantur. Iuxta quod alibi dicit de servo volente apud dominum remanere, ut dominus offerat eum diis. Cum enim iuxta verbum Apostoli, servus suo domino stet, aut cadat, profecto sacerdos ab episcopo, cuius est correctioni subiectus, debet in mansuetudinis spiritu castigari, non autem a populo, cuius est correctioni praepositus, in spiritu superbiae reprehendi: cum iuxta praeceptum dominicum pater et mater non debeant maledici, sed potius honorari: quod de spirituali patre multo fortius debet intelligi, quam carnali. Nec quisquam suae praesumptionis audaciam illos defendat exemplo, quod asina legitur reprehendisse prophetam, vel quod Dominus ait: Quis ex vobis arguet me de peccato: et si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: cum aliud sit fratrem in se peccantem occulte corripere: quod utique quisque tenetur efficere secundum regulam evangelicam. In quo casu sane potest intelligi, quod Balaam fuit correctus ab asina: et aliud est, patrem suum etiam delinquentem reprehendere manifeste, ac praecipue fatuum pro simplici appellare, quod utique nulli licet secundum evangelicam veritatem. Nam qui etiam fratri suo dixerit fatue, reus erit gehennae. Rursus aliud est, quod praelatus se sponte de sua confisus innocentia, subditorum accusationi supponit. In quo casu praemissum Domini verbum debet intelligi: et aliud est, quod subditus non tam animo corripiendi, quam detrahendi exurgit temerarius in praelatum, cum eum potius

Sacerdos non a populo reprehendendus, sed ab episcopo.

Balaam quomodo ab asina correctus.

maneat necessitas obsequendi. Quod si forte necessitas postularit, ut sacerdos tanquam inutilis, aut indignus, a cura gregis debeat removeri, agendum est ordinate apud episcopum, ad cuius officium tam institutio, quam destitutio sacerdotum noscitur pertinere. Illud autem tanquam de supercilio Pharisaeorum procedens, debet ab omnibus aspernari: quod tanquam ipsi soli sint iusti, caeteros aspernantur, cum et hactenus ab initio nascentis Ecclesiae multi fuerint viri sancti, qui nec tales fuisse leguntur, nec talibus adhaesisse, cum de novo tales surrexisse legantur, qui nisi contenti sint doceri potius, quam docere: ad illos forsitan pertinebunt, quibus Dominus ait: Nolite fieri plures magistri. Nos ergo filii, quia paterno vos affectu diligimus, ne sub praetextu veritatis in foveam decidatis erroris, et sub specie virtutum in laqueum vitiorum; universitatem vestram rogamus attentius, monemus, et exhortamur in Domino, in remissionem vobis peccatorum iniungentes, quatenus ab his, quae superius reprehensibilia denotavimus, et linguam, et animum revocetis, fidem catholicam, et regulam ecclesiasticam observantes, ne vos verbis fallacibus circumveniri, vel etiam circumvenire contingat: quia nisi correctionem nostram, et admonitionem paternam receperitis humiliter, et devote, nos post oleum infundemus et vinum, severitatem ecclesiasticam apponentes; ut qui noluerint obedire spontanei, discant acquiescere vel inviti.

Adhortatio ad Christifideles, ut ab enarratis abstineant pravitatibus.

Datum Lateran.

Dat. anno 1199, pontif. II.

XXVI.

Confirmatio, et concessio privilegiorum Ecclesiae S. Grisogoni de Urbe (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Controversiam inter clericos S. Grisogoni et S. Salvatoris de Curte. —

(1) Ex Baluz., Epist. 155.

Urbanus II Eccles. S. Salvatoris subiectam Ecclesiae S. Grisogoni declaravit. — Haec sententia a successoribus Pontificibus confirmata. — Adrianus Pontifex Bernardo episcopo Portuensi eandem causam cognoscendam commisit. — Alexander III rebelles clericos nolentes sententiae acquiescere in suam praesentiam advocavit. — Validatur ab Innocentio. — Bona et iura eidem Ecclesiae confirmat: — Omnibus interdicens ecclesiasticis personis aliqua iura vindicare parochialia: — Quae omnia decreto immunitatis roborantur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, clericis Sancti Grisogoni tam praesentibus quam futuris canonice substituendis, in perpetuum.

Exordium.

Ea, quae a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus ratione praevia statuuntur, tanto volumus firmius observari, quanto de maturiori videntur consilio processisse: et ne imposterum alicuius valeant temeritate turbari, apostolico sunt munimine fulcienda. Sane cum bonae memoriae Ioannes Crema Ecclesiae vestrae presbyter cardinalis in praesentia felicis recordationis Calixti Papae praedecessoris nostri adversus clericos Sancti Salvatoris de Curte suam deposuisset querelam, pro eo videlicet, quod tam ei, quam Ecclesiae vestrae debitam obedientiam subtraxissent, et iura parochialia denegarent, idem praedecessor noster utraque parte ad suam praesentiam evocata, et rationibus utriusque diligenter auditis et cognitis, inspectis etiam privilegiis bonae memoriae tam Ioannis XV Papae, quod supradictam Ecclesiam Sancti Salvatoris de Curte in fundo Ecclesiae vestrae sub censu annuo constitutam monstrabat, quam Urbani II, in quo evidenter deffinitum agnovit, ut clerici praedictae Ecclesiae Sancti Salvatoris essent in canonica subiectione, et facerent vobis et Ecclesiae vestrae obedientiam, et deberent scrutinium, baptisma, capitulum, processiones, et clericorum ordinationes vobis, et Ecclesiae vestrae, sicut proprio titulo exhibere: quae idem cardinalis ad tuitionem suae causae in medium producebat, fratrum suorum habito consilio, per sententiam deffinivit, praefatam Ecclesiam Sancti Salvatoris debere in praedictis omnibus vestrae Ecclesiae respondere. quam videlicet sententiam bonae memoriae Innocentius, et Lucius Papa secundus postmodum confirmarunt, sicut in eorum vidimus privilegiis contineri. Cumque postmodum praedicti clerici eandem nollent sententiam observare, bonae memoriae Guido Ecclesiae vestrae Sancti Grisogoni presbyter cardinalis in praesentia felicis memoriae Adriani Papae anno eius primo suam deposuit quaestionem: qui auditis, et cognitis, quae proponebantur hinc inde, et inspectis privilegiis bonae recordationis tam Urbani, quam Calixti Romanorum Pontificum: et qualiter hanc eandem controversiam, cum in suis temporibus inter ipsas Ecclesias emersisset, deffinierit, controversiae ipsi debitum finem imposuit: et eorum sententias privilegii sui pagina confirmavit; et clericos illius Ecclesiae vobis, vestrisque successoribus, et Ecclesiae vestrae Beati Grisogoni parochialia iura, sicut proprio titulo exhibere decrevit. Postmodum autem quinto anno pontificatus eiusdem Bonadies presbyter cardinalis Ecclesiae vestrae, cui praedicti clerici Sancti Salvatoris tanquam contumaces et rebelles, subiectionem et obedientiam facere noluerunt: accessit ad eundem Pontificem praedecessorem nostrum Adrianum, et coram eo de illis suam deposuit quaestionem. Qui cum eandem causam cognoscendam bonae memoriae Bernardo Portuen. episcopo commisisset: idem episcopus praedecessoris nostri Calixti sententia diligenter inspecta, de mandato eiusdem pronunciavit, eandem sententiam a dictis clericis Sancti Salvatoris debere inviolabiliter observari: sententiam ipsam proferens, sicut in authentico scripto per manum scriniarii exinde facto continetur expresse: qua ad exhibitionem iuris pa-

Controversiam inter clericos S. Grisogoni et S. Salvatoris de Curte.

Urbanus II ecclesiam S. Salvatoris subiectam Eccles. S. Grisogoni declaravit.

Haec sententia a successoribus Pontificibus confirmata.

rochialis Ioannem oeconomum praedictae Ecclesiae, et omnes eiusdem Ecclesiae clericos condemnavit, videlicet in scrutinio, baptismate, capitulo, processione, et clericorum ordinatione: et praefatum titulum Ecclesiae vestrae Sancti Grisogoni ad omne ius parochiale restituit, sicut in privilegiis vestrae Ecclesiae continetur. Caeterum cum tempore felicis recordationis Alexandri Papae III saepedicti clerici contumaces existerent, et rebelles, nec latae sententiae vellent aliqua ratione parere, ad instantiam clericorum tunc Ecclesiae vestrae eos ad suam praesentiam evocavit: qui coram eo proponere curaverunt, quod sententia illa non deberet aliqua ratione tenere, pro eo quod interposita fuerat appellatione suspensa, et etiam lata contra libertatem Ecclesiae suae per privilegium Apostolicae Sedis indultam: in quo videlicet privilegio continebatur expressum, quod Ecclesia Sancti Salvatoris de Curte nulli alii, nisi Romanae Ecclesiae subiaceret. Quod quidem privilegium (sicut in publico instrumento per manum scriniarii exinde facto habetur) ab oeconomo Ecclesiae vestrae in controversia illa, quae actitata est coram praedicto Bernardo episcopo Portuen., et alia similiter privilegia, quae pro libertate suae Ecclesiae praetendebant, sunt falsitate penitus confutata: tum quia recens iunctura, et incollatura evidentius apparebat, et multa in se mendacia continebant: tum quia nullis aliis temporibus visa sunt, vel exhibita. Auditis itaque, et cognitis utriusque partis rationibus, et privilegiis praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum diligenter inspectis, habito fratrum suorum consilio, praedicti episcopi sententiam confirmavit: et perpetuis temporibus firmam manere sancivit, quam etiam felicis recordationis Lucius Papa III praedecessor noster ratam habuit cum duo ex clericis Salvatoris, quos ad suam propter hoc praesentiam evocarat, coram eo confessi fuissent, sententiam fuisse prolatam, eandem se servasse, ac servare firmiter velle asserentes. Nos igitur eorundem praedecessorum nostrorum Ioannis, Urbani, Calixti, Honorii, Innocentii, Lucii, Adriani et Alexandri vestigiis inhaerentes, eandem sententiam auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti pagina communimus. Vobis etiam, vestrisque successoribus, et per vos eidem Ecclesiae vestrae Sancti Grisogoni in perpetuum confirmamus: ecclesias et capellas, quae infra eiusdem Beati Grisogoni parochiam continentur, videlicet saepedictam ecclesiam Sancti Salvatoris de Curte, quae etiam Felix Aquila nuncupatur: ecclesiam Sanctae Bonosae: ecclesiam Sanctae Agathae cum pertinentiis earum: ecclesiam Sancti Stephani, quae utroque iure, parochiali videlicet, et proprietatis ad vestram dignoscitur Ecclesiam pertinere, ut quicquid dignitatis, quicquid reverentiae, quicquid parochialis iuris matrix Ecclesia in suis habet ecclesiis et capellis, hoc vos in istis per Dei gratiam habeatis, tam in ordinationibus clericorum per easdem ecclesias collocandorum, sive ad ecclesiasticos ordines promovendorum, quam in scrutiniis, baptismatibus, processionibus, capitulis, et in criminalium quae publica sunt iudiciis. Nullus ergo episcopus, nullus cardinalis, nullus abbas, nullus archipresbyter in praedicto Beati Grisogoni titulo in capellis et territoriis earum parochialia sibi iura audeat vindicare: nec abbatum alicui facultas sit parochianos vestros, nisi forte ab eis deliberatum sit, in suis ecclesiis sepelire. Quod si viventes adhuc religionis intuitu apud eos sepeliri deliberaverint, cum vestra quoque praesentia, salva matricis Ecclesiae iustitia, tumulentur; ad haec adiicientes vobis, vestrisque successoribus, et per vos Ecclesiae vestrae perpetuo confirmamus: ecclesiam Sancti Iuliani cum domibus, cellis, cryptis, hortis, vineis, et arenariis suis, cum terris cultis vel incultis, sylvis, pantanis, et pratis suis, cum suis aquimolis, in rivo,

Lucii PP. III sententia.

Validatur ab Innocentio.

Bona et iura eidem Ecclesiae confirmat.

qui vocatur Arton: quae quidem ecclesia sita est iuxta castrum, quod vocatur de Guid. Casale de Maliana cum turri, vineis, agris cultis et incultis, pratis, sylvis, aquis, et aquarum decursibus. Vineas, quas in Marcello, in Rosario, et in pratis Papae possidetis, cum pratis, et aliis pertinentiis suis: vineas etiam, et terras in Virgine: molam, quam in flumine Tyberis habetis, et quartam partem alterius molae: casale in campo de Merulis, terras in Marcello, terras in Ventrebublo, cum aliis omnibus, quae in praesentiarum iuste et canonice possidetis, vel in futurum largiente Domino poteritis adipisci. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat honores et bona saepefatae Ecclesiae vendere, in feudum dare, aut ab eadem Ecclesia modis quibuslibet alienare, ipsam Ecclesiam temere perturbare *etc.*, salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur *etc.*

Dat. Lateran. per manum Rainaldi Acheruntini archiepiscopi cancellarii vicem agentis decimo kal. augusti, indictione secunda: incarnationis dominicae anno MCXCIX, pontificatus vero domini Innocentii Papae III anno secundo.

Dat. die 23 iulii anno Domini 1199, pontif. anno II.

XXVII.

Marcovaldus a censuris solutus denunciatur (1).

SUMMARIUM

Quare Innocentius Marcovaldum duxerit absolvendum. — Tenor excommunicationis antea in eum latae. — Marcovaldus spondet, se Papae mandatis obtemperaturum. — Quae ei mandaverit Innocentius. — Siculos ad fidem suo regi servandam hortatur.

(1) Ex Baluz., Epist. ..., — Hunc Marcovaldum censuris ab hoc Pontifice innodatum vidimus superius.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus, civibus, et universo populo in regno Siciliae constitutis.

Quare Innocentius Marcovaldum duxerit absolvendum.

Ad reconciliationem, et receptionem Marcovaldi, et debitum officii pastoralis, quo tenemur omnes ad viam rectitudinis revocare, ac redeuntes recipere, nos induxit, et optata regni tranquillitas invitavit: ut simul, et humiliaremus hostem, et humiliatum et poenitentem eius reciperemus exemplo, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat: qui Cananæam, et Publicanum non solum vocavit ad poenitentiam, sed et traxit. Ut autem super modo reconciliationis ipsius non possit ab aliquo dubitari, formam excommunicationis et praeceptionis praesentibus duximus litteris explicandam. Forma excommunicationis haec fuit.

Tenor excommunicationis antea in eum latae.

Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate, et nostra, Marcovaldum, et omnes fautores eius tam teutonicos, quam latinos: specialiter Diopuldum, Othonem, Siffredum, et Othonem de Lavian., Hermannum, et Castellanum Sorellae, qui principaliter adhaerent Marcovaldo: quia cum idem Marcovaldus a dilectis filiis nostris C. tituli Sancti Laurentii in Lucina, et I. tituli Sanctae Priscae presbyteris cardinalibus, Apostolicae Sedis legatis commonitus fuerit, ut ab ecclesiarum et villarum incendio et vastatione cessaret, quae in eorum oculis committebat, et exercitum dimitteret, cuius occasione tota fere Marchia vastabatur, eorum monitis non satisfecit: propter quod ab eis excommunicatus fuit: et quia iuramentum multoties nobis praestitum violare, ac patrimonium Ecclesiae invadere ac detinere praesumpsit: et nunc regnum Siciliae, quod ad ius et proprietatem beati Petri pertinere dignoscitur, cuius balium cum regis tutela illustris memoriae C. imperatrix nobis testamento reliquit,

infestat, et innititur occupare. Omnes autem, qui ei fidelitatis vel societatis iuramento tenentur, denunciamus penitus absolutos. Siquis autem clericus cuiuscumque dignitatis et ordinis officia ecclesiastica, vel sacramenta divina ei, vel sequacibus suis ministrare praesumeret, sciat se dignitatis et ordinis periculum incurrisse. Item excommunicamus I. quondam electum Sanctae Severinae: qui eidem Marcovaldo adhaerens, administrationem Salernitanae Ecclesiae de ipsius manu recepit.

Marcovaldus spondet, se Papae mandatis obtemperaturum.

Forma receptionis haec fuit: Iuravit Marcovaldus publice sine pacto quolibet et tenore super crucem et evangelia, quod super omnibus, pro quibus excommunicatus existit, sine fraude mandatis nostris obediet universis, quae sibi per nos, vel nuncios, aut litteras nostras duxerimus facienda. Tenor vero mandati apostolici fuit talis: mandatum est ei sub debito praestiti iuramenti; ut a balio regni, invasione quoque ac molestatione ipsius per se ac suos omnino desistat: nec ipsum, aut patrimonium beati Petri per se vel alium ullo modo molestet: universa, quae de regno per se, vel suos invasit, quae detinentur ab ipso, restituat, et ab omni prorsus obligatione absolvat. Quae vero detinentur ab aliis, pro posse suo restitui faciat bona fide. Super his autem, quae nec ab ipso, nec suis habentur, utpote super damnis et iniuriis illatis praesertim nobis et monasterio Casinen. satisfaciat competenter, secundum dispositionem nostram, et proprias facultates. In clericos de caetero, et viros ecclesiasticos manus nec iniiciat, nec iniici faciat violentas. Cardinales et legatos Apostolicae Sedis nec spoliet, nec spoliari, nec capi faciat, aut etiam obsideri, nisi forsan impugnatus ab eis, in defensionem propriam id facere cogeretur: non quod id tunc ei licere dicamus, sed quia hoc ei non interdicimus ex debito iuramenti. Accedens igitur Marcovaldus Verulas ad praesentiam venerabilis fratris nostri O. Ostien. episcopi, et dilectorum filiorum G. tituli Sanctae Mariae Transtyberim presbyteri, et H. Sancti Eustachii diaconi, cardinalium, legatorum Apostolicae Sedis, iuxta modum expressum superius, publice iuramentum exhibuit: et secundum Ecclesiae formam beneficio absolutionis obtento, mandatum sub eodem tenore recepit, et se promisit fideliter impleturum. Quod autem ei nihil super terra illa mandavimus, quam antequam nunc ultimo regnum intraret, ex concessione fuerat imperatoris adeptus, nullatenus admiremini: cum propter eam non fuerit excommunicatione notatus. De ipsa tamen dante Domino ad nostrum, et charissimi in Christo filii nostri F. Siciliae regis illustr. honorem vobis scientibus utiliter disponemus. Nullus igitur vos omnino seducat, nullus aliquatenus blandiatur, quod secundum aliam formam idem Marcovaldus iuramentum praestiterit, aut aliter fuerit receptus a nobis: nec turbentur in aliquo corda vestra, sed potius solidentur: cum si servaverit quod ei est sub debito praestiti iuramenti mandatum, ad statum totius regni, et tranquillitatem vestram sit non modicum proventurum. Si autem (quod non credimus) non servaverit, nihil sit auctoritati nostrae detractum, sed eius sit potius potentia diminuta: et tam ex inclementia temporis, quam ex forma mandati, quam facimus, absoluti fautores eius iugiter ad propria revertantur. Nos quoque non solum pro commissis excessibus, verum etiam pro reatu periurii, eum et fautores ipsius, si forte contra factum et receptum mandatum veniret, in eandem excommunicationis sententiam reducere curaremus: et esset contra eum manus nostra ex virtute divina validior, quam fuisset. Inspiret autem ei, qui vult omnes homines salvos fieri, et neminem vult perire: ut ita fideliter mandatum nostrum observet, ut nec Creatorem offendat, nec nos oporteat contra eum gravius commoveri. Mo-

Quae ei mandaverit Innocentius.

Siculos ad fidem suo regi servandam hortatur.

nemus igitur universitatem vestram, ac per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus circa devotionem Apostolicae Sedis, et eiusdem regis fidelitatem ex hoc ferventiores effecti, ea, quae honorem ipsius, quietem vestram et statum regni respiciunt, solicite procuretis: ab omnibus vobis praecaventes insidiis, ne per securitatem, aut fraudem aliquid vobis sinistri valeat evenire. Nos enim, dante Domino, nec regi, nec regno, nec vobis ipsis aliqua occasione deerimus, sed ea curabimus promovere, quae totius regni respicient incrementum.

XXVIII.

Hortatur Gregorium Catholicum Armenorum ad perseverantiam in fide christiana et devotione Sedis Apostolicae, subventionemque Terrae Sanctae Hierusalem.

SUMMARIUM

1. Gregor. primatum Sedis Apostolicae confitetur. — 2. Papam vero universalis Ecclesiae caput. — 3. De his gratulatur Innocentius: — 4. Eumque ad perseverantiam hortatur, — 5. Et ad subventionem Terrae Sanctae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Gregorio Catholico Armenorum.

Gregor primatum Sedis Apostolicae confitetur.

§ 1. **Ex** eo te radicatum in fide catholica, et esse catholicum non tam nomine, quam merito experimur, quod Apostolicae Sedis magisterium recognoscens, eam Ecclesiarum omnium matrem, et nos caput universorum fidelium confiteris, sicut ex tuarum nobis innotuit serie literarum. Nosti etenim privilegium Petri, quod sibi Dominus universas oves suas pascendas vocabulo tertio repetito, commisit: Pasce (inquiens) oves meas, et super universas ei ligandi et solvendi contulit potestatem, dicens ad eum: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis. Nosti etiam praerogativam Apostolicae Sedis, quae per merita B. Petri, etsi non tempore, auctoritate tamen inter apostolos primi, non constitutione synodica, sed divina, inter omnes Ecclesias magisterium obtinuit, et primatus fundamenta super immobili fundamento, de quo Paulus inquit apostolus: Fundamentum positum est, praeter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus, et de quo Veritas in Evangelio inquit ad Petrum: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Petrus siquidem post Christum potest intelligi pastor unus, et Ecclesia universalis ovile unum, de quibus Dominus in Evangelio protestatur: Alias, dicens, oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor. Sane lapis ille angularis, quem reprobaverunt aedificantes, factus postmodum in caput anguli, faciens utraque unum, Iudaeorum populos, et gentium nationes in unitate christianae fidei counivit, Ecclesiam ex utrisque constituens, non habentem maculam neque rugam; quae ne post Ascensionem eius se caretur in partes, et ne unitum in eius fide divideretur ovile, uni commisit apostolorum principi gubernandam, quem solum sibi Dominus, et in officio vicarium, et in magisterio constituit successorem.

Papam vero universalis Ecclesiae caput

§ 2. Hoc autem tua fraternitas diligenter attendens, ac sciens quod secundum Apostolum, omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, nos quos Dominus, licet immeritos, vicarios suos esse voluit, et apostolorum principis successores, caput Ecclesiae confiteris, et te ac fratres, et coepiscopos tuos, partem nostri corporis recognoscis, sciens quod sicut palmes non potest fructum facere a semetipso, nisi manserit in vite, sic et membrum

et sensu caret et actu, si non in corporis permanserit unitate.

De his gratulatur Innocentius:

§ 3. Gaudemus ergo non modicum quod in fide catholica perseverans, circa nos piae geris devotionis affectum, et filium te esse Apostolicae Sedis innuis, dum eam esse matrem omnium potestaris, recognoscens a nobis magisterium ecclesiasticae disciplinae, quam etsi receptam longo tempore prius, ex parte tamen per ven. fratrem nostrum Maguntinum archiepiscopum, episcopum Sabinen. unum ex septem episcopis, qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, suscepisse te gaudes, et desideras observare. Fuit autem et est magnum tuae devotionis indicium, quod eumdem archiepiscopum magnifice recepisti, et curasti non modicum honorare, sicut et tuae literae continebant, et ipsius nobis relatio patefecit.

Cumque ad perseverantiam invitatur;

§ 4. Monemus igitur fraternitatem tuam, et exhortamur in Domino, ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in devotione Sedis Apostolicae firmiter perseveres, et in lege Domini die mediteris, et nocte, quae sanae doctrinae congruunt praedicans, et quae praedicaveris, quantum Dominus permittit adimplens, ut in te, nec opera verbis, nec verba operibus contradicant. Esto circa subiectos magister, ut doceas; ut corrigas pater; mater ut foveas; doceas minus doctos; superbos corrigas; humiles foveas et devotos; iustitiam misericordia temperans; et aequitatem in iudicio non relinquens.

Et ad subventionem Terrae Sanctae

§ 5. Super subventione vero Hierosolymitanae provinciae nosse te volumus, quod iam per Dei gratiam ad commonitionem nostram multi crucis signaculum receperunt, et plures Domino dante recipient, in defensionem Orientalis provinciae opportuno tempore transituri. Iam etiam duo ex fratribus nostris, de manibus nostris, vivificae crucis assumpsere vexillum, exercitum Domini praecessuri. Confide igitur, et esto robustus, quia citius forsitan, quam credatur, Orientalis provincia subsidium sentiet expectatum.

Datum Laterani, nono kal. decembris, anno secundo.

Dat. die 23 novembris 1199, pontif. anno II.

XXIX.

Approbatio coronationis Leonis regis Armenorum, cum adhortatione ad recuperationem Terrae Sanctae.

SUMMARIUM

Sedi Apostol. primatus a Deo concessus. — Romani Pontifices eamdem habent potestatem, quam Christus dedit Petro. — 1. Coronatio regis Armenorum facta per archiepiscopum Maguntinum. — 2. Eum ad perseverantiam in fide et subventionem Terrae Sanctae hortatur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Leoni regi Armenorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Sedi Apostolicae primatus a Deo concessus

Is Ecclesiam suam congregatam ex gentibus, non habentem maculam, neque rugam, super gentes et regna constituit, is extendit palmites eius usque ad mare, et usque ad terminos terrae ipsius propagines dilatavit, cuius est terra, et plenitudo eius, orbis terrarum, et universi, qui habitant in ea. Ipse etiam Romanam Ecclesiam non solum universis fidelibus praetulit, sed super caeteras etiam Ecclesias exaltavit, ut ceterae ab ea non tam vivendi normam, et morum sumerent disciplinam, sed et fidei etiam catholicae documenta reciperent, et eius servarent humiliter instituta. In Petro enim apostolorum principe, cui excellentius aliis Dominus ligandi et solvendi contulit potestatem; dicens ad eum: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis; Ecclesia Romana Sedes eius, et seniores ipsius Romani Pontificis suc-

cessores Petri, et vicarii Iesu Christi sibi invicem per successivas varietates temporum singulariter succedentes, super Ecclesiis omnibus, et cunctis Ecclesiarum praelatis, imo etiam fidelibus universis, a Domino primatum et magisterium acceperunt; vocatis sic caeteris in partem solicitudinis, ut apud eos plenitudo resideat potestatis. Non enim in Petro, et cum Petro singulare illud privilegium expiravit, quod successoribus eius futuris, usque in finem mundi Dominus in ipso concessit, sed praeter vitae sanctitatem, et miraculorum virtutes, par sit in omnibus iurisdictio successorum, quos etsi diversis temporibus, eidem tamen sedi, et eadem auctoritate Dominus voluit praesidere.

Romani Pontifices eamdem habent potestatem, quam Christus dedit Petro.

§ 1. Gaudemus autem, quod tu, sicut princeps catholicus Apostolicae Sedis privilegium recognoscens, venerabilem fratrem nostrum Maguntinum archiepiscopum, episcopum Sabinensem, unum ex septem episcopis, qui nobis in Ecclesia Romana collaterales existunt, benigne ac hilariter recepisti. Et non solum per eum institutis salutaribus es instructus, quibus iuxta continentiam literarum tuarum, totum regnum tuum licet amplissimum desideres informari, et universos Armenos ad Ecclesiae Romanae gremium revocare; sed ad honorem et gloriam Apostolicae Sedis quam constitutam esse novisti super gentes et regna, diadema regni recepisti de manibus eius, et eum curasti devote ac humiliter honorare, et nos per ipsum, et literas suas, ad Orientalis terrae subsidium invitasti.

Coronatio regis Armenorum facta per archiepiscopum Maguntinum.

§ 2. Ei ergo, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum, qui habet corda principum in manu sua, quas possumus gratias referentes, qui tantae humilitatis animum inspiravit, rogamus seren. regiam, et exhortamur in Domino, ac per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus in timore Domini, et Apostolicae Sedis devotione persistens, ad expugnandam barbariem paganorum, et vindicandam iniuriam Crucifixi, tanto potentius et efficacius studeas imminere, quanto fraudes et versutias hostium vicinius positus melius agnovisti. Non in exercitus multitudine, aut virtute, sed de ipsius potius miseratione confidens, qui docet manus ad praelium, et digitos movet ad bellum, qui arcus fortium superat, et robore accingit infirmos.

Eum ad perseverantiam in fide et subventionem Terrae Sanctae hortatur.

§ 3. Iam enim per Dei gratiam ad commonitionem nostram, multi crucis signaculum receperunt, et plures Domino dante recipient in defensionem Orientalis provinciae, opportuno tempore transituri. Iam etiam duo ex fratribus nostris de manibus nostris vivificae crucis assumpsere vexillum, exercitum Domini praecessuri. Confide igitur, et esto robustus, quia citius forsitan, quam credatur, Orientalis provincia subsidium sentiet expectatum.

Datum Lateran., septimo kalend. decembris anno secundo.

Dat. die 25 novembris anno Domini 1199, pontif. anno II.

XXX.

Deliberatio domini Papae Innocentii super facto imperii de tribus electis (1).

SUMMARIUM

Sedis Apostolicae cura de imperio Romano-Germanico. — Henricus a Coelestino III investitus. — Philippi ius in imperium. — Rationes imperium ei adiudicandi. — Haec de Friderico filio regis Siciliae. — Rationes pro Philippo adductae. — Quae vero contra eum sint adducendae. — Marcualdum et fautores eius saepius excommunicatos fuisse. — Refelluntur contrariae rationes. — Motiva quibus Pontifex Philippo opponitur. — Series factorum quibus supradicta osten-

(1) Ex Baluz., Epist. Innocent. III, tom. I, pag. 697.

duntur. — Scripturae auctoritate demonstrat filios in regnis propter patrum peccata punitos. — De Othone a paucioribus electo. — Eius electio legitima. — Eius qualitates. — Declarat. Innocent. quid agendum sit ab electoribus. — Othoni vero favendum omnino.

Sedis Apostolicae cura de imperio Romano-Germanico.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Interest Apostolicae Sedis diligenter et prudenter de imperii Romani provisione tractare, cum imperium noscatur ad eam principaliter et finaliter pertinere; principaliter, cum per ipsam, et propter ipsam de Graecis sit translatum, per ipsam translationis actricem, propter ipsam melius defendendam: finaliter quoniam imperaliter a Summo Pontifice finalem sive ultimam manus impositionem promotionis proprie accipit, dum ab eo benedicitur, coronatur, et de imperio investitur. Quod Henricus optime recognoscens a bonae memoriae Coelestino Papa praedecessore nostro, post susceptam ab eo coronam, cum aliquantulum abscessisset, rediens tandem ad se, ab ipso de imperio per pallam auream petiit investiri. Sicut autem nuper tres sunt in reges electi, puer (1) Philippus, et Otto, sic tria sunt circa singulos attendenda, quid liceat, quid deceat, quid expediat. Circa puerum quidem filium imperatoris Henrici facie prima videtur, quod non liceat contra eius electionem venire, quae iuramento est principum roborata. Nam etsi iuramentum illud videatur violenter extortum, non est tamen ideo non servandum, cum licet iuramentum quod Gabaonitis praestiterunt filii Israel fuerit per fraudem subreptum, illud tamen nihilominus decreverunt observandum. Praeterea etsi a principio fuerit sic extortum, postmodum tamen pater eius

Henricus a Coelestino III investitus.

Friderici Philippi et Ottonis iura in imperium.

(1) Fridericus (ita in Baluzio. R. T.).

intelligens se perperam processisse, iuramentum relaxavit principibus, et litteras super ipsius electione remisit: qui postmodum puerum ipsum, patre absente, sponte ac concorditer elegerunt, fidelitatem ei pene penitus omnes et quidam hominum exhibentes. Unde non videtur licere contra licita iuramenta venire. Videtur etiam non decere ut cum ipse Apostolicae Sedis sit tutelae commissus, et sub eius protectione receptus, per eam privetur imperio, per quam in iure suo fuerat confovendus: maxime cum sit scriptum: Pupillo tu eris adiutor. Quod non expediat contra ipsum venire, illa praesertim ratione videtur, quod cum idem puer ad annos discretionis perveniens intellexerit per Romanam Ecclesiam imperii se honore privatum, non tantum non exhibebit ei reverentiam consuetam, sed ipsam potius modis quibus poterit impugnabit, et regnum Siciliae retrahet a devotione ipsius, et negabit ei obsequium consuetum. Verum contrarium e contra videtur, quod liceat, videlicet deceat et expediat venire contra electionem ipsius. Quod liceat videtur ex eo quod iuramenta illa fuerint illicita, et electio indiscreta. Elegerunt enim personam non idoneam, necnon solum imperio, sed nec alicui officio congruentem, puerum videlicet vix duorum annorum, et nondum sacri Baptismatis unda renatum. Unde non videntur tam illicita et indiscreta iuramenta servanda. Nec obest quod de Gabaonitis obiicitur, cum iuramentum illud potuerit sine Israelitici populi laesione servari, haec autem servari nequeant absque gravi iactura, non unius gentis, sed Ecclesiae damno, et dispendio populi christiani. Nec obstat quod opponitur iuramenta illa licita secundum intentionem iurantium extitisse. Intelligebant enim quod etsi eum tunc in impe-

Rationes imperium Philippo adiudicandi.

ratorem eligerent, non tamen ut tunc imperaret, sed postquam ad legitimam perveniret aetatem. Sed qualiter de ipsius idoneitate poterant iudicare? Nonne potuisset esse stultus, vel usque adeo improvidus, ut esset indignus minori etiam dignitate? Sed pone illos intellexisse, ut tandem imperaret cum esset idoneus ad imperium gubernandum, interim autem pater reipublicae provideret. Casus postmodum intervenit propter quem non potest nec debet iuramentum huiusmodi observari, de quo principes nullatenus cogitabant, scilicet patris decessus. Unde cum per procuratorem non possit imperium procurari, nec imperator debeat fieri temporaliter, nec possit aut velit Ecclesia imperator carere, videtur quod liceat imperio in alio providere. Quod non deceat ipsum imperare, patet omnibus manifeste. Numquid enim regeret alios, qui regimine indiget aliorum? Numquid tueretur populum christianum qui est alienae tutelae commissus? Sed nec obstat quod obiicitur, ipsum esse tutelae nostrae commissum, cum non sit nobis commissus, ut ei obtineamus imperium, sed regnum Siciliae potius defendamus. Patet enim illud idem ex verbo Scripturae dicentis: Vae terrae cuius rex puer est; et rursus: Cuius principes mane comedunt. Quod non expediat ipsum imperium obtinere, patet ex eo quod per hoc regnum Siciliae uniretur imperio et ex ipsa unione confunderetur Ecclesia. Nam ut caetera pericula taceamus, ipse propter dignitatem imperii nollet Ecclesiae de regno Siciliae fidelitatem et dominium exhibere, sicut noluit pater eius. Nec valet quod opponitur, quod non expediat venire contra electionem ipsius, ne postmodum molestet Ecclesiam, per quam imperium se cognoverit amisisse. Nunquam enim vere dicere poterit quod Ecclesia imperialem ei abstulit dignitatem, cum potius patruus (1) eius non solum imperium, sed et paternam haereditatem invaserit, et maternam possessionem occupare per suos satellites machinetur, ad cuius defensionem Ecclesia Romana non sine multis laboribus et expensis prudenter et potenter intendit.

Haec de Friderico filio regis Siciliae

(1) *Idest* Philipous.

Rationes pro Philippo adductae.

De Philippo videtur similiter quod non liceat contra eius electionem venire. Cum enim in electionibus circa electores zelus, dignitas et numerus attendatur, et de zelo non sit facile iudicare, cum ipse a pluribus et dignioribus sit electus, et adhuc plures et digniores principes sequantur eundem, iuste videtur electus, unde contra iustam et legitimam electionem non videtur licere venire. Quod non deceat videtur similiter, ne videlicet videremur nostrarum iniuriarum ultores, si, quia pater et frater eius fuerunt Ecclesiam persecuti, eum persequi nos vellemus, et aliorum culpam in poenam eius praeter officii nostri debitum immutare: cum potius praecipiatur a Domino: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Quod non expediat, patenter apparet. Cum enim potens sit tam terra, quam opibus et personis, non videtur expedire ut contra torrentem brachia dirigamus, tam potenti nos taliter opponentes, ut eum reddamus nobis et Ecclesiae inimicum, et ne maiorem videremur discordiam suscitare, fieretque novissimus error peior priore, cum nos potius pacem inquirere et persequi, et evangelizare aliis debeamus, quae fovendo illum posset de facili provenire. Verum contra videtur quod liceat nos ei opponere. Fuit enim iuste ac solemniter per praedecessorem nostrum excommunicationis sententia innodatus: iuste quia beati Petri patrimonium partim per violentiam occuparat, partim damnificarat incendiis et rapinis, et super hoc commonitus semel, et iterum per fratres nostros satisfacere non curarat; solemniter, quoniam in celebratione missarum in ecclesia Beati Petri in festivitate non parva, quod ipse postmodum

Quae vero contra eum sint adducendae

recognovit, cum pro absolutione sua nuntium ad Sedem Apostolicam destinavit: et cum tandem per delegatos nostros contra formam mandati nostri post electionem suam se fecit absolvi. Unde patet quod fuerit excommunicatus electus. Videtur quoque forsan aliquibus quod nondum sit ab excommunicationis vinculo absolutus, cum quondam Sutrinus episcopus in absolutione ipsius formam non servaverit sibi datam, cum forma data eidem fuerit haec, ut pro absolutione venerabilis fratris nostri Salernitani archiepiscopi, quem ante absolutionem ipsius mandabamus ab ergastulo suae captivitatis absolvi, ei laborem itineris veniendi ad Sedem Apostolicam relaxaret, et postmodum recepto ab eo publice secundum formam Ecclesiae iuramento, quod super iis, pro quibus excommunicatus fuerat, mandato nostro pareret, munus ei absolutionis impenderet: sed ipse nondum archiepiscopo absoluto, et nullo ab eo iuramento recepto, non in publico, sed clam ipsum absolvere de facto solummodo, quia de iure non potuit, est conatus; propter quem eius excessum, cum ipsum rediens recognoverit, ab episcopatu remotus, in monasterio diem clausit extremum. Praeterea cum nos Marcualdum et omnes fautores ipsius tam theutonicos quam latinos excommunicationis sententia saepius innodemus, et ipse non solum fautor, sed auctor iniquitatis eius existat, patet eum excommunicationis sententiae subiacere. Praeterea cum notorium sit ipsum iuramentum fidelitatis puero praestitisse, et nunc regnum Theutonicum et quantum in eo est imperium occupasse, constat eum periurii esse reum. Sed obiicitur quod si, quemadmodum superius est expressum iuramentum illud illicitum reputemus, quomodo dicimus eum reum esse periurii, et transgressorem praestiti iuramenti quod dicitur non servandum? Sed respondetur quod etsi iuramentum illud illicitum fuerit, non tamen licebat ab eo temeritate propria resilire. Sed nostram prius debuisset consulere voluntatem, ad exemplum illius iuramenti, quod filii Israel Gabaonitis praestiterant, quod licet fuerit per fraudem surreptum, non tamen sua temeritate resilierunt ab eo, sed Dominum consulere decreverunt. Praeterea cum omne quod contra conscientiam sit, aedificet ad gehennam, quia secundum Apostolum: Omne quod non est ex fide peccatum est; et idem Philippus super hoc negotio taliter se excuset, quod regnum aliter nullatenus accepisset, nisi nosset quod illud invadere alii disponebant, patet eum credidisse iuramentum illud fuisse servandum, et ex eo quod venit taliter contra illud, eius esse conscientiam vulneratam. Sic ergo videtur quod licite nos excommunicato et periuro debeamus opponere, et eius conatibus obviare. Quod ei nos opponere deceat manifeste videtur ex eo quod si, prout olim patri filius, sic nunc immediate succederet frater fratri, videretur imperium ei non ex electione conferri, sed ex successione deberi, et sic efficeretur haereditarium quod debet esse gratuitum: praesertim cum non solum Federicus substituerit sibi filium, sed Henricus etiam filium sibi voluerit subrogare, et per hoc forsan in posterum abusio traheretur in usum. Quod autem expediat opponere nos Philippo liquet omnibus manifeste. Cum enim persecutor sit et de genere persecutorum fuerit oriundus, sic non opponeremus nos ei, videremur contra nos armare furentem et ei gladium in capita nostra dare. Henricus enim, qui primus imperium de genere [illegible]
hoc accepit, persecutionem gravissimam in Ecclesiam suscitavit, et bonae memoriae Paschalem Papam, qui eum coronavit, cum episcopis, cardinalibus et multis nobilibus Romanorum coepit per violentiam et perfidiam, et tamdiu tenere praesumpsit donec pro liberatione non sua, sed eorum qui fuerant capti secum, quos minabatur mutilare tyrannus,

privilegium quodcumque voluit ei fecit. Cumque postmodum idem Paschalis a detentionis suae vinculis liberatus praedictum privilegium, quod dicendum erat potius (1) pravilegium, revocasset, dictus Henricus praeter cardinalium electionem haeresiarchas quosdam dati sibi occasione privilegii creavit, et idolum (2) contra Ecclesiam Romanam erexit; et extunc schisma usque ad Calixtum tempore longo duravit. Huic de eodem genere successit in imperium Fridericus, qui cum Tyburtinos tunc rebelles post coronationem suam promisisset ad subiectionem Ecclesiae revocare, eos sibi postmodum vendicavit, dicens quod civitatem ipsam vellet in specialem imperii cameram retinere; et sic eos contra Ecclesiam Romanam armavit. Quid etiam cum bonae memoriae Alexander praedecessor noster, tunc Ecclesiae Romanae cancellarius, ad eum a felicis recordationis Adriano Papa, qui eum coronaverat, destinatus fuisset, lectis litteris in quibus continebatur, quod imperator deberet Ecclesiae Romanae deferre, cum re ipsa ei coronae beneficium contulisset, dicitur cum furore et iracundia respondisse: Nisi essemus in Ecclesia iam scirent qualiter Theutonicorum enses incidant. Et protinus eum, infecto negotio, pro quo iverat, terram suam iussit exire; et eundem Adrianum moliebatur, sed frustra, cum quibusdam deponere, opponens ei quod esset filius sacerdotis. Ipse idem postmodum contra eundem Alexandrum longo tempore schisma fovit, et quoscumque potuit contra eum coniurare coegit, in iuramento opponens quod nullo tempore poenitentiam reciperent de huiusmodi iuramento; et ipse idem sub eadem forma iuravit. Ipse quoque, cum Venetiis terram Cavalcam comitis, quam occupaverat, et alia quaedam Ecclesiae Romanae restituere per iuramenta principum promisisset, ipsam postmodum fortius occupavit, et bonae memoriae Lucio praedecessori nostro accedenti in Lombardiam satis fraudulenter illusit, ipsum et successorem ipsius apud Veronam quasi obsessos tenens. Henricus autem filius et successor ipsius in Ecclesiae persecutionem suae dominationis execravit primitias, cum Beati Petri patrimonium violenter ingressus, illud multipliciter devastavit, qui etiam quosdam familiares fratrum nostrorum naso fecit in iniuriam Ecclesiae mutilari. Ipse occisores bonae memoriae Alberti Leodiensis episcopi, quem ipse coegerat exulare, post interfectionem ipsius in multa familiaritate recepit, et publice participavit eisdem, et beneficia postmodum maiora concessit. Ipse venerabilem fratrem nostrum Auximanum episcopum, quia confessus est coram eo, quod episcopatum per Sedem Apostolicam obtineret, alapis in praesentia sua caedi fecit, et de barba eius pilis avulsis, ipsum inhoneste tractari. Conradus Musca in cerebro venerabilem fratrem nostrum Ostiensem episcopum caepit, et in vinculis posuit, et inhoneste tractavit de mandato ipsius, sicut idem Conradus publice testabatur, et sicut melius apparuit ex post facto, cum non solum fuerit evitatus aut punitus ab ipso, sed honoribus et possessionibus dilatatus. Ipse postmodum Siciliae regnum adeptus, publice proponi fecit edictum ut nullus vel clericus, vel laicus ad Ecclesiam Romanam accederet nec ad eam aliquis appellaret, Philippus autem de quo agitur ab Ecclesiae persecutione incaepit, et adhuc in ea persistit. Olim enim patrimonium Ecclesiae sibi usurpare contendens, ducem Tusciae et Campaniae se scribebat, asserens quod usque ad portas urbis acceperat potestatem, et etiam illa pars urbis, quae Transtyberim dicitur, eius erat iurisdictioni concessa, nunc etiam per Marcualdum, Diupuldum et fautores eorum nos, et Ecclesiam Romanam persequitur, et regnum Siciliae nobis auferre conatur. Si ergo id facit in

(1) Vide Concil. Lateran., an. 1212. (2) Idest Burdinum, ut supra diximus in Paschali II.

arido, in viridi quid faceret? et si adhuc aridus et exanguis, utpote cuius adhuc est messis in herba, nos et Ecclesiam Romanam persequitur, quid faceret si, quod absit, imperium obtineret? Videtur non irrationabiliter expedire ut prius nos eius violentiae opponamus quam amplius invalescat. Quod autem etiam in regibus filii pro patribus sint puniti divina pagina protestatur. Nonne propter peccatum Saulis dictum est a Domino per Samuelem: Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quae praecepit tibi, quod si non egisses, iam nunc praeparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum; sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Salomoni quoque legitur a Domino esse dictum: Quia non custodisti pactum meum et praecepta mea quae mandavi tibi, dirumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo; veruntamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum, de manu filii tui scindam illud. De Ieroboam similiter dictum fuit a Domino per Aiam: Ecce ego inducam mala super domum Ieroboam, et percutiam te de Ieroboam mingentem ad parietem. Et ibidem legitur, quod interfecit Baasa Nadab filium Ieroboam, et percussit omnem domum Ieroboam, non dimisit nec unam quidem animam de semine eius, donec deleret eam propter peccata Ieroboam quae peccaverat, et quibus fecerat peccare Israel, et propter delictum quo irritaverat Dominum Deum Israel. De Baasa quoque scribitur dixisse Dominus: Quia ambulasti in via Ieroboam, et peccare fecisti populum meum Israel, ecce ego demetam posteriora Baasa, et posteriora domus eius. Achab etiam dictum invenitur a Domino per Eliam: Ecce ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua, et interficiam te Achab mingentem ad parietem. Nam et Dominus dicit: Ego sum Deus zelotes, vindicans peccata patrum in filios usque in tertiam et quartam progeniem in his qui oderunt me, id est, in his qui circa me paternum odium imitantur. De Othone videtur quod non liceat ipsi favere, quoniam a paucioribus est electus; quod non deceat, ne videamur, non ob gratiam eius, sed alterius odium, ipsi favorem apostolicum exhibere; quod non expediat, quia respectu alterius videtur pars eius debilis et infirma. Verum cum tot et plures ex his, ad quos principaliter spectat imperatoris electio, in eum consensisse noscantur, quot in alterum consenserunt, cum non minus idoneitas, seu dignitas electae personae, immo plus quam eligentium numerus sit in talibus attendendus, nec tantum pluralitas quoad numerum, sed salubritas quoad consilium in eligentibus requiratur, et Ottho magis sit idoneus ad regendum imperium quam Philippus, cum Dominus etiam puniat peccata patrum in filios usque in tertiam et quartam progeniem in his qui oderunt eum, idest, in his qui patrum peccata sequuntur, et Philippus progenitorum suorum peccata in Ecclesiae persecutione sequatur, cum etsi non debeamus reddere mala pro malis, sed benefacere malefacientibus nobis, non tamen debeamus honorem pro iniuria in his, qui in solita perseverant malitia, compensare aut contra nos armare furentes, cum Dominus, ut confunderet fortia, humilia elegisse legatur, utpote qui David in regem de post foetantes accepit, videtur quod et liceat, deceat et expediat ipsi favorem apostolicum exhibere. Absit enim ut deseramus homini contra Deum, aut timeamus vultum potentis, cum secundum Apostolum non solum a malo, sed ab omni specie mala nos oporteat abstinere. Scriptum est enim: Maledictus qui confidit in homine, et qui ponit carnem brachium suum. Nos igitur ex praedictis causis pro puero non credimus insistendum, ut ad praesens debeat imperium obtinere. Personam vero Philippi propter impedimenta patentia penitus reprobamus, et obsistendum ei dicimus

De Othone a paucioribus electo.

Eius electio legitima.

Eius qualitates.

Declarat Innocent. quid agendum sit ab electoribus.

ne imperium valeat usurpare. De caetero vero agendum per legatum nostrum apud principes ut vel conveniant in personam idoneam, vel se iudicio aut arbitrio nostro committant. Quod si neutrum elegerint, cum diu expectaverimus, cum monuerimus eos ad concordiam, cum instruxerimus eos per litteras et nuntium nostrum et consilium nostrum eis duxerimus exponendum, ne videamur eorum fovere discordiam et dicere cum Ezechia: Sit pax et veritas in diebus nostris, ne si secuti fuerimus a longe ut videamus finem, cum Petro tandem veritatem, quae Christus est, negare cogamur, cum negotium istud dilationem non capiat, cum Ottho et per se devotus existat Ecclesiae, et ex utraque parte trahat originem ex genere devotorum, ex parte matris de domo regum Angliae, ex parte patris de prosapia ducum Saxoniae, qui omnes Ecclesiae fuere devoti, et specialiter Lotharius imperator proavus eius, qui bis pro Apostolicae Sedis honore Apuliam est ingressus, et in obsequio Ecclesiae Romanae decessit, ei manifeste favendum, et ipsum recipiendum in regem, et praemissis omnibus quae pro honorificentia Ecclesiae Romanae debent praemitti ad coronam imperii evocandum.

Othoni vero favendum omnino

XXXI.

Sanctarum virginum canoni adscribit B. Kunegundem imperatricem (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Quid requiri debeat in iis qui Ss. catalogo sunt adscribendi. — Examen sanctitatis beatae Kunegundis quibus fuerit commissum. — Miracula. — Facti series. — Diligentes perquisitiones praemissae. — B. Kunegundis virtutes et merita. — Miracula patrata huius sanctae virginis intercessione. — Ss. albo adscribitur. — Orationes in missa die eius festivitatis dicendae.

(1) Edidit Fontaninus Cod. canoniz. Sanctor., pag. 73.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Theumoni episcopo, et dilectis filiis capitulo Babenbergensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Cum secundum evangelicam veritatem nemo accendat lucernam, et ponat illam sub modio, sed super candelabrum, ut omnes, qui in domo sunt videant; pium pariter, et iustum est, ut quos Deus merito sanctitatis coronat, et honorat in coelis, nos venerationis officiis laudemus et glorificemus in terris, cum ipse potius laudetur, in illis, qui est laudabilis et gloriosus in sanctis. Pietas enim promissionis habet vitae, quae nunc est, et futurae, dicente Domino per Prophetam: Dabo vos cunctis populis in laudem, et honorem, et per se pollicente: Fulgebunt iusti, sicut sol in regno patris eorum. Nam ut suae virtutis potentiam mirabiliter manifestet, et nostrae salutis causam misericorditer operetur, fideles suos, quos semper coronat in coelo, frequenter etiam honorat in mundo; ad eorum memorias signa faciens et prodigia per quae pravitas confundatur haeretica, et fides catholica confirmetur. Nos ergo carissimi, quantas possumus, etsi non quantas debemus omnipotenti Deo gratiarum referimus actiones, qui in diebus nostris ad confirmationem fidei catholicae, et confusionem haereticae pravitatis evidenter innovat signa, et miracula potenter immutat, faciens eos coruscare miraculis, quibus fidem catholicam tam corde, quam ore, necnon et opere tenuerint.

Inter quos beatae memoriae Kunegundis Romanorum imperatrix Augusta, quae degens olim in mundo, magnis meritis praepollebat, nunc vivens in Coelo multis coruscat miraculis, ut eius sanctitas certis indiciis comprobetur. Licet enim ad hoc, ut aliquis Sanctus

Quid requiri debeat in iis qui Ss. catalogo sunt adscribendi.

sit apud Deum in Ecclesia triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia, testante Veritate, quae dicit: Quoniam, qui perseveravit usque ad finem, hic salvus erit; et iterum: Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae, ad hoc tamen, ut ipse Sanctus apud homines habeatur in Ecclesia militante duo sunt necessaria, virtus morum, et virtus signorum: videlicet merita, et miracula, ut haec et illa sibi invicem contestentur: non enim, aut merita sine miraculis, aut miracula sine meritis plene sufficiunt ad perhibendum inter omnes testimonium sanctitati, cum interdum Angelus Satanae transfiguret se in Angelum lucis, et quidam opera sua faciant, ut ab hominibus videantur. Sed et Magi Pharaonis olim signa fecerunt, et Antichristus tandem prodigia operabitur, ut si fieri possit, in errores etiam inducantur electi. Verum, cum, et merita sana praecedunt, et clara succedunt miracula, certum praebent indicium sanctitatis, ut nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus, et meritis praecedentibus, et miraculis subsequentibus exhibet venerandum. Quae duo ex verbis Evangelistae plenius colliguntur, qui de Apostolis loquens aiebat: Illi autem profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante subsequentibus signis.

Examen sanctitatis beatae Kunegundis quibus fuerit commissum.

Sane cum ad audientiam bon. mem. Coelestini Papae praedecessoris mei, merita et miracula praefatae imperatricis vobis referentibus pervenissent ut ipse de illis notitiam conciperet certiorem, inquisitionem eorum venerabilibus fratribus nostris Augustensi et Eystettensi, et bonae memoriae Wirtzburgensi episcopis, et dilectis filiis Eboracensi, Lancheimensi et Hailsbrunensi abbatibus per apostolica scripta commisit: post cuius obitum, usque adeo manifestari coeperunt, et multiplicari miracula, ut ex evidentia pariter et frequentia sanctitas eius ab omnibus quasi notoria, praedicetur, sicut

Miracula multa ab ea patrata

ex multis testimonialibus literis episcoporum, abbatum, praepositorum et principum, necnon et aliorum multorum nuper nostro extitit apostolatui reseratum.

Venientes igitur ad Apostolicam Sedem ex parte vestra dilecti filii D. abbas Michel-Veldensis, Gundelus decanus, Conradus custos, Marcus archidiaconus, Hermanus subdiaconus maioris Ecclesiae vestrae, Lupoldus diaconus Sancti Stephani, Burchardus diaconus Sanctae Mariae, Henricus presbyter Sancti Michaelis, Henricus subdiaconus Sanctae Mariae nobis et fratribus nostris humiliter supplicarunt, ut ex plenitudine potestatis, quam Iesus Christus beato Petro concessit praenominatam imperatricem sanctorum catalogo dignaremur adscribere, decernentes eius memoriam inter sanctos ab universis fidelibus de caetero celebrandam; cum hoc sublime iudicium ad eum tantum pertineat, qui est beati Petri successor, et vicarius Iesu Christi. Nos itaque cognoscentes, quod hoc revera iudicium sublimius est inter caetera iudicia iudicandum, in ipsius examinatione plenaria voluimus adhibere cautelam, et ideo praenominatos iurisiurandi religione constrinximus, ut puram nobis super hoc dicerent veritatem. Qui iurati dixerunt, quod, sicut ex celebri fama et solemni scriptura noverunt beata Kunegundis sancto Henrico imperatori fuit matrimonialiter copulata, sed ab eo non extitit carnaliter cognita. Unde cum dominus imperator ageret in extremis, principibus et parentibus inquit de illa: Qualem mihi eam assignastis, talem vobis eam resigno. Virginem eam dedistis, et virginem reddo. Suam ergo virginitatem Domino consecravit, et servavit intactam, ita quod cum aliquando, instigante humani generis inimico, suspicio quaedam contra ipsam fuisset exorta, ipsa ut suam innocentiam demonstraret, super ignitos vomeres nudis plantis incessit, et processit illaesa. Item sanctus

Diligentes perquisitiones praemissae.

B. Kunegundis virtutes et merita

imperator Henricus, et haec imperatrix egregia Kunegundis de propriis facultatibus Babenbergensem fundaverunt ecclesiam, et dotaverunt, quam cum suis omnibus pertinentiis ex fervore devotionis, quam ad Apostolicam Sedem habebant, beato Petro apostolorum principi obtulerunt annuum ei censum ad indicium, quod iuris sit Ecclesiae Romanae solventes, sed et alia plurima beneficia piis locis, et venerabilibus ecclesiis contulerunt, Christum sibi facientes haeredem. Haec et alia retulere de meritis: de miraculis asserentes, quod eis praesentibus et videntibus ad memoriam huius virginis caeci visum, claudi gressum, muti verbum, et surdi recuperarunt auditum, aliisque languoribus impediti frequenter et evidenter plenam consecuti sunt sanitatem: et quod mirabilis novitatis, et novi miraculi, pulvis de tumulo eius assumptus saepe conversus est in frumentum. Nos ergo de meritis et miraculis eius multis et magnis non solum testimoniis, sed et testibus certiores effecti, cum secundum Prophetam laudandus sit Deus in sanctis suis: de fratrum nostrorum consilio, et Pontificum multorum apud Sedem Apostolicam existentium, ipsam beatam virginem Kunegundam catalogo sanctorum adscripsimus, eiusque memoriam inter sanctos decrevimus celebrandam. Quapropter universitatem vestram monemus et hortamur in Domino per apostolica scripta mandantes, quatenus quod nos solemniter et caute statuimus, vos humiliter et devote servetis, ut meritis eius et precibus apud misericordissimum Iudicem indulgentiam consequamur. Collectam autem, et alias orationes in commemoratione eius dicendas edidimus, quas in hac pagina duximus subscribendas.

Miracula

Sc. albo adscribitur

ORATIO.

Omnipotens et misericors Deus, qui a gloria tua nullum excipis sexum, nullamque conditionem excludis, te suppliciter exoramus, ut sicut beatae Kunegundi virgini tuae post terreni culmen imperii coelestis regni solium contulisti, ita meritis eius et precibus, nobis quoque famulis tuis aeternae felicitatis praemia largiaris. Per Dominum *etc.*

Orationes in missa die eius festivitatis dicendae.

Secreta.

Sacrificium laudis tuae tibi, Domine Deus noster (1), tuam clementiam implorantes, ut per huius sacramenti virtutem, intercedente beata Kunegunde virgine tua, nos et a peccatis expedias, et a periculis tuearis. Per Dominum *etc.*

Complenda.

Sacratissimum sacramentum Redemptionis humanae, quod in honore beatae Kunegundis obtulimus, tibi nos, Domine, reddat acceptos, ut per hoc, quod et accepimus ipsi de tuo, et suscepisti de nostro in tui semper unione vivamus. Qui cum Patre *etc.*

Datum Laterani tertio nonas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 3 aprilis 1200, pontif. anno III.

XXXII.

Othoni in imperatorem electo regnum confirmatur (2).

SUMMARIUM

Procemium. — Innocentii sollicitudo de imperio. — Othonis dotes et in Sedem Apostolicam merita. — Eum ad perseverantiam in iis adhortatur. — Regalem ei dignitatem confirmat ad imperialem coronam recipiendam — Pia ad eum monita. — Legatos ad eum mittit.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, illustri regi Othoni in Romanorum imperatorem electo.

Ut non solum dispositio rerum et temporum omnipotentem Dominum de-

Procemium.

(1) Addendum forsitan *offerimus*. (2) Ex Baluz., loc. cit., tom. I, pag. 702.

monstraret, sed ipsa quasi conformitas operum et eventuum ad se invicem eundem omnium pateretur auctorem, coelestibus Dominus terrestria conformavit: ut, dum mirabili quadam similitudine respondere viderimus ima summis, unum et eundem factorem et actorem omnium cognoscamus. Ipse etenim, licet sit magnus in magnis, ut mirabilis tamen etiam in minimis appareret, sicut circa mundi creationem, et saeculorum initia duo magna luminaria in firmamento coeli constituit, unum quod illuminaret diem, alterum quod in tenebris radiaret, sic processu temporum ad firmamentum Ecclesiae, quae Coeli nomine designatur, duas magnas instituit dignitates, primam quae illuminat diem, id est, in spiritualibus spirituales informet, et animas diabolica fraude deceptas a peccatorum catenis absolvat, cum ex privilegio sibi traditae potestatis quos ipsa ligat, et solvit in terris, Deus ligatos habeat, et solutos in coelis; alteram quae in tenebris radiet, dum in haereticos mentis caecitate percussos, et hostes fidei christianae, quos mundum oriens ex alto respexit, Christi et christianorum punit iniuriam, et ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, materialis gladii potestatem exercet. Unde sicut in eclypsi lunae tenebrae amplius tenebrescunt, et maioris caliginis obscuritas invalescit, sic ex imperatoris defectu haereticorum vesania, et violentia paganorum contra catholicos et fideles perfidius et crudelius malitia multiplicata consurgunt. Hoc autem attendentes sollicite, ac volentes malis imminentibus obviare, circa provisionem imperii solliciti fuimus, sicut per frequentes litteras directas ad principes et legatos transmissos ad eos omnibus credimus patuisse; in quo quantum celsitudini tuae duxerimus deferendum, et tu ipse novisti, et res perhibet testimonium veritati. Novimus enim qualiter inclitae recordationis Lotharius imperator proavus tuus Ecclesiae Romanae devotus

Innocentii sollicitudo de imperio.

Othonis dotes et in Sedem Apostol. merita.

extiterit, qualiter pro defendendo eius honore, non solum semel, sed et secundo vocatus accesserit, qualiter in ipsius subsidio finierit dies suos, qualiter avus et pater tuus eius vestigiis inhaerentes praedecessoribus nostris exhibuerint se devotos, qualiter etiam Anglicana domus ex qua ex parte matris es ortus, in devotione Sedis Apostolicae fere semper perstiterit, et persistat, et ei tempore grandis persecutionis obsequium impenderit opportunum. In te igitur progenitorum tuorum devotionem suscitare plenius, et abundantius remunerare volentes, credimus et quasi pro certo tenemus quod non solum in ea te verum ostendes haeredem eorum, et legitimum successorem, sed tanto ipsas in hoc praecedes amplius, quanto te a nobis magis intelliges honoratum. Inspiret autem cordi tuo is qui corda principum habet in manu sua, et per quem reges regnant, et principes obtinent principatum, ut affectum nostrum penses plenius per affectum quam nostro tibi explicemus, vel explicare possimus affatu, et ea quae acta sunt hactenus, et aguntur, et adhuc dante Domino per nos circa te agentur imposterum, fideliter in tuo corde reponas, et ita memoriae recommendes, ut nec obliviosus videri valeas, vel ingratus, sed ad Apostolicae Sedis exaltationem et honorem potenter intendas, et eius plene benevolentiam recognoscas, quae cum defecissent fere penitus vires tuae, in tua dilectione tepuit, nec te deseruit in adversis, sed tamdiu fovit donec iuxta tuum te desiderium exaltaret. Nos enim serenitatem tuam in eo de consilio fratrum nostrorum honorare volentes ultra quod in saeculo saecularis princeps nequeat honorari, auctoritate Dei omnipotentis nobis in beato Petro collata te regem recipimus, et regalem tibi praecipimus de caetero reverentiam et obedientiam exhiberi: praemissisque omnibus, quae de iure sunt, et consuetudine

Eum ad perseverantiam in iis adhortatur.

Regalem ei dignitatem confirmat ad imperialem coronam recipiendam.

imperator Henricus, et haec imperatrix egregia Kunegundis de propriis facultatibus Babenbergensem fundaverunt ecclesiam, et dotaverunt, quam cum suis omnibus pertinentiis ex fervore devotionis, quam ad Apostolicam Sedem habebant, beato Petro apostolorum principi obtulerunt annuum ei censum ad iudicium, quod iuris sit Ecclesiae Romanae solventes, sed et alia plurima beneficia piis locis, et venerabilibus ecclesiis contulerunt, Christum sibi facientes haeredem. Haec et alia retulere de meritis: de miraculis asserentes, quod eis praesentibus et videntibus ad memoriam huius virginis caeci visum, claudi gressum, muti verbum, et surdi recuperarunt auditum, aliisque languoribus impediti frequenter et evidenter plenam consecuti sunt sanitatem: et quod mirabilis novitatis, et novi miraculi, pulvis de tumulo eius assumptus saepe conversus est in frumentum. Nos ergo de meritis et miraculis eius multis et magnis non solum testimoniis, sed et testibus certiores effecti, cum secundum Prophetam laudandus sit Deus in sanctis suis: de fratrum nostrorum consilio, et Pontificum multorum apud Sedem Apostolicam existentium, ipsam beatam virginem Kunegundam catalogo sanctorum adscripsimus, eiusque memoriam inter sanctos decrevimus celebrandam. Quapropter universitatem vestram monemus et hortamur in Domino per apostolica scripta mandantes, quatenus quod nos solemniter et caute statuimus, vos humiliter et devote servetis, ut meritis eius et precibus apud misericordissimum Iudicem indulgentiam consequamur. Collectam autem, et alias orationes in commemoratione eius dicendas edidimus, quas in hac pagina duximus subscribendas.

Miracula

Sc. albo adscribitur

ORATIO.

Omnipotens et misericors Deus, qui a gloria tua nullum excipis sexum, nullamque conditionem excludis, te suppliciter exoramus, ut sicut beatae Kunegundi virgini tuae post terreni culmen imperii coelestis regni solium contulisti, ita meritis eius et precibus, nobis quoque famulis tuis aeternae felicitatis praemia largiaris. Per Dominum *etc.*

Orationes in missa die eius festivitatis dicendae.

Secreta.

Sacrificium laudis tuae tibi, Domine Deus noster (1), tuam clementiam implorantes, ut per huius sacramenti virtutem, intercedente beata Kunegunde virgine tua, nos et a peccatis expedias, et a periculis tuearis. Per Dominum *etc.*

Complenda.

Sacratissimum sacramentum Redemptionis humanae, quod in honore beatae Kunegundis obtulimus, tibi nos, Domine, reddat acceptos, ut per hoc, quod et accepimus ipsi de tuo, et suscepisti de nostro in tui semper unione vivamus. Qui cum Patre *etc.*

Datum Laterani tertio nonas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 3 aprilis 1200, pontif. anno III.

XXXII.

Othoni in imperatorem electo regnum confirmatur (2).

SUMMARIUM

Procemium. — Innocentii sollicitudo de imperio. — Othonis dotes et in Sedem Apostolicam merita. — Eum ad perseverantiam in iis adhortatur. — Regalem ei dignitatem confirmat ad imperialem coronam recipiendam — Pia ad eum monita. — Legatos ad eum mittit.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, illustri regi Othoni in Romanorum imperatorem electo.

Ut non solum dispositio rerum et temporum omnipotentem Dominum de-

Procemium.

(1) Addendum forsitan *offerimus*. (2) Ex Baluz., loc. cit., tom. I, pag. 702.

monstraret, sed ipsa quasi conformitas operum et eventuum ad se invicem eundem omnium pateretur auctorem, coelestibus Dominus terrestria conformavit: ut, dum mirabili quadam similitudine respondere viderimus ima summis, unum et eundem factorem et actorem omnium cognoscamus. Ipse etenim, licet sit magnus in magnis, ut mirabilis tamen etiam in minimis appareret, sicut circa mundi creationem, et saeculorum initia duo magna luminaria in firmamento coeli constituit, unum quod illuminaret diem, alterum quod in tenebris radiaret, sic processu temporum ad firmamentum Ecclesiae, quae Coeli nomine designatur, duas magnas instituit dignitates, primam quae illuminat diem, id est, in spiritualibus spirituales informet, et animas diabolica fraude deceptas a peccatorum catenis absolvat, cum ex privilegio sibi traditae potestatis quos ipsa ligat, et solvit in terris, Deus ligatos habeat, et solutos in coelis; alteram quae in tenebris radiet, dum in haereticos mentis caecitate percussos, et hostes fidei christianae, quos mundum oriens ex alto respexit, Christi et christianorum punit iniuriam, et ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, materialis gladii potestatem exercet. Unde sicut in eclypsi lunae tenebrae amplius tenebrescunt, et maioris caliginis obscuritas invalescit, sic ex imperatoris defectu haereticorum vesania, et violentia paganorum contra catholicos et fideles perfidius et crudelius malitia multiplicata consurgunt.

Innocentii sollicitudo de imperio.

Hoc autem attendentes sollicite, ac volentes malis imminentibus obviare, circa provisionem imperii solliciti fuimus, sicut per frequentes litteras directas ad principes et legatos transmissos ad eos omnibus credimus patuisse; in quo quantum celsitudini tuae duxerimus deferendum, et tu ipse novisti, et res perhibet testimonium veritati.

Othonis dotes et in Sedem Apostol. merita.

Novimus enim qualiter inclitae recordationis Lotharius imperator proavus tuus Ecclesiae Romanae devotus extiterit, qualiter pro defendendo eius honore, non solum semel, sed et secundo vocatus accesserit, qualiter in ipsius subsidio finierit dies suos, qualiter avus et pater tuus eius vestigiis inhaerentes praedecessoribus nostris exhibuerint se devotos, qualiter etiam Anglicana domus ex qua ex parte matris es ortus, in devotione Sedis Apostolicae fere semper perstiterit, et persistat, et ei tempore grandis persecutionis obsequium impenderit opportunum. In te igitur progenitorum tuorum devotionem suscitare plenius, et abundantius remunerare volentes, credimus et quasi pro certo tenemus quod non solum in ea te verum ostendes haeredem eorum, et legitimum successorem, sed tanto ipsas in hoc praecedes amplius, quanto te a nobis magis intelliges honoratum.

Eum ad perseverantiam in his adhortatur.

Inspiret autem cordi tuo is qui corda principum habet in manu sua, et per quem reges regnant, et principes obtinent principatum, ut affectum nostrum penses plenius per affectum quam nostro tibi explicemus, vel explicare possimus affatu, et ea quae acta sunt hactenus, et aguntur, et adhuc dante Domino per nos circa te agentur imposterum, fideliter in tuo corde reponas, et ita memoriae recommendes, ut nec obliviosus videri valeas, vel ingratus, sed ad Apostolicae Sedis exaltationem et honorem potenter intendas, et eius plene benevolentiam recognoscas, quae cum defecissent fere penitus vires tuae, in tua dilectione tepuit, nec te deseruit in adversis, sed tamdiu fovit donec iuxta tuum te desiderium exaltaret.

Regalem eius dignitatem confirmat ad imperialem coronam recipiendam.

Nos enim serenitatem tuam in eo de consilio fratrum nostrorum honorare volentes ultra quod in saeculo saecularis princeps nequeat honorari, auctoritate Dei omnipotentis nobis in beato Petro collata te regem recipimus, et regalem tibi praecipimus de caetero reverentiam et obedientiam exhiberi: praemissisque omnibus, quae de iure sunt, et consuetudine

praemittenda, regiam magnificentiam ad suscipiendam Romani imperii coronam vocabimus, et eam tibi dante Domino humilitatis nostrae manibus solemniter conferemus. Monemus igitur celsitudinem regiam, et exhortamur in Domino quatenus spem tuam ponas in illo qui, reprobato Saule, David elegit in regem, et talem te studeas exhibere, ut de te quoque dicere valeat: Inveni virum secundum cor meum. Ad haec, venerabilem fratrem nostrum Praenestinum episcopum Apostolicae Sedis legatum *etc.*, quos pro negotiis tuis specialiter et principaliter duximus destinandos, benigne recipias, et pertractes, et honorificientiam eis, sicut te decet et ipsos, impendes, dilectum quoque filium Ægidium acolithum nostrum, cuius fidem et sollicitudinem iam in pluribus es expertus, habeas propensius commendatum.

Pia ad eum monita.

Legatos ad eum mittit.

Datum Laterani kalend. martii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 1 martii anno Domini 1201, pontif. anno IV.

XXXIII.

Sequitur ad imperii principes de eadem re (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Imperii provisio specialiter Pontifices contingit. — Quae hac pro re egerit, narrat Innocentius. — Legatos apostolicos ab Innocentio super hac re destinatos memorat. — Nihil tamen proficientibus ipsis ad dirimendam discordiam obortam, Pontifex uno ex duobus electis excluso, in alterum consentit. — Electus fuerat excommunicatus, — Atque cum Marcualdo excommunicato audet communicare et in eius malitia fovere. — Henrici, Friderici et Philippi in Ecclesiam crimina. — — Imperii principes certiores facit de confirmato Othoni imperio. — Eosque, eum ut honorificent, hortatur.

(1) Ex Baluz., loc. cit., pag. 703.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis tam ecclesiasticis quam saecularibus principibus Alamanniae.

Etsi quidam imperatores romani Ecclesiam in multis afflixerint, multi tamen eam in pluribus honorarunt, ita quod per devotionem et liberalitatem ipsorum magnifica beneficia novimus Ecclesiae provenisse. Unde non est aliquo modo credendum quod, sicut pestilentes aliqui mentiuntur volentes inter Ecclesiam et imperium immortalem discordiae materiam suscitare, ad depressionem intendamus imperii, per quod, si fuerit bene ordinatum, Ecclesiam non solum defendi credimus, sed etiam exaltari. Novimus etenim et vos nostis, quod eius provisio principaliter et finaliter nos contingit; principaliter quidem, quia per Ecclesiam de Graecia pro ipsius specialiter fuit defensione translatum, finaliter autem quoniam etsi alibi coronam regni accipiat, a nobis tamen imperator imperii recipit diadema in plenitudinem potestatis. Attendentes autem olim quantum dispendium ex defensoris defectu pateretur Ecclesia, quantumque detrimentum ex imperatoris carentia sentiret religio christiana, licet expectaverimus expectantes, si forte vos ipsi saniori usi consilio tantis malis finem imponere curaretis, vel ad divinum et nostrum saltem recurreretis auxilium, ut per Deum et nos vestro studio mediante tanta dissentio sopiretur, quia vos super hoc negligentes invenimus et remissos, ut nostrum exequeremur officium, vos per literas nostras paterna curavimus sollicitudine commonere ut timorem Domini habentes prae oculis, et imperii zelantes honorem, ne vel annullaretur dignitas vel libertas deperiret ipsius, ad provisionem ipsius melius intendere curaretis, alioquin, quia mora trahebat periculum ad se grave, nos quod expedire sciremus utiliter procurantes, curaremus ei apostolicum impertiri favorem quem crederemus maioribus studiis et meritis

Procemium.

Imperii provisio specialiter Pontifices contingit.

Quae hac pro re egerit, narrat Innocentius.

adiuvari. Cum autem nobis ad literas istas, quas ad multos vestrum novimus pervenisse, nec verbo fuisset, nec facto responsum, expectavimus iterum donec audivimus, quod per studium et sollicitudinem bonae memoriae Conradi archiepiscopi Maguntini a nostra praesentia redeuntis fuerit procuratum ut quidam vestrum ad commune colloquium convenirent de provisione imperii tractaturi. Unde ne videremur ab incepto desistere, literas nostras ad vos per proprium nuntium duximus destinandas, consilium nostrum vobis exponentes fideliter, et super iis quae necessaria videbantur diligentius instruentes. Caeterum cum nec per expectationem diutinam, nec exhortationem honestam, ac instructionem plenariam fuerit discordiae prioris incommodum sequentis concordiae commoditate purgatum, ne quid ex contingentibus omittere videremur, venerabilem fratrem nostrum Praenestinum episcopum Apostolicae Sedis legatum, virum religione conspicuum, praeditum honestate, magnum Ecclesiae Dei membrum, quem inter caeteros fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, et cum eo dilectum filium magistrum Philippum notarium nostrum, virum providum et discretum, nobis et fratribus nostris merito suae probitatis earum admodum et acceptum, ad partes vestras duximus destinandos, qui cum venerabili fratre nostro Octaviano Ostiensi episcopo Apostolicae Sedis legato, primum locum post nos in Ecclesia Romana tenente, si tamen ipse a negotiis illis quibus tenebatur in regno Francorum se possit utiliter expedire, ad vos simul accederent, et ex parte nostra monerent salubriter et inducerent diligenter ut per vos ipsos cum eorum, si necesse foret, consilio et praesidio ad concordiam intendere curaretis, vel si forte per vos desiderata non posset concordia provenire, nostro vos committeretis arbitrio vel consilio, salva in omnibus tam libertate vestra, quam imperii dignitate, cum neminem magis quam Romanum Pontificem mediatorem in hoc vos habere deceret, qui voluntatibus et rationibus intellectis provideret, quod esset iustum et utile, vosque per auctoritatem caelitus sibi datam super iuramentis exhibitis quoad famam et conscientiam liberaret, et ad quem negotium imperii ex causis superius assignatis non est dubium pertinere. Caeterum quoniam hactenus nec expectationis nostrae modestia, nec exhortationis studium, nec consilii maturitas, nec instructionis discretio vos commovit, nec legatorum nostrorum usque adeo sollicitudo profecit, ut vel per vos ipsos sepulta discordia, sicut vos saepe monuimus, concorditer ad provisionem intenderetis imperii, vel consilio aut arbitrio nostro committere vos velletis, cum dispendium Ecclesiae, quae diutius nec vult nec debet idoneo defensore carere, sustinere noluimus ulterius vel dissimulare facturam populi christiani, cum alteri de vestris electis favorem impendere non possimus, propter excommunicationem publicam, periurium manifestum, et vulgatam persecutionem, quam progenitores eius et ipse in Apostolicam Sedem et Ecclesias exercere nullatenus dubitarunt, propter insolentiam etiam, quam exercuerunt in principes et alios sibi subiectos, et ne libertas principum in imperatoris electione vilescat, si non per electionem, sed successionem transferri a patribus in filios et in fratres a fratribus imperium videatur, consentire in alterum nos oportet. Fuit enim nobilis vir Philippus dux Sueviae a bonae memoriae Coelestino Papa praedecessore nostro propter invasionem et devastationem patrimonii beati Petri commonitione secundo praemissa publice ac solemniter excommunicationis sententia innodatus, cum in Tuscia moraretur, quod ipse postmodum recognovit, dum per nuncium suum ab ipso praedecessore nostro absolutionis beneficium postulavit,

et postmodum a tunc Sutrino episcopo, quem cum abbate Sancti Anastasii, pro liberatione venerabilis fratris nostri Salernitani archiepiscopi miseramus, contra formam mandati nostri de facto solummodo, quia de iure non potuit post suam electionem apud Warmatiam occulte se fecit absolvi. Unde patet quod fuerit excommunicatus electus, et videtur, non immerito quod adhuc sit ex eadem causa excommunicationis sententia innodatus, cum praedictus episcopus dum auctoritate sua non posset absolvere, auctoritate vero nostrae delegationis nec plus, nec aliter liceret hoc ipsi quam quod ei fuerat ab Apostolica Sede concessum. Ex eo etiam excommunicationis sententiae subiacere creditur manifeste, quod cum perfidus Marcualdus Dei et Ecclesiae inimicus, cum universis fautoribus tam Theutonicis quam latinis excommunicationis vulgatae vinculis suae iniquitatis meritis sit astrictus, sicut iam vobis per litteras nostras directas per P. iudicem Placentinum ipsius Philippi nuntium intimasse meminimus, quas ad ipsius Philippi audientiam credimus pervenisse, ipse nihilominus, quamvis id non tantum ex relatione ipsius iudicis, sed etiam per publicam famam ad notitiam eius devenerit, eidem excommunicato non solum communicat, sed eum in malitia sua fovet, et per nuntios, et litteras suas exacuit furorem ipsius ut charissimum in Christo filium nostrum Fridericum Siciliae regem illustrem nepotem suum, quem iam haereditate paterna privavit, adhuc privet possessione materna. Idem etiam contra proprium iuramentum, super quo nec consilium a Sede Apostolica requisivit, ambitionis vitio regnum sibi usurpare praesumpsit, non alium causa necessitatis in regem eligere. Quod utcumque tolerabilius videretur, cum super illo iuramento Sedes Apostolica prius consuli debuisset, sicut et eam quidam consuluere prudenter, apud quam ex institutione divina plenitudo residet potestatis. Nec valet ad plenam excusationem ipsius, si iuramentum illud dicatur illicitum, cum nihilominus super eo nos prius consulere debuisset quam contra ipsum propria temeritate venire, illo praesertim exemplo, quod cum Gabaonitae a filiis Israel per fraudem subripuerint iuramentum, ipsi tamen, cognita fraude, noluerunt contra illud sua temeritate venire. Quod autem de genere persecutorum existat, vos non credimus dubitare, cum Henricus, qui primus imperium de genere hoc accepit, bonae memoriae Paschalem Papam praedecessorem nostrum cum episcopis, cardinalibus, et multis nobilibus Romanorum praesumpserit captivare. Fridericus autem pater ipsius Philippi contra felicis recordationis Alexandrum praedecessorem nostrum longo tempore schisma fovit. Henricus frater ipsius Philippi qualiter se habuerit circa interfectores sanctae memoriae Alberti Leodiensis episcopi, quem ipse prius coegerat exulare, ac Conradus, qui praedictum Ostiensem episcopum coeperat, satis nostis: qui etiam qualiter venerabilem fratrem nostrum Auximanum episcopum alapis cedi fecerit, et pilos de barba eius avelli et tractari eum in pluribus inhoneste, qualiter quoque quosdam familiares Ecclesiae Romanae naso fecerit mutilari, qualiter praedictum Salernitanum archiepiscopum captivarit, et quosdam viros ecclesiasticos flammis torreri fecerit, quosdam vero vivos in mare submergi, ad vestram credimus audientiam pervenisse. Hae sunt paucae de multis iniuriis personales, quas Apostolicae Sedi circa viros ecclesiasticos irrogarunt. Reales autem iniurias subticemus, quas ei circa possessiones ecclesiasticas intulerunt, ne cui posset perverse intelligenti videri, quod pro iure ac honore imperii defendendo iniurias huiusmodi perpetrarint, cum nos ius et honorem imperii conservare velimus per omnia illibatum. Quod idem Philippus Ecclesiae persecutor extiterit

Henrici, Friderici et Philippi in Ecclesiam crimina

et existat, ex iis quae praemisimus satis patet. Quod pater et frater eius vobis imposuerint grave iugum, vos ipsi perhibete testimonium veritati. Nam ut caetera taceamus, hoc solum quod vobis in substitutione imperatoris eligendi voluerint adimere facultatem, libertati et honori vestro non modicum derogarunt. Unde si sicut olim patri filius, sic nunc immediate succederet frater fratri, videretur imperium non ex electione conferri, sed ex successione deberi. Nos igitur quoniam duobus ad habendum simul imperium favere nec possumus nec debemus, nec credimus personae in imperio, sed imperio in persona potius providendum, quia etiam ad hoc dignior reputatur, qui magis idoneus reperitur, ex causis praedictis, non amaritudinis sed rectitudinis zelo, sicut is novit qui renum est scrutator et cordium, personam Philippi, tamquam indignam quoad imperium praesertim hoc tempore obtinendum, penitus reprobamus, et iuramenta quae ratione regni sunt ei praestita decernimus non servanda, non tam propter paternos vel fraternos excessus, quam propriam eius culpam.' Quamvis non ignoremus dictum a Domino: Ego sum Deus Zelotes, vindicans peccata patrum in filios usque in tertiam et quartam progeniem in iis qui oderunt me, id est in iis qui contra me paternum odium imitantur. Cum autem charissimus in Christo filius noster Otto vir sit industrius, providus et discretus, fortis et constans, et per se devotus existat Ecclesiae, ac descendat ex utraque parte de genere devotorum, cum etiam electus in regem, ubi debuit, et a quo debuit fuerit coronatus, et ipse suae strenuitatis et probitatis meritis ad regendum et exaltandum imperium idoneus esse nullatenus dubitetur, nos auctoritate beati Petri et nostra eum in regem recepimus, et regalem ei praecepimus honorificentiam exhiberi, ipsumque ad coronam imperii, sicut decet, vocare curabimus, et eam ipsi solemniter et honorifice ministerio nostro, Domino concedente, conferre. Monemus igitur universitatem vestram, et exhortamur in Domino, et in remissionem vobis iniungimus peccatorum quatenus ei de caetero sicut regi vestro in Romanorum imperatorem electo reverenter et humiliter deferatis, regalem ei honorificentiam et obedientiam impendentes. Si enim salubribus monitis et consiliis nostris, quae corde puro et conscientia bona et fide non ficta procedunt, prudenter ac reverenter curaveritis acquiescere, nos cum eodem, et pro eodem rege ad honorem et exaltationem imperii efficaciter intendemus, cum et ipse nobis cum pariter et pro nobis ad honorem et exaltationem Ecclesiae intendere debeat, ut speramus; ita quod et faciente qui est rex regum et dominus dominantium, sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, regnum et sacerdotium diebus nostris mutuis subsidiis optatum recipient incrementum. Super primis etiam iuramentis illud auctoritate apostolica statuemus, quod ad purgandam et famam et conscientiam redundabit. Eis autem qui super hoc monitis, consiliis, et mandatis nostris humiliter acquieverint, super honoribus, dignitatibus, et possessionibus suis apud praedictum regem, et suos curabimus utiliter providere. Quod si etiam idem nobilis vir Philippus de plano acquiescere vellet et Deo et Ecclesiae satisfacere competenter, paterna eum curaremus sollicitudine confovere, et ad honorem et profectum eius intendere diligenter.

Imperii principes certiores facit de confirmato Othoni imperio;

Eosque, eum ut honorificent, hortatur.

Datum Laterani kal. martii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die, annoque eodem.

XXXIV.

Ad episcopos Franciae de legitimatione prolis a Philippo II rege ex superinducta susceptae (1).

SUMMARIUM

Apostolicae Sedis auctoritas legitimandi. — Philippus rex filios suscipit ex superinducta. — Cur eos legitimet Innocentius.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis per regnum Franciae constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolol. Sedis auctoritas legitimandi.

Apostolica Sedes, quae Deo disponente cunctorum fidelium mater est et magistra, praedecessorum nostrorum temporibus diversis causis inspectis, cum quibusdam minus legitime genitis dispensavit etiam ex adulterio; procreatis, quod ad actus spirituales legitimans in Pontifices quoque promoveri concessit. Cum igitur maior idoneitas in spiritualibus, quam in saecularibus requiratur, dubitari non debet, quin ipsa tales ad actus legitimare valeat saeculares, praesertim ad petitionem eorum, qui praeter Romanum Pontificem alium inter homines superiorem minime recognoscunt habentem huiusmodi potestatem. Quoniam ergo charissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum praeter primogenitum suum, quem de coniuge prima (2) suscepit, aliorum prolem non habet nisi puerum et puellam, quos ei nobilis mulier quondam filia nobilis viri ducis Meraniae peperit nuper defuncta, de sua posteritate provide cogitans a nobis humiliter postulavit, ut eos legitimare per favorem Sedis Apostolicae curaremus, vehementer affirmans, quod postquam venerabilis frater noster Guillelmus Remensis archiepiscopus Sanctae Sabinae cardinalis, tunc Apostolicae Sedis legatus, inter eum, et charissimam filiam nostram Ingeburgem reginam Francorum illustrem divortii sententiam promulgavit, licet ipsa sententia per Sedem Apostolicam postmodum fuerit revocata propter iudiciarium ordinem non servatum, nulla tamen ad ipsum de alia non ducenda prohibitio facta pervenit, et propter probationes affinitatis exhibitas coram eodem archiepiscopo, quas idem rex veras esse credebat, vinculum coniugale, quamquam nostra fuerit auctoritate compulsus, ut et ipsam dimitteret, et reginam reciperet memoratam. Nos igitur attendentes in eo devotionis constantiam, et fidei puritatem quam a progenitoribus erga Romanam Ecclesiam quasi quodam haereditario iure contraxit, ut tam honori regiae dignitatis, quam utilitati et necessitati regni Franciae provide consulamus, praedictos puerum et puellam de speciali gratia legitimationis titulo de communi fratrum nostrorum consilio decoramus, ut nullus eis in naturalibus defectus obsistat, ita videlicet ut per hoc nullum eidem regi, vel praefatae reginae in matrimoniali causa praeiudicium generetur. Vos ergo quod super hoc a nobis est provida deliberatione statutum, et vos ipsi firmiter observetis, et ab aliis faciatis per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari; et cum ab eodem rege fueritis requisiti, secundum formam praescriptam solemniter publicetis.

Philippus rex filios suscipit ex superinducta.

Cur eos legitimet Innocentius.

Datum Anagniae, IV nonas novembris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 2 novembris 1201, pontif. anno IV.

(1) Ex Baluz., loc. cit., pag. 684. (2) Nimirum ex Agnete filia Ducis Meraniae, vivente uxore sua Ingelburga, quam repudiaverat. (R. T.)

XXXV.

Decernit regem, regnumque Armeniae excommunicari aut interdici non posse nisi de speciali mandato Papae (1).

SUMMARIUM

Armeniae rex optime de Romana Ecclesia meritus; — Privilegium ei concessum.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Leoni regi Armeniorum illustri.

Regiae serenitatis devotio promeretur, et sinceritas tuae charitatis exposcit, ut

(1) Ex Baluz., loc. cit., pag. 636.

Armeniae rex optime de Romana Ecclesia meritus;

non solum tibi, sed etiam toti regno tuo specialem gratiam faciamus, et ob tuae devotionis meritum totam Armenicam Ecclesiam honoremus. Tu enim prae ceteris praedecessoribus tuis, quorum extat memoria, specialius in nostra, et Ecclesiae Romanae devotione persistis, et Apostolicae Sedis primatum et magisterium recognoscens, ad eam velut ad matrem tuam humiliter et devote recurris: propter quod ab ea debes rationabiliter honorari. Accepimus autem ex literis, quas regia nobis serenitas tua destinavit, quod cum regnum Armeniae obligatum Sedi Apostolicae obedientiae vinculis recognoscas, illud, sicut non debebas, ita etiam non volebas obligari cuilibet alteri Ecclesiae latinorum. Unde petebas tibi per literas apostolicas indulgeri, ut praeter Romanum Pontificem nullus latinus in te, vel regnum tuum, vel homines regni, sive latinos, sive alios cuiuscumque conditionis, excommunicationis aut interdicti possit sententiam promulgare.

Privilegium ei concessum

Volentes igitur quantum cum Deo possumus tuae serenitati deferre, et cum honestate nostra petitiones regias exaudire, tuis precibus inclinati, auctoritate praesentium districtius inhibemus ne quis in te, vel regnum tuum, aut homines regni tui cuiuscumque conditionis existant, qui mediantibus tamen eiusdem regni praelatis Sedi Apostolicae sint subiecti, praeter Romanum Pontificem aut eius legatum, vel de ipsius speciali mandato, districtionem ecclesiasticam audeat exercere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae inhibitionis *etc.*

Datum Laterani kalendas iunii.

Dat. die 1 iunii 1202, pontif. anno v.

XXXVI.

Declarat Cistercienses nullo modo obligari posse, ut fugitivos sui ordinis recipiant (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Privilegium (*de quo in titulo*). — Clausulae.

(1) Ex Baluz., pag. 648.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, abbati, et conventui Cisterciensi.

Exordium.

Cum paci ac quieti eorum qui Mariae officium elegerunt paterna sollicitudine providemus, officii nostri debitam prosequimur actionem, qui quanto ferventius in Dei servitio perseverare noscuntur, tanto amplius, ne ab eo valeant revocari, debent in suo laudabili proposito confoveri.

Privilegium (de quo in titulo).

Hinc est quod cum fugitivi Cisterciensis ordinis super receptione sua aliquotiens literis impetratis contra debitum vos molestare praesumant, ob favorem religionis et ordinis vestri volumus, et mandamus, ut huiusmodi ordinis vestri desertores, si super receptione sua forte literas impetraverint, in quibus non contineatur, ut recipiantur, salva ordinis disciplina, vel si regulare fuerit et honestum, tales literae, ne ipsarum occasione possitis a divinis laudibus revocari, nullam obtineant firmitatem, et ne earum obtentu ad fugitivorum receptionem aliquis vos compellat, auctoritate apostolica prohibemus.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae prohibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani, decimo quarto kalendas iulii.

Dat. die 18 iunii 1202, pontif. anno v.

XXXVII.

Speciale privilegium pro monasterio S. Laurentii de Aversa (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Monasterium soli Apostolicae Sedi subiectum declarat. — Bona ei confirmat. — Eximit a quaeumque iure episcopali. — Privilegia nonnulla elargitur.

(1) Ex Baluz., Epist. 678.

— Centenariam quoque concedit praescriptionem. — Monasterium molestantes ab abbate excommunicari posse vult. — Contra privilegium hoc siquid attentari contingat, irritat. — De bonis beneficiatorum monasterii eidem applicandis. — Alia concedit privilegia. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Matthaeo abbati, et fratribus Sancti Laurentii de Aversa tam praesentibus quam futuris regulariter substituendis, in perpetuum.

Proœmium. Commissae nobis sanctae et apostolicae Sedis hortatur auctoritas, ut locis et personis ipsius auxilium devotione debita implorantibus tuitionis praesidium impendere debeamus, quia sicut iniusta poscentibus nullus est tribuendus assensus, sic legitima et iusta desiderantium nulla est differenda petitio, praesertim eorum, qui cum honesta et laudabili morum compositione gaudent omnipotenti Deo deservire.

Monasterium soli Apostolicae Sedi subiectum declarat. Eapropter, dilecti in Christo filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis, coenobium Sancti Laurentii de Aversa in quo divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus, atque ab omni tam ecclesiasticae, quam saecularis personae iugo ita omnino liberum manere decernimus, ut soli sanctae et Apostolicae Romanae Ecclesiae nullo medio perenniter sit subiectum. Bona ei confirmat. Statuimus quoque, ut illa monasteria, ecclesiae, sive cellae, quae coenobio vestro concessa sunt, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant, quae quidem hic nominibus annotantur, videlicet coenobium Sancti Laurentii de Aversa, praedictum situm extra moenia civitatis Aversae, cum ecclesia Sancti Petri sistente prope portam eiusdem monasterii, cum burgo, quod est iuxta dictum monasterium, ac cum alio burgo, quod dicitur Verzalus, cum omnibus iuris rationibus, et pertinentiis, *et plures alias ecclesias, quas brevitatis causa praetermitto.* Quas quidem ecclesias, sive parochiales, sive populum non habentes, cum suis iuribus vobis et eidem coenobio auctoritate apostolica confirmamus, ipsas, et si quas alias, cum suis hominibus et parochianis poteritis in futurum canonice adipisci, in favorem religionis vestrae, et ut quietius et tranquillius omnium Creatori pro salubri statu universalis Ecclesiae serviatis ab omni iure episcopali eximimus de speciali gratia et plenitudine potestatis, ita quod in nullo episcopali iure, seu contentiosa iurisdictione monachi, seu clerici, saeculares et parochiani in vestris ecclesiis sive cellis commorantes respondere dioecesanis episcopis teneantur, neque coram eorum ordinariis conveniri valeant, etiamsi in loco non exempto delinquant fositan, contrahant, vel res religiosae existant: et in maiorem vestrae religionis favorem similiter indulgemus, ne quisquam episcopus vel archiepiscopus monasterii vestri monachos, et homines domesticos, servitores ipsius laicos, pro ulla causa ullove modo sine Romani Pontificis licentia suspendere aut excommunicare praesumat. Volumus etiam, ac perpetua stabilitate firmamus, ut nullus episcoporum, vel archiepiscoporum audeat aedificare ecclesiam sive capellam in locis quibus possit vestro monasterio, ecclesiis, sive cellis, vel earum parochianis aliquod praeiudicium vel scandalum generari. Confirmamus etiam vobis et iam dicto coenobio privilegia donationis ipsarum Ecclesiarum instrumenta nostro conspectui, ut authentica et legitima praesentastis apostolico iudicio approbanda, quibus diligenter visis, et intellectis, ipsa approbavimus, et ratificavimus, et ex certa

Eximit a quocumque iure episcopali.

Privilegia nonnulla eidem elargitur.

scientia confirmavimus; quibus etiam etsi quod forte iniuria, seu negligentia minus firmitatis insertum est, vires plenissimae notionis, ex hac nostra suscipiant auctoritate. Nihilominus etiam confirmamus vobis et praelibato coenobio privilegium centenariae praescriptionis quod felicis memoriae Urbanus Papa eidem coenobio de benignitate apostolica indulsit, decernentes eos, qui possessiones, libertatesque eiusdem coenobii vassallorumque suorum iura seu redditus detinuerint occupatos exinde fore penitus amovendos ipsisque nullum omnino ius per detentionem vel possessionem huiusmodi se posse acquirere, vel habere, ac nullum vobis propter hoc, vel iuri ipsius coenobii super his praeiudicium factum esse, vel posse in aliquo generari, nisi legitime constiterit detentores ipsos praescriptione centenaria fore munitos. Statuimus etiam ut idem monasterium, et universae eius ecclesiae, et omnia, quae ad ipsum pertinent quieta semper, et ab omni iugo mortalium libera sub solius sanctae Romanae Ecclesiae iure, ac perpetua defensione permaneant, et consistant, ita quod super his nullo unquam tempore debeatis impeti, vel modo quolibet molestari. Quod si aliquis contra hoc salubre praeceptum ire tentaverit, et possessiones, et iura, libertates, vel alias res mobiles, seu stabiles vestri monasterii, vel eius ecclesiarum, obedientiarum, oblatorum, seu etiam aliquorum hominum vestro monasterio subiectorum abstulerint, sive ablata retinuerint, postquam ipsorum ordinarii a vobis tertio admoniti iustitiam ecclesiasticam de his facere noluerint, a vobis admoniti semel, bis, et tertio, si non satisfactione congrua, quod male egerint emendare studuerint, ex indulgentia Sedis Apostolicae duximus concedendum, ut liceat tibi, Matthæe abbas, tibique canonice succedentibus apostolica auctoritate super eosdem impetitores canonicam excommunicationis proferre sententiam, et illos vicinis episcopis excommunicatos fore vestris denuntiare apicibus: qui episcopi illos pro excommunicatis habeant, et omnibus commissis, ut excommunicatos a sacratissimo Corpore et Sanguine Christi separatos evitari iubeant, eisque ecclesiasticam denegent sepulturam. Quod si ausu temerario, transactione, seu arbitrio aliquo interveniente per vos, vel successores vestros, seu per quemvis alium contra tenorem huiusmodi decreti absque licentia Sedis Apostolicae non faciente de immunitate huiusmodi mentionem fuerit attentatum, ex nunc illud decernimus viribus omnino carere, et praefatum coenobium cum omnibus suis membris habitis et habendis pleno iure Sedi Apostolicae sit subiectum. De abundantiori quoque gratia Sedis Apostolicae concedimus vobis et successoribus vestris, ut si aliquam de vestris ecclesiis, possessionibus, vel redditibus aliqui viro ecclesiastico, sive in beneficium, sive ad annuum censum canonice concesseritis, quod licitum sit vobis, vestrisque successoribus, bona vestri coenobii post obitum eiusdem personae ecclesiasticae, vel cum beneficium ipsum vacaverit a quoquam viro ecclesiastico concessum fuerit, beneficium ipsum, sive redditus ad utilitatem vestram retinere non obstante super hoc aliquo iure communi a nobis, vel a nostris successoribus edito, vel edendo, seu litteris a Sede Apostolica, aut a nostris legatis cardinalibus super hoc impetrandis nisi de huiusmodi privilegio expressam fecerint mentionem. Praeterea quaecumque bona concessione Pontificum, et liberalitate principum, vel oblatione fidelium vestrum hodie coenobium legitime possidet, vel in futurum canonice possidebit, vobis, vestrisque successoribus, et eidem coenobio auctoritate apostolica nihilominus confirmamus. Chrisma, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes monachorum seu clericorum tam in ipso coenobio, quam in adiacentibus villulis, ac in ecclesiis civitatis et dioecesis Aver-

Centenariam quoque concedit praescriptionem

Monasterium molestantes ab abbate excommunicari posse vult.

Contra privilegium hoc siquid attentari contingat, irritat.

De bonis beneficiatorum monasterii eidem applicandis.

Alia concedit privilegia

sanae, a quocumque malueritis catholico accipiatis episcopo. In aliis vero monasteriis et obedientiis vestris haec a dioecesano episcopo prius postulabitis, siquidem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habuerint, ut ea gratis et absque pravitate voluerit impartiri. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis adire antistitem, qui nostra fretus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Baptismum vero, ac infirmorum oleum visitationes per vos, et per clericos vestros, seu monachos in oppidis vestris, castellis, seu villis habeatis. Missas autem publicas ab aliquo episcopo tam in coenobio, quam in adiacentibus eius ecclesiis celebrari, citationes fieri, processiones deduci absque licentia abbatis et priorum, seu rectorum locorum voluntate omnimode prohibemus, ne in servorum Dei recessibus saecularibus occasio praebeatur ulla conventibus. Si quis autem adversus praedictum coenobium iustam se putat habere querelam, ac apud eiusdem coenobii abbatem, vel monachos litem per sententiam decidere, aut diffinire noluerit, statuimus, ut ante legatos nostros querimonia deferatur, quatenus aequitate iudicii sine personarum acceptione sui cuique iustitia Deo auctore servetur. Sepulturam quoque coenobii vestri, et omnium ecclesiarum seu obedientiarum vestrarum liberam esse omnino censemus, ut eorum devotioni, et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem, et beati Benedicti regulam praeviderint eligendum. Electus autem ad Romanum Pontificem benedicendus accedat.

Ante legatos pontificios contra monasterium querelae si quae sunt deferendae.

Decretum immunitatis pro supradictis.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat praefatum coenobium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel iniuste datas suis usibus vindicare, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare: sed omnia integre conserventur eorum pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt usibus profutura; salva in omnibus Apostolicae Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita si non praesumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei, et Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax eiusdem Domini nostri Iesu Christi, quatenus, et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Sub excommunicationis poena pro violatoribus.

Obedientibus concessa benedictione et pace.

Datum Laterani, per manum Blasii S. R. E. subdiaconi et notarii, idibus iulii, indictione quinta, incarnationis dominicae, anno millesimo ducentesimo secundo, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno quinto.

Dat. die 15 iulii 1202, pontif. anno v.

XXXVIII.

Creatio Coloioannis in regem Bulgarorum et Blachorum, cum donatione insignium regalium, et potestate cudendi monetam. Et facultas archiepiscopi Innovitan. ipsius regis pro tempore successores, apostolica auctoritate coronandi.

SUMMARIUM

Romani Pontificis quae sit dignitas, quae potestas. — Quod sumptis ex Sacra Scri-

ptura testimoniis apertissime conficit. — 1. Regium diadema et sceptrum Coloioanni mittit Innocentius: — 2. Cudendique monetam dat facultatem. — 3. Trinovitanam Ecclesiam primitiali dignitate insignit. — 4. Regem adhortatur ad perseverantiam in obedientia Sedis Apostolicae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Coloianni illustri Bulgarorum et Blachorum regi, eiusque posteris, ei tam in regno quam in devotione Sedis Apostolicae successuris, in perpetuum.

Romani Pontificis quae sit dignitas, quae potestas.

Rex regum et Dominus dominantium Iesus Christus sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech, cui dedit omnia Pater in manu, pedibus eius subiiciens universa, cuius est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et omnes habitantes in eo, imo cui flectitur omne genu, coelestium, terrestrium, et infernorum, Summum Apostolicae Sedis et Romanae Ecclesiae Pontificem, quem in B. Petro sibi vicarium ordinavit, super gentes et regna constituit, evellendi, destruendi, disperdendi, et dissipandi, et aedificandi, et plantandi ei conferens potestatem, loquens ad eum in Propheta, qui fuit de sacerdotibus Anathot: Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et aedifices, et plantes. Ut autem id expressius demonstraret, non per alium, sed per se ipsum cum pro hominibus carnem assumpsisset humanam, et calceamentum suum extendisset in Idumaeam ut ei Allophyli subderentur, et oves suas, quae de hoc ovili non erant adduceret, et fieret unum ovile et unus pastor, in se qui est super omnia Deus benedictus in saecula, universali Ecclesiae posuit fundamentum, eiusque apostolorum principi Petro magisterium contulit, et primatum, dicens ad eum: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni coelorum. Ubi etiam consequenter adiecit: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis. Post passionem quoque suam ascensurus in coelum, ovile suum, videlicet Ecclesiam, ei committens, et commendans in ovibus, dixit ei: Pasce oves meas, vocabulo tertio repetito, per hoc patenter ostendens, quod ad eius ovile non pertinent oves illae, quae se commissas et subiectas esse B. Petro contumaciter denegarint, et eius noluerint erudiri doctrina, et magisterio subiacere. Siquidem Ecclesia est Arca illa, in qua paucae animae, pereuntibus caeteris in diluvio sunt salvatae. Unde sicut omnes quos Arca non caepit in diluvio perierunt, sic omnes qui extra Ecclesiam inventi fuerint, in iudicio damnabuntur. Arca enim Ecclesiam, cathaclysmus iudicium, et Pastorem Ecclesiae Petrum, Noe rector Arcae figurat. Ille cum Domino legitur ambulasse, hic autem super undas maris, quod hunc mundum significat, ad Dominum scribitur pervenisse. In quo etiam expresse notatur, quod Petro non specialiter aliquis specialis Ecclesia, sed totus mundus commissus fuerit, et Ecclesia generalis. Nam sicut aquae multae sunt populi multi; sic mare magnum et spatiosum, mundum significat universum. Unde vocatis caeteris in partem solicitudinis, hunc assumpsit Dominus in plenitudinem potestatis, cum inquit ad eum: Tu vocaberis Caephas, quod Petrus interpretatur et caput, ut Petrum caput Ecclesiae demonstraret. Qui sicut unguentum quod a capite Aaron descendit in barbam, in membra diffunderet, ut nihil sibi penitus deperiret, quoniam in capite viget sensuum plenitudo, ad membra vero pars eorum aliqua derivatur. Insuper quaerenti Petro si quoties peccaret in eum frater eius dimitteret ei usque septies, Dominus legitur respondisse: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Sane cum omne tempus, septem dierum numero concludatur, multiplicatus in se septena-

rius, in hoc loco notat universorum universa peccata, cum solus Petrus, non solum omnia, sed omnium possit crimina relaxare. Ipsi enim et non alii dictum a Domino reperitur: Tu me sequere, idest in veri pastoris officio, et potestatis ecclesiasticae plenitudine imitare. Quia eum in officio vicarium sibi substituit Dominus, et in magisterio successorem, sic haereditatem, in cuius praeclaris funes eius ceciderant, transferens in eumdem, ut aliis post eum, et sub eo quasi partialia faceret de haereditate legata.

Regium diadema et sceptrum Coloioanni mittit Innocentius:

§ 1. Cum igitur licet immeriti eius vices geramus in terris, qui dominatur in regno hominum, et cui voluerit dabit illud, utpote per quem reges regnant, et principes dominantur, cum Petro, et successoribus eius, et nobis in eo, noverimus esse dictum: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, sed tu aliquando conversus, confirma fratres tuos, cum ex praecepto Domini oves eius pascere teneamur, populis Bulgarorum, et Blachorum, qui multo iam tempore ab uberibus matris suae alienati fuerant, in spiritualibus et temporalibus paterna sollicitudine providere volentes, eius auctoritate confisi, per quem Samuel David in regem inunxit, regem te statuimus super eos, et per dilectum filium L. tituli S. Crucis presbyterum cardinalem apud sedem legatum virum providum et honestum, nobis inter caeteros fratres nostros acceptum, sceptrum regni, ac regium tibi mittimus diadema, eius quasi nostris tibi manibus imponendum, recipiendo a te iuratoriam cautionem, quod nobis et successoribus nostris, et Ecclesiae Romanae devotus et obediens permanebis, et cunctas terras et gentes tuo subiectas imperio, in devotione et obedientia Sedis Apostolicae conservabis.

Cudendique monetam dat facultatem.

§ 2. Ad petitionem insuper venerabilis fratris nostri Blasii Brandi, Ziberen. episcopi, quem ad Sedem Apostolicam destinasti, publicam in regno tuo cudendi monetam tuo charactere insignitam, liberam tibi concedimus facultatem.

Trinovitanam Ecclesiam primitiali dignitate insignit.

§ 3. Venerabili etiam fratri nostro archiepiscopo Trinovitan. in terris, quibus imperas universis, privilegium concedimus primatus. Qui et successores ipsius, tuos in posterum successores, simili ab eis iuramento recepto, Apostolicae Sedis auctoritate coronent, et in terra tua primatus obtineant dignitatem, eisque metropolitani tam Bulgariae, quam Blachiae provinciae constituti subiaceant, et iuxta formam canonicam, reverentiam primati debitam exhibeant, et honorem.

Regem adhortatur ad perseverantiam in obedientia Sedis Apostolicae.

§ 4. Sic ergo, fili charissime, gratiam quam Apostolica Sedes mater tua tibi facit agnoscas, sic retribuas nobis pro omnibus, quae tribuimus ipsi tibi, sic regnum tuum in Apostolicae Sedis subiectione ac devotione confirmes, ut cum sub Petro in illius petrae fuerit firmitate fundatum, de qua inquit Apostolus: Petra autem erat Christus, nec pluviarum imbres, nec impulsus ventorum, nec fluminum formidet incursus. Tu quoque praeter auxilium Apostolicae Sedis, quod iuxta devotionem tuam senties in praesenti de temporali regno, ad regnum pervenias sempiternum.

§ 5. Decernimus ergo, ut nulli omnino *etc.* hoc privilegium nostrae constitutionis et concessionis infringere, vel ei *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Anagniae, per manus Ioannis S. R. E. subdiaconi et not., sexto kalendas martii, indictione septima, incarnationis dominicae anno MCCIV, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertio anno septimo.

Dat. die 24 februarii 1204, pontif. anno VII.

XXXIX.

Quod rex Bohemiae a Sede Apostolica rex de caetero nominetur.

SUMMARIUM

1. Romani Pontifices regi Bohemiae regium nomen nondum dederant. — 2. Regem vocari vult Innocentius.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio N. regi Bohemorum illustri.

Romani Pontifices regi Bohemiae regium nomen nondum dederant.

Licet ante tuae promotionis tempora, multi fuerint in Bohemia, regio diademate insigniti, numquam tamen potuerunt a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus obtinere, ut reges eos in suis literis nominarent.

§ 1. Nos quoque tum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, tum considerantes solicite, quod a nob. viro Ph. duce Sveviae te feceras coronari, qui cum coronatus legitime non fuisset, nec te, nec alium poterat legitime coronare, regem te hactenus non duximus nominandum.

Regem vocari vult Innocentius.

§ 2. Verum cum ad commonitionem Apostolicae Sedis, et nostram, relicto duce Sveviae, ad charissimum in Christo filium nostrum illustr. regem Othonem in Romanum imperatorem electum, te converteris, usus consilio saniori, et ipse habeat te pro rege, tam intuitu precum eius, quam tuae devotionis obtentu, regem te de caetero reputare volumus et vocare.

§ 3. Tu igitur taliter gratiam tibi factam agnoscas, et sic ingratitudinis vitium studeas evitare, ut tua devotio mereatur, quod et gratia tibi detur ex gratia, et data gratis perpetuo conservetur, provisurus attentius, ut quamcitius poteris, ab eodem rege Othone te facias solemniter coronari.

Datum Laterani, decimotertio kalendas maii, anno septimo.

Dat. die 19 aprilis 1204, pontif. anno VII.

XL.

Erectio hospitalis apud S. Mariam in Saxia de Urbe, ad egenos infirmos recipiendos et curandos. Et institutio fratrum ordinis S. Spiritus, regularem vitam ibi degentium. Praefinitioque muneris ipsorum fratrum, ac auctoritatis eorum magistri, cum exemptionum ac privilegiorum concessione.

SUMMARIUM

Hospitalitatis commendatio. — 1. Innocentius hospitale S. Spiritus construit. — 2. Regularem in eo vult servari ordinem. — 3. De servitio Ecclesiae. — 5. Huic hospitali aliud apud Montem Pessulan. unit. — 6. De magistro qui utrique praesit: — Eiusque electione: — 7. Soli Apostolicae Sedi subiectum, — Eximit ab omni subiectione. — 8. De quaestuis. — 9. Quomodo faciendae in loco interdicto? — 10. Receptores collectarum sub protectione sancti Petri recipit. — 11. Sepultura non negetur, etiam interdicto ecclesia. — 12. Eximit a decimis. — 13. Oratorium et caemeterium concedit. — 14. Sacramenta eis per ordinarios ministranda decernit. 15. Nonnulla concedit privilegia. — 16. De fratribus turbatoribus. — 17. Ab omni eximit servitute, — 18. Et a decimis solvendis. — 19. Successores Pontifices adhortatur, ut huius hospital. curae specialiter incumbant.

Innocentius episcopus servus servorum Dei Guidoni magistro Hospitalium S. Mariae in Saxia et Sancti Spiritus in Monte Pessulano, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Hospitalitatis commendatio.

Inter opera pietatis, quae secundum Apostolum promissionem habet vitae, quae nunc est pariter et futurae, hospitalitatem nobis specialiter et frequenter divina Scriptura commendat, utpote quae illa omnia comprehendit, propter quae Dominus in ultimae discussionis examine remuneraturum se bonos, et malos asserit puniturum. Haec enim pascit esu-

rientes, sitientes potat, colligit hospites, nudos vestit, et non solum infirmos visitat, sed eorum in se infirmitates assumens, infirmantium curam agit, in carcere positis subvenit, et quibus vivis in infirmitate communicat, participat in sepultura defunctis. Per hanc quidam angelis receptis hospitio placuere, cum Abraham et Loth hospitalitati vacantes, angelos meruerint hospitari, per quos Abraham iam senex futurae sobolis promissionem accepit, et Loth fuit de incendio Sodomae liberatus. Duo quoque discipuli qui Iesum hospitio coegerunt, quem in expositione Scripturae non noverant, in panis fractione noverunt. Per hanc superflua divitum, quae congregata forte servarentur ad mortem, in necessitates pauperum erogantur ad vitam. Per hanc terrena in coelestia, et transitoria in aeterna felici commercio commutantur, dum per manus pauperum thesaurizamus in coelis, ubi nec aerugo, nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur, et facimus nobis de mammona iniquitatis amicos, qui cum defecerimus in aeterna tabernacula nos admittant.

Innocentius hospitale S. Spiritus construit.

§ 1. Haec igitur attendentes, non solum pro nostra, sed praedecessorum et successorum, et fratrum nostrorum episcoporum, presbyterorum, atque diaconorum Romanae Ecclesiae cardinalium, tam vivorum, quam etiam defunctorum salute, apud S. Mariam in Saxia, locum utique satis idoneum ad hospitalitatis officium exercendum, eleemosynis Ecclesiae Romanae venerabile construximus hospitale, in quo futuris temporibus, dante Domino, recipiantur et reficiantur pauperes et infirmi, et exhibeantur alia opera pietatis.

Regularem in eo vult servari ordinem

§ 2. Statuentes ut regularis ordo, qui secundum Deum, et institutionem fratrum hospitalis Sancti Spiritus in eodem loco per nos institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

§ 3. Hoc tamen adiecto ut in eadem Ecclesia quatuor semper ad minus sint clerici regulam eiusdem hospitalis professi, qui pro nobis et praedecessoribus ac successoribus et fratribus nostris, vivis pariter et defunctis, specialiter orantes, omnia spiritualia libere administrent, et super iis nullius nisi Romani Pontificis correctioni subiaceant. Ad quem quoties expedierit, monitione praemissa, charitativa fiat a fratribus proclamatio propter Deum, ut ipse, cognita veritate, decernat quod suo prudenti consilio duxerit providendum. De servitio Ecclesiae.

§ 4. Ipsi autem victu et vestitu contenti, quem eis secundum eamdem regulam praecipimus exhiberi divinis, vacent officiis, et intendant ecclesiasticis sacramentis, ita quod de aliis hospitalis negotiis, praeter concessionem magistri, se nullatenus intromittant, sed omnia dispositioni tuae, fili magister, et successorum tuorum, vel eorum qui per te, vel eos ad hoc fuerint deputati, sine contradictione ac murmuratione relinquant.

§ 5. Caeterum quoniam in hospitali Sancti Spiritus diebus nostris per Dei gratiam hospitalitas valde viget, illud isti, et istud illi, de consilio fratrum nostrorum unimus, ut et istud illi tanto utilius munimenti impendat, quanto vicinius nobis existens, defensionem nostram illi facilius poterit implorare. Illudque isti tanto commodius subveniat in ministris, quanto personae conversantes in illo ad hospitalitatis sunt officium aptiores. Ita tamen per hanc unionem, praedictum Sancti Spiritus hospitali iurisdictione Magalonen. Ecclesiae minime subtrahatur, illa dumtaxat constitutione servata, quam inter eandem Magalonen. Ecclesiam, et praedictum Sancti Spiritus hospitale decrevimus observandam. Huic hospitali aliud apud Montem Pessulan. unit.

§ 6. Statuimus insuper, ut unus tantum magister hospitalibus praeficiatur ambobus, qui utrumque visitet annuatim, et quae statuenda vel emendanda viderit, statuat et emendet, et transferendi fratres ubicumque fuerint, prout melius viderit expedire, liberam habeat facultatem. De magistro qui utrique praesit.

Eiusque electione. Qui si forsan apud urbem, vel ubilibet citra montes, viam fuerit universae carnis ingressus, fratres hospitalis Sanctae Mariae in Saxia, fratribus Sancti Spiritus, eius non differant obitum nuntiare. Illique Romam, duos, vel tres de fratribus suis mittant, qui cum fratribus hospitalis Sanctae Mariae in Saxia electionem celebrent regularem. Quod si forsan apud montem Pessulanum obierit, vel ubilibet ultra montes, per fratres Sancti Spiritus, fratribus Sanctae Mariae ipsius obitus nuntietur, qui, ut praediximus, duos vel tres de fratribus suis Montem Pessulan. transmittant, ad electionem regulariter celebrandam.

§ 7. Caeterum cum ecclesia S. Mariae in Saxia, et hospitale constructum ibidem, ad nos nullo pertineant medio (salvo quod clerici eiusdem Ecclesiae debent ex nostro mandato basilicae principis apostolorum in scrutinio, baptismo et laetania) ne disparis conditionis homo praeferatur eidem, et servus, qui alii domino stet, aut cadat, praeponatur hospitali praedicto, quod nostrae tantum est iurisdictioni subiectum; *Eximit ab omni subiectione.* personam tuam, fili magister, et successorum tuorum a quorumlibet praelatorum eximimus potestate. Ut nullus in te, vel eos, interdicti vel excommunicationis sententiam, sine mandato Apostolicae Sedis audeat promulgare. Quam si aliter prolata fuerit, decernimus non tenere.

§ 8. Licet autem praedicta hospitalia *De quaestuis.* uniamus, ne tamen huiusmodi unio confusionem inducat, cum et si unio Deo sit placita, discretio tamen ei nihilominus sit accepta, privilegio praesenti statuimus, ut fratres qui colligendis eleemosynis pro pauperibus hospitalis S. Mariae in Saxia fuerint deputati, tantum Italia, et Sicilia, et Anglia, et Ungaria sint contenti, fratres autem hospitalis Sancti Spiritus in Monte Pessulano libere in provinciis aliis eleemosynarum statuant collectores, ita quod utrique suis terminis sint contenti, nec invadant alteri terminos aliorum. Nec eleemosynae, quae pro hospitali Sanctae Mariae in Saxia collectae fuerint, ad hospitale Sancti Spiritus transferantur, nec quae fuerint illi fidelium devotione collatae, occasione qualibet deferantur ad istud.

§ 9. Si qui vero fratrum vestrorum, *Quomodo faciendae in loco interdicto.* qui destinati fuerint ad eleemosynas colligendas in quamlibet civitatem, castellum, vel vicum advenerint, si forte locus ille a divinis fuerit officiis interdictus, pro omnipotentis Dei reverentia, in eorum adventu iucundo, semel in anno pulsatis campanis aperiantur ecclesiae, ut super eleemosynis acquirendis verbum exhortationis ad populum in Ecclesia proponatur.

§ 10. Decernimus insuper, ut receptores fraternitatum, sive collectarum vestrarum, salvo iure dominorum suorum, in beati Petri et nostra protectione consistant, et pace in terris, in quibus fuerint, potiantur. *Receptores collectarum sub protectione S. Petri recipit.*

§ 11. Simili etiam modo sancimus, ut quicumque in vestra fuerit fraternitate receptus, si forsan parochialis ecclesia, cuius tempore parochianus extiterit, a divinis fuerit officiis interdicta, eumque mori contigerit, ipsi sepultura ecclesiastica non negetur, nisi excommunicatus, vel nominatim fuerit interdictus. *Sepultura non negetur, etiam interdicto ecclesia.*

§ 12. Decimas autem, de terris et vineis, quas ad opus infirmorum et pauperum propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium, seu de fructibus hortorum vestrorum, nullus exigere vel extorquere praesumat. *Eximit a decimis.*

§ 13. Liceat autem vobis in domibus vestris, quas in praesentiarum habetis, vel in futurum eritis habituri ad opus vestrum et familiae vestrae, necnon infirmorum et pauperum ibidem manentium oratorium et coemeterium sine impedimento cuiuslibet contradictionis habere. *Oratorium et coemeterium concedit.*

§ 14. Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, a dioecesanis suscipietis episcopis, siquidem catholici fuerint, *Sacramenta eis per ordinarios ministranda decernit.*

et communionem sacrosantae Romanae Sedis habuerint, et ea vobis sine pravitate aliqua voluerint exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatur impendat.

Nonnulla concedit privilegia.

§ 15. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat in ecclesiis vestris, clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare.

§ 16. Liceat quoque vobis liberas et absolutas personas e saeculo fugientes ad conversionem recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere.

§ 17. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in locis vestris professionem, fas sit, absque magistri sui licentia, inde discedere, nisi arctioris religionis obtentu. Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus penitus audeat retinere.

De fratribus turbatoribus.

§ 18. Si quis vero fratrum, post factam professionem turbatores religionis vestrae, vel inutiles fuerint fortassis inventi, liceat tibi, fili magister, et successoribus tuis, eos cum assensu et consilio sanioris partis capituli amovere, ipsisque dare licentiam ad alium Ordinem, ubi secundum Deum vivere valeant transeundi, et loco eorum alios subrogandi, qui unius anni spatio, in vestra societate probentur. Quo peracto, si mores eorum exegerint, et ipsi utiles fuerint, ad servitium hospitalis inventi, professionem faciant regularem.

Ab omni eximit servitute

§ 19. Ad haec districtius inhibemus ne a te, fili magister, vel successoribus tuis, et fratribus hospitalium eorundem, exigat ulla ecclesiastica saecularisve persona fidelitates homagia, iuramenta, vel securitates reliquas, quae a laicis frequentantur.

Et a decimis solvendis

§ 20. Postremo, decimas quas consilio et assensu episcoporum a clericis, vel laicis potueritis obtinere, illasque quas consentientibus dioecesanis episcopis et clericis ad quos pertinent, acquiretis, auctoritate apostolica vobis confirmamus. Nulli ergo *etc.*

§ 21. De caetero successores nostros obsecramus et obtestamur in Christo Iesu, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, ut loca vestra cum personis et rebus ad hospitalitatis officium deputatis, tanquam speciales patroni, specialiter foveant et defendant. Quoniam et si caeteris piis locis teneantur ex Apostolicae servitutis officio providere, huic tamen hospitali, quod de bonis Ecclesiae Romanae fundatum, et donatum, et tam nostris, quam successorum nostrorum diebus credimus ampliandum, curam debent impendere specialem. Si qua igitur, *etc.* Cunctis autem, *etc.*

Successores Pontifices adhortatur, ne huius hospital. curae specialiter incumbant.

Datum Lateran. per manum Ioannis sanctae Romanae Ecclesiae subdiaconi et notarii, decimotertio kalendas iulii, indictione septima, incarnationis dominicae anno MCCIV, pontificatus vero domini Innocentii Papae III anno septimo.

Dat die 19 iunii 1204, pontif. anno VII.

XLI.

Confirmatio Ordinis Vallis Caulium, cui nonnulla praescribuntur servanda (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Hic ordo quomodo institutus. — Regulae. — Vestimenta destinat. — Locum ipsum sub Sedis Apostolicae protectione suscipit. — Ordinemque confirmat. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus Vallis Caulium, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri.

Ex litteris sane venerabilis fratris no-

(1) Ex Gall. Christ., tom. IV, in appendice, pag. 197.

Hic ordo quomodo institutus. stri G. electi Remensis accepimus quod dum transiret per dioecesim Lingonensem, vos invenit in Valle Caulium novellam institutionem ordinis assumpsisse de cuius meritis diligenter inquirens nihil in eo nisi religiosum comperit, et honestum invenit, siquidem, prout eaedem litterae continebant, quod inter vos unus Regulae monachorum, quem vos, filii monachi, eligetis, debeat esse prior, cui omnes, monachi videlicet et conversi, quorum societas vigesimum numerum non transcendet, tamquam spirituali patri reverentiam et obedientiam curabitis exhibere. Nullus vestrum proprium possidebit. In conventu singulis diebus missa et horae canonicae cantabuntur, privatasque missas qui voluerint celebrabunt. Capitulum tenebitis facturi duodecim lectiones temporibus constitutis, simul laborabitis, et simul in refectorio comedetis, carnibus et sagimine non utentes. Prior vobiscum et in eodem refectorio comedet simili cibo et veste contentus. A festo Resurrectionis Dominicae usque ad Exaltationem Crucis bis comedetis in die, residuum temporis sub ieiuniorum abstinentia transcursuri, pane et aqua, vino et pulmento contenti sexta feria existente. In die Nativitatis Domini non ieiunabitis, nec feria sexta in aestate, ubi festum intervenerit duodecim lectionum; vivetis de redditibus silentium servaturi. Interiores terminos excepto priore nisi in causa ordinis, non transcendetis. Prior tamen si occupatus fuerit, vel aegrotans, vel urgens necessitas, vel evidens utilitas postularit, poterit unum quem voluerit Vestimenta destinat. destinare. Cilicia induetis ad carnem, eos qui ferre non poterunt non cogentes, lineas et cannabinas vestes nullatenus induetis, grossae lanae vestes non tinctas, et pelliceas habituri, cum tunicis cingulo, et caligis omnes iacebitis, et praeter haec vos, filii monachi, cum cucul nusquam, et nunquam super culcitris quiescentes erunt novitii vestri in probatione per annum. Et vos, filii monachi, a matutinis usque ad horam laboris et vesperis usque ad occasum solis lectioni, orationi et contemplationi vacabitis, exceptis his, quos prioris discretio pro aliqua certa et necessaria causa duxerit retrahendos. Nos autem vestris iustis postulationibus annuentes, personas vestras, et locum in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus, quae in praesentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ordinem ipsum provida deliberatione de assensu episcopi dioecesani statutum auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Locum ipsum sub Sedis Apostolicae protectione suscipit. Ordinemque confirmat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Clausulae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum incarnationis dominicae anno MCCV, quarto idus februarii, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 10 februarii 1205, pontif. anno VII.

XLII.

Multa disserens de translatione Constantinopolitani imperii de Graecis ad Latinos, indulgentiam impertitur iis, qui ad ipsum imperium accedentes, pro subsidio Terrae Sanctae laboraverint (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — Res in antiqua lege figuratae, in nova revelatae. — Error Graecorum de processione Spiritus Sancti. — Narratio translationis imperii. — Alexius Constantinopoli coronatus. — Balduinus Flandriae comes ad hoc imperium vocatus

(1) Ex Archiv. Vatic.

— Mandat apostolicis legatis, clericos, laicosque moneant, ut illuc se transferant, — Et his indulgentiam impertitur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Remen. Sanctae Romanae Ecclesiae cardinali, Apostolicae Sedis legato, et suffraganeis eius, salutem et apostolicam benedictionem.

Vir unus de Ramatha duas sibi uxores copulavit, Annam videlicet et Phenennam, sed quae prius fuit prolis gloria decorata, cum superbivit, ubi altera coepit foecunditate sobolis in Domino exaltare, meruit infirmari, sicut ipsius Canticum manifestat. Ea siquidem quae sub umbra legis historialiter accidisse leguntur, cum secundum Apostolum omnia illis contigerint in figuram, spiritualiter eveniunt in populo Dei tempore gratiae revelatae, ut a Moysi facie sublato velamine per evangelicae doctrinae fulgorem tenebrosa aqua in nubibus aeris elucescat, et significatum per signif cans appareat evidenter. Mediator etenim Dei et hominum Homo Christus Iesus unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae duas convocans ad se gentes, Graecum videlicet populum et Latinum, ipsos sibi coniunxit per Fidei sacramenta, sed alter eorum, videlicet Graecus, qui septeno Ecclesiarum numero gloriatur, de quibus et earum Angelis mentionem facit in Apocalypsi Ioannes, ubi Latinorum Ecclesiae vidit funiculos dilatari, quia stimulis invidiae agitatus ab unitate discessit; non attendens, quod cum Sponsus praemisisset in Canticis: Sexaginta sunt reginae et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus (1), statim subiunxit: Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suae electa genitrici suae. Viderunt eam filiae Syon, et beatissimam praedicaverunt reginae et concubinae, et laudaverunt eam (2). Nam multae filiae congregaverunt divitias, haec autem supergressa est universas (3). Postquam autem Graecorum populus, rupto vinculo pacis, ab unitate discessit, elanguit etiam circa fidem renuens confiteri, quod Spiritus Sanctus, qui est unitatis aequalitatisque connexio, procedat a Filio sicut a Patre procedit, quia igitur circa processionem Spiritus Sancti profiteri renuit veritatem, merito tenebras mentis incurrit, cum ipse Spiritus omnem doceat veritatem, sicut Filius in Evangelio protestatur. Spirituali etenim intellectu privatus quia peccavit in spiritum, fermentum non eiecit a domo, ut epularetur in Azimis sinceritatis et veritatis, sed, veteri fermento retento, Corpus Christi, quantum in ipso est, comedit fermentatum. Benedictus autem Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui suam volens Ecclesiam consolari, ut Ephrahim convertatur ad Iudam et ad Ierusalem Samaria revertatur, super eumdem populum, quia Montem Caliginosum signum dignatus est mirabiliter elevare, ac eius portas sanctificati Domini sunt ingressi, Graecorum imperium a superbis ad humiles, a superstitiosis ad religiosos, a schismaticis ad catholicos, ab inobedientibus transferens ad devotos. Cum enim christianus exercitus illuc cum Alexio filio Ysatii advenisset, et capta urbe Constantinopolis, idem fuisset Alexius coronatus, dictus exercitus ibidem proposuit hiemare, sed quae novus imperator pro beneficiis sibi ab eodem collatis retribuere studuerit, longum esset praesenti pagina enarrare; verum ut multa brevius perstringamus, eorum malitia, quia Amorrheorum iniquitate completa dextera Domini fecit virtutem, et exaltavit exercitum christianum, illos digna ultione percutiens, ac eorum terram auro et argento, gemmisque refertam, frumento, vino et oleo stabilitam, et bonorum omnium copiis affluentem exercitui tribuens memorato; expulsis igitur de Constantinopoli Graecis, et eorum terra pariter subiugata, charissimum in Christo filium nostrum Balduinum comitem Flandriae ac Hainum ad

Prooemium.

Res in antiqua lege figuratae, in nova revelatae.

Error Graecorum de processione Spiritus Sancti

Narratio translati imperii.

Alexius Constantinopoli coronatus.

Balduinus Flandriae comes ad hoc imperium vocatus.

(1) Cant. VI, 7. (2) Cant. VI, 8. (3) Prov. XXXI, 29.

imperii regimen voluntate communi et unanimi sublimarunt, ut videatur in illo completum quod fuerat de Cyro praedictum, Subiiciam, inquit, ante faciem eius gentes, et dorsa regum vertam, aperiam coram eo ianuas, et portae non claudentur. Ego ante te ibo, et gloriosos terrae humiliabo, portas aereas conteram, et vectes ferreos confringam, et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum (1). Hic igitur mirabiliter sublimatus nobis humiliter supplicavit, ut apud Sedis devotos clericos similiter ac laicos nobiles et ignobiles cuiuslibet conditionis et sexus apostolicis dignaremur exhortationibus invitare, ut ad ipsius accedant imperium ab eo secundum qualitates et merita personarum gratas divitias recepturi. Attendentes igitur quod mutatio huius imperii dexterae mutatio sit Excelsi, et ab eo factum sit istud qui tempora mutat, et transfert regna, cum per illud Terrae Sanctae possit utilius subveniri, quin potius cum per illud ista credatur posse recuperari, de levi fraternitatem vestram monemus, et exhortamur in Domino per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus tam clericos, quam laicos efficaciter inducatis, ut ad capessendas spirituales pariter et temporales divitias ad praefatum imperatorem accedant, qui ut eius verbis utamur, cum sufficiat universis, quos ad eum christianae religionis zelus adduxerit, singulos vult et potest secundum status suos varietatemque natalium, et augere divitiis et honoribus ampliare, ut Constantinopolitano imperio roborato, et in devotione Apostolicae Sedis ibidem Ecclesia stabilita, idem imperator ad expugnandas barbaras nationes, quae terram, in qua Deus Rex noster ante saecula nostram dignatus est operari salutem, peccatis exigentibus detinent occupatam, manu forti et brachio extento valeat properare, sperantes in Domino Iesu Christo, quod ipse qui per eum iam coepit mirabiliter operari, opus incaeptum

Mandat apostolicis legatis, clericos laicosque moneant, ut illuc se transferant.

(1) Isaiae XLV, 1 ad 3.

ad laudem et gloriam sui nominis mirabilius consummabit. Nos enim iis qui accedentes ad imperium ipsum, in Terrae Sanctae subsidium laboraverint, illam concedimus indulgentiam peccatorum, quam aliis crucesignatis Apostolica Sedes indulsit.

Et his indulgentiam impertitur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum octavo kalendas iunii, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 25 maii 1205, pontif. anno VIII.

XLIII.

Sequitur de destinandis religiosis viris ad instruendum imperium Constantinopolitanum, cum missalibus et breviariis iuxta ritum Romanae Ecclesiae (1).

SUMMARIUM

Multos Graecos Romanae Ecclesiae se uniisse narrat. — Balduini zelum pro religione commendat: — Qui viros religiosos illuc mitti petiit, — Transmittique eo missalia, breviaria, *etc.* — Regulares ad haec hortatur Pontifex.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis archiepiscopis, episcopis, et aliis Ecclesiarum praelatis per regnum Franciae constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Multifarie multisque modis clementia divina nos excitat, ut de somno mortis evigilemus ad vitam, et de lacu miseriae in spem aeternae gloriae respiremus. Exultamus siquidem et merito exultare debet omnis sanctorum Ecclesia, quod visitans visitavit nos Oriens ex alto, ut magna pars Orientalis Ecclesiae, Graecia videlicet pene tota, quae a longissimis retro temporibus matris suae sanctae Romanae Ecclesiae contempserat imitari vestigia, nostris temporibus facta sit de inobediente obediens et de contemptrice devota. Ad maiorem etiam accedit affluentiam gaudiorum, quod vir christianissimus charissimus in Christo filius noster

Multos Graecos Romanae Ecclesiae se uniisse narrat.

(1) Ex Archiv. Vatic.

Balduini zelum pro religione commendat. Balduinus imperator Constantinopolitanus illustris ad ea totis viribus satagit et intendit, per quae possit et debeat christiana religio propagari, et ut aedificium iam ex magna parte constructum non corruat, ardenti laborat studio et sollicitudine diligenti. Nuper siquidem devotionem suo plantatam in pectore in ramos bonae operationis diffundens, nobis humiliter supplicavit, ut viros religiosos et Qui viros religiosos illuc mitti petiit, providos de ordine Cistercien. Cluniacen. canonicorum regularium, aliarumque religionum ad fundandam fidei catholicae veritatem perpetuoque firmandam ad partes Constantinopolitanas faceremus transmitti, et, ut illuc valeant pervenire, a suis praelatis in necessariis provideri. Postulavit etiam ut missalia, breviaria, caeterosque libros, Transmittique missalia, breviaria, etc. in quibus officium ecclesiasticum secundum instituta Sanctae Romanae Ecclesiae continetur, saltem pro exemplaribus ad partes illas faceremus transmitti. Volentes igitur imperatorem eumdem tanto benignius in suis petitionibus exaudire, quanto maiorem in maioribus frequenter sumus eius fidei sinceritatem experti, universitatem vestram rogamus attente, et hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus pium eius desiderium, quantum in vobis fuerit promoventes, de singulis ordinibus viros moribus et scientia commendandos, Regulares ad haec hortatur Pontifex. ac in religione ferventes ad partes illas destinare curetis, per quos novella illa plantatio in disciplina Domini erudita fructum reddat suis temporibus opportunum, et quod in eis mirabiliter est incaeptum, ad laudem et gloriam Redemptoris mirabilius consummetur. Mentionatos quoque libros, quibus non solum abundare sed superabundare vos novimus, ad partes illas saltem pro exemplaribus mittere procuretis, ut, et vestra abundantia illorum inopiam suppleat, et Orientalis Ecclesia in divinis laudibus ab Occidentali non dissonet, sed sicut est unus Deus et fides una, ita uno ore ipsum laudet et glorificet oriens et occasus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum octavo kalendas iunii, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die, annoque eodem.

XLIV.

Populo Radicofani prohibet, ne consules absque speciali Sedis Apostolicae licentia eligat.

SUMMARIUM

Exordium. — Radicofanensium status. — Eis mandat ne consules eligant absque Pontificis assensu. — Electi consules fidelitatis iuramentum praestare debent.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fidelibus nostris, et populo Radicofanensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolicae Sedis benignitas, quae usque ad exteras nationes extenditur, tanto copiosius exuberare debet erga domesticos et vassallos, quanto ipsorum cura et sollicitudo sibi familiarius est adnexa, et cum a filiis suis diligi appetat, potius quam timeri; eo quod sibi servilis timor non placet, quem charitas foras nutrit (2); licet a suis aliquando offendatur, si converti voluerint, parcere vult potius quam ulcisci, et eligit magis delinquentes corripere in spiritu lenitatis, quam ipsos ferire gladio ultionis, ut sicut infideles et extraneos ad devotionem suam mansuetudinis suae clementia evocat et adducit, ita quoque domesticos et fideles in fidelitate sua stabiliat et confirmet. Quamvis igitur nos hac vice non leviter offenderitis, et ad iracundiam nos tanto amplius provocaverit factum vestrum, quanto a vobis, quos tamquam speciales filios et devotos sincerae dilectionis brachiis amplexamur, minus credebamus offendi, quia tamen misericordiam implorantes ad mandatum nostrum humiliter accessistis iuramenta, obsides, et fideiussores pro mille libris super facto consulum

Exordium.

Radicofanensium status.

(1) Legendum putamus *mittit*. (R. T.)

exhibentes, ut in fidelitate nostra vestra devotio fortius accendatur, vobiscum mitius agere volumus, et preces vestras quantum cum honore nostro possumus benignius exaudire. Ideoque consulum electionem quamdiu nobis placuerit vobis duximus concedendam, ita quod ex hoc nobis nullum praeiudicium generetur, per apostolica scripta praecipiendo mandantes quatenus nunquam consules eligere praesumatis absque nostra vel castellani nostri conniventia et assensu, sed cum electionem ipsam celebrandam duxeritis, nostrum vel castellani nostri requiratis assensum. Sed antequam ipsum assensum mereamini obtinere, non praesumant electi consules exercere officium consulatus iuraturi rationes et consuetudines nostras se fideliter servaturos; si vero, quod absit, contra mandatum nostrum facere praesumpseritis, periurii notam et fideiussionis poenam pariter incurratis.

Eis mandat ne consules eligant absque Pontificis assensu.

Electi consules fidelitatis iuramentum praestare debent.

Datum Romae apud Sanctum Petrum kalendas februarii, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 1 februarii 1206, pontif. anno VIII.

XLV.

Coronatio regis Aragonum Romae in monasterio Sancti Pancratii, cum insignium regalium concessione, ac licentia, quod eius successores de caetero per archiepiscopum Tarraconen. auctoritate apostolica coronari possint.

SUMMARIUM

Rex ad Sanctum Pancratium coronatus. — 1. Regalia ei data insignia ab Innocentio. — 2. Rex annuum censum promittit Sedi Apostolicae. — 3. Pontifex concedit ut reges et reginae successores ab archiep. Tarraconen. coronentur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Petro illustri regi Aragonum.

Cum quanta gloria et honore, impendiis et applausu, regium Romae de manu nostra in monasterio B. Pancratii susceperis diadema, postquam per venerabilem fratrem nostrum Petrum Portuen. episcopum in regem te fecimus coronari, tua sublimitas non ignorat.

Rex ad Sanctum Pancratium coronatus.

§ 1. Ut autem dilectionis affectum, quem ad tuam habemus personam, per exhibitionem operis, evidentius monstraremus, regalia insignia universa, mantum videlicet, colobium, sceptrum et pomum, coronam et mitram ad opus, dum non minus pretiosa quam speciosa, fecimus praeparari, et ea liberaliter tibi donavimus, in signum gratiae specialis.

Regalia ei data insignia ab Innocentio.

§ 2. Tu vero tanquam princeps et catholicus rex, super altare B. Petri apostolorum principis regnum tuum nobis, et per nos Apostolicae Sedi cum multo devotionis affectu, per privilegii paginam obtulisti, illud ei constituens in perpetuum censuale; firmiter promittendo, quod iuramentum fidelitatis et obedientiae, in coronatione tua nobis exhibitum, inviolabiliter observabis, et ad illud exhibendum et conservandum successores tuos obligari volebas.

Rex annuum censum promittit Sedi Apostolicae.

§ 3. Nos igitur gratiam tibi a nobis exhibitam, ad successores tuos derivari volentes, praesentium auctoritate concedimus, ut cum ipsi decreverint coronari, coronam a Sede Apostolica requirentes, de speciali mandato per Tarraconensis archiepiscopum apud Caesaraugustam solemniter coronentur, praestita super praedictis idonea cautione. Et quoniam iure civili statutum est, ut mulieres maritorum honoribus decorentur, praesentium auctoritate concedimus, ut per manus eiusdem archiepiscopi eas liceat coronari.

Pontifex concedit ut reges et reginae successores ab archiep. Tarraconen. coronentur.

§ 4. Nulli ergo *etc.*, nostrae concessionis *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Ferentin., 15 kal. iulii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 17 iunii 1206, pontif. anno IX.

XLVI.

Ad universos Poloniae christifideles, ut censum Romanae Ecclesiae debitum persolvant (1).

SUMMARIUM

Fraus Polonorum in censu Sedi Apostolicae persolvendo. — Eosdem ad eius solutionem hortatur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis Christifidelibus in Polonia constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Fraus Polonorum in censu Sedi Apostolicae persolvendo.

Si memoriter teneretis Ananiae, Zafiraeque supplicium, qui pro culpa fraudati pretii, quod ex Agris acceperant, terribili ultione puniti ad pedes apostolorum principis repentino interitu corruerunt; in solutione census, quem beato Petro debetis, fraudem vitaretis, ut credimus adhibere. Ad nostram siquidem audientiam noveritis pervenire, quod cum ex consuetudine regionis usualis moneta per annum apud vos tertio renovetur, et quae prius in usu fuerat, demum reddatur vilior, usu alterius succedente, vos eidem Apostolo censum debitum illo differtis tempore persolvendum, in quo monetae, quam solvitis, vilior usus erit. Licet ergo bonorum vestrorum Omnipotens non indigeat, quia tamen periculosum est vobis, quod debetis eidem vel per fraudem minuere vel per ingratitudinem retinere, universitatem vestram monemus attente, et hortamur per apostolica scripta praecipiendo mandantes, quatenus censum ipsum sine cuiuslibet fraudis vitio more solito persolvatis, alioquin sententiam, quam venerabilis frater noster Gneznen archiepiscopus in eiusdem census vel detentores ingratos vel temerarios fraudatores rationabiliter duxerit promulgandam, usque ad satisfactionem condignam firmitatem decernimus debitam obtinere.

Eosdem ad eius solutionem hortatur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, nonis ianuarii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 5 ianuarii 1207, pontif. anno IX.

(1) Ex Archiv. Vatic.

XLVII.

Monachis Burguliensibus datur certus modus vivendi et regendi monasterium iuxta correctionem a delegatis apostolicis factam (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Correctionem supradictam confirmat. — Abbas semper pausare debet in dormitorio, — Et communis vitae regulas servare. — Constitutiones nonnullae generales. — Clausulae solitae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Lucae abbati, et conventui Burguliensi.

Exordium.

Ad evellendum et destruendum, aedificandum pariter, et plantandum, super gentes et regna, disponente Domino, constituti, iis tenemur robur apostolicum impertiri, quae inter viros religiosos, pro resecanda dissolutionis materia, et virtutibus coalendis, deliberatione provida statuuntur, ut in odorem unguentorum Domini pede currant adolescentulae inoffenso, et liberius secus pedes Domini sedeant cum Maria. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris precibus inclinati, ea, quae dilecti filii... de Savigneio, et... de Claromonte abbates Cisterciensis ordinis, et P. de Butera canonicus Andegavensis, quibus correctionem monasterii vestri duximus committendam, pro informatione religionis, et utilitate monasterii vestri vobis consentientibus provide statuerunt, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus, constitutiones ipsas, prout

Correctionem supradictam confirmat.

(1) Ex Baluz., lib. X, Epist. 14.

in eorum authentico continetur, ad evidentiam pleniorem de verbo ad verbum huic nostrae paginae inserentes. STATUIMUS pro bono pacis et amore religionis quod abbas, qui plus debet prodesse quam præesse, et discipulos suos magis exemplo quam verbo docere, semper pauset in dormitorio, nisi fuerit infirmus aut minutus, vel aliqua manifesta necessitas exegerit, vel magnum laborem substinuerit. Nec abbas, nec aliquis monachus habeat coopertorium nisi de agniculis vel catis vel vulpibus, et cum panno nigro vel albo ordinato. Saepius comedat in refectorio; et si in camera comederit, comedat cum fratribus sive clericis et laicis. Longas autem vigilias post completorium prohibemus. Nullus monachus comedat in infermaria sine licentia abbatis vel prioris. Nullus clericus vel laicus comedat nisi in hospitio; exceptis servientibus, qui comedere poterunt in suis officinis, nisi fuerint excellentes personae. Abbas saepius intersit divinis officiis, et sedeat in claustro causa aedificationis. Non donet redditus vel possessiones, vel aliquid quod a monacho bene et ad utilitatem Ecclesiae ministrari possit, parentibus suis vel aliis. Non sit sumptuosus circa parentes suos vel alios in expensis vel donis. In omnibus negotiis suis vel visitandis obedientiis sit contentus quinque aequitaturis, nisi forte aliquos bonos viros causa consilii vocaverit. Non exigat munera a prioribus pro dono prioratuum. Non amoveat aliquem de prioratibus vel baliis dum bene fuerit, nisi causa eminentis utilitatis. Et hoc faciat cum consilio seniorum. Non sustineat destructorem, sed amoveat, et puniat regulariter, ut caeteri terreantur. Provideat ordinare in omnibus necessariis omnibus fratribus, moderate et honeste, et non tamen superflue, et provideri faciat a prioribus: redditus et possessiones collatas vel acquisitas tam olim quam imposterum non alienet a locis quibus dabuntur, sine consilio capituli. Non donet pensionem alicui nisi de speciali mandato domini Papae. Non accipiat mutuum ultra vigintiquinque libras Andegavensis monetae, sine sigillo et conscientia capituli. Non faciat plegium pro aliquo. Non invadet thesaurum vel possessiones Ecclesiae nisi cum consilio seniorum, et convocatis prioribus exterioribus infra unam dietam manentibus. Nec aliquam institutionem faciat nisi in generali capitulo, quod celebratur in festo apostolorum Petri et Pauli. Si qua minora gerenda sunt per annum, consilio seniorum utatur; et quod melius iudicaverit, faciat. Nullam obedientiam vel balivam teneat abbas in manu sua, sed quam citius poterit, priorem vel balivum constituat idoneum. Praeter hospitium et camerarium quae sibi poterit retinere, si voluerit. Non committantur alicui duo officia vel prioratus, quamdiu quilibet monachus eos utiliter administrare poterit, nec donet eos ad vitam vel ad certum terminum, nec donet eos extraneis monachis. Omnes balivas tam in capite quam in membris, quae per monachos administrari possunt, ad honorem et utilitatem Ecclesiae, clericis vel laicis saecularibus non committat, nec a prioribus committi permittat. Quod vero per monachos administrari non potest, per condonatos idoneos administretur. Omnes tam priores quam claustrales intus et exterius communitatem firmiter teneant in monasterio, in dormitorio, in refectorio. Nec aliquis in refectorio sumat nisi communes cibos. Infirmaria suos redditus habeat. Infirmarius et piscinarius abbatiae a capitulo eligantur. De priori abbatiae faciat abbas secundum antiquam consuetudinem. Sigillum capituli statuimus et praecipimus ut custodiatur sub tribus clavibus, quarum unam habeat abbas; duo electi in generali capitulo et iurati alias duas custodiant. Nec aliquid in eo sigillent nisi de assensu praesentis

Abbas semper pausare debet in dormitorio,

Et communis vitae regulas servare.

Constitutiones nonnullae generales.

capituli et hoc ipsum in sequenti capitulo generali recitetur. Abbas vel prior abbatiae cum aliquo monacho honesto et discreto ad praeceptum abbatis singulis annis omnes semel obedientias visitet: et si quid invenerit corrigendum, corrigat, et quod correxerit, vel corrigendum reliquerit, abbati et capitulo renuntiet generali. Singulis annis in generali capitulo tam abbas quam balivi et priores reddant rationem de statu et debito officiorum suorum praeteriti et presentis anni, et status et debita in scriptum redigantur, et cum sigillo capituli custodiantur: in capitulo sequentis anni recitanda. Nec abbas nec aliquis de prioribus aliquos redditus vendat vel invadiet nisi ad praesentem annum. Si foedus vel alius redditus quoquomodo acciderit, non detur vel vendatur extraneis, sed cellario remaneat. Similiter ornamenta sacristae reddantur, libri armario. Ad accusationem saecularium, clericorum vel laicorum monachi non condemnentur, nisi crimen sit notorium. Nec aliquis nisi praesens iudicetur, vel damnetur nisi fuerit contumax. Omnes condonati in habitu et in tonsura a saecularibus discernantur. Pueri non recipiantur infra quindecim annos. Post quintum decimum annum per triennium in custodia teneantur. Nullus monachus induatur camisiis, sed flaminiis tantum, nec utatur stivalibus attingentibus ultra genu.

Clausulae solitae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani, septimo idus martii, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 9 martii 1207, pontif. anno x.

XLVIII.

Confirmatio bonorum, et privilegiorum concessio capitulo Ecclesiae Sancti Aniani Aurelianensis (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Ecclesiam hanc sub protectione recipit Sedis Apostolicae: — Eique bona omnia confirmat: — Privilegia nonnulla concedit canonicis. — Sacramenta a dioecesano recipienda praecipit. — Libertates omnes eis confirmat. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus decano Ecclesiae Sancti Aniani Aureliacensis, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris canonice substituendis, in perpetuum.

Exordium. Cum omnium Ecclesiarum attentam curam et sollicitudinem ex iniuncto nobis a Deo apostolatus officio gerere debeamus, de illis tamen praecipue nos oportet esse sollicitos, quae ad ius et proprietatem sanctae Romanae Ecclesiae specialius pertinere noscuntur, et de Apostolicae Sedis protectione ampliori devotione confidunt, et ne quorumlibet hominum in nobis, seu etiam dignitatibus temerariis ausibus fatigentur, auctoritatis nostrae suffragio eas convenit pariter communiri. Ecclesiam hanc sub protectione recipit Sedis Apostolicae: Ideoque, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et ad exemplar felicis recordationis Alexandri et Lucii praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum praefatam Sancti Aniani Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti privilegio communimus. Eique bona omnia confirmat. Statuentes ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesenti iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis Deo pro-

(1) Ex Baluz., Epistola 95.

pitio poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus vocabulis exprimenda. Villam videlicet de Sentiliaco cum ecclesia, villam de Ruem cum ecclesia, villam de Tilliaco cum ecclesia, ecclesiam de Chalo et villam de Artenaio a bonae memoriae A., illustri Francorum regina, vobis commutatam pro villa de Chalo in ea libertate ac immunitate tenendam, in qua bonae memoriae L. quondam illustris Francorum rex, quemadmodum in eius scripto continetur authentico, eam noscitur habuisse. Medietatem quoque proventuum tam in minutis decimis, quam in oblationibus et omnibus beneficiis vivorum et mortuorum in praedicta Ecclesia de Chalo, iuxta quod vobis olim concessum est a bonae memoriae W., tunc Senonensi, postmodum vero Remensi archiepiscopo, Sanctae Sabinae cardinali, Apostolicae Sedis legato, et in eius scripto authentico redactum est; eo tamen tenore, quod si plures in eadem villa parochiales ecclesiae constructae fuerint, in omnibus quae ibidem surrexerint id iuris habeatis, quod in praedicta ecclesia habuisse noscimini et habere. Villam de Herbiliaco cum ecclesia et omnibus decimis et pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Aniani Veteris, quae Capella vocatur, et ecclesiam Sancti Germani infra muros civitatis. Quicquid habetis in villa de Centolio, et ecclesiam villae eiusdem. Quicquid habetis in villa de Fonteneio, et ecclesiam eiusdem villae cum decimis et aliis redditibus ad ius vestrum pertinentibus. Aquam Ligeris a muro veteris civitatis usque ad Sanctum Lupum, et molendina omnia quae in eadem aqua habetis cum piscationibus suis. Quicquid habetis ultra Ligerim et in Sologne. Quicquid habetis in Gastinesio. Villam de Berziaco, cum omnibus pertinentiis suis. Quicquid habetis apud Oscuras. Quicquid habetis in foresta quae Bolonia dicitur, et villam de Casellis. Quicquid pertinet

Inter quae decimas et oblationes vivorum et mortuorum.

Privilegia nonnulla concedit canonicis.

ad Maioriam de Iarria et villam de Seteis, molendina quoque quae in villis vestris de novo fecistis, et illud quod in loco, qui Domitiacum appellatur, habetis. In supradictis vero parochialibus ecclesiis, scilicet de Sentiliaco, de Ruem, de Tiliaco, de Fonteneio, de Centolio, de Herbiliaco et de Chalo, quas tenetis, presbyteros eligatis, et episcopis praesentetis: quibus si idonei fuerint, episcopi curam animarum absque venalitate committant, ut de plebis quidem cura eis respondeant, pro rebus vero temporalibus debitas vobis obedientias et consuetam subiectionem exhibeant. In reliquis vero duabus Ecclesiis, videlicet Sancti Aniani et Sancti Germani, ed ad servitium altaris Crucifixi ecclesiae Beati Aniani libere et absque alicuius contradictione et praesentatione, sicut hactenus, ita et deinceps liceat vobis substituere sacerdotes. Liceat etiam vobis in parrochialibus ecclesiis vestris vacantibus, uti consuetum est, et ab antiquis hactenus temporibus observatum, sacerdotes ponere ad succursum; qui donec conveneritis in personas idoneas, quae institui debeant in eis, omnipotenti Deo famulentur. Ferias (1) praeterea in duabus solemnitatibus beati Aniani ad luminaria eiusdem ecclesiae concinnanda tam a bonae memoriae L., illustri rege Francorum, quam a Iohanne quondam Aurelianensi episcopo, vobis et Ecclesiae vestrae concessas, et scripti sui munimine roboratas (quemadmodum in eorum scriptis authenticis continetur), auctoritate apostolica confirmamus. Nihilominus praesenti decreto statuimus, ut duae praebendae quae antea deputatae fuerant officio Confrariae, ac tertia, quam ei provida pietate postmodum addidistis, et annuales canonicorum, quocumque modo praebendae mutentur, officio permaneant Confrariae. Vineas insuper, et omnia quae praefatae Con-

(1) Feriae, *nundinae, mercata*, ita dictae quia, ut plurimum, in sanctorum patronorum festivitatibus, vel ecclesiarum encaeniis institutae. (R. T.)

frariae collata sunt, vobis, et per vos ipsi Confrariae, prout communi assensu capituli statutum est, et scripto firmatum, Apostolicae Sedis munimine roboramus, et constitutionem illam ratam et inconvulsam futuris temporibus decernimus permanere. Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes canonicorum, seu clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a dioecesano suscipietis episcopo; siquidem catholicus fuerit, et gratiam Apostolicae Sedis habuerit, et ea gratis, et absque pecunia vel exactione aliqua voluerit exhibere. Alioquin ad quemcumque malueritis antistitem recurratis, qui nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Praeterea omnes libertates, seu etiam immunitates ac regias consuetudines a Francorum regibus vobis, et Ecclesiae vestrae indultas, et scripti sui munimine roboratas, auctoritate apostolica confirmamus, et illibatas perpetuo statuimus permanere. Sancimus quoque, et praesenti decreto statuimus, ut nulli archiepiscopo vel episcopo, seu cuilibet personae commissam vobis Ecclesiam, vel vos aut clericos chori vestri, nisi Romano Pontifici, vel legato eius, aut etiam de speciali mandato Apostolicae Sedis excommunicare, seu a divinis officiis interdicere liceat. Visitationem vero vel procurationem nullus ab Ecclesia vestra nisi auctoritate Apostolicae Sedis praesumat exigere, cum ei nullo medio sit subiecta. Prohibemus insuper, ut nulli ecclesiasticae vel cuiuscumque ordinis personae fas sit indebitas exactiones Ecclesiis vestris aut capellis, vel sacerdotibus earum imponere.

Sacramenta a dioecesano recipienda praecipit.

Libertates omnes eis confirmat.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, *etc.*, *usque* usibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apostolicae auctoritate, et in praefatis Ecclesiis de Sentiliaco, de Ruem, de Tiliaco, de Fonteneio, de Centolio, de Chalo et de Herbiliaco dioecesanorum episcoporum canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona, *etc.*, *usque* subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus, *etc.*, *usque in finem*.

Clausulae

Datum Viterbii per manum Iohannis Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi cardinalis, sanctae Romanae Ecclesiae cancellarii, duodecimo kalendas augusti, indictione nona, incarnationis dominicae anno MCCVII, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno decimo.

Dat. die 21 iulii anno Domini 1207, pontif. anno x.

XLIX.

Poenae contra Paterenos, eorumque fautores statutae (1).

SUMMARIUM

Haeretici saeculari curiae tradendi. — Quomodo puniendi. — Poenae contra eorum fautores, *etc.* — Sacramenta eis deneganda — Et ecclesiastica sepultura. — Hoc statutum a potestatibus et consulibus iurandum. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis fidelibus nostris per patrimonium beati Petri apostoli constitutis.

Ad eliminandam omnino de patrimonio beati Petri haereticorum spurcitiam, servanda in perpetuum lege sancimus, ut quicumque haereticus, et maxime Paterenus, in eo fuerit inventus, protinus capiatur, et tradatur saeculari curiae puniendus secundum legitimas sanctiones. Bona vero ipsius omnia publicentur, itaut de ipsis unam partem percipiat qui caeperit illum, alteram curia quae ipsum punierit, tertia vero deputetur ad constructionem murorum illius terrae ubi fuerit interceptus. Domus autem in qua haereticus fuerit receptatus funditus destruatur, nec quisquam eam reaedificare praesumat: sed fiat sordium receptaculum, quae fuit latibulum perfidorum. Credentes praeterea, et defensores ac fautores eorum quarta bonorum suorum parte multentur,

Haeretici saeculari curiae tradendi.

Quomodo puniendi.

Poenae contra eorum fautores, etc.

(1) Ex Baluz., Epist. 130.

quae ad usum reipublicae deputetur, quod si vel hoc modo puniti, rursus in similem fuerint culpam prolapsi, de locis suis penitus expellantur, nec unquam revertantur ab illa, nisi de mandato Summi Pontificis, digna satisfactione praemissa. Proclamationes autem, aut appellationes huiusmodi personarum minime audiantur, nec quisquam eis in qualibet causa respondere cogatur, sed ipsi cogantur aliis respondere. Iudices autem, advocati et notarii nulli eorum suum impendant officium; alioquin eodem officio perpetuo sint privati. Clerici vero non exhibeant huiusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta, nec eleemosynas aut oblationes eorum accipiant; similiter hospitalarii ac templarii, et quilibet regulares; alioquin suo priventur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicae speciali. Quicumque praeterea tales, videlicet credentes, fautores, receptatores et defensores haereticorum praesumpserint ecclesiasticae tradere sepulturae, usque ad satisfactionem idoneam anathematis gladio feriantur. Nullus talium admittatur ad testimonium, nec ad aliquod publicum officium, vel commune consilium assumatur. Et qui talem elegerit tanquam haereticorum fautor praedicta poena multetur. Statutum istud in Capitulari scribatur ad quod annuatim intrant potestates, consules, seu rectores; nec unquam removeatur ex illo, ut semper iurent ipsum statutum se firmiter servaturos. Et quicumque contempserit aut neglexerit illud servare, depositus a regimine, centum librarum poenam incurrat solvendam cuicumque Summus Pontifex iusserit assignari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Sacramenta eis denegauda,

Et ecclesiastica sepultura.

Hoc statutum a potestatibus et consulibus iurandum.

Clausulae.

Datum Viterbii nono kalendas octobris, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 23 septembris anno Domini 1207, pontif. anno x.

L.

Rescindit leges omnes in ecclesiasticos contra canones a laicis latas (1).

SUMMARIUM

Iniquas constitutiones a laicis in ecclesiasticos latas, cassat et irritas habet.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis tam clericis, quam laicis in patrimonio beati Petri apostoli constitutis.

Cum ex officii nostri debito tenemur tam clericis, quam laicis paterna sollicitudine providere, ne contingat istos, aut illos iniuriam perpeti, vel iniuriam perpetrare, constitutiones iniquas contra leges et canones a laicis promulgatas, aut etiam promulgandas adversus Ecclesias, seu viros ecclesiasticos, non solum spirituali, sed etiam temporali auctoritate damnamus penitus, et cassamus, sub debito fidelitatis, et interminatione anathematis inhibentes, ne constitutiones huiusmodi nequiter observare praesumant, nos enim quicquid earum occasione contra Ecclesias vel personas ecclesiasticas fuerit attentatum decernimus irritum et inane, non obstante aliquo iuramento, quod super earum observatione praestitum esse dicatur, cum illud tanquam illicitum non debeat observari. Iudicibus autem et tabellionibus inhibemus ne secundum huiusmodi constitutiones damnatas suum praesumant officium exercere, si officii sui cupiunt periculum evitare.

Iniquas constitutiones a laicis in ecclesiasticos latas, cassat et irritas habet.

Datum Viterbii per manum Iohannis Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi cardinalis, sanctae Romanae Ecclesiae can-

(1) Ex Baluz., Epist. 131.

cellarii, nono kalendas octobris, incarnationis dominicae anno MCCVII, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno decimo.

Dat. die 23 septembris 1207, pontif. anno X.

LI.

Viterbiensi Ecclesiae in cathedralem erectae ius asseritur supra Centumcellensem et Bledanensem dioeceses (1).

SUMMARIUM

Viterbium episcopatu insignitum a Coelestino PP. — Eius ius in Centumcellas et Bledanum. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, clero, et populo Viterbiensi.

Viterbium episcopatu insignitum a Coelestino PP.

Ex privilegio felicis memoriae C. Papae praedecessoris nostri cognovimus evidenter quod ipse fidem et devotionem vestram attendens, de communi fratrum suorum consilio Viterbiense oppidum honorabili civitatis nomine insignivit, et pontificalis cathedrae dignitate donavit auctoritate statuens apostolica, ut Viterbiensis Ecclesia cum Tuscanensi, Centumcellensi, atque Bledanensi pontificalem obtineret deinceps dignitatem. Nos autem, qui fidem et devotionem vestram ipsa praesentia corporali certius sumus experti, beneficium principale plenius interpretari volentes, illam Viterbiensi sedi erga Centumcellensem et Bledanensem dioeceses honorificentiam confirmamus, quam circa ipsas Tuscanensis sedes dignoscitur hactenus habuisse, cui Viterbiensis Ecclesia specialiter est unita. Statu tamen illarum sedium, Centumcellensis videlicet et Bledanensis, in suo iure manente.

Eius ius in Centumcellas et Bledanum.

Clausulae

Nulli ergo *etc.* hanc paginam nostrae interpretationis et confirmationis *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Viterbii quarto idus octobris, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 12 octobris 1207, pontif. anno X.

(1) Ex Baluz., Epist. 139.

LII.

Petri regis Aragonum cessionem pro libertate electionum episcopalium confirmat (1).

SUMMARIUM

Regis Aragonum diploma pro libertate electionum. — Ratum habetur. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, archiepiscopis et episcopis et aliis Ecclesiarum praelatis, et universis clericis in regno Aragoniae constitutis.

Regis Aragonum diploma pro libertate electionum.

Solet annuere *etc.*, *usque* impertiri. In litteris siquidem char. in C. fil. n. Petri illustris regis Aragonum sic de verbo ad verbum perspeximus contineri. Petrus Dei gratia rex Aragonen., comes Barchinonen., et dominus Montis Pessulani, venerabilibus in Christo Terraconen. archiepiscopo, et universis episcopis, abbatibus, caeterisque Ecclesiarum praelatis, et eorum conventibus in regno et dominio nostro constitutis aeternam in Domino salutem. Regi regum per quem reges regnant, reverentiam debitam exhibentes, et sponsae eius, sanctae videlicet Ecclesiae, integram facultatem conservare volentes, pessimam consuetudinem a nobis hactenus observatam, qua electionem praelatorum sine nostro consilio et assensu procedere non permittebamus, amore Dei et sanctae Ecclesiae, et pro remedio animae nostrae, et parentum nostrorum relaxamus, vobisque et universis successoribus vestris et conventibus in omni iurisdictione nostra constitutis liberam eligendi facultatem per nos et per omnes successores nostros, assensu regio minime requisito, in perpetuum indulgemus, hoc solum nobis et successoribus nostris reservantes, ut libere et canonice electus in signum regiae fidelitatis nobis, et successoribus nostris debeat praesentari. Nos igitur devotionem regiam in Domino commendantes et ap-

Ratum habetur.

(1) Ex Baluz., Epist. 144.

probantes in hac parte statutum ipsius, illud auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Corneti tertio kal. novembris, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno decimo.

Dat. die 30 octobris 1207, pontif. anno x.

LIII.

Indicitur anniversaria statio in ecclesia Sancti Spiritus in Saxia cum indulgentiarum et privilegiorum concessione (1).

SUMMARIUM

Prœmium. — Statio apud S. Spiritum in Saxia. — Huius hospitalis dignitas. — Effigies Christi e Vaticano huc transferenda. — Eleemosyna ei ab Innocentio tributa. — Pontifex huic interest stationi cum cardinalibus. — De hac pia institutione servanda.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, rectori et fratribus Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia.

Prœmium. Ad commemorandas nuptias salutares, quae in conversione peccatoris moraliter celebrantur inter Spiritum hominis et gratiam Conditoris, ex quibus affectus, et actiones tamquam filii ac filiae generantur, dominica prima post octavas Epiphaniae, quando illud legitur Evangelium quod Iesus cum discipulis suis in Cana Galileæ, ubi Mater ipsius erat, invitatus ad nuptias, aquam convertit in vinum, solemnem apud hospitale vestrum

Statio apud S. Spiritum in Saxia. instituimus stationem, in quo vos ex institutione nostra divino estis obsequio mancipati, ea potissimum ratione, quod in illis nuptiis sex hydriae secundum purificationem iudaeorum fuisse narrantur.

Huius hospitalis dignitas. Et quidem in hoc hospitali, tanquam in Cana Galileæ, loco videlicet ubi zelus est transmigrandi de vitiis ad virtutes, positae sunt sex hydriae, idest, sex opera misericordiae instituta, quae sunt pascere esurientem, potare sitientem, colligere hospitem, vestire nudum, visitare infirmum, et incarceratum adire, apud purificationem utique iudaeorum, ut per illa videlicet confitentes a vitiis expientur. Istae vero sex hydriae usque ad summum implentur, quando illa sex opera misericordiae ad perfectum usque geruntur, et ex aqua fit vinum, cum ex merito eleemosynae vis accenditur caritatis. Quia vero Iesus cum discipulis suis ad has nuptias in Cana Galileæ, ubi Mater eius erat, legitur invitatus, idcirco

Effigies Christi e Vaticano huc transferenda. rationabiliter instituimus, ut effigies Iesu Christi a Beati Petri basilica per eiusdem canonicos ad dictum hospitale ubi memoria gloriosissimae Matris eius recolitur, infra capsam ex auro et argento et lapidibus pretiosis ad hoc specialiter fabrefactam venerabiliter deportetur, fidelibus populis, qui ad has nuptias celebrandas devote convenerint, desiderabiliter ostendenda. Ut autem nos, qui Domino revelante venerandum aliis aperuimus sacramentum, eo etiam inspirante imitandum aliis praebeamus exemplum, concedimus, statuimus et iubemus, ut pro mille pauperibus extrinsecus adventantibus, et trecentis personis intus degentibus, decem et septem librae usualis monetae, ut singuli accipiant tres denarios, unum pro pane, alterum pro

Eleemosyna ei ab Innocentio tributa. vino, aliumque pro carne, ab eleemosynario Summi Pontificis annuatim vobis in perpetuum tribuantur, et canonicis supradictis, qui praescriptam effigiem Salvatoris processionaliter deportabunt, singulis duodecim nummi, et cereus unius librae, qui deferatur accensus, de oblationibus confessionis beati Petri prae-

(1) Ex Baluz., Epist. 179.

stentur. Quia vero non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei, debet huic stationi Romanus Pontifex cum suis cardinalibus interesse, ut et missarum solemnia ibi celebret, et exhortatorium faciat de hac celebritate sermonem, neve fidelis populus famelicus ab his nuptiis revertatur, praeter materialem et doctrinalem, spiritualem quoque sibi cibum impendat, remissionem unius anni de iniunctis sibi poenitentiis indulgendo. Monemus igitur et obsecramus successores nostros per Iesum Christum, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, ut hanc institutionem, quae ipso teste, de pietatis fonte processit, faciant inviolabiliter observari, sub attestatione divini iudicii prohibentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis et iussionis infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Pontifex huic interest stationi cum cardinalibus.

De hac pia institutione servanda.

Datum Romae apud Sanctum Petrum tertio nonas ianuarii, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 3 ianuarii 1208, pontif. anno x.

LIV.

Confirmantur privilegia Ecclesiae Trecensi concessa per regem Francorum (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — Philippus rex benefic. collationes episcopo restituit. — Eiusdem regis diploma. — Bona Trecensi Ecclesiae data. — Exemptio a subiectione comitis Trecen. — Aliae concessiones. — Haec omnia confirmat Pontifex.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Herveo Trecensi episcopo.

Prooemium.

Solet annuere *etc.*; ex litteris siquidem fraternitatis tuae intelleximus evidenter quod licet inter te, ac charissimum in Christo filium nostrum Philippum Francorum regem illustrem occasione quorundam archidiaconatuum et praebendarum, quas quibusdam clericis idem rex Ecclesia tua vacante concesserat, emerserit scrupulus quaestionis, eodem rege firmiter asserente donationes praebendarum ad se, ipsa Ecclesia vacante, spectare; idem tamen rex postmodum ius tuum et libertatem Ecclesiae recognoscens, regia benignitate concessit, ut archidiaconatus, praebendae, ac alia beneficia, quae ibidem vacare contigerit, Ecclesia ipsa pastoris officio destituta, donationi substituendi Pontificis de caetero reserventur, statuens nihilominus, ut de beneficiis, quae nuper sede vacante concesserat, tuam faceres voluntatem libere profitendo se in ipsis nihil iuris penitus habuisse. Possessiones insuper, et quaedam alia tam tibi, quam tuis successoribus ibidem rex auctoritate regia confirmavit; sicut haec omnia in privilegio praefati regis plenius perspeximus contineri. Cuius tenorem de verbo ad verbum praesentibus litteris duximus inserendum.

Philippus rex benefic. collationes episcopo restituit.

Eiusdem regis diploma.

In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Amen. Philippus Dei gratia rex Francorum. Noverint universi praesentes pariter et futuri quod charissimus quondam genitor noster Ludovicus Matthaeo, tunc temporis Trecensi episcopo, eiusque successoribus, quae subter annexa sunt in perpetuum concessit, et confirmavit, videlicet villam, quae dicitur Sanctus Leo cum appendiciis suis, et quicquid iuris idem episcopus habebat in villa, quae dicitur Avenz, quicquid iuris habebat in villa, quae dicitur Lanes, quicquid iuris habebat in villa, quae dicitur Angularia, et insulam, quae iuxta eam sita est in flumine Alba: villam, quae dicitur Aquis cum appendiciis suis, in ea libertate, ipsi Trecensi episcopo a dominis de villa Mauri concessa est, videlicet ut cum Trecensem Ecclesiam suo antistite va-

Bona Trecensi Ecclesiae data.

(1) Ex Baluz., Epist. 216.

care contigerit, domini villae Mauri, vel ministri eorum de rebus episcopi, vel suorum hominum iurisdictionis eiusdem villae nihil accipient, sed usibus et dispositioni eius, qui illic fuerit subrogandus antistes in sua incolumitate omnia conserventur. Quicquid etiam idem episcopus habebat in villa quae dicitur Gmnerium, et in villa nuncupata Summus Fons, cum iure et libertate quam in eisdem locis habuerunt antecessores sui. Praeterea libertatem sibi, et Ecclesiae suae a bonae memoriae comite Hugone concessam, scilicet, ut qui ab eodem episcopo servientes aliquod publicum officium obtinuerint, ab omni iustitia et exactione comitum Trecensium, ac suorum ministerialium, quamdiu officium ipsum habuerint, liberi sint, et immunes. Adiecit etiam bonae memoriae supradictus genitor noster, ut domus episcopales et curtes cum omnibus in eis contentis in obitu episcoporum illam libertatem obtinenat, quam comes Henricus ei concessisse et confirmasse dignoscitur. Ad haec unum modium frumenti quem idem comes Henricus, ei de molendinis, quae sub Turre sita sunt pro hominibus apud curtes Insulae habitantibus dedit in vigilia Omnium Sanctorum annuatim persolvendum, et unum sextarium frumenti in novis molendinis iuxta Ecclesiam Sancti Quintini pro censu quem debet paganus de Tuso. Furnum quoque in burgo episcopi in ea integritate libertatis, quam ei memoratus comes Henricus concessit, et scripto suo roboravit. Centum etiam solidos quos idem comes Henricus dedit matriculariis Ecclesiae Sancti Petri in Theloneo suo Trecensi singulis annis persolvendos. Grangiam quoque Villae Cestini cum appendiciis suis, quae acquisivit et acquirere posset. Praeterea honorem (1) de Meriaco cum casamentis, terris cultis et incultis, fluviis, aquis, aquarumve decursibus, pratis, pascuis et nemoribus, servis et ancillis, sicut antecessores eius ab ipso genitore nostro et suis antecessoribus habuerant. Casamenta etiam quae domini de Triagnello, castrum videlicet de Venesiaco, cum aliis, quae ab Ecclesia Trecensi habent. Casamenta etiam, quae Guido de Domniperta, et Hugo de Planceo hactenus ab Ecclesia Trecensi tenuerunt. Casamenta etiam, quae vicecomes Senonensis, et dominus de Chasceneio apud molendinum Leonis tenent. Casamentum quod Odo de Avelleio ab Ecclesia Trecensi tenet. Nihilominus etiam casamentum quod vicecomes Sancti Florentini ab Ecclesia Trecensi habet, cum aliis omnibus, quae hactenus Ecclesia Trecensis habuisse dignoscitur. Nos igitur praedicta omnia, sicut in privilegio patris nostri continentur, confirmamus. Praeterea de donatione praebendarum quae vacarunt in Ecclesia Beati Petri Trecensis, vacante sede illa, quia non inveniebamus aliquem qui vidisset quod non eas dedissemus, aut quod genitor noster piae recordationis rex Ludovicus ipsas tempore vacantis sedis vacantes dedisset, et quia etiam ex assertione plurium audivimus quod praebendae, archidiaconatus et alia beneficia tempore illo vacantia futuro reservarentur episcopo Trecensi ad conferendum quibus vellet, concedimus dilecto nostro Herveo Trecensi episcopo, ut ea conferat, et donationem illorum habeat tam ipse, quam successores eius episcopi Trecenses. Concedimus autem eidem episcopo, ut de donationibus quas super iis fecimus, suam faciat voluntatem, utpote qui nihil iuris in huiusmodi donationibus habeamus. Ut autem praedicta omnia perpetuum robur obtineant, sigilli nostri auctoritate, et regii nominis charactere inferius annotato praesentem paginam confirmamus.

Exemptio a subiectione comitis Trecen.

Aliae concessiones.

Actum apud Sanctum Germanum in Loia anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo septimo, astantibus

(1) Honores, passim, ut hic, pro *feudis* in chartis undecimi et seqq. saeculorum usurpantur. (n. T.)

in palatio nostro quorum omnia supposita sunt et signa: Dapifero nullo. S. Guidonis buticularii. S. Matthaei camerarii. S. Droconis constabularii. Datum vacante cancellaria.

Haec omnia confirmat Pontifex.

Nos igitur devotionem regiam propter hoc in Domino commendantes, et tam concessionem, quam constitutionem et confirmationem approbantes ipsius, easdem auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti pagina communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, constitutionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani septimo idus februarii anno millesimo ducentesimo septimo, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno decimo.

Dat. die 7 februarii anno Domini 1208, pontif. anno x.

LV.

Censurae contra interfectores Petri de Castro Novo, qui fuerat delegatus a Sede Apostolica in provinciam contra Albigenses; deque modo servando contra eosdem haereticos (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Albigenses grassantur in provincia. — Illuc a Pontifice missus Petrus de Castro-Novo. — Comitis Tolosani fraude deceptus. — Delegatis apostolicis comes parat insidias. — Ab eius satellitibus occisus Petrus de Castro-Novo. — Comitem eiusque fautores in hoc scelere excommunicari mandat. — Praemia vero eis promittenda, qui contra haereticos insurrexerint. — Subditos vero comitis a iuramento fidelitatis absolvendos. — Quae ab eo poenitentiae signa danda sint, ut absolvatur. — De obedientia et auxilio legatis apostolicis dando.

(1) Ex Baluz. et Raynaldo.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Narbonensi, Arelatensi, Ebredunensi, Aquensi et Viennensi archiepiscopis, eorumque suffraganeis.

Procemium.

Ne nos eius tangeret increpatio, qui per hominis pigri agrum et vineam viri stulti pertransiens, quod totam urticae repleverint exprobravit, primo quasi mane nostrae promotionis, ac deinde per ordinem evangelicae vicis exivimus, ut in dominicam vineam nostrae culturae commissam operarios mitteremus. Attendentes ergo iamdudum quod in provincia nimis creverant plantaria vitiorum, ne spuria vitulamina radices mitterent altiores, viros illuc idoneos destinavimus, qui de vinea Domini Sabaoth avellerent inutilia et utilia propagarent, capientes vulpeculas quae moliuntur ipsam vineam demoliri. Ipsi vero profecti repererunt ibi, secundum Apostoli verbum, homines pestilentes, qui doctrinam sanam minime substinebant, sed ad sua potius desideria magistros coacervabant erroris. Propter quod nuntios veritatis suis esse contrarios operibus arbitrati, usque adeo saevierunt in illos, ut ipsos proculdubio videatur praenuntia Salvatoris conquaestio tetigisse dicentis: Ecce ego mitto ad vos sapientes et scribas, et ex eis occidetis *etc.* (1) Sane rem audivimus detestabilem et in communem luctum generalis Ecclesiae deducendam, quod cum sanctae memoriae frater Petrus de Castro Novo monachus et sacerdos, vir inter viros utique virtuosos vita, scientia et fama praeclarus, ad evangelizandum pacem et astruendam fidem in eamdem provinciam, et a nobis cum aliis destinatus, in commisso sibi ministerio laudabiliter profecisset et proficere non cessaret, quippe qui plene in schola Christi didicerat quod doceret, et eum qui secundum doctrinam est fidelem obtinendo sermonem, in sana poterat exhortari doctrina et contradicentes revincere, paratus semper omni poscenti reddere rationem,

Albigenses grassantur in provincia.

Illuc a Pontifice missus Petrus de Castro-Novo.

(1) Matth. XXIII, 34.

utpote vir in fide catholicus, in lege peritus, et in sermone facundus, concitavit adversus eum diabolus ministrum suum comitem Tholosanum, qui cum pro multis et magnis excessibus, quos in Ecclesiam commiserat et in Deum, saepe censuram ecclesiasticam incurrisset, et saepe, sicut homo versipellis et callidus, lubricus et inconstans, plenitudine simulata fuerit absolutus, tandem odium continere non praevalens quod conceperat contra ipsum ex eo quod non erat in eius ore verbum Domini alligatum ad faciendam vindictam in nationibus et increpationes in populis, ac eo fortius in eodem quo magis pro maioribus erat ipse facinoribus increpandus, tam eum, quam collegam ipsius Apostolicae Sedis legatos ad villam Sancti Ægidii convocavit, promittens super cunctis quibus impetebatur capitulis satisfactionem plenariam exhibere. Cum autem convenientibus illis in villa praedicta praefatus comes salutaria monita sibi facta modo velut verax et facilis promitteret se facturum, et modo velut fallax et durus ea prorsus efficere recusaret, volentibus illis demum ab eadem villa recedere, mortem est publice comminatus, dicens quod quocumque vel per terram diverterent vel per aquam, vigilanter eorum observaret egressum; et confestim, factis dicta compensans, complices suos ad exquisitas insidias destinavit. Cumque nec ad preces dilecti filii abbatis Sancti Ægidii, nec ad instantiam consulum et burgensium furoris sui mitigari vesania potuisset, ipsi eos, invito comite nimiumque dolente, cum armatae manus praesidio prope ripam Rhodani deduxerunt ubi nocte quieverunt instante, quibusdam eiusdem comitis satellitibus ipsis prorsus ignotis hospitantibus cum eisdem, qui sicut apparuit in effectu sanguinem inquirebant ipsorum. In crastinum itaque mane facto, et missa celebrata de more, cum innocui Christi milites ad transitum fluminis se pararent, unus de praedictis Sathanae satellitibus lanceam suam vibrans, praenominatum Petrum, supra Christum petram immobili firmitate fundatum, tantae proditionis incautum, inter costas posterius vulneravit, qui pius in impium respiciens percussorem, et Christi magistri sui cum beato Stephano secutus exemplum, dixit ad ipsum: Deus tibi dimittat, quia ego dimitto, pietatis et patientiae tantae verbum saepius repetendo. Deinde sic transfixus, acerbitatem illati vulneris spe coelestium est oblitus, et in instanti suae pretiosae mortis articulo cum ministerii sui sociis quae fidem promoverint et pacem non desinens ordinare, post multas demum orationes in Christo feliciter obdormivit. Qui profecto cum ob fidem et pacem, quibus nulla prorsus est causa laudabilior ad martyrium sanguinem suum fuderit, claris iam, ut credimus, miraculis coruscasset, nisi hoc illorum incredulitas impediret, de quorum similibus in Evangelio legitur quod Iesus non faciebat ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum: quia quamquam linguae non fidelibus, sed infidelibus sint in signum, Salvator tamen praesentatus Herodi, qui, teste Luca, valde gavisus est viso ipso, pro eo quod signum aliquod videre fieri ab ipso sperabat, et facere dedignatus est signum et reddere interroganti responsum, sciens quod in operatione signorum non credulitatis inductio, sed vanitatis illum admiratio delectabat. Licet autem illa prava et perversa generatio non sit digna, ut tam cito, sicut forsitan ipsa quaerit, de suo sibi martyre detur signum, expedisse tamen credimus ei, ut unus iste pro ipsa, ne tota pereat, moreretur, quae contagio haereticae pravitatis infecta per interpellantem occisi sanguinem a suo melius revocetur errore, quam vivus eam potuerit revocare. Hoc est enim vetus artificium Iesu Christi, hoc miraculosum ingenium Salvatoris, ut cum in suis victus esse putatur,

Comitis Tolosani fraude deceptus.

Delegatis apostolicis comes parat insidias.

Ab eius satellitibus occisus Petrus de Castro-Novo.

(1) Legendum forsitan *poenitudine*.

tunc vincat fortius in eisdem, et ea virtute qua ipse mortem moriendo destruxit, a superatis interdum famulis suis superatores eorum faciat superari. Nisi enim granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: cum autem mortuum fuerit, plurimum fructum affert. Sperantes igitur quod de morte huius foecundissimi grani multus sit fructus in Christi Ecclesia proventurus, cum profecto sit dure culpabilis et culpabiliter durus, cuius animam ipsius gladius non pertransit, neque unquam penitus desperantes quin utilitas tanta debeat in sanguine suo esse, quod suae sanctae praedicationis initiis circa memoratam provinciam pro qua ipse in corruptionem descendit, optata Deus tribuat incrementa, fraternitatem vestram monemus attentius et propensius exhortamur per Spiritum Sanctum in virtute obedientiae districte praecipiendo mandantes, quatenus verbum pacis et fidei seminatum ab eo vestrae praedicationis irriguis coalescere facientes, et ad expugnandam haereticam pravitatem ac fidem catholicam confirmandam, extirpando vitia et seminando virtutes, indefessae studio sedulitatis instantes, iamdictum Dei famuli occisorem, et universos, quorum ope vel opera, consilio vel favore, tantum facinus perpetravit; receptatores quoque, vel defensores ipsius ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum Petri et Pauli apostolorum eius ac nostra excommunicatos et anathematizatos per universas vestras dioeceses nuntietis, et omnia loca prorsus ad quae ipsi vel aliquis eorum devenerint, praesentibus eis interdicto faciatis ecclesiastico subiacere singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis, et candelis accensis, donec ad Sedem Apostolicam accedentes per satisfactionem condignam mereantur absolvi, sententiam huiusmodi solemniter innovantes. Illis autem qui orthodoxae fidei zelo succensi ad vindicandum sanguinem iustum, qui de terra clamare non cessat ad coelum, donec ad confundendum subversos et subversores de coelo descendat ad terram Dominus ultionum, viriliter se accinxerint adversus huiusmodi pestilentes, qui simul in unum et pacem et veritatem impugnant, suorum remissionem peccaminum a Deo, eiusque vicario secure promittatis indultam, ut eis labor huiusmodi ad operis satisfactionem sufficiat super illis offensis, pro quibus cordis contritionem et oris confessionem veram obtulerint vero Deo. Huiusmodi siquidem pestilentes non tantum iam nostra diripere, sed nos perimere moliuntur; nec solum ad perimendum animas linguas acuunt, verum etiam ad perdendum corpora manus extendunt, perversores animarum effecti et corporum peremptores. Licet autem praefatus comes pro multis et magnis flagitiis, quae longum esset per singula enarrare, iamdudum sit anathematis mucrone percussus, quia tamen certis indiciis mortis sancti viri praesumitur esse reus, non solum ex eo quod publice comminatus est ei mortem et insidias paravit eidem, verum etiam ex eo quod, sicut asseritur, occisorem ipsius in multam familiaritatem admisit et magnis donis remuneravit eundem, ut de caeteris praesumptionibus taceamus, quae nobis plenius innotescunt, ob hanc quoque causam anathematizatum eum publice nuntietis. Et cum iuxta sanctorum Patrum canonicas sanctiones ei, qui Deo fidem non servat, fides servanda non sit, a communione fidelium segregato, utpote qui vitandus est potius quam fovendus, omnes qui dicto comiti fidelitatis seu societatis aut foederis huiusmodi iuramento tenentur astricti, auctoritate apostolica denuncietis, ab eo interim absolutos, et cuilibet catholico viro licere, salvo iure domini principalis, non solum persequi personam eiusdem, verum etiam occupare ac detinere terram ipsius, illo praesertim obtentu, quod ab

Comitem eiusque fautores in hoc scelere excommunicari mandat.

Praemia vero eis promittenda, qui contra haereticos insurrexerint.

Subditos vero comitis a iuramento fidelitatis absolvendos

haeresi per suam prudentiam fortiter expietur, quae per illius nequitiam fuit hactenus turpiter maculata: quia dignum est, ut manus omnium contra ipsum insurgant cuius manus extitit contra omnes. Quod si nec sic vexatio sibi dederit intellectum, manus nostras in eum curabimus fortius aggravare. Si quando vero satisfactionem promiserit exhibere, procul dubio ipsum haec poenitudinis suae signa praemittere oportebit, ut de toto penitus posse suo depellat pravitatis haereticae sectatores, et se paci satagat conciliare fraternae, cum principaliter propter culpam quam in utroque noscitur commisisse, in eum ecclesiastica fuerit prolata censura: quamquam si suas Dominus iniquitates voluerit observare, vix possit congrue satisfacere, non tantummodo pro seipso, sed pro alia multitudine quam in laqueum damnationis induxit. Quia vero secundum sententiam Veritatis timendi non sunt qui corpus occidunt, sed qui potest corpus et animam mittere in gehennam, confidimus et speramus in eo, qui ut a fidelibus suis timorem mortis auferret, mortuus, die tertia resurrexit, quod praefati hominis Dei mors venerabili fratri nostro Conseranensi episcopo et dilecto filio abbati Cisterciensi Apostolicae Sedis legatis, aliisque orthodoxae fidei sectatoribus non solum timorem non inculcet, sed accendat amorem, ut eius exemplo qui vitam aeternam temporali morte feliciter est mercatus, animas suas in tam glorioso certamine, si necesse fuerit, pro Christo ponere non formident. Unde consulimus et monemus preces praeceptis et praecepta precibus inculcantes, quatenus legatorum ipsorum salubribus monitis et mandatis efficaciter intendentes, tamquam strenue commilitones assistatis eisdem in omnibus quae propter hoc vobis duxerint iniungenda. Scientes quod sententiam quam ipsi, non solum in rebelles, sed etiam in desides, promulgaverint, nos ratam haberi praecipimus et inviolabiliter observari.

Quae ab eo poenitentiae signa danda sint, et absolvatur.

De obedientia et auxilio legatis apostolicis dando.

Datum Laterani octavo idus martii, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno undecimo.

Dat. die 8 martii 1208, pontif. anno XI.

LVI.

Civibus Soranis libertates et antiquas confirmat laudabiles consuetudines (1).

SUMMARIUM

Soranis civibus libertates et laudabiles consuetudines confirmat.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, civibus Soranis.

Ad ubera sacrosanctae Romanae Ecclesiae matris vestrae tamquam devoti filii recurrentes, ipsius vos decet dulci lacte nutriri, ut qui hactenus, novercante fortuna, onus portastis indebitae servitutis, nunc opitulante gratia solamen inveniatis solitae libertatis. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, rationabiles libertates, bonos usus, et consuetudines approbatas, quas a tempore illustris regis Rogerii usque ad obitum Willelmi regum Siciliae habuistis, vobis paterna benignitate concedimus, et auctoritate apostolica confirmamus, ut illis licenter utamini, fidem nobis integram observando.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis et confirmationis *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Laterani duodecimo kalendas maii, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno undecimo.

Dat. die 20 aprilis 1208, pontif. anno XI.

(1) Ex Baluz., lib. XI, Epist. 66.

LVII.

***Approbat concordiam quamdam inter Salzburgensem archiepiscopum et capitulum Gurgense initam super modo eligendi episcopum Gurgensem* (1).**

SUMMARIUM

Capit. Gurgen. adiudicari sibi petit episcopi sui electionem. — Rationes ex parte Salzburgen. archiepiscopi productae. — Utriusque partis momenta examini subiecta. — Dies archiepiscopo dicta. — Ad Sedem Apostolicam non accedit. — Aliae rationes. — Quae proposuerit pars adversa: — Quibus respondetur. — Causa delegata ante duos cardinales de mandato Pontificis: — Qui testes recipientes utrinque productos, nec valentes amicabilem compositionem adducere, omnia ad Pontificem remiserunt. — Iussu PP. compositio fit inter partes. — Eius observantia iniungitur Salzburgensi. — Confirmatur ab Innocentio. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, decano et canonicis Gurgensibus.

Turbulentissimam quaestionem et plurimum intricatam super electione Pontificis in vestra Ecclesia facienda inter vos et Salzburgensem Ecclesiam temporibus bonae memoriae Alexandri et Lucii praedecessorum nostrorum non sine magnis expensis et gravibus laboribus agitatam nostris quoque temporibus contigit suscitari, parte vestra firmiter asserente, quod libertas eligendi vobis pontificem ad vos tam de iure communi, quam antiqua consuetudine ac speciali privilegio competebat. Unde procurator vester postulavit a nobis, ut faceremus vos pacifica libertatis ipsius possessione gaudere, partem alteram compellendo a vestra super hoc indebita molestatione cessare. Cui cum ex altera parte quaedam obiiceretur sententia, quae super hoc pro Salzburgensi dicebatur Ecclesia promulgata, idem procurator asseruit nullam penitus super hoc sententiam fuisse prolatam. Verum exhibitis nobis quibusdam litteris bonae memoriae Frisingensis episcopi et abbatis Sanctae Crucis, quae videbantur latam ab ipsis dictam sententiam continere, idem proposuit subsequenter, quod cum dicti episcopus et abbas non fuerint ordinarii iudices, nec constaret quod fuerint arbitri communiter electi a partibus, vel iudices a Sede Apostolica delegati, quod statuerant, robur habere non poterat firmitatis, contendens vos hactenus libere vobis pontificem elegisse. Quem usum sufficienter se asseruit probaturum. Cumque fuisset ei ex adverso responsum, praedictos iudices ex delegatione iam dicti Alexandri Papae tertii praedecessoris nostri habuisse auctoritatem negotium terminandi super eligendi usu, et commissione ipsa venerabilibus fratribus nostris Brixinensi, Frisingensi, et Tergestino episcopis, receptionem testium quos alterutra partium vellet producere duximus committendam. Partibus autem postea in nostra praesentia constitutis, et attestationes super illis duobus articulis offerentibus nobis clausas, procurator vester fuit in iudicio protestatus quod non credebat super hoc sententiam latam fuisse, et si forte fuisset lata, per metum utique fuerat contra vestram Ecclesiam iudicatum, quem ad nos secreto vocavimus, et de metus inquisivimus qualitate. Sed cum nobis metum huiusmodi expressisset qui sufficienter probatus minime videbatur auferre adminiculum parti vestrae, ac se nolle probare alium fateretur, postulans inducias ad metum quem expresserat comprobandum, nos ad concordiam intendentes, tam sibi, quam procuratori partis alterius consuluimus, ut adventum venerabilis fratris nostri Salzburgensis archiepiscopi expectarent, qui venturus tunc temporis ad Sedem Apostolicam sperabatur. Qui cum nequaquam venisset diutius expectatus, et quidam ex vobis interim ad vestram Ecclesiam accessissent, secum quosdam testes redeuntes duxe-

(1) Ex Baluz., lib. XI, Epist. 99.

runt, per quos alium metum, scilicet quod per comitem Palatinum et germanos Salzburgensis archiepiscopi, qui tunc erat, compulsi fuerant contra se Gurgenses canonici confiteri, praedictus probare voluit procurator, tunc demum confitens sententiam latam fuisse, proponens, quod cum in iure civili habeatur expressum, quia quod vi metusve causa gestum est, praetor nullo tempore ratum habeat, nec illo tempore rata debebat haberi sententia, quae occasione metus lata fuerat a iudicibus memoratis, ad hoc idem probandum quasdam alias rationes inducens. Idem praeterea procurator obtulit iuramentum quod de novo in suam notitiam devenerat talis metus. Quare audiri debebat illa consimili ratione, quod si quisquam tempore contradicti matrimonii praesens fuit, nec tunc aliquid proposuit contra ipsum, et illud velit processu temporis accusare, ac consanguinitatem inter contrahentes existere iuraverit se postea didicisse, auditur accusans. Item ex variatione huiusmodi proponebat vestram Ecclesiam non debere periculum sustinere, quia nonnunquam praetor variantem admittit, nec mutantis consilium aspernatur. Ad haec proposuit pars adversa quod bonae memoriae G. Salzburgensis archiepiscopus de conniventia et consensu tam Apostolicae Sedis, quam imperatoriae celsitudinis in quadam parte suae dioecesis Gurcensem episcopatum creavit, constituens, ut Gurcensis episcopus tam in spiritualibus, quam etiam temporalibus Salzburgensis archiepiscopi perpetuus foret vicarius. Unde cum electio vicarii, sicut et vice-domini, ad eum solummodo de iure pertineat, cuius vicarius efficitur, aut etiam vice-dominus, profecto Gurcensem episcopum asserebat ratione patronatus, et vicariae Salzburgensi fore archiepiscopo eligendum, adiiciens quod procurator ipse audiri aliquatenus non debebat multiplici ratione, tum quia confessus fuerat quod

Aliae rationes.

metu alium proponere non volebat, tum quia cum a principio latam sententiam negavisset, per fraudem postmodum contrarium est confessus, tum etiam quia confessus fuerat vos Salzburgensi archiepiscopo in talibus obedientiam praestitisse post sententiam memoratam, per quae praesumebatur vos eandem sententiam approbare. Proposuit insuper quod postquam vos praefato Lucio tertio praedecessori nostro de ipsa sententia querimoniam obtulistis, ab eo fuit eadem sententia confirmata, quodque vos sponte per multos annos sententiae paruistis eidem. Quas rationes pars vestra responsionibus diversis, elidens adiunxit, quod post translationem archiepiscopi memorati ad Ecclesiam Maguntinam Ecclesia vestra supradicto praedecessori nostro Lucio Papae, quando potuit reclamare super violentia, exposuit quaestionem: sed ipse, sicut in privilegio quod super electione, institutione ac consecratione Gurcensis episcopi felicis recordationis Alexander Papa secundus dicebatur Salzburgensi Ecclesiae concessisse, ita et in sententia circumventus asserens se diligenter examinasse, ac verum illud privilegium invenisse, quod nos falsum vel falsatum reperimus manifeste, eam vobis absentibus confirmavit. Nos autem iis, et aliis intellectis, quae coram nobis partes multipliciter allegarunt, interloquendo concessimus, ut procurator vester probandi metum illum facultatem haberet, praestito iuramento se illum postea didicisse; sicque testes produxit quos per dilectos filios nostros Leonem tit. Sanctae Crucis presbyterum et Gualam Sanctae Mariae in Porticu diaconum cardinales examinari mandavimus, et eorum depositiones conscribi. Caeterum quia praedicti archiepiscopi procurator tam super hoc, quam super eo quod vos asseruit spontanea voluntate sententiae paruisse, necnon etiam quod tam metu, quam aliis coram saepedicto Lucio Papa in iudicio allegatis idem praedecessor noster per

Causa delegata ante duos cardinales de mandato Pontificis

privilegii paginam praefatam sententiam confirmavit; testes in vestris partibus producere intendebat, praefato episcopo Brixinensi et Aquilegensi praeposito, et Scholastico Augustensi dedimus in mandatis, ut testes, quos utralibet pars super praemissis articulis, et super transactione, quae post tempus sententiae dicebatur facta fuisse, aut in personas testium duceret producendos, recipere procurarent, et attestationes redactas in scriptis nobis similiter transmittentes, praefigerent tam vobis, quam parti adversae terminum competentem quo vos nostro repraesentaretis conspectui sententiam recepturi, nisi forsan interim ad amicabilem concordiam venire possetis, quam utrique parti credebamus plurimum expedire. Qui iuxta mandati nostri tenorem recipientes testes utrinque productos, cum inclinare vos ad compositionem amicabilem nequivissent, procuratores vestros et partis adversae cum attestationibus et scriptis authenticis sub sigillis propriis fideliter consignatis ad nostram praesentiam remiserunt. Quibus postmodum in nostra praesentia constitutis, nos universis attestationibus publicatis, et tam eis, quam scriptis authenticis utriusque partis diligenter inspectis, et intellectis attente, quaecumque procuratores ipsi proponere curaverunt, apud eosdem pro amicabili concordia, ad quam ab ipso litis exordio, vos et partem alteram induxisse dinoscimur, institimus diligenter. Quibus nostris acquiescentibus monitis, praepositus Ecclesiae vestrae, ac magister G. vestras exhibuerunt litteras coram nobis, per quas constabat eosdem a vobis recepisse mandatum, non solum agendi et respondendi, sed etiam componendi. Magister quoque Marcualdus, et R. Salzburgensis archiepiscopi procuratores, etsi literas archiepiscopi non exhibuerint per quas probarent se supra concordia facienda recepisse mandatum, in consistorio tamen publice iuraverunt, quod super hoc mandatum ab archiepiscopo memorato receperant iuxta formam sibi ab archiepiscopo eodem expressam nobisque insinuatam ab ipsis, et quod praefatus archiepiscopus mandatum ipsum, eis scientibus, ab eis nullatenus revocaret, quodque ipsi darent fideliter operam efficacem, ut compositionem faciendam a nobis idem archiepiscopus observaret. Nos igitur postmodum deliberato cum fratribus nostris consilio, attendentes tam vobis, quam adversae parti multipliciter expedire controversiam ipsam concordia potius, quam iudicio terminari; compositionem huiusmodi de partium conniventia inter vos duximus faciendam, ut episcopo vestro defuncto, Salzburgensis archiepiscopus vocatus a vobis ad Ecclesiam Gurcensem accedat, et tres personas, unam videlicet de gremio eiusdem Ecclesiae, quam utiliorem bona fide crediderit tam ad regimen praesulatus, quam etiam officium vicariae, et duas extraneas, vobis denominare procuret: vos vero seorsum super denominatis vobis personis diligenti deliberatione tractetis, et vobis tandem, ac eodem archiepiscopo et capitulo residentibus, is ex denominatis personis ab archiepiscopo primum in episcopum et vicarium, et consequenter a vobis in episcopum eligatur, in quem omnes, vel saltem maior pars vestrum penitus consensissent, ac postmodum electione ipsa per decanum, vel praepositum, seu quemlibet alium Ecclesiae vestrae canonicum ad hoc a capitulo deputatum solemniter publicata, electum ipsum Salzburgensi episcopo, utpote metropolitano vestro, praesentare curetis, ab eodem confirmationis beneficium recepturum, cum metropolitanus ipse sine difficultate qualibet tam confirmationis, quam consecrationis munus gratanter impendat. Ne vero cuiusquam machinationis astutia circa hoc aliquod in Ecclesiae vestrae dispendium attentetur, auctoritate omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ex parte

Iussu PP. compositio fit inter partes.

Eius observantia iniungitur Salzburgensi. quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, excommunicationis sententiam interponimus, quam Salzburgensis archiepiscopus, qui pro tempore fuerit, incurrat si quando de gremio Ecclesiae vestrae quemquam denominare praesumpserit, nisi quem ad praesulatus regimen et officium vicariae ultiorem (1) aestimaverit bona fide. Quam compositionem procuratores ipsi pariter approbantes, eandem humiliter receperunt. Nos etiam

Confirmatur ab Innocentio. ad postulationem eorum compositionem eandem iuxta praescriptam formam factam a nobis et ab ipsis procuratoribus, sicut praemissum est, approbatam, auctoritate apostolica confirmamus, statuentes, ut nec sententia, nec privilegium, aut quodlibet aliud instrumentum huic compositioni unquam obsistat, quin etiam quantum ad hoc penitus sint invalida, ut ipsa compositio, sine quovis obstaculo, robur obtineat perpetuae firmitatis.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae compositionis, confirmationis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Anagniae nonis iunii, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno undecimo.

Dat. die 7 iunii 1208, pontif. anno XI.

LVIII.

Decernit caput et magisterium Ordinis Sancti Spiritus in urbe Roma esse debere (2).

SUMMARIUM

Causa huius constitutionis. — Magisterium Ordinis Romae esse debet. — Rector apud Montem Pessulan. eligendus de consensu magistri Romae residentis. — Clausulae consuetae.

(1) Legendum putamus *utiliorem*. (2) Ex Baluz., lib XI, Epist. 104.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, fratribus Hospitalium Sancti Spiritus apud Urbem et Montem Pessulanum Domino famulantibus.

Causa huius constitutionis. Defuncto Romae felicis memoriae Guidone, qui vestrorum hospitalium primus extitit institutor et rector, cum quidam ex fratribus vestris a Montepessulano directi, et alii venientes ab Urbe pro substitutione rectoris, in nostra essent praesentia constituti, de ipsorum consilio et assensu, quia videbatur plurimum expedire, statuimus ut caput et magisterium Ordinis vestri perpetuo perseveret in Urbe apud hospitale Sancti Spiritus in Saxia, ita quod rector ipsius praesit universis fratribus ordinis vestri tam praesentibus, quam futuris, omnesque sibi teneantur impendere obedientiam et reverentiam regularem. Cum autem hospitalis, quod est apud Montem Pessulanum rector fuerit eligendus, de consilio et assensu rectoris hospitalis quod est apud Urbem regulariter eligatur. Unde nos secundum formam constitutionis huiusmodi eligi fecimus dilectum filium fratrem P. de Granerio in summum rectorem hospitalis Sancti Spiritus in Saxia, firmiter iniungentes, ut de ipsius consilio et assensu in hospitali Sancti Spiritus apud Montem Pessulanum rector idoneus eligatur. Quo circa universitatem vestram per apostolica scripta mandamus, quatenus quod a nobis est salubriter institutum, a vobis et successoribus vestris, et nunc et semper inviolabiliter observetur. Caeteris in suo robore permanentibus, quae in privilegio utique hospitali a nobis indulto continentur expressa.

Magisterium Ordinis Romae esse debet.

Rector apud Montem Pessulan. eligendus de consensu magistri Romae residentis.

Clausulae consuetae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis et iussionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Anagniae quarto idus iunii, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno undecimo.

Dat. die 10 iunii 1208, pontif. anno XI.

LIX.

Monumentum consecrati ab Innocentio altaris in monasterio Fossae Novae (1).

SUMMARIUM

Altarium consecratio in lege veteri. — Istoria consecrati ab Innocentio altaris. — Indulgentiam illud die anniversaria visitantibus concedit. — Monasterium ipsum sub Sedis Apostolicae protectione suscipit.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, abbati, et conventui Fossae Novae.

Altarium consecratio in lege veteri.

Si olim in veteri Testamento altaris consecratio celebris habebatur, quanto magis nunc in novo debet solemnis haberi, cum non minus inter illud et istud, quam inter lucem et umbram, distet altare. In illo sane carnales et irrationales hostiae mactabantur, in isto vero illud unicum et vivificum holocaustum semper offertur, quod pro redemptione humani generis semel in Ara Crucis extitit victimatum, videlicet Unigenitus Dei Filius Iesus Christus, idem ipse sacrificium, et sacerdos, qui et pretium se dedit in Cruce, ut moriens, fideles suos a morte redimeret, cibum se tribuit in altari, ut vivens fideles suos alat ad vitam, incorporans sibi eius edentes, ut per hoc quod accepit ipse de nostro, et accipimus ipsi de suo, in unum corpus, caput et membra insolubiliter uniamur, ipso rogante, ut omnes in ipso, sicut ipse in Patre ac Pater in ipso, sint unum. Cum ergo magnum et arduum sit sacramentum Altaris, utique longe maius quam non possimus ordiri, ad consecrandum in monasterio vestro novum altare, quod in nova basilica erexistis, a vobis cum multa supplicationis instantia, multotiens invitati, ad monasterium ipsum descendimus, immo verius ascendimus ad Montem Bethel, in quo degunt filii prophetarum, utinam illo igne caelitus inflammati qui secundum praeceptum dominicum semper debet in Altari ardere, ipsumque sacrosanctum Altare cum honorabili coetu episcoporum et cardinalium, assistente fidelium multitudine copiosa, quarto decimo kalendas iulii solemniter propriis manibus consecravimus, hanc expetentes et expectantes a Christo mercedem, ut quotiens super illud in Mysterio salutari mortis eius memoria frequentabitur, ipse sit nostri memor in bonum, ut per suae mortis virtutem, et a morte culpae nos liberet in praesenti, et a morte gehennae nos eripiat in futuro, illorum piis precibus exoratus, qui pro salute vivorum ac defunctorum super ipsum altare holocaustum ei offerent medullatum.

Istoria consecrati ab Innocentio altaris.

Indulgentiam illud die anniversaria visitantibus concedit.

Ut igitur ipsius altaris consecratio veneranda singulis annis devotius celebretur, universis qui ad celebritatem consecrationis ipsius infra quindecim dies devote convenerint, de iniunctis sibi poenitentiis pro peccatis indulgentiam unius anni concedimus, de illius pietate confisi qui est remissio peccatorum. Licet autem monasterium vestrum iuris et proprietatis sit Sedis Apostolicae speciale, quia tamen ex hoc iuris et proprietatis ipsius quasi specialius est effectum, nos illud sub speciali cura, et principali tutela beati Petri suscipimus cum omnibus rebus quas in praesentiarum iusto titulo possidet, aut in futurum iustis modis poterit adipisci, ut secundum privilegia praedecessorum nostrorum ac nostra semper eas sine contradictione possideat, gaudens ubique privilegiis et indulgentiis universis tam generalibus, quam etiam specialibus a Sede Apostolica impetratis. Cunctos igitur ipsius iura servantes apostolica benedictio prosequatur, eosque divina Maiestas, et iustificet in praesenti et glorificet in futuro. Turbatores autem ipsius, nisi commoniti resipuerint, reos se divino

Monasterium ipsum sub Sedis Apostolicae protectione suscipit.

(1) Ex Baluz., lib. XI. Epist. 124.

iudicio de perpetrata iniquitate cognoscant, et munere apostolicae benedictionis immunes, scientes quod ideo sub altare reliquiae martyrum reconduntur, ut ibi contra persecutores ipsius loci vindicta iusti sanguinis postuletur, ubi sanguis iustus commemoratur effusus, iuxta quod legitur: Vidi sub altare Dei animas occisorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant et clamabant dicentes: Usquequo, Domine sanctus et verus, non iudicas et vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant super terram? Omnibus autem eidem loco sua iura servantibus consolatio Sancti Spiritus tribuatur hic (1) in aevum. Amen.

Datum apud monasterium Casinense duodecimo kalendas augusti, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii, anno undecimo.

Dat. die 21 iulii 1208, pontif. anno XI.

LX.

De modo utendi iure ab Apostolica Sede concesso conferendi beneficia (2).

SUMMARIUM

Exordium. — Ad beneficia personae idoneae praesentandae. — Non conferenda antequam vacent. — De expectativis. — Derogatio contrariorum.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, archipresbyteris, et aliis Ecclesiarum praelatis, earumque capitulis et conventibus, seu collegiis tam exemptis, quam non exemptis, ac patronis clericis seu laicis praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Postquam regimini generalis Ecclesiae nos licet immeritos divina pietas voluit praesidere, et cordi semper habuimus, quod honestatem et ordinem in omnibus servaremus, ac in provisionibus faciendis haberemus illius providentiae modum, per quem ecclesiis et monasteriis, seu aliis piis locis honor et commodum proveniret. Quod autem contrarium quandoque accidisse dinoscitur tum propter malitiam temporum, tum improbitatem nimiam petitorum, saepe nobis dolorem intulit, et cordi nostra suspiria cumulavit; maxime, cum post multa diffugia, et excogitatae resistentiae studium, provisiones quasdam prorsus inviti fecerimus, quas potuisse vitare pro magno et solemni gaudio duceremus. Cum itaque dudum fuerimus mente vigiles, ut super his adhibere possemus remedium opportunum, nos pro quiete mentis nostrae, ac pro Ecclesiarum, monasteriorum et locorum praedictorum salute, duximus statuendum, quod singuli vestrum canonias et praebendas, ac beneficia, seu personatus, ac dignitates, cum cura, aut sine cura, redditus, ac etiam pensiones, ad collationem, sive electionem, seu praesentationem vestram spectantia, quae obtinentur a quibuscumque oriundis extra regna in quibus habentur canonicatus et praebendae, ac alia supradicta, sive apud Sedem Apostolicam maneant, sive alibi commorentur, ex tunc personis idoneis Deum habendo prae oculis conferre, vel eas ad ea eligere, ac electas confirmare, sive praesentare, et praesentatas admittere, sublato cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, valeatis. Et ex tunc personae ipsae in eisdem canoniis et praebendis, ac beneficiis, seu dignitatibus et personatibus, redditibus et pensionibus plenum et inconcussum (1) obtineant. Nec tamen de his priusquam vacent se aliquatenus intromittant, sed ea ipsa iure quam citius vacaverint assequantur, et ipsa intrandi, ac retinendi, nullius requisito consensu, liberam habeant facultatem. Ista tamen quod illi, qui nunc ipsa obtinent, ea quousque cesserint, vel decesserint, pleno iure pacifice habeant, et quiete, ac nullum omnino super his praetextu eiusdem statuti prae-

Ad beneficia personae idoneae praesentandae.

Non conferenda antequam vacent.

(1) Addendum forsitan *et.* (R. T.) (2) Rer. Anglic. Script. veter., tom. I, pag. 328.

(1) Addendum fortasse *ius.*

iudicium patiantur. Volumus tamen, quod si sub expectatione praebendarum in Ecclesiis in quibus provisum fuerit dictis personis, prius sint recepti aliqui, vel si super provisione sua in eis litteras apostolicas impetrarunt, sicut in receptione, vel impetratione, si in praebendarum assecutione personae praeferantur eisdem, si vero aliqua personarum ipsarum, cui obtentu eiusdem statuti provisum fuerit, vel ei per vos iuxta modum inferius notatum contigerit, vel de vestra liberali gratia provideri, cedat interim, vel decedat, licitum sit vobis tam cito loco sui aliam idoneam subrogare, ac successive hoc facere, in cuius earundem cessione, vel obitu personarum: sub divini tamen iudicii obtestatione praecipimus, quod personae ipsae post possessores dictorum canonicatuum et beneficiorum, ac praebendarum seu personatuum, et dignitatum, redditaum, seu pensionum nullas insidias, aut fraudem, vel molestias, sive quodcumque aliud inconveniens machinentur, alias autem hoc ipso cadant ab omni iure eis super provisione huiusmodi adquisito. Cum dignum sit, quod sicut gratia pro virtute tribuitur, ita poena pro vitio compensetur. Pro malitiis autem cohibendis, quae huiusmodi forsan occasione statuti oriri possent in mentibus perversorum, volumus, ut si aliquem, cui surrogatio ex beneficio eiusdem statuti facta fuerit, quod absit, perimi contigerit quoquomodo, taliter subrogatus possessionem suae provisionis non habeat, nec aliquatenus apprehendat, nisi prius apostolicas, vel ordinarii, et aliquorum religiosorum virorum Deum timentium patentes literas obtinuerit, quod de morte sic occisi suspectus nullatenus habeatur. Caeterum quia personis eisdem in grave posset redundare taedium, quod vacationem canonicatuum et praebendarum, ac aliorum praedictorum per longa tempora exspectarent, ad hoc nostra desudat intentio, ut de canonicis, praebendis, ac beneficiis, sive personatibus et dignitatibus, redditibus et pensionibus ad vestram collationem, aut electionem, vel praesentationem spectantibus, quae praeter huiusmodi provisionem vestram vacant ad praesens, sive vacare contigerit, dummodo nulli alio de iure competant, liberaliter, ac sine mora provideatis eisdem, et postmodum ipsorum loco alias personas idoneas quam citius subrogetis.

De expectativis.

Ad haec statutum praedictum, quamvis iuri oppositum, quod pro causa legitima et salubri ad nullius requisitionem vel instantiam proprio motu fecimus, plenam et inviolabilem firmitatem volumus obtinere; si tamen ad alias collationes et electiones, seu praesentationes quascumque de caetero fieri contigerit, idem statutum nullatenus extendatur, nec sanctionibus canonicis propter ipsum in posterum aliquod praeiudicium generetur. Praeterea nulla privilegia, vel indulgentiae, sive literae Apostolicae Sedis, vel legatorum eius sub quacumque forma verborum de caetero impetranda, obsistant praefato statuto, cum iam plenum ius per huiusmodi collationem, aut electionem, sive praesentationem adquiratur, personis eisdem, et illud eis tolli non possit, absque divini offensa nominis, et Sedis Apostolicae iniuria manifesta. Nos enim nihilominus si aliquid super his contra praefatum statutum contigerit attentari, non solum irritum et inane decernimus, sed omnis qui contravenire praesumpserit, divinae maledictioni, ac nostrae volumus subiacere. Licitumque sit vobis universis et singulis tanquam nostris in hac parte ministris nostras, sive legatorum nostrorum lacerare literas si quae statuto ipsi contraire (1), vobis, aut alicui vestrum fuerint praesentatae. Canonicatuum insuper, et praebendarum, ac beneficiorum et aliorum praedictorum possessio, sicut praedictum est, nihilominus intretur, ac retineatur libere non obstantibus literis memoratis. Saepe vero dictum statutum ad pontifi-

Derogatio contrariorum.

(1) Legendum forsitan *contrariae*. (R. T.)

catus et abbatias, ac alias regulares extendi volumus dignitates.

Data Laterani tertio nonas novembris, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 3 novembris 1208, pontif. anno XI.

LXI.

Confirmatio bonorum et privilegiorum monasterii S. Ægidii Tolosan., cuius monachis nonnulla praescribuntur servanda (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Monasterium hoc ad dominium S. Petri spectans. — Exemptiones omnes eidem — Et bona confirmantur. — In quibus nonnulla propriis vocabulis exprimuntur. — Ea vero ullo modo alienari prohibentur, sub certis poenis. — Abbas a monachis eligendus. — Comitis Tolosani refutatio ab Hadriano PP. confirmata approbatur. — Decretum pro eiusdem monasterii indemnitate.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Pontio abbati monasterii Sancti Ægidii, eiusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum.

Procemium. Quamvis Ecclesiarum omnium cura nobis et sollicitudo immineat, illis tamen locis atque personis quae beato Petro, et sanctae Romanae Ecclesiae specialitus adhaerere, et in eius fidelitate atque obedientia devotius permanere noscuntur, attentiori cura providere nos convenit. Ut autem pro Beati Ægidii monasterio, cui Deo auctore præesse dinosceris, diligenti sollicitudine vigilemus, tanto amplior nobis necessitas est iniuncta, quanto idem locus ab exordio suae fundationis ad ius et dominium eiusdem apostolorum principis specialiter dinoscitur pertinere. (Monasterium hoc ad dominium S. Petri spectans.) Tuis itaque, dilecte in Domino fili Ponti abbas, iustis postulationibus benignum impertientes assensum, ad exemplar praedecessorum nostrorum sanctae recordationis Innocentii, Eugenii et Adriani quarti Romanorum Pontificum, omnem libertatem seu immunitatem vobis ac vestro coenobio per antecessorum nostrorum privilegia contributam praesentis privilegii pagina roboramus. (Exemptiones omnes eidem) Statuentes ut nulli omnino archiepiscopo vel episcopo liceat super idem coenobium, vel abbatem sive monachos ibidem Domino servientes manum excommunicationis aut interdictionis extendere. Sed tam vos quam monasterium cum villa quieti semper ac liberi ab omni episcopali exactione vel gravamine per omnipotentis Dei gratiam maneatis. Monachos vero, et presbyteros seu clericos, qui in vestris obedientiis commorantur, pro delictis suis a quibuslibet laicis capi, verberari, aut ad redemptionem cogi penitus prohibemus. Praeterea statuimus ut quascumque possessiones, quaecunque bona idem monasterium in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, et illibata permaneant. (Et bona confirmantur.) In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. (In quibus nonnulla propriis vocabulis exprimuntur.) Abbatias videlicet Sancti Ægidii de Ungaria et Sancti Eusebii de Provincia, ecclesias Sancti Ægidii de Accio, ecclesiam Sancti Ægidii de Duno, ecclesiam Sancti Ægidii de Supervia cum villa, ecclesiam Sancti Eusebii de Longobardia, ecclesiam Sancti Baudilii de Hispania, ecclesiam Sanctae Eulaliae de Barbasta, ecclesiam de Revinas cum sua villa, ecclesiam de Boccona cum villa, ecclesiam Sancti Andreae de Lurapello, ecclesiam Sancti Ægidii de Tolmone, ecclesiam Sancti Ægidii de Creissaco, ecclesiam Sancti Hyppoliti de Melseo cum villa, ecclesiam Sancti Lupi, ecclesiam Sanctae Mariae de Fraixeneto, ecclesiam Sancti Iohannis de Gardonenca cum villa, ecclesiam Sanctae Crucis de Molazano,

(1) Ex Baluz., lib. XI pag 172.

ecclesiam Sancti Martini de Cerbario, cum sua capella, Ecclesiam Sancti Stephani de Corconna, ecclesiam Sancti Amantii cum villa, ecclesiam Sancti Martini de Orianegues, ecclesiam Sancti Martini de Cinciano, ecclesiam Sancti Andreae de Beroiz cum capella sua, ecclesiam Sancti Saturnini de Seuza cum ipsa villa, villam de Bionz, ecclesiam Sanctae Ceciliae de Stagello cum ipsa villa, ecclesiam Sancti Felicis de Aspirano cum ipsa villa, ecclesiam Sanctae Columbae cum media villa, ecclesiam Sancti Andreae de Campo Mariniano, ecclesiam Sanctae Mariae de Saturanicis, ecclesiam Sancti Ægidii de Missiniaco, ecclesiam Sancti Stephani de Castlar cum cappella, ecclesiam Sancti Petri de Prevencheriis cum villa et ecclesiis suis, ecclesiam Sancti Andeoli de Robiaco cum capella et villa, ecclesiam Sancti Victorini, ecclesiam Sancti Andreae, ecclesiam Sancti Petri de Vannis cum ipsa villa, ecclesiam Sanctae Mariae de Monte Alto cum cappella et villa, ecclesiam Sancti Baudilii de Somerio cum capella, ecclesiam Sancti Servii ultra Rhodanum cum villa, ecclesiam Sancti Petri et Sancti Michaelis iuxta Castrum Rassilianis, ecclesiam Sancti Privati cum villa, ecclesiam Sancti Stephani de Menerba cum capellis et villa, ecclesiam Sancti Cristofori de Vaccheriis cum cappella et villa, ecclesiam Sancti Iohannis de Albenatis cum villa et parrocchiali ecclesia Sanctae Mariae, ecclesiam Sanctae Mariae de Redosc cum villa, ecclesiam Sanctae Columbae de Capingo, ecclesiam Sancti Ægidii de Padernis, ecclesiam Sancti Maximi de Medenis, ecclesiam Sancti Petri de Inter-Montes cum ipsa villa, ecclesiam Sancti Petri de Trincatallis, ecclesiam Sancti Iohannis de Meiano, ecclesiam Sancti Sebastiani de Montepesato, ecclesiam Sancti Petri de Launiaco, ecclesiam Sancti Salvatoris de Caisanigis, ecclesiam Sancti Eugenii de Orbesat cum capella, ecclesiam Sancti Genesii de Mediogozez, ecclesiam de Acione, ecclesiam de Malbose cum sua cappella, ecclesiam de Rocca, ecclesiam de Camponaz, ecclesiam de Lardario cum ecclesiis et omnibus earum pertinentiis, castrum de Monfort, castrum de Lennatio et quinque modiatas terrae, ac quatuor candelas quotidianas, quae quondam R. de Beriaco monasterio Sancti Ægidii testamento reliquit. Transactiones praeterea quae inter vos et Iohannem Nemausensem atque Raimundum Uzeticensem episcopos de Ecclesiarum quartonibus(1) factae sunt, et authentico scripto firmatae, vobis nihilominus confirmamus. Illud autem auctoritate apostolica prohibemus, ut nullus abbas vel monachus thesaurum, honores vel possessiones praefati monasterii seu cellarum ad ipsum pertinentium quae aut modo habentur, aut in futurum largiente Domino acquirentur, alienare, distrahere, impignorare, vel in feudum, censum, seu beneficium alicui militi dare praesumat, nisi forte pro redemptione captivorum, pro communi et graviori famis inopia, et pro emptione seu pro redemptione possessionum. Hoc ipsum autem, si contigerit, totius fiat communi deliberatione capituli; ut nihil dolo vel subreptione aliqua, sed praedictarum necessitatum instantia committatur. Abbas vero vel monachus qui hoc attentaverit, abbas siquidem abbatiae regimine careat, et excommunicationis sententia percellatur, monachus autem a monasterio penitus, et ab eius honoribus excludatur, et eiusdem excommunicationis sententia teneatur, nisi praesumptionem suam digna satisfactione correxerit. Prohibemus etiam ut infra villam Sancti Ægidii, et circa eandem villam usque ad unam leugam nulli hospitalariorum seu militum Templi, vel cuilibet alii personae absque abbatis et capituli consensu liceat religiosam domum, ecclesiam, oratorium, seu muni-

Ea vero ullo modo alienari prohibentur, sub certis poenis.

(1) *Quartonus* et *Quarto*, multiplici significatione, hic pro *quarta decimarum* vel *redditium Ecclesiae parte*.

tionem construere, cimiterium habere, divina officia populo celebrare cum villa ipsa cessaverit, signa pulsare, oblationes a populo in missarum celebratione suscipere, baptizare, et parochianos vestros ad officia divina suscipere. Obeunte vero eiusdem loci vestri abbate, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres ipsius monasterii communi assensu vel pars consilii sanioris secundum Deum et beati Benedicti regulam providerint eligendum. Electus autem ad Romanum Pontificem benedicendus accedat. Sane illam Tolosani comitis nobilis memoriae Raimundi abdicationem auctoritate Sedis Apostolicae confirmamus. Siquidem comes ipse honores omnes ad beatum Ægidium pertinentes tam in Valle Flaviana quam in extrinsecis, quicquid iuste vel iniuste videbatur tenere, omnes rectas sive pravas consuetudines quas ipsius antecessores aut ipse habuerant ob honorem Dei, et beati Ægidii reverentiam apud Nemausense concilium in manu praedecessoris nostri beatae memoriae Urbani Papae iurans, Odiloni abbati, et eius fratribus noscitur reliquisse, et se atque universos successores suos, si forte hoc donum irritum facere pertentarent, quod ad se erat, damnatione ac maledictione mulctavit, atque a praefato antecessore nostro excommunicationis inde sententiam in concilio dari fecit. Quia vero praefatus Adrianus Papa praedecessor noster, devotioni praefati comitis annuens, apostolica auctoritate constituit neminem successorum eius aliquid de iis quae a praedicto comite Raimundo praefato monasterio Sancti Ægidii relicta sunt ulla posse temporis longaevitate praescribere, ut maledictionem et damnationem evadat a praefato comite constitutam, quod ab eo provide factum est, auctoritate apostolica confirmamus. Ad haec adiicientes pro ampliori beati Ægidii veneratione statuimus ut infra terminos a nostris praedecessoribus constitutos nemo prorsus aut super ipsam Beati Ægidii villam depraedationem vel assultum facere, aut graviorem personae cuilibet inferre audeat laesionem.

Abbas a monachis eligendus

Comitis Tolosani refutatio

Ab Hadriano PP. confirmata approbatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare; sed illibata omnia et integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apostolicae auctoritate et dioecesanorum episcoporum in supradictis capellis canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi praesumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Decretum pro eiusdem monasterii indemnitate.

Datum Laterani per manum Iohannis Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi cardinalis, sanctae Romanae Ecclesiae cancellarii, secundo idus novembris, indictione duodecima, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo octavo, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno undecimo.

Dat. die 12 novembris 1208, pontif. anno XI.

LXII.

De subventione Terrae Sanctae cum indulgentiarum elargitione iis, qui ad eiusdem recuperationem opem aliquam impenderint (1).

SUMMARIUM

Proœmium. — Fideles hortatur ad subventionem Terrae Sanctae. — Antea vero simultates deponendas monet. — Auxilium praestantibus indulgentias impertitur. — Personas et bona crucem suscipientium sub B. Petri et Apostolicae Sedis protectione suscipit. — Commutandi opus iniunctae poenitentiae in eleemosynam facultatem concedit.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis Christifidelibus per Lombardiam et Marchiam constitutis.

Proœmium **Utinam Dominus** et nobis efficacem sermonem et vobis ac aliis perfectum largiretur auditum; ut quod de coelestis Regis obsequio suademus, saltem per parabolam inducamini regis temporalis implere, qui cum servorum suorum culpa regnum proprium amisisset, ad recuperationem ipsius auxilium saepe flagitavit eorum, quibus ei non solum illud impendere contumaciter recusantibus, quin immo manus suas convertentibus hostiliter in se ipsos, ipse demum propria recuperavit potentia regnum suum. Num igitur quis ex vobis tam misericors est vel demens, qui si vice regis huiusmodi fungeretur, accepto tempore iustitiam iudicandi servos tales, tamquam regios proditores et perfidos infideles, exilio vel incendio, suspendio, sive forsan alio duriori supplicio non puniret, ut malis male perditis, in eorum bona fideles alios subrogaret? Porro si sic rex faceret temporalis, qui solum in corpore potestatem haberet, quanto magis Dominus Iesus Christus Rex regum et Dominus dominantium, qui et corpus et animam nobis contulit, et utrumque potens est mittere in gehennam, de ingratitudinis vitio et velut infidelitatis crimine suos servos poterit condemnare, si ei de terra quam pretio sui sanguinis comparavit, ob culpam profecto non suam, sed ipsorum, eiecto, ad illam recuperandam neglexerint subvenire? Ecce ipse de sua haereditate pro nostris iniquitatibus pulsus exulat, ecce ad suam subventionem auxilium nostrum quasi exhaeredatus implorat, nec est qui vel foveat exulem vel adiuvet implorantem. Expansis in cruce brachiis iteratam quasi crucifigentium se nobis insinuat contumeliam, et pene penitus nullus est qui ad eius debita moveatur devotione vindictam. Transfigitur lancea latus eius, manus et pedes clavis crudelibus configuntur, et neminis fere pectus compassio crudelitatis tantae transverberat ut mortem sibi retributurus quam tribuit ille pro ipso, in adiutorium eius exurgat. Aggravata sunt etenim corda omnium, et eo iam fere spiritum emittente voce magna, qua clamat, nequeunt excitari. Oh quam omnes sine pietate sunt facti, et in crudeles universi mutati, quandoquidem puerpera Virgo de paupere praesepii diversorio cum Puero vagiente depellitur, et a nullo sibi debito humanitatis studio subvenitur; vae genti peccatrici, vae populo pleno peccatis! Vere animi duri es, et aerea tua frons, ac nervus ferreus cervix tua. Dominus qui te fecit, et non solum tibi tribuit id quod habes; sed etiam, et quod es, caeditur, et conspuitur, blasphematur et flagellatur; quin potius iam cunctis ludibriis et suppliciis, quae substinuit corporaliter, spiritualiter innovatis, non solum ad Crucem usque deducitur, immo ipsa sibi etiam Crux aufertur, in hoc rabie modernorum crucifixorum veterum tyrannidem excedente, quod cum illi nihil in cruce dimisissent eidem, isti nec Crucem; et tu tantam tui dissimulas ignominiam Creatoris? Heu servos ingratos; heu famulos indevotos, qui cum coeli ac terrae Dominus ad recuperandum proprium pa-

(1) Ex Baluz., lib. xi, Epist. 185.

trimonium, non suis, sed eorum culpis amissum, adiutorium implorat ipsorum, non solum illud impendere damnabiliter sibi renuunt, verum etiam in se ipsos hostiliter arma convertunt? Proh dolor! quis furor est, et quae licentia tanta ferri domesticorum cruorem per civilia bella condere, ac perfidas et perferas nationes de Christi sinere patrimonio triumphare? Numquid abbreviata et parvula facta est manus eius, ut non possit redimere, aut non est virtus ad liberandum in ipso? Nonne ipse, qui malefaceret in sua increpatione desertum, indueret coelos tenebris, et saccum poneret operimentum eorum, funiculum haereditatis suae in solo posset oris sui verbo salvare? Deus siquidem sempiternus Dominus, qui terminos terrae creavit, qui dat lapso virtutem, et iis qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat, non deficiet, nec etiam laborabit, quin Orientalem provinciam quando voluerit, et sicut voluerit de manibus eruat impiorum: sed in occupatione ac detentione ipsius peccata nostra sic forsitan punienda praevidit ut poena ipsa impoenitentibus maiorem verteretur in culpam, et poenitentibus proficeret ad coronam: ut unde contumacium aggravaret excessus, inde remitteret humiliantium se reatus. Sciens etenim quod diligentibus se omnia cooperantur in bonum, non ut scientiam sibi per experientiam compararet, cum universa noverit, et praeviderit ab aeterno, sed ut nos de virtute vel infirmitate nostra redderet certiores, et daret intelligi plenius, qui sunt eius. Salutiferae Crucis signum in quo ipse salus nostra pependit, et terram nativitatis suae, quam proprio sanguine consecravit, capi ab inimicis fidei christianae permisit, si quem forsan tangeret eius iniuria, si quem zelus divinae legis accenderet, et ad vindicandam Crucis iniuriam excitaret. Dormiebant etenim somnum suum omnes viri divitiarum dormiebant, et in suis voluntatibus ac voluptatibus dormitabant, cum factus est repetente de caelo sonus de inopinato Christi haereditatis excidio, non solum excitans dormientes. sed universos christianorum fines concutiens: ut quia nullus de Dei potentia dubitabat, id singuli suis criminibus imputarent, et sic saltem reverterentur ad Dominum, et de suis poeniterent excessibus, qui prius in cordibus suis dixerant: Non est Deus. Cum igitur Dominus in hoc forsan occasionem nobis voluerit praestare salutis, immo salvationis causam praebere, universitatem vestram monemus attentius et exhortamur in Domino ac in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatenus ante oculos cordis habentes exilium Crucifixi, qui potentes sunt praelium Domini praeliari, et Crucem et arma capessant, qui vero non sunt habiles ad pugnandum, in expensis suis secundum proprias facultates aliquos dirigant bellatores, nec sit qui se ab huiusmodi obsequio subventionis excuset quin aliquid saltem modicum vel unum nummum imperialem propter hoc devote ac libenter impendat, cum ad mercandum regnum coelorum interdum calix sufficiat aquae frigidae, ac pauper mulier in gazophylacium duo minuta mittendo laudetur plus caeteris obtulisse. Proinde, carissimi filii, dum communis instat necessitas, simultates domesticas deponatis, et operam quam essetis bellis aut guerris mutuis impensuri, in Terrae Sanctae vos iuvet auxilium exercere, quae pro peccatis nostris viris et viribus, operatoribus et opibus destituta in tanta necessitate consistit in quanta prorsus ab initio suae visitationis nequaquam noscitur extitisse. Ut autem de vestra iam quasi retributione securi laborem tam sanctum confidentius assumatis, de Dei omnipotentis misericordia et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus qui laborem huius itineris in propriis personis subierint et expensis, ple-

Fideles hortatur ad subventionem Terrae Sanctae.

Antea vero simultates deponendas monet

Auxilium praestantibus indulgentias impertitur.

nam peccatorum suorum, de quibus cordis et oris egerint poenitentiam, veniam indulgemus, et in retributione iustorum salutis aeternae pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis tantum expensis iuxta qualitatem et facultatem suam viros idoneos destinarint illuc per annum moraturos ad minus, et illis similiter qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis assumptae peregrinationis laborem impleverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes qui ad subventionem ipsius terrae de bonis suis congrue ministrabunt. Personas quoque ipsorum et bona ex quo crucem susceperint, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, necnon et sub archiepiscoporum et omnium praelatorum Ecclesiae Dei consistere defensione iubemus, statuentes ut donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant et quieta consistant. Quod si quisquam contra praesumpserit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatur. Si qui vero proficiscentium illuc ad praestandas usuras iuramento teneantur astricti, creditores eorum per Ecclesiarum praelatos, ut remittant eis praestitum iuramentum et ab usurarum exactione desistant, eadem praecipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum ad solutionem eos coegerit usurarum, ipsum ad restitutionem earum simili cogi animadversione mandamus. Concedimus etiam venerabilibus fratribus nostris Cremonensi et Yporiensi episcopis et dilecto filio abbati de Tilieto, quibus specialiter auctoritatem tradidimus inducendi vos ad opus huiusmodi pietatis, necnon aliis archiepiscopis et episcopis in quorum dioecesibus permanetis; ut circa eos qui de bonis suis Terrae Sanctae voluerint subvenire, de discretorum virorum consilio, qualitate personarum, et rerum quantitate pensatis, et considerato nihilominus devotionis affectu, opus iniunctae poenitentiae commutare possint in opus eleemosynae faciendae.

Datum Laterani, IV idus decembris, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno undecimo.

Dat. die 10 decembris 1208, pontif. anno XI.

LXIII.

Confirmatio bonorum Trecensis Ecclesiae, et decretorum Romanorum Pontificum pro eiusdem Ecclesiae capituli disciplina, et episcopi iurisdictione servanda.

SUMMARIUM

Exordium. — Ecclesiam Trecensem sub apostolica protectione suscipit. — Ecclesiae huius bona nonnulla enumerat. — Inter quae canonicales Ecclesias ad ius Trecensis Ecclesiae pertinentes, quarum nomina refert. — De numero canonicorum in Trecensi Ecclesia, et de successoribus eis dandis; — Qui sacris statim initiari debent. — De servitio eorumdem. — De decano; de eius installatione. — Parochias ad mensam episcopalem pertinentes ab ea alienari non posse declarat. — Decretum immunitatis pro supradictis omnibus. — Quod solitis clausulis roboratur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Herveo episcopo Trecensi, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Cum honestas tua, frater episcope, ac devotio mereantur, ut apud nos in tuis debeas petitionibus exaudiri, tanto tibi libentius in iis, quae secundum Deum duxeris requirenda, deferimus, quanto gratiam Apostolicae Sedis comparasse tibi nosceris pleniorem. Ea propter, venerabilis in Christo frater episcope, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, et ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papae praedecessoris nostri Trecensem Ecclesiam, cui auctore Deo praeesse dinosceris, sub beati Petri, et

Exordium.

Ecclesiam Trecensem sub apostolica protectione suscipit.

nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quaecunque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, et illibata permaneant; in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: ecclesiam de Sancto Leone, et ipsam villam cum appendiciis earum, ecclesiam de Aquis, et villam cum appendiciis et pertinentiis suis. Decimam de Barbereio, decimam cappellae Sancti Lucae tam in annona quam in vino, ecclesiam de Calixto, ecclesiam de Villagruis, ecclesiam de Nigella, ecclesiam de Monte Porterii, ecclesiam de Monte Gevoldi, ecclesiam de Larbusia, ecclesiam de Pontibus, ecclesiam de Nogento, ecclesiam Sancti Petri et S. Martini de Bocenaio, ecclesiam de Avenz, ecclesiam de Mariniaco, ecclesiam de Castris, ecclesiam Sancti Saviniani, ecclesiam de Saveriis, ecclesiam Sanctae Maurae, ecclesiam de Corlavelleio, ecclesiam de Verreriis, ecclesiam de Lusineio, ecclesiam de Bulliaco, ecclesiam de Villa Mauri, ecclesiam Sancti Medardi, ecclesiam de Bretteniaco, ecclesiam de Fols, ecclesiam de Barbona, ecclesiam de Esterniaco, ecclesiam de Campo Guidonis, ecclesiam de Busseiaco, ecclesiam de Curia Givoldi, ecclesiam de Tombis, ecclesiam de Sancto Iusto, ecclesiam de Sancto Ferreolo, ecclesiam de Arceiis, ecclesiam Troci de Sancto Basolo, ecclesiam Sancti Ulfi, ecclesiam de Salona, ecclesiam de Calderiaco, ecclesiam de Allebanderiis, ecclesiam de Viaspero, cum cappella Bonaevicinae, ecclesiam de Grandivilla, ecclesiam de Herbita, ecclesiam de Villeriis, ecclesiam de Semonia cum capella Campi Grillanis, ecclesiam de Ulmis, ecclesiam de Estraellis, ecclesiam de Bolegiis, ecclesiam de Summovere, ecclesiam de Septem Fontibus, ecclesiam de Puellari monasterio, ecclesiam de Poenz, ecclesiam de Nucerio, ecclesiam de Dienvilla, ecclesiam de Crespeio, ecclesiam de Subienis, ecclesiam de Pigneio, ecclesiam de Hispania, ecclesiam de Loves, ecclesiam de Sumpsefio, ecclesiam de Sancta Susanna, ecclesiam de Pipere, ecclesiam de Guasconia, ecclesiam de Marcilliaco, ecclesiam de Summofonte; praeterea canonicales ecclesias ad ius Trecensis Ecclesiae pertinentes, scilicet ecclesiam Sancti Nicolai de Sezanna, ecclesiam Sancti Remigii de Pleiotro, ecclesiam Sancti Blicherii de Breccis, ecclesiam Sancti Flaviti de Villamauri, ecclesiam Sancti Nicolai de Pugeio, ecclesiam Sancti Laurentii de Planceio, ecclesiam quoque Sancti Stephani prope civitatem Trecensem, cuius curam decani eiusdem loci de manibus tuis debent suscipere, cum omni obedientia et subiectione quam tibi tuisque successoribus iidem decani cum hominii tenentur exhibitione persolvere, auctoritate apostolica confirmamus. Ad instar praeterea bonae memoriae Eugenii Papae praedecessoris nostri abbatiam Sancti Lupi, abbatiam Sancti Petri de Cella, abbatiam Sancti Martini, abbatiam Sancti Petri Arremarensis, abbatiam Sancti Petri de Nigella, abbatiam quae vulgo dicitur Oia, abbatiam Sancti Sereni de Cantumerula, abbatiam Sanctae Mariae de Arripatorio, abbatiam Sanctae Mariae de Bullencurt, abbatiam S. Mariae de Recluso, abbatiam de Belloloco, abbatiam de Cappella, abbatiam de Bassofonte, abbatiam S. Mariae, quae sita est in Suburbio Trecassino, abbatiam quae vocatur Paraclitus. Decimam de Molceio, decimam de Marineio, decimam de Iardourio, decimam de Summofonte, decimam de Avant, decimam de Villa Arduini, decimam de S. Leone, decimam de Martileio, decimam de Bretenaio, decimam de S. Victore, decimam de Claellis, decimam de Novovico, decimam de Fontebetun, et decimam de

Ecclesiae huius bona nonnulla enumerat.

Busseriis tibi, et Ecclesiae tuae auctoritate apostolica confirmamus. Ad haec, cum prudentum et religiosorum virorum consilio bonae memoriae Matthaeus praedecessor tuus statuisse dicatur, ut in Trecensi Ecclesia septem canonicorum ad minus presbyteri, et septem diacones praeter archidiaconos, sint assidui, quibus decedentibus nulli debeant subrogari nisi presbyteri vel diacones aut etiam alii in talibus ordinibus constituti, quod propinquioribus quatuor temporibus quae occurrunt ad illos ordines assumantur, promissione ac professione nihilominus praestita de assiduitate in praedicta Ecclesia facienda, idem Alexander praedecessor noster eiusdem episcopi petitionibus benigne, prout decuit, annuendo, constitutionem ipsam ratam habens et firmam, eandem perpetuis temporibus illibatam manere decrevit, adiiciens quod si eis inferiorum ordinum clerici fuerint substituti et commoniti primis quatuor temporibus, illos ordines non reciperent, liceret dicto episcopo et successoribus suis illis loca sua et fructus interdicere praebendarum, et si nec sic in subsequentibus quatuor temporibus illos recipere procurarent, eis prorsus amotis, alios subrogandi liberam haberet auctoritate apostolica facultatem. Praeterea de ipsius episcopi conscientia et voluntate idem praedecessor noster instituit, ut si qui canonici Trecensis Ecclesiae in eiusdem episcopi vel successorum suorum aut etiam in eiusdem Ecclesiae servitio forsan existerent, vel cum licentia iam dicti episcopi et capituli vacarent scholasticis disciplinis, aut essent infirmitate detenti, suarum nihilominus integros fructus reciperent praebendarum; alii vero canonici, qui Ecclesiae assidue non servirent, viginti tantummodo solidos perciperent annuatim. Insuper idem Alexander praedecessor noster adiecit, ut tam a praefato episcopo quam a successoribus suis in praedicta Ecclesia, cum decano careret, in decanum presbyter canonicus statuatur, aut etiam diaconus, qui primis quatuor temporibus quae occurrerint in presbyterum ordinetur, et si commonitus in eisdem quatuor temporibus ordinem presbyteri suscipere forte neglexerit, fas praefato episcopo et suis successoribus esset illi auctoritatem et potestatem ipsius officii, et sedem in choro et capitulo interdicere, ac si nec sic in subsequentibus quatuor temporibus ordinem presbyteratus susciperet, eo amoto, libere alium subrogaret. Nos igitur eiusdem praedecessoris nostri vestigiis inhaerentes, quae ab ipso super praemissis articulis approbata vel statuta sunt approbando, eadem auctoritate apostolica confirmamus. Ad haec, ad instar eiusdem Alexandri praedecessoris nostri, sancimus, ut nec tibi, neque tuis successoribus liceat praescriptas parrochiales ecclesias ad mensam episcopi specialiter pertinentes a mensa vestra sine auctoritate Romani Pontificis aliquatenus alienare.

De numero canonicorum in Trecensi Ecclesia. — *Qui sacris statim initiari debent* — *De servitio eorumdem.* — *De decano, eiusque installatione.* — *Parochias ad mensam episcopalem pertinentes ab ea alienari non posse declarat.*

Clausulae

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, nisi praesumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud

districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Datum Laterani per manum Iohannis Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi cardinalis, sanctae Romanae Ecclesiae cancellarii, decimo quinto kalendas februarii, indictione duodecima, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo octavo, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno undecimo.

Dat. die 18 ianuarii 1209, pontif. anno XI.

LXIV.

Christifideles studet inducere, et hortatur ad expugnationem haereticorum provincialium (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Fideles ad mutuam concordiam adhortatur — Et ad strenue certandum.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis fidelibus in obsequium Christi contra provinciales haereticos certaturis.

Procemium. Benedicti vos in Domino, qui fecit coelum et terram, quoniam cum committeret draco bellum, et Ecclesiam sanctam Dei machinarum suarum molimine conquassaret, apprehendistis arma et scutum, et in eius adiutorium surrexistis. Quia igitur omnis, qui in agone contendit, abstinet se ab omnibus, ut unum certaminis sui cursum eo melius quo liberius valeat consummare, universitatem vestram rogamus attentius, et monemus per apostolica scripta in remissionem vobis peccaminum, iniungentes, quatenus tam arduum et tam sanctum Dei obsequium aggressuri, postpositis omnibus, quae hunc vestrum sanctum agonem impedire valerent, ante omnia, et in omnibus caveatis, ut illam servetis, et unitatis concordiam et concordiae unitatem, quod per astutiam Satanae, qui operibus pacis invidet, nulla discordia inter ipsos, nulla possit aemulatio suboriri, ita strenue, ita caute in hoc negotio cum vestro subsidio et consilio processuri, quod illud possint feliciter et saluDriter consummare; ne, si secus accideret, quod divinitus avertatur, in quo proficere poterat, Ecclesiae causa deficeret, et haeretica pestis unde potuerat aboleri deterius inoleret. Eia igitur, potentissimi Christi milites, eia strenuissimi militiae christianae tyrones. Opponite vos antichristi præambulis, et pugnate cum serpentis antiqui ministris. Pugnastis fortassis hactenus pro gloria transitoria, pugnate iam pro gloria sempiterna. Pugnastis pro corpore, pugnate pro anima. Pugnastis pro mundo, pugnate pro Deo. Non enim pro praemio qualicumque ad tantum Dei servitium vos hortamur, sed pro regno coelesti, quod vobis ob hoc confidentissime pollicemur.

(Marginal notes: Fideles ad mutuam concordiam adhortatur, — Et ad strenue certandum.)

Datum Laterani tertio nonas februarii, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno undecimo.

Dat. die 3 februarii 1209, pontif. anno XI.

(1) Ex Baluz., Epist. 230.

LXV.

Privilegium pro Ecclesia Atheniensi (1).

SUMMARIUM

Athenarum laus. — Hanc Ecclesiam sub protectione recipit S. A. — Eique bona omnia confirmat: — Quorum nonnulla propriis nominibus enumerat, — Cum episcopalibus eidem Ecclesiae metropolitico iure subiectis. — Pallium concedit archiepiscopo. — Monachos in ea dioecesi capellanias tenere denegat: — Aliaque statuta sancit ad eiusdem Ecclesiae indemnitatem: — Eiusque libertates confirmat: — Quae omnia immunitatis solito decreto munit, — Sub anathematis poena pro violatoribus, — Benedictione concessa observantibus.

(1) Ex Baluz., Epist. 130.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Berardo Atheniensi archiepiscopo, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Athenarum laus.

Antiquam Atheniensis gloriam civitatis innovatio gratiae non patitur antiquari, quae quasi modernae religionis figura in prima eius fundatione praeluserit, cultum quem tribus distincta partibus tribus falsis numinibus impendebat, sub tribus demum personis erga veram et individuam Trinitatem convertit, studioque mundanae scientiae in divinae sapientiae desiderium immutato, arcem famosissimae Palladis in sedem humiliavit gloriosissimae Genitricis veri Dei nunc assecuta notitiam, quae dudum ignoto extruxerat Deo aram. Civitas quidem ipsa praeclari nominis, ac perfecti decoris philosophicam prius artem erudiens, et in apostolica fide postmodum erudita, dum et poetas litteris imbuit, et prophetas demum ex litteris intellexit, dicta est mater artium, et vocata civitas litterarum. Hanc autem, si velimus interpretans in interpretatum convertere, Cariathsepher possumus appellare, quam quia Othoniel imperio Culep subdidit, filia eius Axa data in coniugem illi fuit. Subdita ergo Deo, venerabilis in Christo frater archiepiscope, hac egregia civitate, ut ipsam in eius subiectione conserves, sponsam in ea tibi spirituali coniugio copulasti, quam instar Axae veluti a te monitam intelleximus suspirando deposcere, ut arentia sua apostolicae benedictionis irriguis perfundere dignaremur.

Hanc Ecclesiam sub protectione recipit S. A.

Nos igitur non incongruum reputantes minus illuc apostolici patrocinii litteratorie destinare, unde copiam scientiae litteralis in orbem pene totum novimus effluxisse, iustis postulationibus clementer annuimus, et Atheniensem Ecclesiam, cui favente Deo præesse dinosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, ac praesentis scripti privilegio communimus; statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, et illibata permaneant.

Eique bona omnia confirmat:

Quorum nonnulla propriis nominibus enumerat,

In quibus haec propriis duximus vocabulis exprimenda. Casalia Procovenico, Vertipos, Triclini, Platan, Felin, Curiomonaster, Cassas, Menidi, Ducheleos, Calixtes, Perseconar, Catraperseta, Clazazundas, Chandebride, Alianastasis, Pothamo, Pirgo, Hu, Marcton, Oargite, Largedo, Lalaconite, Vatia, Literne, Mortar. Episcopatus quoque inferius annotatos Ecclesiae tuae ab antiquis temporibus metropolitico iure subiectos tibi, tuisque successoribus nihilominus confirmamus, videlicet episcopatum Agripontis, Cermopilensem, Davaliensem, Abelonensem, Zorconensem, Caristiensem, Coroniacensem, Andrensem, Megarensem, Squirensem et Cheensem. In Caristiensi episcopatu duo casalia, Lesboveries, Lepesin, Leperistere, Lamorogna, Locarimera, Lomoni, Lochiehemi, Lopolistile, Cundegrat, Lapisto, vineas Conizari, Muscarel, Catachephalar, Agiafronesis. Quadringentas palicas, et ducentos papates commorantes Athenis, et centum palicas in Thebis, et centum in Nigroponte. Molendina, ecclesias, hortos et balnea, et macella de Nigroponte, et Athenarum, et flumina unde rigantur horti, abbatias Sancti Siriani, Sancti Michaelis, Sancti Ioannis, et Sancti Nicolai, monasteria Beati Nicolai de Catapersica, Beati Nicolai de Columnis, et Sanctae Mariae de Blakernis, monasteria Cinoloitarum, Sancti Prothasii, Sanctae Trinitatis, Sancti Georgii, Sancti Dionysii Areopagitae, Sancti Theodori, Sanctorum Cosmae et Damiani, Beati Nicolai de Ducheleo, Beati Nicolai de Menide, Beati Philippi, Sancti Lucae, Sancti Georgii de Insula, monasterium de Copreæ, et Sancti Blasii. Usum quoque pallei ad

Pallium concredit archiepiscopo.

pontificalis officii plenitudinem tuae fraternitati Apostolicae Sedis liberalitate concedimus, quo utique infra tuam Ecclesiam ad missarum solemnia uti memineris eis diebus quibus praedecessores tuos usos fuisse cognoscis, videlicet in Nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania, Hypapanti, Dominica in Ramis Palmarum, Coena Domini, Sabbato Sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus festivitatibus Sanctae Mariae, Natale beati Ioannis Baptistae, solemnitate omnium Apostolorum, commemoratione Omnium Sanctorum, dedicationibus ecclesiarum, Ecclesiae tuae principalibus festivitatibus, consecrationibus episcoporum, ordinationibus clericorum, et anniversario tuae consecrationis die. Cimiteria insuper Ecclesiarum tuae dioecesis, et ecclesiastica beneficia nullus haereditario iure possideat. Quod si quis hoc facere contenderit, censura canonica compescatur. Porro quia quidam monachorum ius suum episcopis auferre contendunt, auctoritate apostolica prohibemus ne monachi in dioecesi Atheniensi cappellanias teneant sacerdotis, seu cappellani beneficium, aut officium sine auctoritate pontificali usurpent, sed presbyteris cappellanis integre conserventur quaecumque ad ius cappellaniae pertinere noscuntur. Statuimus praeterea, ut nullus cuiusquam ordinis clericus Ecclesias in vita sua tantum sibi commissas ad ius archiepiscopi pertinentes sine conscientia, vel consensu tuo, vel successorum tuorum faciat censuales, aut in cuiusquam transferat potestatem, et si factum fuerit, irritum habeatur. Sed nec monachi, aut canonici, seu quilibet alii clerici in Ecclesiis ad tuam dioecesim pertinentibus sine auctoritate tua instituere vel removere audeat cappellanos nisi forte Pontificum Romanorum privilegio, vel antiqua et rationabili consuetudine muniantur. Praeterea quod a te communi assensu capituli tui, vel maioris partis sanioris consilii in tua dioecesi canonice fuerit institutum, ratum et firmum volumus permanere. Prohibemus autem ne presbyteri, vel alii cappellani Ecclesiarum ad Ecclesiae tuae ius pertinentium possessiones earum absque consensu tuo, salvis tamen canonicis institutionibus, distrahere, vendere, vel obligare, seu alio quolibet modo alienare praesumant. Quod si factum fuerit, irritum habeatur. Apostolica insuper auctoritate vetamus ne interdictos vel excommunicatos tuos ad officium vel communionem ecclesiasticam sine conscientia et consensu tuo quisquam admittat, aut contra sententiam tuam canonice promulgatam aliquis venire praesumat, nisi forte periculum mortis immineat, ut dum praesentiam tuam habere nequiverint, per alium secundum formam Ecclesiae satisfactione praemissa oporteat ligatum absolvi. Ad haec, omnes libertates et immunitates, dignitates quoque, ac rationabiles et approbatas consuetudines Ecclesiae tuae, necnon et exemptiones saecularium exactionum a regibus, seu principibus aut aliis fidelibus rationabiliter tibi et Ecclesiae tuae ac clericis eius indultas auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Monachos in ea dioecesi capellanias tenere denegat:

Aliaque statuta sancit ad eiusdem Ecclesiae indemnitatem:

Eiusque libertates confirmat:

Clausulae

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat Atheniensem Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salvis semper in omnibus Apostolicae Sedis auctoritate, reverentia et mandato. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque

se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Datum Laterani per manum Ioannis Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi cardinalis, sanctae Romanae Ecclesiae cancellarii, idibus februarii, indictione undecima, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo octavo, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno undecimo.

Dat. die 13 februarii 1209, pontif. anno XI.

LXVI.

Ricardo comiti Sorano castrum Vallis Montonis confirmat, eaque omnia, quae ei locarant canonici basilicae Lateranensis (1).

SUMMARIUM

Castrum Vallis Mont. aere alieno gravatum. — Illud Ricardus emit sua, et Pontificis pecunia. — Praestito fidelitatis iuramento, — Statuit ut locatione finita, alia favore successorum comitis locatio fiat. — Tenor instrumenti locationis. — Comes Ricardus de Sora fidelitatem iuravit PP. Innocentio suisque successoribus, testibus adstantibus. — Quem Pontifex investivit per cupam argenteam praesentibus supradictis.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, nobili viro Ricardo germano nostro, Sorano comiti.

Castrum Vallis Mont. aere alieno gravatum.

Cum castrum Vallis Montonis pro multa et magna pecuniae quantitate sub gravibus esset pignoratum usuris, itaut de alienatione ipsius multiformiter ageretur, nos praecavere volentes, ne ad illos forsitan perveniret, per quos tam Apostolica Sedes quam Lateranensis Ecclesia, necnon et tota vicinia grande ac grave incurreret detrimentum, cogitavimus emere idem castrum. Sed cognoscentes, quod Lateranensi Ecclesiae dispendium generaretur, si castrum ipsum immediate ad Sedem Apostolicam perveniret, sicut etiam prior et canonici eiusdem Ecclesiae a nobis consulti sunt multotiens protestati, nos habita deliberatione prudenti, ex omni parte providere volentes, castrum ipsum de illorum fecimus emi consensu, partim de bonis tuis, et partim de nostris, ad opus utique tuum, sub nomine nostro, ne venditionem ipsam forte contingeret ab aemulis impediri, qui de tuis successibus typo invidiae contabescunt. Quia vero per Dei gratiam omnia fuerunt sine turbatione completa, nos castrum ipsum cum omnibus pertinentiis suis, salvo iure Lateranensis Ecclesiae, tibi ad opus et utilitatem tuam et haeredum tuorum concessimus, assignavimus et tradidimus, tali quidem tenore, ut pro pecunia, quam nos ad emptionem ipsius castri contulimus, tu et haeredes tui de castro ipso, interposito iuramento, pacem et guerram ad mandatum Romani Pontificis contra quoslibet homines faciatis. Tu vero in praesentia nostra et fratrum nostrorum super hoc iuramentum corporaliter praestitisti. Et ut devotionem quam ad Romanam habes Ecclesiam plenius demonstrares, de aliis quoque terris, quae ad te proprietario iure pertinent, exhibuisti simile iuramentum, sicut per publicum instrumentum apparet, quod Ioannes de Sancto Laurentio sacrosanctae Romanae Ecclesiae scriniarius, de nostro ac fratrum nostrorum mandato conscripsit. Quia vero tu, qui germanus noster existis, apud Lateranensem Ecclesiam, cui nos multa et magna bona contulimus, inferioris conditionis esse non debes, quam illi fuerunt, quibus diversis temporibus de

Illud Ricardus emit sua, et Pontificis pecunia.

Praestito fidelitatis iuramento.

(1) Ex Baluz., lib. XII, Epist. 5.

Statuit ut locatione finita, alia favore successorum comitis locatio fiat.

mandato et assensu praedecessorum nostrorum eadem Lateranensis Ecclesia castrum ipsum sub certa forma locavit, iussimus et statuimus, ut cum finita fuerit illa locatio, secundum eandem formam tibi et haeredibus tuis Lateranensis Ecclesia relocet castrum ipsum, nisi forsan in aliam formam super ipsa locatione concordare possitis. Ne igitur in tuum et haeredum tuorum dispendium valeat redundare quod non solum ad vestrum commodum, verum etiam tam Apostolicae Sedis, quam Lateranensis Ecclesiae, ac totius viciniae noscitur procuratum, nos, et ea, quae praescripta sunt, auctoritate apostolica confirmamus, et praesenti statuto decernimus, ut contra ea nullo unquam tempore quisquam venire praesumat, itaut sit irritum et inane quicquid de ipso castro contra praescriptam formam foret a quolibet attentatum. Si ergo prior et canonici Lateranensis Ecclesiae, contra statutum apostolicum venientes, locatione finita nollent praefatum castrum tibi, vel tuis haeredibus relocare, vos nihilominus illud ex hac concessione apostolica teneatis, ne pretium multum quidem et magnum, quod propter utilitatem communem pro emptione ipsius castri partim a nobis, et partim a te datum est, amittatur. Ita tamen, ut parati sitis locationem recipere secundum praecedentium locationum tenorem, et faciatis illi persolvi annuam pensionem. Praelibati vero instrumenti tenorem ad maiorem cautelam huic paginae fecimus annotari. Quod quidem est tale.

Tenor instrumenti locationis.

In nomine Domini, anno incarnationis dominicae millesimo ducentesimo octavo, pontificatus vero domini Innocentii tertii Papae anno undecimo, indictione undecima, mense octobris, die sexta. Aacta publica si litterarum memoriae tradita fuerint, nube oblivionis remota, perpetua inspectione clarescunt. Quapropter ego Ioannes de Sancto Laurentio sanctae Romanae Ecclesiae scriniarius, mandato et praecepto domini Innocentii tertii Papae iuramentum praestitum eidem domino Papae, successoribusque suis, et Ecclesiae Romanae, in palatio episcopi Ferentini a comite Ricardo, sicut vidi, audivi et interfui, publicis litteris scribere curavi. Comes Ricardus de Sora iuravit fidelitatem, et fecit ligium homagium domino Papae Innocentio successoribusque suis et Ecclesiae Romanae in praesentia dominorum Ioannis Albanensis, Ioannis Sabinensis, Nicolai Tusculanensis, Hugolini Hostiensis episcoporum, Cynthii tituli Sancti Laurentii in Lucina, Cynthii tituli Sanctorum Ioannis et Pauli, Benedicti tituli Sanctae Susannae, Rogerii tituli Sanctae Anastasiae, Petri tituli Sanctae Pudentianae presbyterorum cardinalium, et Ioannis Sanctae Mariae in Cosmedin sanctae Romanae Ecclesiae cancellarii, Ioannis Sanctae Mariae in Via Lata, Pelagii Sanctae Luciae in Septem Soliis diaconorum cardinalium, Rainaldi domini Papae acolythi, et laicorum subscriptorum. Pro Polo, et alia terra, quae olim fuit Oddonis de Polo, quam ipse tenet, eo salvo quod si aliqua persona pro dicta terra praefato comiti movere voluerit quaestionem, ipse comes teneatur ei in curia Ecclesiae Romanae iustitiae plenitudinem exhibere; caeterum de castro Vallis Montonis, de Sacco, de Plumbinaria, iuravit facere guerram et pacem contra omnes homines ad mandatum eorum, et ad hoc haeredes et successores suos in perpetuum obligavit. De comitatu vero Sorano iuravit similiter facere guerram et pacem ad mandatum ipsorum. Salva fidelitate, et salvo mandato regis Siciliae. Et idem dominus Papa investivit dictum comitem per cupam argenteam deauratam, praesentibus et consentientibus et approbantibus omnibus praescriptis episcopis, presbyteris, diaconibus cardinalibus, et iniungentibus mihi scrinario, ut huiusmodi iuramentum publicis litteris exa-

rarem. Hi interfuerunt in palatio Ferentini coram domino Papa, episcopis, presbyteris, diaconibus: dominus Lotherius, dominus Stephanus, Theobaldi, dominus Romanus de Boroncho, nobiles cives Romani; dominus Lando de Colle de Medio, dominus Guido de Colle de Medio, Benedictus de Aversa, et alii. Et ego Ioannes de Sancto Laurentio, S. R. E. scriniarius, sicut vidi, audivi et interfui, scripsi, complevi et absolvi.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, constitutionis, concessionis, et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.*

Datum Laterani sexto kalendas martii, pontificatus vero domini Innocentii PP. tertii anno duodecimo.

Dat. die 24 februarii 1209, pontif. anno XII.

LXVII.

Capitulo Strigoniensi confirmat donationem quamdam ei factam ab Andrea rege Hungariae (1).

SUMMARIUM

Concessionem d. confirmat. — Instrumentum concessionis.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, archiepiscopo et capitulo Strigoniensi.

Concessionem d. confirmat.

In authentico scripto charissimi in Christo filii nostri Andreæ illustris regis Ungariae nobis ostenso perspeximus contineri, quod ipse miserationum Domini recordatus, quibus post tribulationes multas et malas recognoscebat se in patrum suorum solio residere, in suae coronationis memoriam, quam per manum tuam, frater archiepiscope, de sursum se recepisse fatetur, Ecclesiae vestrae Beati Adalberti martyris religiosa devotione concessit, ut annuatim in festo ipsius martyris canonicis servientibus in eadem centum argenti marcae, contradictione sublata, de regali aerario persolvantur. Nos igitur vestris precibus inclinati, concessionem ipsam, sicut pie ac provide facta est, et in praelibato authentico continetur, quod de verbo ad verbum praesenti paginae duximus inserendum, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus; cuius tenor talis est:

Instrumentum concessionis.

In nomine Sanctae Trinitatis et Individuae Unitatis, Andreas Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Choroaciae, Ramae, Serviae, Galiciae, Lodomiriaeque rex, in perpetuum. Cum ex regiae dignitatis officio quibuslibet Deo dicatis domibus teneamur manum pietatis clementer porrigere, et earum utilitati modis omnibus intendere, cupientes tamen aliquid in gazophylacium cum paupercula mittere, Veteris instar Testamenti, quo mellis, inter caetera, primitiae poni videbantur in sacrificio, benigniores regiae serenitatis oculos illis accommodavimus quas a primis credulitatis nostrae cunabulis, et ampliori dignitate praeminere, et ardentiori orationum affectione pro salute nostra cognovimus assurgere. Sane miserationum Domini, quibus post tribulationes multas et malas in solio patrum nostrorum sedimus, recordantes, Ecclesiae Beati Adalberti martyris, quam matrem regni esse et metropolim, quamque patribus et praedecessoribus nostris cum insignibus Fidei sacramenta regalibus administrasse constat, in nostrae coronationis memoriam, quam de sursum capiti nostro per manum venerabilis patris Ioannis archiepiscopi Strigoniensis Deus imponere est dignatus, has donorum nostrorum primitias, licet exiguum munus, attribuimus, ut annuatim in supradicti martyris Christi festivitate canonicis Deo illic deservientibus centum marcae argenti, contradictione confusa, de regali offerantur aerario. Quod ut ratum et stabile perseveret in posterum, praesen-

(1) Ex Baluz., loc. cit., Epist. 32.

tem paginam in argumentum nostri muneris annotatam sigilli nostri roboravimus impressione. Datum per manus Gothfridi Orodiensis praepositi, aulae regiae cancellarii, an. dominicae incarnationis MCCVI. Venerabili Ioanne Strigoniensi archiepiscopo existente, Calano Quinquecclesiensi, Boleslao Vaciensi, Petro Geuriensi episcopis, Mochone Palatino, et comite Bichoriensi, Chepano filio Muiabono, Benedicto Vayavodo, Chepano comite Baciensi, Smaragdo Zonukiensi, et comite Curiae, Gula comite Budrugiensi, Marcello Supruniensi, Tiburcio Albensi, Poth Musuniensi comite.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Laterani duodecimo kalend. maii, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno duodecimo.

Dat. die 19 aprilis 1209, pontif. anno XII.

LXVIII.

Strigoniensibus archiepiscopis confirmatur ius coronandi reges Hungariae (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Quomodo ius coronandi Hungariae reges derivatum sit ad Strigonienses archiepiscopos. — Confirmatur. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Iohanni Strigoniensi archiepiscopo, et successoribus eius canonice substituendis, in perpetuum.

Procemium. Iustis petentium precibus dignum est facilem nos praebere assensum, et vota quae a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Cum ergo, venerabilis in Christo frater, postulasses a nobis, ut ius coronandi Hungaricos reges, quod ad te ac successores tuos as-

Quomodo ius coronandi Hungariae reges derivatum sit ad Strigonienses archiepiscopos

seris pertinere, tibi et illis apostolico dignaremur privilegio confirmare, nos inspecto regesto felicis recordationis Alexandri Papae praedecessoris nostri, in eo perspeximus contineri, quod cum principes et barones Hungarici regni ab eodem praedecessore nostro cum multa precum instantia postularint, ut si bonae memoriae Laurentius praedecessor tuus iuxta mandatum ipsius inclitae recordationis Belam tunc in regem Hungarorum electum contradiceret coronare, ipsi per alium imponi regni faceret diadema, ne regno et Ecclesiae Hungaricae gravia possent pericula provenire si dictus Bela celeriter unctionem non reciperet, et coronam, idem praedecessor noster praefato praedecessori tuo per apostolica scripta mandavit, et in obedientiae virtute praecepit, ut supradictum electum in regem, omni dilatione, contradictione et appellatione postpositis, coronaret, aut si per seipsum eum forte pro debilitate corporis coronare non posset, bonae memoriae Colocensi archiepiscopo intimaret, ut eum absque praeiudicio honoris et dignitatis ipsius ac Strigoniensis Ecclesiae, congregatis episcopis regni in loco ubi reges coronari consueverunt, in regem inungeret, et ei coronam imponere non differret, recepto prius ab eodem electo in regem scripto, de consilio et assensu ipsorum et principum regni aperte suo sigillo bullato, quod ex hoc nullum sibi, vel Strigoniensi Ecclesiae praeiudicium fieret, quo minus Hungarici reges ab archiepiscopis eiusdem Ecclesiae semper debeant coronari, praefato Colocensi dans nihilominus in praeceptis, ut si praedictus praedecessor tuus coronare nollet eundem, nec in hac parte ipsi committere vices suas, idem auctoritate apostolica fretus, contradictione ac appellatione postpositis, absque praeiudicio illius et Strigoniensis Ecclesiae non postponeret coronare, ita quidem quod idem electus in regem ante coronationem suam Ecclesiae saepefatae

(1) Ex Baluz., lib. XII, Epist. 42.

scriptum faceret supradictum, quod idem ipsi fecit postmodum in haec verba: Ego Bela Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramaeque rex, divina disponente clementia suscipio, coronam de manu Golocensis archiepiscopi, sed non in praeiudicum Strigoniensis Ecclesiae, quo minus Hungarici reges ab eiusdem Ecclesiae archiepiscopis semper debeant in posterum coronari. Felicis quoque recordationis Clemens et Coelestinus ad instar praefati praedecessoris nostri dignitatem coronationis regum Hungarorum, decessoribus tuis et Ecclesiae tibi commissae, auctoritate apo-

Confirmatur. stolica confirmarunt. Nos igitur eorundem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, praefatum ius, ut videlicet Hungarici reges ab archiepiscopis Strigoniensibus semper debeant coronari, tibi et successoribus tuis auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus. Salva semper Apostolicae Sedis auctoritate, a qua Hungarici regni corona processit.

Clausulae. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Cunctis autem vobis ius idem servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant.

Datum Laterani per manum Iohannis Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi cardinalis sanctae Romanae Ecclesiae cancellarii, indictione duodecima, idibus maii, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo nono, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii an. duodecimo.

Dat. die 15 maii 1209, pontif. anno XII.

LXIX.

Concessio privilegiorum Ordini fratrum Sanctiss. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Fratres huius Ordinis sub protectione recipit S. A. — Eisque bona omnia confirmat. — 2. Potestatem facit monasteria aedificandi. — 3. A decimis eximit; — 4. Fratresque ab eis recipi posse concedit. — 5. Professos ab Ordine discedere vetat. — 6. Sacramenta eis per ordinarium vult administrari. — 7. Privilegia nonnulla concedit. — 9. Ordinis ministrum a fratribus eligi vult. — 11. Immunitatis decretum pro supradictis omnibus. — 12. Sub poena excommunicationis pro iis qui hoc privilegium violare attentaverint; — 13. Benedictionem concedens illud observantibus.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Iohanni ministro, et fratribus ordinis Sanctae Trinitatis, tam praesentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Operante Patre luminum (a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, etiam diebus nostris, in quibus peccatis exigentibus, abundat iniquitas, et multorum charitas refrigescit), nonnulli faciente cum eis Domino signum in bonum (unde inter alia beneficia, quae nobis misericorditer impertitur, ad gratiarum actiones propensius invitamur), posteriorum obliti, ad anteriora cum Apostolo se extendunt. Et exuentes veterem hominem cum actibus suis, et novum, qui secundum Deum creatus est induentes, in vitae transeunt novitatem, cum relictis pro Deo, quae possident, et non quae sua sunt, sed quae Iesu Christi, quaerentes, voluntariam eligunt paupertatem, et divinae se subiiciunt servituti. Quorum desideriis tanto est propensius annuendum, quanto Exordium

per opera pietatis gratiorem praestant Altissimo famulatum.

Fratres huius Ordinis sub protectione recipit S. A.

§ 1. Licet autem, secundum Apostolum, nec qui plantat, nec qui rigat sit aliquid, sed qui incrementum dat Deus; plantationem tamen vestram novellam, apostolicae protectionis praesidio disposuimus irrigare, quatenus Deo praestante misericorditer incrementum, fructum proferat exoptatum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et praefatum ordinem Sanctae Trinitatis, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona idem ordo in praesentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, sive aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant.

Eisque bona omnia confirmat.

Potestatem facit monasteria aedificandi.

§ 2. Si quando vero loca deserta fuerint eidem venerabili ordini ab aliquo pia devotione collata, liceat vobis aedificare villas, ecclesias, coemeteria ad opus hominum ibidem morantium fabricare; ita tamen ut illic vicinia, abbatia, vel religiosorum collegia non existant, quae hoc valeat perturbare.

A decimis eximit.

§ 3. Sane novalium vestrorum, quae propriis manibus, aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, hortorum, vel pomorum fructibus, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat.

Fratresque ab eis recipi posse concedit.

§ 4. Liceat vobis clericos vel laicos, liberos et absolutos a saeculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos sine contradictione aliqua retinere.

Professos ab Ordine discedere vetat.

§ 5. Prohimemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in ordine vestro professionem, fas sit, absque ministri sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem ordine discedere. Discedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere.

Sacramenta eis per ordinarium vult administrari.

§ 6. Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum vestrarum, ordinationes clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, et caetera ecclesiastica sacramenta, a dioecesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et gratiam et communionem sacrosanctae Romanae Sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate qualibet exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatis, impendat.

Privilegia nonnulla concedit.

§ 7. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare.

§ 8. Sepulturam praeterea locorum vestrorum liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepelire deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Ordinis ministrum a fratribus eligi vult.

§ 9. Obeunte vero te nunc eiusdem ordinis ministro, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, canonice providerint eligendum.

§ 10. Paci et tranquillitati vestrae paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica districtius inhibemus, ut infra clausuram locorum vestrorum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem opponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere.

§ 11. Decernimus ergo, ut nulli om-

Clausulae. nino hominum liceat praefatum ordinem temere perturbare, vel eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apostolicae auctoritate, et dioecesani episcopi canonica iustitia.

§ 12. Si igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere uti tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit (1), potestatisque suae careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena sit, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat.

§ 13. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Dat. Viterbii per manum Ioannis S. Mariae in Cosmedin diaconi card., S. R. E. cancellarii, decimoquarto kal. iulii, indictione secunda, incarnationis dominicae anno MCCIX, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno duodecimo.

Dat. die 18 iunii 1209, pontif. anno XII.

LXX.

Nonnulla decernit praemittenda ab iis, qui ad haereticorum provinciae expugnationem se accinxerint, subsidiaque iis ab ecclesiasticis praestanda sancit (2).

SUMMARIUM

Haeretici Provinciales expulsi. — Simon de Monteforti dux exercitus contra eosdem. — Indulgentia proposita contra haereticos pugnaturis. — Eos ab usuris liberat Innoc. — Collectamque ad exercitus substentationem clericis imponi mandat.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Arelatensi archiepiscopo, et suffraganeis eius.

Gloriantes hactenus in malitia et in sua iniquitate potentes destruere tandem incipiens manus Dei, miraculose iam fecit eos de suis tabernaculis emigrare, dum eo terram populi sui misericorditer emundante, pestis haereticae pravitatis, quae serpens ut cancer provinciam pene totam infecerat, mortificata depellitur, captisque in potentissima manu sua numerosis castris et civitatibus, quas per possessos a se diabolus habitabat, in locis expulsorum haereticorum Spiritui Paraclyto per repletos ab ipso sanctum habitaculum praeparatur. Super quo laudes et gratias Omnipotenti referimus quod in una eademque misericordiae suae causa, duo dignatus est iustitiae opera exercere, ita perfidis faciendo dignam supervenire perniciem, ut quam multi fideles meritam assequerentur ex ipsorum exterminatione mercedem, cum etsi eos in solo spiritu oris sui potuisset quandocumque conterere, suorum tamen exercitui signatorum in illorum contritione dignatus sit salutis causam, immo salvationis occasionem praebere; quo nuper sub nostrorum magisterio legatorum de ipsis mirabiliter triumphante, dilectus filius nobilis vir Simon de Monteforti, vir utique strenuus et catholicus, terris a quibus illi depulsi sunt provida est deliberatione profectus, ut per prudentiam eius in his quae gesta sunt, vel gerenda negotium pacis et fidei possit ibidem efficacius promoveri. Quia igitur etsi tantae pietatis initia prospere hucusque processerint, fine tamen non sunt adhuc necessario solidata, fraternitatem vestram rogandam duximus attentius, et monendam per apostolica vobis scripta praecipiendo mandantes, quatenus apud

Haeretici Provinciales expulsi.

Simon de Monteforti dux exercitus contra eosdem.

(1) Addendum forsitan *honoris*. (2) Ex Baluz., lib. XII, Epist. 136.

subditos vestros studio sedulae praedicationis et exhortationis instetis, ut ad reliquias huius pestis penitus extirpandas, cum ad similitudinem hydrae quae locupletior fertur fieri damno capitum, gravius possent, si neglectae fuerint, reviviscere, tam per se, quam per sua obsequium Deo devotum, et auxilium Ecclesiae opportunum impendant, scientes remissionem peccaminum a Deo eiusque Vicario universis indultam, qui orthodoxae fidei zelo succensi, se ad opus accinxerint huiusmodi pietatis, ut eis labor tam sanctus ad operis satisfactionem sufficiat super illis offensis pro quibus cordis contritionem et oris confessionem veram obtulerint vero Deo. Cum autem pro fraterna defensione pugnantes a fraternis deceat iniuriis expediri, volumus et mandamus, ut si qui nobilium, clericorum, seu etiam laicorum contra pestilentes huiusmodi procedentium ad praestandas usuras iuramento tenentur astricti, creditores eorum in vestris dioecesibus constitutos, cum ab ipsis fueritis requisiti, per censuram ecclesiasiasticam, appellatione postposita, compellatis, ut eos a iuramento penitus absolventes, ab usurarum penitus exactione desistant. Quod si quisquam creditorum ad solutionem ipsos coegerit usurarum, eum ad restituendas ipsas, postquam fuerint persolutae, simili censura, sublato appellationis obstaculo, coarctetis, creditores talium quam diligentius poteritis inducentes, ut terminos ad solutionem debitorum praefixos, donec illi labori vacaverint huiusmodi pietatis, elongent; quod sic demum retributionis eorum gaudeant participio quorum certamen tali promoverint adiumento. Praeterea cum non absonum videatur, ut qui publicam causam gerunt, publicis stipendiis sustententur, universos clericos per vestras dioeceses constitutos efficaciter moneatis, in remissionem sibi peccaminum suadentes, quatenus cum praedictae terrae desertae sint et vastatae, atque ad defensionem ipsarum sumptus sint non modici necessarii, aliquotam de suis proventibus partem ad eius sustentationem transmittant, deputatis aliquibus viris providis et fidelibus ad eleemosynam huiusmodi colligendam, qui collectam assignent sicut praedicti legati duxerint disponendum. Quia igitur apud eos districtio forsan proficiet temporalis, a quibus super hoc spiritualis inductio non admittitur, illos qui super Iudaeos in vestris dioecesibus permanentes habere noscuntur dominium temporale, diligenter interducere procuretis, ut eos inducant, et tradita sibi potestate compellant, quod suis debitoribus in huiusmodi Dei obsequium profecturis omnino relaxent usuras, et terminos ad exsolvendum sortem praefixos, si fieri potest, prorogent competenter.

Indulgentia proposita contra haereticos pugnaturis.

Eos ab usuris liberat Innocentius.

Collectamque ad exercitus sustentationem clericis imponi mandat.

Datum Laterani tertio idus novembris, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno duodecimo.

Dat. die 11 novembris 1209, pontif. anno XII.

LXXI.

Regnum Daniae suscipitur sub protectione Sedis Apostolicae (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Decretum pro regni Daniae indemnitate.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, illustribus regibus et principibus et universis Dei fidelibus regno Daciae (2) circumpositis, catholicam servantibus unitatem.

Exordium.

Quanto specialius regnum Daciae ad Romanae Ecclesiae noscitur iurisdictionem spectare, tanto ad conservationem eius propensiori studio debemus intendere, quia non immerito multa reprehensione digni existere videremur, si

(1) Ex Baluz., lib. XII, Epist. 157. (2) Sic in Cocqueliniana editione. Legendum autem putamus *Daniae*. (R. T.)

quod est iuris Romanae Ecclesiae pateremur imminui vel turbari. Inde est quod ad exemplar felicis recordationis Alexandri Papae praedecessoris nostri sub interminatione anathematis districtius inhibemus ne quis praescriptum regnum invadere vel turbare praesumat, aut iura charissimi in Christo filii nostri illustris Danorum regis vel haeredum suorum minuere audeat, vel sibi quomodolibet usurpare. Si qui autem huius nostrae prohibitionis transgressores extiterint, indignationem nostram et Romanae Ecclesiae se noverint incursuros, et anathematis iaculo feriendos.

Decretum pro regni Daniae indemnitate.

Datum Laterani tertio kalendas februarii, pontificatus nostri anno duodecimo.

Dat. die 30 ianuarii 1210, pontif. anno XII.

LXXII.

Confirmatio bonorum Ecclesiae Senensis (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Ecclesiam Senensem sub Apostolica protectione recipiens, eidem bona omnia confirmat.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Bono Senensi episcopo, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Exordium.

In eminenti Sedis Apostolicae specula, licet immeriti, disponente Domino, constituti, fratres nostros tam propinquos, quam longe positos fraterna tenemur caritate diligere, et Ecclesiis, quibus Domino militare noscuntur, suam dignitatem et iustitiam conservare. Eapropter, venerabilis in Christo frater Bone episcope, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, et praefatam Ecclesiam in qua Deo auctore præesse dinosceris, praedecessorum nostrorum felicis memoriae Coelestini, Eugenii, Anastasii, Adriani, Alexandri et Clementis, Romanorum Pontificum, vestigiis inhaerentes, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus, statuentes ut Ecclesiae xenodochia et castella cum omnibus bonis et possessionibus, quae in praesentiarum iuste Ecclesia tibi commissa et legitime possidet, aut in futurum concessione *etc.*, *usque* permaneant; in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Baptismales siquidem ecclesias cum prioratibus earum atque cappellis, quae ad iurisdictionem Ecclesiae tibi commissae pertinere noscuntur, plebem videlicet Sanctae Agnetis cum omnibus antiquis pertinentiis suis, plebem de Liliano, plebem de Lornano, plebem de Sciata, plebem Sancti Andreæ de Bozone, plebem Sancti Martini in Graina cum omni iure quod habes in eodem castello, et in Villanova plebem Sanctae Christinae de Liciniano, plebem de Sparena, plebem Sancti Nazarii, plebem de Saturniano cum omni iure quod habes in Ecclesia Sanctae Mariae, quae est in burgo Sancti Quirici in Ozenna, et in circumadiacentibus locis, plebem de Oppiano, plebem de Ancaiano, plebem de Monte Codano, plebem Sancti Georgii in Valona, plebem Sancti Valentini, plebem de Coppiano, plebem Sanctae Innocentiae, plebem de Karli et Murlo, plebem de Creola, plebem Sanctae Christinae in Caio, plebem de Monte Alcino, ecclesiam Sanctae Mariae de Burgo, Sancti Quirici, Cascianum etiam quod specialiter ad tuam gubernationem et providentiam pertinet, titulum Sancti Angeli de Tressa, plebem de Cortiano, plebem de Ricensa, plebem de Ruscia, plebem de Pentulina, plebem de Suvicelle, plebem de Folliano, plebem Sancti Iusti in Casciano, plebem de Marmoraria cum omnibus rebus et pertinentiis earum. Castellum de Porclano, castellum de Pognia, castellum de Monticlo, castellum de Fercule, castellum de Suvicelle, castellum de Murlo, castel-

Ecclesiam Senensem sub apostolica protectione recipiens, eidem bona omnia confirmat.

(1) Ex Baluz., loc. cit.

lum de Creole cum arce nominis eiusdem, castellum de Monteciano cum curte sua, et omnibus eorum pertinentiis. Quod habes in castello Sylvulae, quod habes in Montepiscino, et in Valerano. Medietatem de sylva et lacu de Verrano, medietatem de lacu et palude de Vaiano, quintam partem de Aquatico, quartam partem decimarum et oblationum in ecclesiis ad ius Senensis Ecclesiae pertinentibus, quintam partem de Monte Acutulo, qui est super fluvium de Rusia, tertiam partem de castello et curte de Radi in episcopatu Wolterrano, quartam partem de castello et curte de Valle Aspera in episcopatu Massanensi, cum omnibus pertinentiis partium supradictarum. Castella quoque et possessiones, quae a Traduto filio Bernardi comitis tam in comitatu Senensi, quam Wolterrano, Florentino et Fesulano, Senensi Ecclesiae concessae sunt. Illud quoque dedit Adalasia de Bibiano, quod Rigertus filius Rainaldi dedit in Paterno Putido, quod habes de haereditate Rolandini Longobardi, possessiones quas habes in comitatu castelli Felicitatis, quod habes in castello de Strove, et in Castellione, castella et possessiones omnes quas tu, vel alius per te tenet in comitatu Senensi, Wulterrano, Florentino, Fesulano et Aretino, ordinationes etiam ecclesiarum, quae sunt in tua iurisdictione constitutae, sicut praedecessores tui eas habuerunt, et tu ipsas hactenus habuisti, devotioni tuae auctoritate apostolica confirmamus.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum *etc.*, *usque* profutura. Salva nimirum per omnia Apostolicae Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae constitutionis *etc.*, *usque* subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura *etc.*, *usque* inveniant. Amen. Clausulae.

Datum Laterani per manum Iohannis Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi cardinalis, Sanctae Romanae Ecclesiae cancellarii, tertio nonas februarii, indictione tertiadecima, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo nono, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno duodecimo.

Dat. die 3 februarii 1210, pontif. anno XII.

LXXIII.

Confirmantur primatus Ecclesiae Toletanae, et caetera privilegia a Pontificibus ei concessa (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Toletanus archiep. Hispaniarum primas. — Ecclesiae eidem suffraganeae. — Bona omnia ei confirmat. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Roderico Toletano archiepiscopo Hispaniarum primati, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Sacrosancta Romana Ecclesia in beato Petro apostolorum principe ab ipso Salvatore omnium Domino Iesu Christo caput est Ecclesiarum omnium constituta: unde membra non decet a capite dissidere, sed eminenti rationi et supernae provisioni capitis obedire. Moderatrix autem discretio capitis, singulorum membrorum officiosas actiones considerans, unicuique ius et ordinem a natura constitutum conservat, et quibuscumque nobilibus venustatis suae dignitatem sine invidia sociali charitate custodit. Hac igitur ratione prudenter inducti, iura nobilis et famosae Toletan. Ecclesiae Apostolicae Sedis propriae ac specialis filiae conservare volentes: tuis, venerabilis frater Roderice, quem vera in Christo charitate diligimus, rationabilibus postulationibus paternae pietatis affectu duximus annuendum. Ideoque per praesentem privilegii paginam, ad exemplar felicis recordationis Urbani, Gelasii, Calixti, Honorii, Eugenii, Adriani, Alexandri primi, Alexandri secundi, Alexandri tertii, Urbani et Coelestini praedecessorum no- Exordium. Toletanus archiep. Hispaniarum primas.

(1) Ex Baluz., lib. XIII, Ep. 5, pag. 408.

strorum, primatus dignitatem per Hispaniarum regna, tibi et Ecclesiae Toletanae auctoritate apostolica confirmamus. Teque primatem praesules Hispaniarum respicient, et ad te referent siquid inter eos dignum exortum fuerit quaestione: salva tamen in omnibus Apostolicae Sedis auctoritate. Verum personam tuam in manu nostra propensiori gratia retinentes, censemus, ut solius Romani Pontificis iudicio eius causa, si qua fuerit, decidatur. Sane Toletanam Ecclesiam praesentis privilegii stabilitate munimus. Complutensem parochiam et Concham ei tamquam metropoli subditas esse decernimus, cum terminis suis; necnon et ecclesias omnes quas iure proprio ab antiquo possedisse cognoscitur confirmantes. Episcopales praeterea sedes quas in praesentiarum iuste et canonice possides, scilicet Palentiam, Segobiam, Oxoniam, Seguntiam. Reliquas vero quae ab antiquis ei temporibus subiacebant, cum Dominus omnipotens christianorum restituerit potestati suae dignatione misericordiae, ad caput proprium referendas decreti huius auctoritate sancimus. Porro illarum dioeceses civitatum quae Sarracenis invadentibus metropolitanos proprios amiserunt, eo tenore vestrae subiicimus ditioni, ut quandiu sine propriis metropolitanis extiterint, tibi ut proprio debeant subiacere. Ita quidem, ut in sedibus episcopalibus liberam auctoritate nostra habeas potestatem episcopos, in castellis vero et villis presbyteros instituere: et prout tibi dominus administraverit ordinare, tam in his episcopatibus qui de antiquis Ecclesiae tuae terminis esse noscuntur, quam in illis qui proprium non habuerint metropolitanum. Si quae autem metropoles in statum fuerint proprium restitutae, suo quaeque dioecesis metropolitano restituatur, ut sub proprii regimine pastoris super divini collatione beneficii glorietur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona praedicta Ecclesia Toletana impraesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam Sanctorum Iusti et Pastoris. Abbatiam Sanctae Leocadiae. Ecclesiam Sanctae Mariae Tocha. Ecclesiam Sanctae Mariae de Batres. Ecclesiam Sancti Vincentii de Monte. Ecclesiam Sanctae Mariae de Valle Ecclesiarum. Ecclesiam Sanctae Mariae de Valadelmech. Ecclesiam de Calatrava. Castrum quoque Alcala. Castrum de Brioga. Castrum de Canales. Castrum Alfamin cum pertinentiis eorum. Domum reginae in Toleto cum haereditate sibi pertinente. Domum Sanciae sororis illustris memoriae regis Adelfonsi cum haereditate patris sui Raymundi comitis, quam ipsa consensu fratris sui Ecclesiae tuae donavit, et scripto confirmavit. Castrum quoque Bencarentiae, et Aldeam, quae vocatur Azucuch cum pertinentiis suis, et Alcobrogam. Decimas quoque omnium regalium reddituum de Sancta Eulalia, de Maqueda, de Ascalona. Statuimus etiam ut universi parochiae tuae fines, qui iam Deo authore a Christicolis habitantur, vel qui in futurum a Sarracenorum potestate auxiliante Domino eripientur, omnino integri tam tibi, quam tuis successoribus in perpetuum conserventur. Nomina vero oppidorum quae in tua dioecesi a fidelibus incoluntur, in praesenti pagina duximus annotanda. Talavera Alfamin, Makeda, Sancta Eulalia, Hulmus, Canales, Maieritum, Alcola, Wadalfaiara, Fita, Pennafora, Belegna, Uzeda, Talamanca, Butracum, Calatalifa, Ascalona, Zurita, Calatrava, Almoguera et Alcolea. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed om-

Margin notes: Ecclesiae eidem suffraganeae. — Bona omnia ei confirmat — Clausulae.

nia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura: salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi: quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Datum Lateran. per manum Iohannis Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi card., sanctae Romanae Ecclesiae cancellarii quarto nonas martii, indictione decimatertia, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo nono, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno decimotertio.

Dat. die 4 martii 1210, pontif. anno XIII.

LXXIV.

Confirmat ordinem et militiam B. Iacobi, et privilegia ab Alexandro Papa ei concessa (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Institutio militiae B. Iacobi. — Eam validans confirmat quoque bona omnia eidem data et danda. — Milites omnes uni magistro subiicit. — Uxores habendi eis dat facultatem. — Ab ordine vero discedendi denegat. — Capitulum gener. quolibet anno cogendum. — Prior clericorum ordinis praeses defuncto magistro. — Quae peragenda sint magisterio vacante. — Quae tractanda singulis annis in capitulo supradicto. — De electione visitatorum. — De munere clericorum. — De hospitalitate. — Statuta alia. — Privilegia nonnulla concedit. — Excommunicatio in percussores fratrum. — Decretum immunitatis. — Annuus census Sedi Apostolicae solvendus. — Solitae clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Fernando Gondisalvi magistro militiae Beati Iacobi, eiusque fratribus clericis et laicis, tam praesentibus quam futuris communem vitam professis, in perpetuum.

Procemium. Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui Ecclesiam suam nova semper prole foecundat, et sic pro patribus filios in ea facit exsurgere, sic a generatione in generationem notitiam nominis sui, et lucem fidei christianae diffundit, ut sicut ante ortum solis stellae sese ad occasum in firmamento sequuntur, ita in ecclesiasticis gradibus generationes iustorum, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, et tenebras nostras veri solis splendor illuminet, per tempora sibi succedant. Et sicut multi saepe per caudam draconis deiiciuntur in terram, ita et per adoptionem spiritus, quotidiana fiat reparatio perditorum, et de profundo inferni ad quaerenda multi coelestia erigantur, et ita corpore teneantur in terra, ut tanquam cives sanctorum et domestici Dei cognatione ac desiderio conversentur in coelis. Hoc sane temporibus felicis recordationis Alexandri Papae praedecessoris nostri in partibus Hispaniarum de divino factum munere gratulamur: ubi nobiles quidam viri peccatorum vinculis irretiti, ex miseratione illius qui vocat ea quae non sunt tanquam ea quae sunt, superna gratia sunt afflati et tacti super multis transgressionibus suis dolore cordis intrinsecus, et praeteritorum agentes poenitentiam peccatorum, non solum posses- (Institutio militiae B. Iacobi.)

(1) Ex Baluz., lib. XIII, Epist. 11.

strorum, primatus dignitatem per Hispaniarum regna, tibi et Ecclesiae Toletanae auctoritate apostolica confirmamus. Teque primatem praesules Hispaniarum respicient, et ad te referent siquid inter eos dignum exortum fuerit quaestione: salva tamen in omnibus Apostolicae Sedis auctoritate. Verum personam tuam in manu nostra propensiori gratia retinentes, censemus, ut solius Romani Pontificis iudicio eius causa, si qua fuerit, decidatur. Sane Toletanam Ecclesiam praesentis privilegii stabilitate munimus. Complutensem parochiam et Concham ei tamquam metropoli subditas esse decernimus, cum terminis suis; necnon et ecclesias omnes quas iure proprio ab antiquo possedisse cognoscitur confirmantes. Episcopales praeterea sedes quas in praesentiarum iuste et canonice possides, scilicet Palentiam, Segobiam, Oxoniam, Seguntiam. Reliquas vero quae ab antiquis ei temporibus subiacebant, cum Dominus omnipotens christianorum restituerit potestati suae dignatione misericordiae, ad caput proprium referendas decreti huius auctoritate sancimus. Porro illarum dioeceses civitatum quae Sarracenis invadentibus metropolitanos proprios amiserunt, eo tenore vestrae subiicimus ditioni, ut quandiu sine propriis metropolitanis extiterint, tibi ut proprio debeant subiacere. Ita quidem, ut in sedibus episcopalibus liberam auctoritate nostra habeas potestatem episcopos, in castellis vero et villis presbyteros instituere: et prout tibi dominus administraverit ordinare, tam in his episcopatibus qui de antiquis Ecclesiae tuae terminis esse noscuntur, quam in illis qui proprium non habuerint metropolitanum. Si quae autem metropoles in statum fuerint proprium restitutae, suo quaeque dioecesis metropolitano restituatur, ut sub proprii regimine pastoris super divini collatione beneficii glorietur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona praedicta Ecclesia Toletana impraesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Ecclesiam Sanctorum Iusti et Pastoris. Abbatiam Sanctae Leocadiae. Ecclesiam Sanctae Mariae Tocha. Ecclesiam Sanctae Mariae de Batres. Ecclesiam Sancti Vincentii de Monte. Ecclesiam Sanctae Mariae de Valle Ecclesiarum. Ecclesiam Sanctae Mariae de Valadelmech. Ecclesiam de Calatrava. Castrum quoque Alcala. Castrum de Brioga. Castrum de Canales. Castrum Alfamin cum pertinentiis eorum. Domum reginae in Toleto cum haereditate sibi pertinente. Domum Sanciae sororis illustris memoriae regis Adelfonsi cum haereditate patris sui Raymundi comitis, quam ipsa consensu fratris sui Ecclesiae tuae donavit, et scripto confirmavit. Castrum quoque Bencarentiae, et Aldeam, quae vocatur Azucuch cum pertinentiis suis, et Alcobrogam. Decimas quoque omnium regalium reddituum de Sancta Eulalia, de Maqueda, de Ascalona. Statuimus etiam ut universi parochiae tuae fines, qui iam Deo authore a Christicolis habitantur, vel qui in futurum a Sarracenorum potestate auxiliante Domino eripientur, omnino integri tam tibi, quam tuis successoribus in perpetuum conserventur. Nomina vero oppidorum quae in tua dioecesi a fidelibus incoluntur, in praesenti pagina duximus annotanda. Talavera Alfamin, Makeda, Sancta Eulalia, Hulmus, Canales, Maieritum, Alcola, Wadalfaiara, Fita, Pennafora, Belegna, Uzeda, Talamanca, Butracum, Calatalifa, Ascalona, Zurita, Calatrava, Almoguera et Alcolea. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed om-

Margin notes: Ecclesiae eidem suffraganeae. — Bona omnia ei confirmat — Clausulae.

nia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura: salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi: quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Datum Lateran. per manum Iohannis Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi card., sanctae Romanae Ecclesiae cancellarii quarto nonas martii, indictione decimatertia, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo nono, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno decimotertio.

Dat. die 4 martii 1210, pontif. anno XIII.

LXXIV.

Confirmat ordinem et militiam B. Iacobi, et privilegia ab Alexandro Papa ei concessa (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Institutio militiae B. Iacobi. — Eam validans confirmat quoque bona omnia eidem data et danda. — Milites omnes uni magistro subiicit. — Uxores habendi eis dat facultatem. — Ab ordine vero discedendi denegat. — Capitulum gener. quolibet anno cogendum. — Prior clericorum ordinis praeses defuncto magistro. — Quae peragenda sint magisterio vacante. — Quae tractanda singulis annis in capitulo supradicto. — De electione visitatorum. — De munere clericorum. — De hospitalitate. — Statuta alia. — Privilegia nonnulla concedit. — Excommunicatio in percussores fratrum. — Decretum immunitatis. — Annuus census Sedi Apostolicae solvendus. — Solitae clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Fernando Gondisalvi magistro militiae Beati Iacobi, eiusque fratribus clericis et laicis, tam praesentibus quam futuris communem vitam professis, in perpetuum.

Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui Ecclesiam suam nova semper prole foecundat, et sic pro patribus filios in ea facit exsurgere, sic a generatione in generationem notitiam nominis sui, et lucem fidei christianae diffundit, ut sicut ante ortum solis stellae sese ad occasum in firmamento sequuntur, ita in ecclesiasticis gradibus generationes iustorum, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, et tenebras nostras veri solis splendor illuminet, per tempora sibi succedant. Et sicut multi saepe per caudam draconis deiiciuntur in terram, ita et per adoptionem spiritus, quotidiana fiat reparatio perditorum, et de profundo inferni ad quaerenda multi coelestia erigantur, et ita corpore teneantur in terra, ut tanquam cives sanctorum et domestici Dei cognatione ac desiderio conversentur in coelis. Hoc sane temporibus felicis recordationis Alexandri Papae praedecessoris nostri in partibus Hispaniarum de divino factum munere gratulamur: ubi nobiles quidam viri peccatorum vinculis irretiti, ex miseratione illius qui vocat ea quae non sunt tanquam ea quae sunt, superna gratia sunt afflati et tacti super multis transgressionibus suis dolore cordis intrinsecus, et praeteritorum agentes poenitentiam peccatorum, non solum posses-

Procemium.

Institutio militiae B. Iacobi.

(1) Ex Baluz., lib. XIII, Epist. 11.

siones terrenas, sed et corpora sua in extrema quaeque dare pericula pro Domino decreverunt. Et ad exemplum Domini nostri Iesu Christi qui ait: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me Patris (1), in habitu et conversatione religionis sub unius magistri statuerunt obedientia commorari, eo utique moderamine propositum suum et ordinem temperantes, ut quia universa turba fidelium in coniugatos continentesque distinguitur, et Dominus Iesus Christus non solum pro viris, sed et pro foeminis quoque de foemina nasci voluit, et cum hominibus conversari: habeantur in ipso ordine qui coelibem si voluerint ducant vitam, et consilium beati Pauli sequantur qui dicit: De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do (2). Sint etiam qui iuxta institutionem dominicam ad procreandam sobolem, et incontinentiae praecipitium evitandum coniugibus suis utantur, et una cum eis ad incolatum supernae patriae de convalle lacrymarum et terrena peregrinatione transire nitantur, et lacrymis diluant, et operibus pietatis, si eos supra fundamentum suum, quod Christus est, pro cura carnis et affectibus liberorum, ligna, faenum, stipulam aedificare contingat; cum alii expeditiores et continentes aedificent, aurum, argentum et lapides praetiosos; et isti tamen, et illi militent uni regi, et supremum fundamentum, coelestem unam aedificent mansionem, promissione Psalmistae in Domino roborati, qui minora quoque membra Ecclesiae confortat et dicit: Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur. In horum autem fidelium Christi collegio, cum bonae memoriae P. Fernandi per voluntatem Dei magisterium super alios et providentiam suscepisset, cum quibusdam fratrum suorum ad praesentiam eiusdem nostri praedecessoris accedens, cum humilitate qua debuit a Sede Apostolica requisivit, ut eos tanquam peculiares filios, in defensionem suam et locum in quo caput ordinis factum fuerit, in ius et proprietatem sacrosanctae Romanae Ecclesiae recipere dignaretur. Cum igitur ipse devotionem suam et bonum attendens in Domino desiderium, de communi fratrum suorum consilio piae petitioni eorum duxerit annuendum, nos humilibus vestris precibus inclinati, ad exemplar praefati praedecessoris nostri in speciales ac proprios sacrosanctae Romanae Ecclesiae filios vos recipimus: et ordinem vestrum auctoritate apostolica confirmantes, praesentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona impraesentiarum iuste et legitime possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Lodium et monasterium cum cauto et pertinentiis suis. Burgum de Ponte Minii contra Lodium cum suis pertinentiis. Crescente, cum cauto et pertinentiis suis. Quintanella de Petro Heres, cum cauto et pertinentiis suis. Baria cum cauto et pertinentiis suis. Lentanio cum suis pertinentiis. Sanctum Salvatorem de Listriana, cum cauto et pertinentiis suis. Mosot, cum cauto et pertinentiis suis. Penagosen cum pertinentiis suis. Sanctam Mariam de Pinel cum suis pertinentiis. Ucles cum suis pertinentiis. Alfarella cum suis pertinentiis. Orella cum suis pertinentiis. Mora cum suis pertinentiis. Moravega cum suis pertinentiis. Decimae de Valera et de Portatgo cum suis pertinentiis. Alcazar cum suis pertinentiis. Almadana cum suis pertinentiis. Laruda cum suis pertinentiis. Lazarza cum suis pertinentiis. Sancimus praeterea, ne occasione antiquae detentionis sive scripturae quisquam vobis possit auferre,

Eam validans confirmat quoque bona omnia eidem data et danda.

(1) Iohan. VI, 38. (2) I Cor. VII, 25

quae ultra memoriam hominum sub Saracenorum detenta sunt potestate, et de munificientia principum, seu vestro studio et labore, aut iam obtenta sunt, aut in futurum auxiliante Domino poteritis obtinere. Cum enim unica sit vobis intentio, et singularis cura semper immineat, pro defensione christiani nominis decertare, nec solum res, sed et personas ipsas pro tuitione fratrum incunctanter exponere: plurimum posset hoc pium opus et laudabile studium impediri, si labores et stipendia vestra, quae in commune proficiunt, praeriperentur ab aliis: et otiosi ac desides, atque in laboribus suis non quae Iesu Christi, sed quae sua sunt requirentes, emolumenta illa perciperent, quae pro tantis laboribus vobis et pauperum Christi usibus sunt provisa, dicente Apostolo: Qui non laborat non manducet (1). Inter ea sane, quod in professionis vestrae ordine statutum est observari, primum est, ut sub unius magistri obedientia, in omni humilitate atque concordia sine proprio vivere debeatis: illorum fidelium exemplum habentes, qui ad fidem christianam apostolorum praedicatione conversi, vendebant omnia, et ponebant pretium ad pedes illorum, dividebaturque singulis prout cuique opus erat, nec aliquis eorum quae possederat quicquam suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia. Ad suscipiendam quoque prolem quae in timore Domini nutriatur, et infirmitatis humanae remedium, iuxta institutionem Domini, et indulgentiam Apostoli, qui ait: Bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque uxorem suam habeat, et similiter virum mulier suum; qui continere nequiverit coniugium sortiatur, et servet inviolatam fidem uxori, et uxor viro, nec thori coniugalis continentia violetur. Si autem viri praemortui fuerint, et relictae ipsorum quae ordinem susceperunt nubere voluerint, denuntietur hoc magistro sive commendatori, ut cum illius conscientia cui mulier ipsa vult nubat, secundum verbum apostoli Pauli dicentis: Mortuo viro soluta est mulier a lege viri, cui vult nubat tantum in Domino; quod etiam de viris intelligitur observandum. Una etenim utrique lege tenentur. Statuimus quoque, ut nullus fratrum sive sororum post susceptionem ordinis vestri, et promissam obedientiam vel redire ad saeculum, vel ad alium ordinem sine magistri licentia audeat se transferre: cum sint in ordine vestro loca statuta ubi quisque districtius valeat conversari. Discedentem vero nullus audeat retinere, sed ad ordinem suum per censuram ecclesiasticam, qui discesserit redire cogatur. Ut autem in ordine vestro cum maiori omnia deliberatione tractentur, statutum est inter vos, ut locus aliquis ordinetur, in quo per singulos annos in solemnitate Omnium Sanctorum generale capitulum teneatur: et sit ibi clericorum conventus et prior, qui eorum et aliorum clericorum qui de ordine vestro fuerint, curam possit habere, ac fratrum, cum necesse fuerit, provideat animabus. Sint autem et tredecim in ordine fratres, qui magistro cum opus fuerit in consilio et dispositione domus assistant, et eligendi magistri curam habeant competentem. Prior siquidem clericorum, cum magister de hac luce migraverit, de domo et ordine sollicitudinem gerat, cui sicut magistro omnes obedientes existent, donec per providentiam tredecim praedictorum fratrum magistri electio celebretur. Is cum transitus magistri fuerit auditus et cognitus, tredecim illos fratres sine dilatione aliqua convocabit: et si quisquam eorum infirmitate, vel alia ex causa infra quinquaginta dies adesse nequiverit, cum aliorum consilio qui praesentes fuerint alium absentis loco constituet, ut magistri electio ex aliquorum absentia minime differatur. Illi vero tredecim fratres, si magister qui

Milites omnes uni magistro subiicit.

Uxores habendi eis dat facultatem.

Ab ordine vero discedendi denegat.

Capitulum gener. quolibet anno cogendum decernit.

Prior clericorum ordinis praeses defuncto magistro.

(1) II Thess. iii, 10.

Quae peragenda sint magist. vacante.

pro tempore fuerit perniciosus aut inutilis apparuerit, cum consilio prioris clericorum et sanioris partis capituli maioris domus, corrigendi aut etiam admonendi eum habeant potestatem. Et si inter eum et capitulum aliquid emerserit quaestionis, debitum ei finem imponant; ne per aliena iudicia vel dilabatur ordo, vel temporalis substantia dissipetur. In nullam autem ex hoc fratres illi superbiam eleventur, sed magistro suo devoti et obedientes existant. Quod siquis eorum ex hac vita transierit, vel pro culpa seu alia quacumque fuerit occasione mutandus, magister cum consilio reliquorum aut maioris partis alium loco eius substituat. In capitulo autem, quod annis singulis diximus celebrandum, tredecim isti fratres et commendatores domorum nisi evidens et magna eos necessitas detinuerit, ad statutum locum incunctanter occurrant, et communiter tractent, quae ad profectum ordinis, animarum salutem, et sustentationem corporum fuerint statuenda, ubi praecipue ad defensionem christianorum intendere moneantur, et districte praecipiatur, ut in Sarracenos, non mundanae laudis amore, non desiderio sanguinis effundendi, non terrenarum rerum cupiditate crassentur, sed id tantum in pugna sua intendant, ut vel christianos ab eorum tueantur incursu, vel ipsos ad culturam possint christianae fidei provocare. Eligantur et tunc visitatores idonei, qui domos fratrum per anni circulum fideliter visitent, et quae ibi digna correctione invenerint, aut ipsi corrigant, aut ad generale capitulum differant corrigenda. Clerici praeterea vestri ordinis, per villas et oppida simul maneant, et priori qui super eos fuerit ordinatus obedientes existant, et filios fratrum qui eis a magistro commissi fuerint, instruant scientia litterarum, et fratribus tam in vita, quam in morte spiritualia subministrent. Induentur autem superpelliciis, et conventum et claustrum sub priore suo tenebunt, et humiliter facient quod ab ipso illis secundum Deum fuerit imperatum. Ubi fratres quoque de quibus magistro visum fuerit conversentur, et non sint otiosi, sed vacent orationi et aliis operibus pietatis. Clericis vero, de laboribus et aliis bonis a Deo praestitis decimae reddantur a fratribus, unde libros, et congrua ecclesiarum faciant ornamenta, et in necessitatibus corporis convenienter sibi provideant, et si aliquid superfuerit, secundum providentiam magistri in usus pauperum erogetur. Ut autem concordia inter vos charitasque servetur, et a peccato detractionis et murmuris cuncti debeant abstinere; qui commendator in quolibet loco fuerit institutus, pro facultate domus et sanitate et aegritudine, quod cuique opus fuerit cum ea sollicitudine ac benevolentia subministret, ut neque in substantia parcitatem, nec in verbo amaritudinem gerere videatur. Sit vobis praecipua cura hospitum et indigentium, et necessaria illis pro facultate domus liberaliter conferantur. Exhibeatur praelatis Ecclesiarum honor, et reverentia; subministretur cunctis christifidelibus, canonicis, monachis templariis, hospitalariis, aliisque in sancta religionis observantia positis consilium et auxilium; quorumlibet etiam indigentia, si facultas fuerit, sublevetur, ut et Deus in vestris glorificetur operibus, et alii qui viderint, humilitatis et charitatis vestrae provocentur odore. Ad haec adiiciendum decrevimus, ut si locus aliquis in quo episcopus esse debeat in vestram venerit potestatem, sit ibi episcopus qui cum Ecclesiis et clero suo designatos sibi redditus, et possessiones, et episcopalia iura percipiat; reliqua vero cedant in usus vestros, et in vestra dispositione sine cuiusquam contradictione persistant. Profecto in parrochialibus ecclesiis quas habetis, nolumus episcopos suo iure fraudari. Si autem in locis desertis, aut ipsis terris Saracenorum, de novo Ecclesias construxeritis, Ecclesiae illae plena gau-

Marginal notes: Quae tractanda singulis annis in capitulo supradicto. — De electione visitatorum. — De munere clericorum. — De hospitalitate. — Statuta alia.

deant libertate, nec aliqua per episcopos decimarum, aut alterius rei exactione graventur. Liceatque vobis per clericos vestros idoneos easdem Ecclesias cum suis plebibus gubernare; nec interdicto per episcopos, vel excommunicationi subdantur, sed fas sit vobis, tam in maiori Ecclesia quae caput fuerit ordinis, quam in illis etiam, excommunicatis et interdictis exclusis, divina semper officia celebrare. Praeterea ne humanis vexationibus et calumniis a defensione christianorum retrahi valeatis, apostolica auctoritate decernimus: Ne personas vestras, praeter legatum Apostolicae Sedis a latere Romani Pontificis destinatum, interdicere quisquam, aut excommunicare praesumat, quod etiam de familiis et servientibus vestris statuimus, qui stipendia vestra percipiunt donec iustitiam parati fuerint exhibere; nisi forte talis fuerit culpa, ex qua ipso facto ecclesiasticam censuram incurrant, Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum vestrorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a dioecesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et gratiam atque communionem Apostolicae Sedis habuerit, et ea gratis, et absque ulla pravitate vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Liceat praeterea vobis, in locis vestris ubi quatuor vel plures fratres fuerint, oratoria construere, in quibus fratres et familiae vestrae tantum, et divinum audire officium et sepulturam christianam possint habere. Ita enim volumus necessitati vestrae consulere, ut non debeant ex hoc adiacentes Ecclesiae iniuriam sustinere. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Praesenti nihilominus decreto sancimus, ut siquis in aliquem vestrum, fratrum videlicet vel sororum, violentas manus iniecerit, excommunicationis sententia sit astrictus, et illud idem pro tutela vestra tam in sententia, quam in poena servetur quod sub felicis memoriae Papa Innocentio praedecessore nostro, de tuitione clericorum generali concilio noscitur institutum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat iura vel possessiones vestras temere perturbare, aut vestra bona auferre, vel ablata retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salva Sedis Apostolicae auctoritate. Ad indicium autem huius a Sede Apostolica perceptae libertatis, decem malachinos nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi praesumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem vobis vestra iura servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Privilegia nonnulla concedit.

Clausulae.

Datum Lateran. per manum Iohannis Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi cardinalis, sanctae Romanae Ecclesiae cancellarii, octavo idus martii, indictione decimatertia, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo nono, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno tertiodecimo.

Dat. die 8 martii 1210, pontif. anno XIII.

LXXV.

Ad episcopos Galliae, de vitanda simonia in receptione monachorum, aut sanctimonialium (1).

SUMMARIUM

Abusus in provinciis Galliae. — Tollendos mandat ab episcopis.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in regno Franciae constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Abusus in provinciis Galliae.

Multotiens audivimus, et a multis, quod in quibusdam monachorum, monialium, et aliorum religiosorum monasteriis per vestras dioeceses constitutis consuetudo damnabilis, immo damnatus, et damnandus abusus usque adeo inolevit, ut pene penitus nulla persona recipiatur in ipsis absque labe simoniacae pravitatis. Ne igitur clamorem totiens iteratum videamur, quod absit, simulando fovere, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, atque praecipimus, quatenus semel in anno huiusmodi monasteria per vestras dioeceses visitantes sub anathematis interminatione vetetis, ne qua persona de caetero recipiatur in eis per huiusmodi pravitatem, semper in vestris synodis denunciantes hoc ipsum, et circa eas, quas sic receptas invenietis, auctoritate apostolica, sublato appellationis obstaculo, statuatis, quod saluti et honestati videritis expedire.

Tollendos mandat ab episcopis.

Datum Lateran. decimoquinto kalendas maii, pontificatus nostri anno decimotertio.

Dat. die 17 aprilis 1210, pontif. anno XIII.

LXXVI.

Refert confessionem fidei Waldensium ad fidem reversorum, et eorum propositum, seu vitae regulam confirmat (2).

SUMMARIUM

Exordium. — Durandi de Osca iuramentum. — Eiusdem, et Guillelmi de S. Antonino fidei professio. — Regulas eorumdem refert et confirmat. — Eos reconciliari Ecclesiae mandat per episcopos.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, archiepiscopo et suffraganeis Terraconensis Ecclesiae.

Exordium.

Cum inaestimabile precium Sanguinis Iesu Christi teneamur in animabus redemptis ex iniuncto nobis apostolatus officio custodire; non solum veraciter poenitentibus clementer impendere veniam nos oportet, verum etiam pertinaciter delinquentes instanter ad poenitentiam provocare: ne si vel his paternam consuetudinem, vel illis sollicitudinem subtraxerimus pastoralem; tot videamur eiusdem pretii redemptioni subtrahere, quot in salvatione ipsius, nostra potuissemus vigilantia conservare. Quapropter venientes dudum ad Apostolicam Sedem dilectos filios Durandum de Osca, et Guillelmum de S. Antonino, et Iohannem de Narbona, et Ermengaudum, et Bernardum Biterren. et Raymundum de S. Paulo, et Ebrinum, ac socios eorum, paterna benignitate suscepimus, et ea quae nobis tam pro se, quam pro fratribus suis exponere curaverunt, pleno concepimus intellectu. Ex his ergo quae nobis de articulis Fidei, et sacramentis Ecclesiae diligenter examinati dixerunt, cognovimus eos Fidem sapere orthodoxam, et catholicam astruere veritatem. Ad maiorem tamen expressionem, appositis Evangeliis, et scripto confessionis eorum imposito super illa, recepimus ab eis huiusmodi iuramentum. Ego, inquit, Durandus de Osca inter manus tuas consecratas, summe Pontifex domine Innocenti, Deum invoco testem in animam meam, quod ita simpliciter et veraciter credo, sicut in hoc scripto per omnia continetur, et contrarium nunquam credam, sed contrarium credentibus pro posse resistam. Tibi vero tanquam beati Petri apostoli successori, et archiepiscopis et episcopis, aliisque praelatis, in quorum dioecesibus vel parrochiis com-

Durandi de Osca iuramentum.

(1) Edidit Martene, Thesaur. Anecdot., tom. I, col. 817. (2) Ex Baluz., lib. XIII, Epist. 78.

morabor, obedientiam et reverentiam exhibebo, tam debitam, quam devotam. Scriptum autem confessionis eorum est tale: Pateat omnibus fidelibus, quod ego Durandus de Osca, et Guillelmus de S. Antonino, et omnes fratres nostri, corde credimus, fide intelligimus, ore confitemur, et simplicibus verbis affirmamus, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, tres personas esse, unum Deum, totamque Trinitatem coessentialem, et consubstantialem, et coæternalem, et coomnipotentem, et singulas quasque in Trinitate personas plenum Deum; sicut in *Credo in Dominum*, et in *Credo in unum Deum*, et in *Quicumque vult*, continetur. Patrem quoque, et Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum, de quo nobis sermo, esse creatorem, factorem, gubernatorem, et dispositorem omnium corporalium et spiritualium, visibilium et invisibilium, corde credimus, et ore confitemur. Novi et veteris Testamenti unum eundemque auctorem esse Dominum credimus, qui in Trinitate, ut dictum est, permanens, de nihilo cuncta creavit. Ioannemque Baptistam ab eo missum, esse sanctum, et iustum, et in utero matris suae Spiritu Sancto repletum. Incarnationem divinitatis, non in Patre, neque in Spiritu Sancto factam, sed in Filio tantum, corde credimus, et ore confitemur. Ut qui erat in divinitate, Dei Patris Filius Deus verus ex Patre, esset in humanitate, hominis Filius Homo verus ex Matre; veram carnem habens ex visceribus Matris, et animam humanam rationabilem simul utriusque naturae, id est, Deus et homo una persona, unus Filius, unus Christus, unus Deus cum Patre et Spiritu Sancto omnium auctor et rector, natus ex Virgine Maria vera carnis nativitate; manducavit, et bibit, dormivit et fatigatus ex itinere quievit, passus vera carnis suae passione, mortuus vera corporis sui morte, et resurrexit vera carnis suae resurrectione, et vera animae ad corpus resumptione: in

Eiusdem, et Guillelmi de S. Antonino fidei professio.

qua postquam manducavit et bibit, ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris, et in eadem venturus est iudicare vivos et mortuos. Corde credimus et ore confitemur unam Ecclesiam, non haereticorum, sed sanctam, Romanam, catholicam et apostolicam, extra quam neminem salvari credimus. Sacramenta quoque, quae in ea celebrantur, inaestimabili atque invisibili virtute Spiritus Sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tanquam a iustissimo amplectimur: quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri, neque ad baptismum infantis, neque ad Eucharistiam consecrandam, nec ad caetera ecclesiastica officia subditis celebrata. Approbamus ergo baptismum infantium, qui si defuncti fuerint post baptismum antequam peccata committant, fatemur eos salvari, et credimus; et in baptismate omnia peccata, tam illud originale peccatum contractum, quam illa quae voluntarie commissa sunt, dimitti credimus. Confirmationem ab episcopo factam, idest, impositionem manuum sanctam, et venerande esse accipiendam censemus. In sacrificio Eucharistiae, quae ante consecrationem erant panis et vinum, post consecrationem esse verum Corpus, et verum Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, firmiter et indubitanter corde puro credimus, et simpliciter verbis fidelibus affirmamus. In quo nihil a bono maius, nec a malo minus perfici credimus sacerdote; quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, et in virtute Spiritus Sancti. Unde firmiter credimus et confitemur, quod quantumcumque quilibet honestus, religiosus, sanctus et prudens sit, non potest nec debet Eucharistiam consecrare, nec altaris sacrificium conficere, nisi sit presbyter, a visibili et tangibili episcopo regulariter ordinatus. Ad quod officium tria sunt,

ut credimus, necessaria: scilicet certa persona, id est, presbyter ab episcopo, ut praediximus, ad illud proprie officium constitutus, et illa solemnia verba quae a sanctis Patribus in canone sunt expressa, et fidelis intentio proferentis. Ideo firmiter credimus et fatemur, quod quicumque sine praecedenti ordinatione episcopali, ut praediximus, credit et contendit se posse sacrificium Eucharistiae facere, haereticus est, et perditionis Chore et suorum complicum est particeps atque consors, et ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus. Peccatoribus vere poenitentibus veniam concedi a Deo credimus, et eis libentissime communicamus. Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur. Coniugia carnalia esse contrahenda secundum Apostolum non negamus, ordinarie vero contracta disiungere omnino prohibemus. Hominem quoque cum sua coniuge salvari credimus et fatemur; nec etiam secunda vel ulteriora matrimonia condemnamus. Carnium perceptionem minime culpamus. Non condemnamus iuramentum, immo credimus puro corde, quod cum veritate et iudicio, et iustitia licitum sit iurare. De potestate saeculari asserimus, quod sine peccato mortali potest iudicium sanguinis exercere, dummodo ad inferendam vindictam, non odio, sed iudicio, non incaute, sed consulte procedat. Praedicationem necessariam valde et laudabilem esse credimus, tamen ex auctoritate vel licentia Summi Pontificis, vel praelatorum permissione, illam credimus exercendam. In omnibus vero locis ubi manifeste haeretici manent, et Deum et fidem sanctae Romanae Ecclesiae abdicant et blasphemant; credimus quod disputando et exhortando modis omnibus secundum Deum debeamus illos confundere, et eis verbo Dominico, veluti Christi et Ecclesiae adversariis, fronte usque ad mortem libera contraire. Ordines vero ecclesiasticos, et omne quod in sancta Romana Ecclesia sancitum legitur aut canitur, humiliter collaudamus, et fideliter veneramur. Diabolum non per conditionem, sed per arbitrium malum esse factum credimus. Corde credimus et ore confitemur, huius carnis quam gestamus, et non alterius resurrectionem. Iudicium quoque per Iesum Christum esse futurum, et singulos pro his quae in hac carne gesserunt recepturos, vel poenas, vel praemia, firmiter credimus et affirmamus: eleemosynas, sacrificium, caeteraque beneficia, fidelibus posse prodesse defunctis credimus. Remanentes in saeculo, et sua possidentes, eleemosynas, et caetera beneficia, ex rebus suis agentes, praecepta Domini servantes, salvari fatemur et credimus, decimas, primitias et oblationes ex praecepto Domini credimus clericis persolvendas.

Quia vero non solum fides recta, sed bona etiam operatio exigitur ad salutem, quoniam sicut sine fide impossibile est placere Deo (1), ita fides sine operibus mortua est (2). Propositum quoque conversationis eorum praesenti paginae duximus annotandum: cuius tenor est talis.

Regulas eorumdem refert et confirmat.

Ad honorem Dei, et eius Ecclesiae catholicae, et ad salutem animarum nostrarum, fidem catholicam per omnia, et in omnibus integram et inviolatam corde credere, et ore proposuimus confiteri, sub magisterio et regimine Romani Pontificis permanendo. Saeculo abrenuntiavimus, et quae habebamus, velut a Domino consultum est, pauperibus erogavimus et pauperes esse decrevimus: ita quod de crastino solliciti esse non curamus, nec aurum, nec argentum, vel aliquid tale propter vestimentum et victum quotidianum, a quoquam accepturi sumus. Consilia evangelica, velut praecepta servare proposuimus. Orationi iuxta horas canonicas septies insistentes, dicendo quindecies *Pater noster;* insuper *Credo in Deum,* et *Miserere mei Deus,* et orationes alias. Cum autem ex magna parte clerici simus, et poenae omnes lit-

(1) Hebr. xi. 6. (2) Iacob. ii. 26.

terati; lectioni, et exhortationi, doctrinae et disputationi contra omnes errorum sectas decrevimus desudare. Disputationes tamen a doctoribus fratribus in fide catholica comprobatis, et instructis in lege Domini dispensentur: ut adversarii catholicae et apostolicae fidei confundantur. Per honestiores autem, et instructiores in lege Domini, et in sanctorum Patrum sententiis, verbum Domini censuimus proponendum fratribus et amicis, cum praelatorum conscientia et assensu; ita quod ab eis propter hoc nec ecclesiarum frequentatio, nec clericorum praedicatio postponatur. Virginitatem vel castimoniam continuam inviolabiliter conservando, duas quadragesimas, et ieiunia secundum ecclesiasticam regulam instituta, annis singulis facere proposuimus. Religiosum et modestum habitum ferre decrevimus, qualem consuevimus deportare; calceamentis desuper apertis, ita speciali signo compositis et variatis, ut aperte et lucide cognoscatur nos esse sicut corde, sic et corpore a Lugdunensibus, et nunc et in perpetuum segregatos, nisi reconcilientur catholicae unitati. Ecclesiastica sacramenta suscipiemus ab episcopis et sacerdotibus, in quorum dioecesibus vel parrochiis commorabimur, et eis obedientiam et reverentiam debitam impendemus. Siqui vero saecularium in nostro voluerit consilio permanere: consulimus ut exceptis idoneis ad exhortandum, et contra haereticos disputandum, caeteri in domibus religiose et ordinate vivendo permaneant, res suas in iustitia et misericordia dispensando, manibus laborando, decimas, primitias, et oblationes Ecclesiae debitas persolvendo.

Eos reconciliari Ecclesiae mandat per episcopos

Nos igitur habito fratrum nostrorum consilio, per apostolica vobis scripta mandavimus: ut recepto a caeteris fratribus simili iuramento, reconciliaretis eos ecclesiasticae unitati, et denuntiaretis eos vere catholicos ac recte fideles: in praescriptis, et aliis ipsos secundum Deum ab omni scandalo et infamia servantes immunes, et in litteris testimonialibus, et aliis adminiculis ipsos propter Deum misericorditer iuvaretis. Quia vero, sicut accepimus occasionis praetextu, quod mandatum huiusmodi communiter suscepistis, ad reconciliationem illorum, quae sub praescripta forma reconciliari Ecclesiae poposcerunt, nondum a vobis fuit processum uno se per alium excusante: qua de causa multi qui humiliter petierunt intrare, hactenus remansisse foras Ecclesiam asseruntur. Nolentes, sicut etiam nec velle debemus, ut qui trahi gratia divina creduntur, per duritiam vestram ab infinita Dei misericordia repellantur: fraternitati vestrae per iterata scripta mandamus, et districte praecipimus; quatenus si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu, frater archiepiscope, cum quolibet aliorum, constitutos in Terraconen. provincia huiusmodi poenitentes, iuxta praescriptam formam, appellatione remota, reconciliare procures. Circa praefatum Durandum de Osca, et Willelm. de S. Antonino, ac eorum socios, secundum praemissum mandatum nihilominus procedendo. Eis autem in fide recta et sana doctrina manentibus, exhortandi licentiam tribuentes competentibus horis et locis.

Datum Lateran. quarto idus maii, anno decimotertio.

Dat. die 12 maii 1210, pontif. anno XIII.

LXXVII.

Confirmat propositum Bernardi primi magistri Waldensium conversorum (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Bernardi fidei confessio. — Waldensium errores. — Poenitentia. — Mandatur apost. delegatis ut eos ecclesiasticae concilient unitati.

(1) Ex Baluz., Epist. 94.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis archiepiscopis et episcopis ad quos litterae istae pervenerint.

Exordium

Cum inaestimabile pretium Sanguinis Iesu Christi, *et caetera*; *require supra in littera scripta eodem quaterno per totum usque*: Quapropter venientes ad Apostolicam Sedem dilectos filios, Bernardum primum, et Willelmum Arnaldi, et quosdam alios paterna benignitate suscepimus, ac ea, quae nobis *etc.*, *ut in eadem, usque* intellectu. Eosque diligenter examinatos, atque correptos, hoc modo reconciliavimus ecclesiasticae unitati. Ego, inquit, Bernardus primus, appositis Evangeliis, et scripto confessionis imposito super illa; hoc praesto inter manus tuas, Summe Pontifex, iuramentum, Deum invocando testem in animam meam, quod ita *etc.*, *sicut in ipsa*, *usque* pro posse resistam. Hoc autem profiteor non esse iuramentum quale Christus legitur prohibuisse in Evangelio, sed quale a sanctis doctoribus Augustino et aliis perhibetur esse praestandum causa necessitatis, cum veritate, et iustitia, et iudicio. Scriptum autem confessionis est tale: Pateat omnibus fidelibus, quod ego Bernardus primus, et omnes fratres mei, propositis nobis sacrosanctis Evangeliis corde credimus, fide intelligimus, ore confitemur, et simplicibus verbis, idest, sine duplicitate, fideliter affirmamus, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum tres personas esse, unum Deum, et sicut in *Credo in Deum*, et in *Credo in unum Deum*, et in *Quicumque vult* continetur confitemur esse per omnia sentiendum. Item corde credimus, et ore confitemur, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum de quo nobis est sermo, esse creatorem, et gubernatorem, ac dispositorem omnium rerum visibilium et invisibilium, corporalium et spiritualium. Item, corde credimus, et ore confitemur, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum, legem Moysi dedisse, et ipsum in Prophetis locutum fuisse, et Ioannem Baptistam ab ipso missum esse, sanctum et iustum, et in utero matris suae Spiritu Sancto repletum. Item, corde credimus, et ore confitemur, incarnationem Domini nostri Iesu Christi, ut qui erat Filius Dei in divinitate, Patri aequalis, fieret homo in utero S. Mariae Matris suae veram carnem assumens, ex visceribus Matris, qui natus est vera carnis nativitate, et manducavit et bibit, *etc.* Dormivit, et fatigatus ex itinere quievit; et passus est vera carnis suae passione, et mortuus est vera carnis suae morte: et resurrexit vera carnis suae resurrectione, in qua postquam veraciter manducavit et bibit, ascendit in coelum, et sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Item, corde credimus, et ore confitemur, unam esse Ecclesiam catholicam et apostolicam, sanctam et immaculatam, extra quam neminem salvari fatemur. Sacramenta vero quae in ea celebrantur, inaestimabili, atque invisibili virtute Spiritus Sancti, licet a peccatore sacerdote ministrentur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, neque ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo, tanquam a iustissimo amplectimur. Approbamus quoque baptismum infantium, et si defuncti fuerint post baptismum, antequam peccata committant, fatemur eos salvari. Confirmationem quoque ab episcopo factam, id est impositionem manuum sanctam, et venerande accipiendam esse censemus. In sacrificio Eucharistiae, quae fuerant panis et vinum ante consecrationem, post consecrationem esse Corpus et Sanguinem Iesu Christi, simpliciter affirmamus, et credimus: in quo nihil a bono maius, nec a malo minus perficitur sacerdote. Peccatores veraciter poenitentes veniam a Deo consequi concedimus, et eis libentissime communicamus. Unctionem infirmorum cum Oleo consecrato veneramur. Coniugia carnalia esse

Bernardi fidei confessio

contrahenda secundum apostolum Paulum non negamus, legitime vero contracta disiungere, omnino prohibemus. Ordines ecclesiasticos, idest episcopatum, et presbyterium, ac caeteros, et omne quod in Ecclesia ordinabiliter sancitum legitur, aut canitur, humiliter collaudamus, et fideliter veneramur. Item, corde credimus, et ore confitemur, resurrectionem huius carnis quam gestamus, et non alterius; et vitam aeternam, et unumquemque hominem secundum opera sua esse recepturum. Eleemosynas, et Sacrificium, caeteraque beneficia fidelibus defunctis prodesse non dubitamus. Et quia fides sine operibus mortua est, ut dicit apostolus Iacobus, saeculo abrenuntiavimus, et quae habebamus, velut a Domino consultum est, pauperibus erogavimus, et pauperes esse decrevimus. Ita quod solliciti esse de crastino non curamus, nec aurum, vel argentum, vel aliquid tale praeter vestimentum et victum quotidianum a quoquam accepturi sumus. Consilia quoque evangelica, velut praecepta servare proposuimus. Remanentes autem in saeculo, et sua possidentes, et hanc fidem supradictam firmiter et integre credentes, praeceptaque Domini servantes, salvari fatemur. Ad haec in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et beatissimae Virginis Mariae, ad aedificationem universalis sanctae Dei Ecclesiae, et ad salutem animarum omnium, ad quorum aures pervenit, sicut fideliter credimus corde, fidem praedictam ore firmiter confiteri, et nuntiare proposuimus, et usque ad animam et sanguinem adversus omnes sectas haeresum defendere viriliter. Consistentes sub magisterio et regimine unius et veri magistri Domini nostri Iesu Christi, ac piissimi vicarii eius Papae Innocentii et successorum eius semper permanentes, tam corpore, quam spiritu, in communione sanctae Romanae ac universalis Ecclesiae, quam sanctam et catholicam et apostolicam supra diximus. Quam credimus esse, omnes baptizatos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, nisi a supradicta fide recesserunt; ubi boni cum malis conveniunt, permixta quippe est diversitate filiorum; cui Ecclesiae praefatum dominum Innocentium Papam credimus præesse pastorem, et ipsum, et omnes episcopos, et sacerdotes, et caeteros ordinatos, fidem supradictam tenentes, in ipsa Ecclesia ministros esse fatemur, et credimus. Idcirco ab ipsis, et non ab aliis, petimus, et cupimus suscipere ecclesiastica sacramenta. Specialiter autem de fractione panis, super qua infamati sumus, diximus, et dicimus, quia nunquam factum fuit causa praesumptionis, nec causa contemptus sacrificii sacerdotis, sed causa ardoris fidei, et charitatis, et causa deliberationis, ne indurarentur simplices fideles inter haereticos permanentes, et sacramentum Eucharistiae non accipientes, sed nunc et in perpetuum abdicamus, et abiicimus, et abdicabimus a nobis, et ab omnibus nobis credentibus, secundum nostrum posse, ab opere, et a credulitate, corde credentes, et ore confitentes sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, nec esse conficiendum, nec posse confici, nisi a sacerdote per impositionem manus visibilis episcopi secundum morem Ecclesiae visibiliter ordinato. Habemus autem mandatum orare, ut Deus mittat operarios in messem suam; idest praedicatores in populum suum, qui debent benigne et humiliter impetrare sibi dari, ex licentia Summi Pontificis, et praelatorum Ecclesiae, ut possint admonere et exhortari in doctrina sana; et adversus omnes haereticos, gratia Dei adiuvante, cum omni virtute animi, et studio, ut eos ad fidem catholicam convertant, desudare, et credentes eorum privatis et publicis admonitionibus, sicut decet, ab eorum credulitate et haeresi separare, et Ecclesiae supradictae incorporare, et ab omnibus vitiis et peccatis compescere, tam seipsos, quam suos auditores; a su-

perbia scilicet, et inani gloria, invidia, ira, cupiditate, et avaritia, gulositate, luxuria, mendacio, detractione, blasphemia, odio, fraude, periurio et homicidio. Et quamvis ista nos praedicemus, tamen potestatem saecularem secundum leges officium suum in malefactores peragentem non iudicamus, neque ob hoc damnandum esse dicimus, vel credimus. Veruntamen sicut filii Ecclesiae reos sanguinis defendimus piis interventionibus, quia scriptum est, reos sanguinis defendat Ecclesia. Quamvis autem propter vitandum periurium non sit appetendum iuramentum, iurantes tamen ex deliberatione causa necessitatis cum veritate, et iudicio, et iustitia non culpamus, neque propter hoc credimus condemnandos. In omnibus vero episcopatibus, dioecesibus vel parrochiis, in quibus sumus, vel fuerimus, disposuimus ieiunare secundum morem et consuetudinem praelatorum et catholicorum virorum orthodoxorum illarum provinciarum tam in vigiliis, quam in ieiuniis Quatuor Temporum, et Quadragesimae. Denique licet dicat Christus: Oportet semper orare, et non deficere (1), et Apostolus: Sine intermissione orate (2); tamen quidam nostrorum per viginti quatuor vices, inter diem ac noctem: alii quindecies, alii duodecies, qui autem minus septies pro omnibus hominibus secundum eorum gradus orant. Et quamquam officium nostrum sit praecipue, ut omnes discant, et omnes qui sunt idonei exhortentur; tamen cum tempus ingruit, propriis manibus laboramus, ita dumtaxat ne pretium accipiamus conventum. Qui autem nobis credunt, a quibuscumque aliquid per aliquam fraudem habuerint, necesse est, si potuerint, et nobis acquiescere voluerint, ut ipsis et non aliis restituant. Decimas siquidem, et primitias, et oblationes, et caetera secundum usum locorum servitia, praelatis, et aliis clericis, sub quorum dioecesibus victitaverint, fideliter persolvant: quod omnibus fidelibus christianis efficaciter suademus. Licet autem in subscriptis articulis, sicut a quibusdam accepimus, assererentur errasse: quod videlicet soli Deo esse obediendum, et si homini, soli iusto, qui Deum habet in se; ac licere laico ac litterato sine licentia cuiuslibet hominis praedicare, bonumque laicum conficiendi Eucharistiam potestatem habere, malum autem sacerdotem nequaquam, et eius orationes aut missas vivis vel mortuis non proficere; ac Romanam Ecclesiam, nequaquam Ecclesiam Dei esse, necnon etiam iuramentum in quolibet articulo sub Ecclesiae forma factum, peccatum esse mortale, dogmatizasse dicuntur; ipsi tamen ex praescripta concessione, in qua tanguntur articuli praenotati, super his suam innocentiam excusarunt, illud inficiantes omnino, quod videlicet mulieribus Evangelium in Ecclesia licitum esse docere, ac indulgentias, quae fiunt a Summo Pontifice vel aliis episcopis non proficere, iustumque laicum confitentes sibi absolvere posse, quidam eos referunt astruxisse. Caeterum super eo quod nonnullos clericorum scandalizasse dicuntur, eis in plurimis detrahendo, ipsos aspere redarguimus, in virtute obedientiae, quam praestiterunt nobis, districtius iniungentes eisdem, quod et ipsi sub eadem servare obedientia promiserunt; ut clericos in omni, qua convenit, habentes reverentia, et honore, ab eorum omnino infamatione, seu detractione desistant. Praecipientes eisdem, ne passim sibi praesumant praedicationis officium arrogare; sed praeterquam Ecclesiarum rectores in fide recta et sana doctrina noverint esse probatos, licentiam eis tribuant exhortandi competentibus horis et locis. Cumque continentiam repromiserint, suspectum mulierum consortium prorsus evitent; qui super his et aliis promiserunt devotam et debitam nobis obedientiam exhibere. Nos igitur, habito fratrum nostrorum consilio, per apostolica vobis

Waldensium errores.

Poenitentia.

(1) Luc. XVIII, 1. (2) I Thess. V, 17.

Mandatur apostolicis delegatis ut eos ecclesiasticae concilient unitati.

scripta mandamus: quatenus recepto a caeteris fratribus simili iuramento, ecclesiasticae unitati reconcilietis eosdem, et denuncietis ipsos vere catholicos ac recte fideles; in praescriptis et aliis eos secundum Deum ab omni scandalo et infamia servantes immunes, et in litteris testimonialibus, et aliis adminiculis ipsos propter Deum misericorditer adiuvetis.

Datum Lateran., decimo octavo kal. iulii, pontificatus nostri anno decimotertio.

Dat. die 14 iunii 1211, pontif. anno XIII.

LXXVIII.

Confirmatur diploma Ricardi secundi Fundani comitis favore Ecclesiae Fundanae (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Confirmatio laudati diplomatis. Diploma Ricardi comitis. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Fundano episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Cum nobis petitur quod iustum est, et honestum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis: ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, venerabilis in Christo frater episcope, tuis iustis postulationibus grato concurrentes assensu, libertates et immunitates, quas dilectus filius nobilis vir Riccardus Fundanus comes tibi et Ecclesiae tuae pia devotione concesserat, sicut in ipsius comitis authentico super hoc confecto noscitur contineri, ratas habentes, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus; ad maiorem autem cautelam instrumentum ipsum de verbo ad verbum huic nostrae paginae duximus inserendum, cuius tenor est talis:

Confirmatio laudati diplomatis.

Diploma Ricardi comitis.

In nomine Domini Dei aeterni. Anno ab incarnatione eiusdem MCCII, mense iulio, indictione decimaquarta, regnante domino nostro Friderico Dei gratia rege Siciliae, ducatus Apuliae, principatus Capuae.

Cui honor praeest, Dominus, et potestas eminet dominandi, iudicium debet dirigere, et iuris aequitatem provida circumspectione fovere, cum iustitiam iustus Dominus diligat, et vultus eius videat aequitatem: Ecclesia namque Dei cum uti omnium christianorum mater piissima, a qua fidei sacramenta, quibus Coeli ianua aperitur, recipiunt universi fideles; iustum, et iustitia dignum est, ut honoretur a singulis, a principibus exaltetur donis, et beneficiis dilatetur, ut palmites suos usque ad mare dirigat et extendat. Ideo nos Riccardus de Aquila eadem regia gratia II Fundanus comes, cum iura Fundanae Ecclesiae nos et nostri antecessores multoties conculcaverimus variis exactionibus, et molestiis suggerente humani generis inimico iam oppressimus fatigatum, ad mentem reducti volumus (1) de caetero tangere et possidere Dei Sanctuarium, quia a Deo possunt, ut rota, et sicut stipula evanescunt, qui Dei Sanctuarium haereditate possidere nituntur. Hac itaque consideratione inducti, Fundanam Ecclesiam, quae a nobis et antecessoribus nostris, exactionibus et molestiis hactenus iacebat oppressa, pro salute animae nostrae et parentum nostrorum ab ipsis exactionibus et molestiis absolutam reddimus penitus et immunem, et nos exinde Roberto Dei gratia ven. Fundano episcopo, eiusque successoribus, et Ecclesiae cui divina miseratione præesse dignosceris, novum privilegium transactionis factae tempore felicis memoriae W. II regis Siciliae inter Ioannem Fundanumque (2) episcopum, et Riccardum comitem olim patrem nostrum per ipsius regis familiares continuatum et unitum concedimus, ut liceat vobis et successoribus vestris de caetero omnes ecclesias civitatis et Fundani episcopatus libere et absolute absque requisitione et contra-

(1) Ex Ughell., Ital. Sac., tom. I.

(1) Legendum putamus *nolumus*. (2) Legendum forsitan *inter Iohannem Fundanum episcopum*.

dictione nostra, haeredum et successorum nostrorum, vel cuiuslibet alterius personae ordinare et instituere, praeterquam ordinatio archipresbyterorum de castellis Fundani episcopatus, quae fient hoc modo. Mortuo archipresbytero, clerici archipresbyteratus veniant ad episcopum nuntiantes mortem archipresbyteri, et habita ab episcopo licentia faciendi electionem, personam eligant, et electionem factam nobis nuntiabunt, quam electionem nullatenus poterimus, nec debebimus impedire, nisi contra electam personam crimen infidelitatis obiiciemus, et illud infra quartum diem a tempore obiecti criminis numerando in curia episcopali probaverimus. Quod si infra quintum diem obiectum crimen non probaverimus, liceat vobis et successoribus vestris electam personam secundum Dei timorem et officii vestri prudentiam confirmare; item iura Ecclesiarum et omnium clericorum, atque hominum suorum illibata servabimus, et si quis eas molestare vel inquietare praesumpserit, nos sicut Ecclesiarum patroni curabimus defensare. Conditiones vero, quae hactenus exigebant ab Ecclesia Sancti Archangeli, Sanctae Mariae de Brumann, Sancti Andreae de Pastina, Sancti Martini de Enula, penitus remittimus, et perpetuo relaxamus: ab aliis autem Ecclesiis Fundani episcopatus, a prioribus, et clericis earum adiutorium non exigemus, nec exigi faciemus, excepto quod ab illis securitatem accepimus, iuxta quod nos soliti sumus assicurare. Clericos quoque Fundani episcopatus, et servientes eorum non capiemus, nec capi faciemus, nec verberabimus, nec verberare faciemus, nec in Curia nostra ad iustitiam cogemus, nec cogi faciemus, a terra nostra non expellemus, nec expelli faciemus, nec auferremus bona eorum, nec faciemus auferri, nec eos molestabimus, nec faciemus molestare. Si quas vero possessiones Ecclesiarum nos, seu per homines nostros occupatas tenemus, restituemus, et restitui faciemus, restitutas non auferemus, nec ab hominibus nostris permittemus auferri. Episcopus, priores et clerici omnes Fundani episcopatus res suas mobiles vendendi liberam habeant facultatem, et quo voluerint, praeterquam ad loca a regia Curia prohibita, absque requisitione et contradictione nostra transportandi. De rebus tamen ipsius episcopi, ut dictum est, venditis, aut quoquam transmissis plateaticum remittimus, nec illud ab emptoribus exigi faciemus. Pascua vero, sylvas, et aquas terrae nostrae hominibus ecclesiarum, aut animalibus eorum non prohibebimus, nec prohiberi faciemus, sed eis utantur sicut homines de terra nostra. Ab hominibus Fundani episcopatus, vel Ecclesiarum eius a nobis non tenentibus, nihil exigemus praeter securitatem, et non capiemus eos, nec capi faciemus, nec ad iustitiam in Curia nostra cogemus, aut cogi faciemus, nec capiemus bona eorum, nec faciemus capi, etsi contigerit quod homines ipsarum Ecclesiarum foris fecerint hominibus nostris, praelati et baiuli ipsarum Ecclesiarum in Curia tenere debent, et si qua fuerit inde compositio facta, medietas ipsius compositionis erit nostra, et reliqua medietas erit illius Ecclesiae, cuius homo fuerit. De bannis autem, quae generaliter mittuntur secundum consuetudinem terrae, si aliquis hominum ipsarum Ecclesiarum in bannum inciderit, medietas ipsius banni sit nostra, et alia medietas sit illius Ecclesiae, cuius homo fuit, ita tamen quod non magis graventur homines Ecclesiarum, quam homines nostri, et si de ipsis aliqui fuerint servientes ipsius episcopi, vel praedictarum Ecclesiarum, nihil ab eis exigemus, nisi a nobis fuerint tenentes. A demaniis vero hominibus ipsius episcopi a nobis non tenentibus, istud tamen habebimus, videlicet: cento quinquaginta tarenos Amalphiae, quando nos generale adiutorium in terra nostra posuerimus, pro causa tantum regiae expeditionis, et pro sorore et nostra filia maritandis, et non pro alio, et ipsos tarenos habere debemus per epi-

scopum, vel per baiulos Fundanae Ecclesiae. Item homines Ecclesiae Sancti Marci habitantes in Postina, et alii demanii homines habitantes in castello Monticelli, et in castello Enuli, et etiam homines Ecclesiarum civitatis Fundanae praestabunt, et facient nobis tria servitia, videlicet unam operam ad seminandum, aliam ad vineam, et tertiam ad metendum, pro uno quoque tenimento, de quo ipse episcopus et priores Ecclesiarum per unamquamque septimanam servitium unum habere debent. A demaniis vero hominibus ipsius episcopi, qui habitant in civitate Fundana, vel castellis baronum nostrorum, habere nihil debemus, nisi quod superius exceptuatum est, videlicet 150 tarenos pro sorore vel filia maritandis. Verum si praedicti homines Fundani episcopatus non tenentes a nobis extra civitatem habitant, vel castella, aut habitabunt, nisi fraude nihil ab eis exigemus, vel exigi faciemus: volumus etiam, et concedimus, ut si quis de rebus suis immobilibus in testamentis vel oblationibus competenter offerre voluerit, non prohibebimus, nec permittimus ab aliquo prohiberi. Item volumus, et concedimus, ut cum homines nostri cum hominibus Ecclesiarum matrimonia contrahere voluerint, liceat eis secundum consuetudinem civitatis Fundanae dare de immobilibus suis absque omni contradictione, et si quando homines nostri de rebus suis immobilibus clericis et hominibus Ecclesiarum vendere, sive pignorare voluerint, nos non prohibebimus, nec ab aliquo prohiberi faciemus. Item volumus, ut homines Sancti Viti liberi et immunes sint perpetuo ab omni servitio, et eos immunes ab exactionibus esse volumus, et eos in pace et quiete, sicut unquam melius fuerunt, dimittimus; et si forte villa Sancti Viti incursu hostium, seu conturbatione, quod absit, deleta fuerit, reædificationem ipsius, nos, nec nostri haeredes prohibemus, nec prohiberi ab aliquo permittemus; homines eiusdem villae, qui ibi habitant, vel de caetero habitabunt, sylvis, pascuis, aquis libere et absque contradictione alicuius utantur. Concedimus etiam, ut terrae de Casa Nova, quae continentur in praecepto Sancti Viti, quas per ecclesias Sancti Viti tenent homines Monticelli, ad decimam et servitium, quoties sine haeredibus discesserint, libere in demanium ipsius Ecclesiae reducantur, et si quae ex eis tali modo alienatae vel substractae fuerint, Ecclesiae restituemus; decimas namque civitatis Fundanae, et castellorum de demanio nostro nos Ecclesiis Fundani episcopatus, quibus reddere consuevimus, sine molestia annuatim persolvemus, et barones, et caeteros homines nostros decimas ipsas Ecclesiis et clericis persolvere, sicut expedierit, cogemus. Homines de terra nostra, vel aliunde volentes ad molendina Fundanae Ecclesiae, aut Ecclesiarum eius causa molendi venire, non prohibemus, nec prohiberi faciemus, nec a molendinariis, undecumque sint, aliquid exigemus, nec eos in curia nostra cogemus, nec cogi faciemus, pro his, quae spectant ad molendina. Omnes homines volentes terras et vineas Fundani episcopatus, vel Ecclesiarum eius, aut clericorum eorum laborare, nos non prohibebimus, nec faciemus prohiberi. Piscariam et piscatores Fundani episcopatus, et pisces piscariae, et partem de Sassone non capiemus, nec capi faciemus, nec aliquam molestiam inferemus, nec inferri permittemus ab hominibus nostris. Si quando vero inter nos, et praedictum episcopum discordia orietur, propter hoc consanguineos aut bona eorum non capiemus. Item praedictus episcopus sylvis Fundani comitatus, ecclesiis et propriis domibus ipsarum ecclesiarum reparandis, vel faciendis, et pascuis pro suis propriis animalibus, sic utetur, sicut unquam melius usus est. Ut autem haec nostra donatio, concessio et remissio sponte et liberaliter facta perpetua gaudeat firmitate, necnon ad perennem memoriam futurorum praesens privilegium per manum Riccardi subdia-

coni et vicarii civitatis Fundanae fieri iussimus, et tam subscritione propria quam baronum et militum nostrorum fecimus communiri. In anno, mense et indictione supradicta.

Clausulae. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani sexto idus augusti, pontificatus nostri anno decimoquarto.

Dat. die 8 augusti 1211, pontif. anno XIV.

LXXIX.

Confirmatio nonnullorum statutorum monasterii Grandimonten. (1).

SUMMARIUM

De pulsatione campanae ad collationem. — De visitatorum officio. — De hebdomadario.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, priori Grandimontensi.

Cum quaedam capitula in authentico nostro contenta per litteras tuas, quae coram nobis recitatae fuerant, ad maiorem duxeris evidentiam exponenda, non attendentes de illa, et intellexisse fideliter et salubriter explanasse, devotioni tuae praesentium auctoritate mandamus, quatenus ipsa secundum expositionem huiusmodi facias observari. Ad maiorem vero cautelam expositiones illas de verbo ad verbum praesenti scripto iussimus annotari, quarum tenor est talis. Quia de pulsatione ad collationem prima fiebat quaestio, taliter videtur determinare privilegium quod procurator domus secundum tenorem mandati apostolici debet propria manu pulsare, cum in domo praesens fuerit hora statuta a priore, nisi infirmitas corporis manifesta, vel necessitas inevitabilis ipsum detinuerit, ne collationi valeat interesse. Si vero interesse nequiverit, alius conversus, quem prior statuerit, pulset hora constituta a priore. Ita siquidem, ut de negligentia iure non valeant reprehendi. Prior autem clericum instituet, qui procuratori vel alteri converso hora statuta praecipiat, ut pulsetur, vel si clericus negligens fuerit, hoc idem iniungat alius clericus loco eius, per quod manifeste datur intelligi quod clericus auctoritatem habet iniungendi converso, ut pulset hora statuta, vel si forte hora transierit, conversus tenetur pulsare ad denuntiationem clerici sine dilatione qualibet, vel quaestione, et si quilibet horum negligens fuerit vel contemptor, de mandato Summi Pontificis tanquam transgressor puniatur. Visitatores computationes audiant de receptis pariter, et expensis, eo modo quo prior computationes consuevit audire, quem modum quamvis satis notus sit universis, plene coram nobis in capitulo generali exposuimus. Si clericis placuerit, ut exeant ad laborem cum conversis, exeant, et cum eis pariter revertantur. Sed semper hebdomadarius in cella remaneat. Cuius nomine intelligimus interiorem ambitum, vel clausuram, vel si clausura non fuerit, loca adiacentia officinis. Si vero clerici vel conversi excesserint exeundo, quod intelligimus si nimis frequenter, et sine causa honesta, in capitulo proclamentur a clerico vel converso, et per hebdomadarium regulariter et rationabiliter iudicentur. Caetera vero expositione aliqua indigere non videntur, cum mutationes clericorum de voluntate prioris cum consilio clericorum discretorum fieri debeant, et cum mutati fuerint, nihil prorsus secum ferre debeant nisi pannos simplices, nec scripturam, nec quodlibet aliud, nec conversi pariter sine speciali permissione, vel mandato prioris, cum sicut aperte sonat privilegium, nihil sibi proprium debeant vindicare. Quia vero computationis capitulum, fili prior, mi-

Marginal notes: De pulsatione campanae ad collationem. — De visitatorum officio. — De hebdomadario.

(1) Ex Baluz., lib. XIV, Epist. 144.

nime fuit in tuis litteris explanatum, illud nos in aliis litteris nostris plenius duximus explanandum.

Datum Laterani 8 idus ianuarii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Dat. die 6 ianuarii 1212, pontif. anno XIV.

LXXX.

Confirmatur concordia inter Ecclesias Strigonien. et Colocen. inita (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Vesprumien. episcopus ad Sedem Apostolicam missus pro obtinenda confirmatione concordiae. — Delegati a Strigonien. et Colocen. episcopis pro firmanda concordia. — Concordiae tenor. — Compositio huiusmodi PP. significata. — Additis precibus eam ut approbaret. — Strigoniense capitulum contra eamdem reclamat. — Regum coronatio Strigonien. archiepiscopo adiudicata.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, illustri regi Hungariae.

Exordium. Illa te, fili charissime, charitatis praerogativa diligimus, cum inter alios mundi principes erga personam nostram, et sacrosanctam Romanam Ecclesiam devotissimum te sciamus, quod preces et petitiones ex parte tua nobis oblatas intendimus libenter admittere, quantum cum nostra possumus honestate. Inde siquidem fuit, quod venerabilem fratrem nostrum Vesprumiensem episcopum ad Sedem Apostolicam accedentem paterna benignitate suscepimus, et quae tam per eum, quam per tuas nobis litteras intimasti pleno concepimus intellectu. Qui denique inter caetera proposuit coram nobis, quod cum de pace perpetuo statuenda inter Strigoniensem et Colocensem Ecclesias diu fuerit te mediante tractatum, tandem venerabilis frater noster Strigoniensis archiepiscopus de consensu et voluntate suffraganeorum Strigoniensis Ecclesiae, videlicet Agriensis, Georiensis, et praefati Vesprumiensis episcoporum ex parte una, et dilectus filius Colocensis electus de voluntate suffraganeorum Colocensis Ecclesiae, Waradiensis videlicet, Cenadiensis, et Ultrasilvani episcoporum ex altera in certam formam concordiae devenerint, quam per praefatos Georiensem et Vesprumiensem episcopos redigi mandaverunt in scriptis, cum illam in scriptis redactam in medium produxissent, et super ea fuisset diutius disputatum: tandem ita correcta extitit et conscripta, quod eam pars approbavit utraque, et tam Strigoniensis archiepiscopus, quam Colocensis electus cum Ecclesiarum suarum suffraganeis ad sancta Dei Evangelia iuraverunt, quod formam pacis, quae continebatur in illo scripto posito coram eis firmiter observarent, et laborarent ad hoc nihilominus bona fide, ut nos compositionem confirmaremus eandem. P. quoque Quinqueclesiensis praepositus ab episcopo suo missus pro eo, et Benedictus praepositus Sancti Thomae, necnon et Iacobus Scholasticus Strigoniensis pro capitulo eiusdem Ecclesiae, a quo sub debito iuramento se asseruerunt habere mandatum, et Hubaldus Posoniensis praepositus iuraverunt etiam illud idem. Pro Colocensi vero Ecclesia Iacobus Colocensis, et Hosmundus Sancti Laurentii praepositi praestiterunt consimile iuramentum. Unde praefatus episcopus ex parte tua nobis humiliter supplicavit, ut compositionem eandem, quam sigillorum praedictorum electi, et Varadiensis, Cenadiensis, Ultrasilvani, Agriensis, et ipsius Vesprumiensis episcoporum, necnon capitulorum Colocensis et Bacchiensis nobis exhibuit munimine roboratam, auctoritate dignaremur apostolica confirmare; cuius tenor talis est: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Haec est forma pacis inter Strigoniensem et Colocensem archiepiscopos. Prima coronatio regum Hungariae specialiter spectat ad solam

Vesprumiensis episcopus ad Sedem Apostolicam missus pro obtinenda confirmatione concordiae

Delegati a Strigonien. et Colocen. episcopis pro firmanda concordia.

Concordiae tenor.

(1) Ex Baluz., lib. XIV, Epist. 156.

Strigoniensem Ecclesiam. Verumtamen si Strigoniensis archiepiscopus non posset, vel malitiose nollet regem coronare, vel Strigoniensis Ecclesia vacaret, coronet regem Colocensis, nullum ex tali coronatione ius sibi vindicando in prima coronatione: secunda coronatio ei deinceps aequaliter pertineat ad utramque. De proventu monetae decima pertineat ad Ecclesiam Strigoniensem, ubicumque in regno Hungariae excudatur, quod si cudi desierit generalis moneta totius Hungariae, quicquid loco generalis monetae successerit, decimam habeat Strigoniensis Ecclesia; Strigoniensis archiepiscopus renuntiat omni iurisdictioni, et iuri spirituali, quod habebat, vel habere videbatur in provincia Colocensi: praeter decimam monetae, si ibi contingeret fabricari. Iudicium officialium domus regiae quilibet episcopus habeat in sua parochia. Exhibitio sacramentorum regibus et reginis, et eorum liberis tam ad ipsos archiepiscopos, quam ad alios episcopos in suis parochiis pertineat pro voluntate regis. In omnibus aliis utrique Ecclesiae iura sua conserventur illaesa, et consuetudines antiquae. Si quae autem privilegia vel rescripta quandocunque prolata fuerint contra hanc formam, vires non habeant. Salva in omnibus auctoritate apostolica. Quod si Papa non approbaverit, res sit in eo statu in quo nunc est. Iuraverunt ambo archiepiscopi, et eorum suffraganei, qui praesentes erant, necnon et praepositus Quinqueecclesiensis, qui vice domini sui episcopi intererat, necnon et procuratores capitulorum utriusque Ecclesiae, quod secundum formam praescriptam bona fide pacem praescriptam observabunt, et sine fraude ad confirmationem laborabunt. Cumque super his cum fratribus nostris deliberare vellemus, dilecti filii Iacobus scholasticus, et Nicolaus canonicus praefati archiepiscopi nuntii, et M. thesaurarius, et Io. archidiaconus Strigonienses procuratores eiusdem loci capituli petierunt a nobis audientiam sibi dari. Qua ipsis de more concessa, nuntii proposuere praedicti, quod inter praefatos archiepiscopum, et Colocensem electum, et eorum suffraganeos talis compositio intervenit, ut prima coronatio regum Hungariae, ubicumque in ipso regno eos primum contingeret coronari, solius Strigoniensis Ecclesiae iuris esset, et monetae ubicunque cuderentur in regno, vel illius quod loco colligeretur monetae decima ad eandem pertineret, ac tu, et charissima in Christo filia Hungarorum regina, per vestras a nobis litteras peteretis, quatenus primam sedem, primamque vocem cum iuribus supradictis, quae tu et dicta regina, necnon et pars Colocensis publice praefatae Strigoniensi recognovistis Ecclesiae, ipsi perpetui dignaremur privilegii munimine roborare; super aliis vero de quibus inter eos esse videbatur contentio propter bonum pacis, sic extitit ordinatum, ut nec Colocensis in Strigoniensi provincia, nec Strigoniensis in Colocensi praeter praedicta sibi iuris aliquid vindicaret, auctoritate in omnibus Apostolicae Sedis salva, ita quod si haec non approbarentur a nobis, res in eo statu, in quo tunc fuerat, remaneret. Unde quicquid sit scriptum, vel iuratum esse dicatur, hoc autem, et intellectum esse a partibus asserebant, et illud ex parte archiepiscopi confirmari a nobis suppliciter postulabant, asserentes sic actum et intellectum fuisse idem archiepiscopus, et praefati Agriensis et Geuriensis episcopi suis litteris declararant. Procuratores vero Strigoniensis capituli proposuere constanter, quod tam illa compositio, quam redactam in scriptis praefatus episcopus nobis exhibuit, quam illa in quam praefati nuntii dixerunt archiepiscopum consensisse, inita fuerat sine assensu capituli, et in enorme dispendium Strigoniensis Ecclesiae redundabat, unde contradicentes utrique, nobis suppliciter supplicarunt, ut auctoritate apostolica cassaremus utramque. Nos igitur attendentes,

Compositio huiusmodi PP. significata.

Additis precibus eam ut approbaret.

Strigoniense capitulum contra eamdem reclamat

Regum coronatio Strigon. archiepiscopo adiudicata.

quod olim nobis multa precum instantia supplicaras, ut super iure coronandi reges Hungariae Strigoniensi Ecclesiae privilegium concedere dignaremur, nosque tuis precibus inclinati, ei super hoc privilegium concesserimus fratrum nostrorum subscriptionibus roboratum, considerantes etiam, quod si potestas coronandi regis Hungariae penes diversas Ecclesias resideret, toti regno grave periculum, et haeredibus tuis grande posset dispendium generare, cum sicut plenius ipse nosti, frequenter inter regum Hungariae cohaeredes super obtinenda regni corona scandalum sit exortum, quod utique posset facilius suboriri, si eos diversos coronatores contingeret invenire, propter contradictiones et rationes praescriptas compositionem huiusmodi non potuimus, sicut nec debuimus confirmare. Super episcopatu quoque de novo creando apud Cibiniensem Ecclesiam in Ultrasilvana dioecesi, qui metropoli Colocensi subdatur, petitionem regiam nequivimus exaudire; quoniam sive Apostolicae Sedi, sicut tu ipse firmiter protestaris, sive Strigoniensi metropoli, sicut procuratores ipsius fortiter asserebant, Cibiniensis praepositura sit in spiritualibus immediate subiecta, id absque dubio in alterutrius praeiudicium redundaret; sed, et quidam qui se nuntium venerabilis fratris nostri Ultrasilvani episcopi faciebat, contradicebat omnino, gravem et enormem Ultrasilvani episcopatus diminutionem allegans: serenitatem igitur regiam rogamus, monemus, et exhortamur attentius quatenus ad duri iam nobis non imputes, quod compositioni praedictae robur non attribuimus firmitatis, sed tam providentiae, quam iustitiae id ascribas, quibus regni, et haeredum tuorum indemnitatibus duximus praecavendum, et iuris ordinem observandum, cum omnibus facti sumus in iustitia debitores; sciturus pro certo quod in nullo unquam a nobis patieris repulsam in quo quisquam principum debeat exaudiri (1).

Datum Laterani secundo idus februarii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Dat. die 12 februarii 1212, pontif. anno XV.

LXXXI.

Irritatur quicquid contra clericos vel Ecclesias statutum est ab Othone imperatore, ac praesertim sententia ab eodem lata contra episcopum Cumanum (2).

SUMMARIUM

Procemium. — Statuta ab Othone contra libertatem Eccles. infirmat: — Ac praecipue sententiam contra Cumanum episc. ab eodem latam.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, episcopo Taurinensi, et praeposito Sancti Gaudentii Novariensis.

Procemium.

Sicut ea, quae a catholicis et devotis principibus rationabiliter ordinantur, firma debent et illibata servari, sic ea, quae a perfidis tyrannis improbe statuuntur, illo maxime tempore, quo excommunicationis vinculo tenentur astricti, carere debent robore firmitatis, cum tales legitime nequeant iurisdictionis officium exercere ab unitate fidelium separati. Cum igitur Otho non iam nominandus imperator, sed impius persecutor, cum fautoribus anathematis sit vinculo innodatus, et a debito fidelitatis ipsius absoluti sint universi, nos omnia, quae

(1) Scriptum est capitulo Strigoniensi super hoc in eumdem fere modum, videlicet: Venerabilis frater noster Vesprumiensis episcopus in nostra proposuit praesentia constitutus, quod cum de pace perpetuo statuenda *etc., usque* non potuimus, sicut nec debuimus confirmare.

In eumdem fere modum scriptum est Strigoniensi archiepiscopo: Venerabilis frater noster Vesprumiensis episcopus in nostra proposuit praesentia constitutus, quod cum de pace *etc., usque* nec debuimus confirmare. (2) Ex Baluz., lib. XV, Epist. 31.

Statuta ab Othone contra libertatem Eccles. infirmat:

idem excommunicatus, vel aliquis eius officialis contra clericos, vel Ecclesias statuit, aut statuerit, sive contra principes, aut eorum fautores, qui memorato tyranno suum subtraxerit obsequium, ut libertatem et iustitiam tam Ecclesiae, quam imperii tueantur, denuntiamus irrita et inania, eaque de communi fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica omnino cassamus. Specialiter autem sententiam, quam idem Otho contra venerabilem fratrem nostrum Cumanum episcopum super causa, quae vertitur inter ipsum et capitaneos de Arzago, pro eo quod ad ipsius excommunicati praesentiam idem episcopus non accessit, cum vocatus fuisset ab eo, nequiter promulgavit; decernimus nullam esse, nec per eam aliquod Cumanae Ecclesiae in posterum praeiudicium generari. Quo circa discretioni vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatenus capitaneos ipsos, ut dictum episcopum, vel eius Ecclesiam occasione ipsius sententiae non aggravent vel molestent, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis.

Ac praecipue sententiam contra Cumanum episc. ab eodem latam.

Datum Laterani nonis aprilis, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Dat. die 5 aprilis 1213, pontif. anno XV.

LXXXII.

Thessalonicenses archiepiscopi regni primates, ac perpetui Sedis Apostolicae legati declarantur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Thessalonicensis Ecclesiae dignitas. — Iura ei asserta a S. Leone Magno. — Nicolai I de eadem re ad Michaelem imper. literae. — Aliae S. Leonis literae. — Vicariatus Apostolicae Sedis eidem confirmatur: — Palliumque archiepiscopo conceditur. — Ecclesiae ei subiectae. — Privilegia ei concedit Innocentius. — Clausulae.

(1) Ex Baluz., lib. XV, Epist. 130.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Thessalonicensi archiepiscopo, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Exordium.

Quantae dignitatis Thessalonicensis antistes fuerit ab antiquo per authentica scripta praedecessorum nostrorum evidenter apparet. Quod ut plenius declaretur pauca de multis in medium duximus proponenda: scribens enim sanctae memoriae Leo Papa Anastasio antistiti Ecclesiae Thessalonicensis sic ait: De persona consecrandi episcopi, et de cleri, plebisque consensu metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in provincia bene placuit scire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque confirmet auctoritas, quae rectis dispositionibus nihil morae aut difficultatis debebit afferre, ne gregibus Domini diu desit cura pastorum. Metropolitano vero defuncto, cum in loco eius fuerit alius subrogandus, provinciales episcopi ad civitatem metropolim convenire debebunt, ut omnium clericorum atque omnium civium voluntate discussa, ex presbyteris eiusdem Ecclesiae, vel ex diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam provinciales referant sacerdotes. Impleantur vota poscentium cum, quod ipsis placuit, tibi placuisse cognoverint. Sicut enim iustas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante praesumi. De conciliis autem episcopalibus non aliud indicimus, quam sancti Patres salubriter ordinarunt, ut scilicet bini conventus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quae inter diversos Ecclesiae ordines nasci assolent, iudicet, ac si forte inter ipsos, qui praesunt, de maioribus, quod absit, peccatis causa nascitur, quae provinciali nequeat examine diffiniri, fraternitatem tuam de totius negotii qualitate metropolitanus curabit instruere, ut si coram positis partibus, nec tuo fuerit res sopita iudicio, ad nostram cognitio-

Thessalonicensis Ecclesiae dignitas.

Iura ei asserta a S. Leone Magno.

nem quicquid illud est transferatur. Praeterea in diffinitione quondam fidei orthodoxae Ioannes Thessalonicensis antistes primus post Apostolicae Sedis legatos, et quatuor patriarchas, quorum aliqui per se ipsos, et alii per suos vicarios affuerunt, sic legitur scripsisse: Ioannes Dei misericordia episcopus Thessalonicensis antistes, et vicarius Apostolicae Sedis Romae legatus diffiniens subscripsi. Licet autem praefatus antistes satis profecto fuerit ex Ecclesiae suae dignitate conspicuus, magis tamen utique fuit ex Apostolicae Sedis familiaritate praeclarus; sicut etiam ex scriptis ostenditur Pontificum Romanorum, qui saepissime vices suas eidem antistiti commiserunt. Nicolaus enim Papa inter caetera scribens Michaeli imperatori, sic ait: Oportet imperiale vestrum decus, quod in omnibus ecclesiasticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem quem nostra Ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini: quatenus vicem quam nostra Sedes per episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanae Sedis vicem per Epirum veterem, Epirumque novam, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, Daciam Kiperensem, Daciam Mediterraneam, Misiam, Dardaniam, et Praevalim beato Petro apostolorum principi contradicere nullus praesumat, quae antecessorum nostrorum temporibus, scilicet Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Coelestini, Sixti, Leonis, Hilarii, Simplicii, Felicis, atque Ormisdae sanctorum Pontificum sacris dispositionibus agebatur. Praefatus quoque Leo scripsit supradicto Anastasio in haec verba: Quanta fraternitati tuae a beati Petri auctoritate commissa sunt, et qualia etiam nostro sibi favore sunt credita, si vera ratione perspiceres, et iusto examine ponderares, multum possemus de iniunctae tibi sollicitudinis devotione gaudere, quoniam sicut praedecessorum praedecessoribus tuis, ita etiam

Nicolai I de eadem re ad Michaelem imper. literae.

Aliae S. Leonis literae

ego dilectioni tuae, priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi, ut curam quam universis Ecclesiis principaliter, et divina institutione debemus, imitator nostrae mansuetudinis effectus adiuvares, et longinquis a nobis provinciis praesentiam quodam modo nostrae visitationis impenderes. Caeterum, etsi praefata Thessalonicensis Ecclesia a devotione ac familiaritate Sedis Apostolicae se subduxerit per schisma illud diutinum, quo Ecclesia Graecorum a via veritatis ad erroris invium declinavit, quia tamen hoc tempore per Dei gratiam ad devotionem pristinam est reversa, et ipsam, in eadem te studiosius operante, credimus permansuram, cum familiaritatis gratia specialiter tenearis astrictus, utpote in diaconem et presbyterum per manuum nostrarum impositionem promotus, et in episcopum nostrae humilitatis ministerio consecratus, necnon et palleo, pontificalis videlicet officii plenitudine insignitus, postulationem ab eadem Ecclesia de te factam, inquisitione super ea praehabita diligenti, ratam et gratam habentes, ipsam auctoritate curavimus apostolica confirmare, palleum quoque de corpore beati Petri sumptum, insigne pontificalis officii, fraternitati tuae de Apostolicae Sedis libertate concessimus; quo utique infra tuam Ecclesiam ad missarum solemnia uti memineris illis diebus quibus praedecessores tuos usos fuisse cognoscis, videlicet in Nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania, Hypapanti, Dominica in Ramis Palmarum, Coena Domini, Sabatho Sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus festivitatibus Beatae Mariae, natali Beati Ioannis Baptistae, solemnitatibus omnium Apostolorum, commemoratione omnium Sanctorum, dedicationibus Ecclesiarum, consecrationibus episcoporum, ordinationibus clericorum, Ecclesiae tuae principalibus festivitatibus, solemnitate beati Demetrii,

Vicariatus Apostolicae Sedis eidem confirmatur;

Palliumque archiepisc. conceditur.

et consecrationis anniversario tuae die. Ad haec ipsi Thessalonicensi metropoli suam confirmamus provinciam, in qua subscriptos episcopatus specialibus nominibus duximus exprimendos, videlicet Citrensem, Beriensem, Campaviensem, Guardariensem, Serviensem, Petrensem, Platomonensem, Langardensem, Adrameriensem, Nerisiensem, et Cassandriensem. Iura quoque, ac bona eius, dignitates et libertates ipsius, necnon antiquas et rationabiles consuetudines auctoritate apostolica roboramus, et tam tibi quam eidem Ecclesiae firma et illibata manere sancimus. Cimiteria quoque earumque beneficia nullus haereditario iure possideat: quod si quis hoc facere contenderit, censura canonica compescatur. Prohibemus autem ne presbyteri cappellani Ecclesiarum ad ius Ecclesiae tuae pertinentium possessiones earum absque assensu tuo, salvis tamen canonicis institutionibus, distrahere, vendere, vel obligare, seu alio quolibet modo alienare praesumant; quod si factum fuerit, irritum habeatur. Prohibemus insuper ne interdictos vel excommunicatos tuos ad officium vel communionem ecclesiasticam sine conscientia et consensu tuo quisquam admittat, aut contra sententiam tuam canonice promulgatam aliquis venire praesumat; nisi forte periculum mortis immineat, aut dum praesentiam tuam habere nequiverit, per alium secundum formam Ecclesiae, satisfactione praemissa, oporteat ligatum absolvi. Porro Dominicae Crucis vexillum per tuam dioecesim, et episcopatus tibi subditos, ante te deferendi fraternitati tuae licentiam impertimur.

Ecclesiae ei subiectae.

Privilegia ei concedit Innocentius.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat praefatam Thessalonicensem Ecclesiam temere perturbare *etc.*, *usque* usibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum *etc.*, *usque* districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco *etc.*, *usque* praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Clausulae.

Datum Laterani per manum Iohannis Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi cardinalis, S. R. E. cancellarii, VII idus aprilis, indictione XV, incarnationis dominicae anno MCCXIII, pontificatus vero domini Innocentii Papae III anno decimoquinto.

Dat. die 7 aprilis 1213, pontif. anno XV.

LXXXIII.

Reges, ac regnum Portugallense sub protectione Sedis Apostolicae suscipiuntur, eisque confirmatur quidquid de Saracenorum manibus fuerit per ipsos acquisitum (1).

SUMMARIUM

Reges Portugallenses de religione catholica optime meriti. — Eos sub apostolica recipit protectione. — Census annuus ab eis S. A. persolvendus. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, A. illustri regi Portugallensi et haeredibus eius, in perpetuum.

Manifestis probatum est argumentis, quod inclitae recordationis Alphonsus avus tuus per sudores bellicos et certamina militaria inimicorum christiani nominis intrepidus expugnator et propagator, diligens fidei orthodoxae sicut devotus filius et princeps catholicus multimodo obsequia impendit sacrosanctae Ecclesiae matri suae, dignum nomen et exemplum imitabile posteris derelinquens. Æquum est autem ut quos ad populi regimen et salutem dispensatio caelestis eligit Apostolica Sedes sincero prosequatur affectu, et in iustis postulationibus studeat efficaciter exaudire. Proinde nos tuam attendentes personam ornatam prudentia, iustitia praeditam, atque ad regni gubernationem idoneam, eam sub beati Petri et nostra protectione susci-

Reges Portugallenses de religione catholica optime meriti.

Eos sub apostolica recipit protectione.

(1) Ex Baluz., Epist. 24.

pimus, et regnum Portugallense cum integritate honoris regni, et dignitate, quae ad reges pertinet, necnon et omnia loca, quae cum auxilio caelestis gratiae de Sarracenorum manibus eripueris, in quibus ius sibi non possunt christiani principes circumpositi vendicare, ad exemplar felicis memoriae Alexandri Papae praedecessoris nostri, qui haec praefato avo tuo per privilegii paginam concessisse dignoscitur, tuae sublimitati concedimus, et auctoritate apostolica confirmamus: ut autem ad devotionem et obsequium B. Petri apostolorum principis, et sacrosanctae Romanae Ecclesiae vehementius accendaris, haec ipsa haeredibus tuis duximus concedenda, eosque super his quae concessa sunt, Deo propitio, pro iniuncto nobis apostolatus officio defendemus. Tua itaque intererit, fili charissime, ita circa onorem et obsequium matris tuae sacrosanctae Romanae Ecclesiae humilem et devotum existere, et sic te ipsum in opportunitatibus, et dilatandis christianae fidei finibus exercere, ut de tam devoto et glorioso filio Sedes Apostolica granuletur, et in eius amore quiescat. Ad indicium autem, quod praescriptum regnum beati Petri iuris existat pro amplioris reverentiae argumento, progenitorum tuorum vestigiis inhaerendo, statuisti duas marcas auri annis singulis, nobis, nostrisque successoribus persolvendas, quem utique censum ad utilitatem nostram et successorum nostrorum Bracarensi archiepiscopo, qui pro tempore fuerit, tu et successores tui curabitis assignare.

Census annuus ab eis S. A. persolvendus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat personam tuam, aut haeredum tuorum, vel etiam praefatum regnum temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare. Si qua igitur *etc.*, *usque* districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem regno et regi sua iura servantibus *etc.*, *usque* praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Clausulae.

Datum Laterani, per manum Iohannis Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi cardinalis, sanctae Romanae Ecclesiae cancellarii, XVI kalendas maii, indictione XV, incarnationis dominicae anno MCCXIII, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno decimoquinto.

Dat. die 16 aprilis 1213, pontif. anno XV.

LXXXIV.

Confirmatio bonorum omnium Philippensis Ecclesiae, quae variis aucta privilegiis sub Apostolicae Sedis protectione recipitur (1).

SUMMARIUM

Exhortatio ad Philippen. archiepiscopum. — Ecclesiam hanc sub Apostolicae Sedis protectione suscipit: — Eiusque bona omnia confirmat. — Pallium archiepiscopo concedit. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Willelmo Philippensi archiepiscopo, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Si humilitatis exemplum studueris imitari sacrosanctae Romanae Ecclesiae matri tuae reverentiam et obedientiam impendendo, sicut Philippenses Apostolus exhortatur: Hoc, inquiens, in vobis sentite, quod in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus esse se aequalem Deo, exinanivit se, formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, absque dubio exaltaberis apud eum, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; propter quod exaltavit illum Deus, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genuflectatur coelestium, terrestrium et infernorum, quia Dominus Iesus est in gloria Dei Patris. Hanc igitur formam doctrinae quam Apostolus tradidit Philippensibus, tu eorum factus antistes diligenter observa, ne ab obedientiae bono, ad quod nuper Philippensis Ecclesia est

Exhortatio ad Philippen. archiepiscopum.

(1) Ex Baluz., lib. XV, Epist. 56.

reversa, de caetero avertatur, memor semper illius gratiae specialis quam tibi dignanter impendimus, cum a Nazorocensi Ecclesia te transtulimus ad metropolim Philippensem, teque propriis manibus consecravimus in Pontificem, et palleo insignivimus, pontificalis videlicet officii plenitudine, ut nihil tibi ex aliqua parte desit, quod ad metropoliticam pertineat dignitatem. Quia vero, venerabilis frater in Christo, nos suppliciter exorasti, ut eandem Philippensem Ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, dignaremur apostolici privilegii munimine roborare, nos tuis iustis postulationibus annuentes, eam sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesenti privilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, et quaecunque bona eadem Ecclesia *etc.*, *usque* illibata permaneant. In quibus haec *etc.*, *usque* vocabulis. Locum ipsum *etc.*, *usque* pertinentiis suis. Casale quod dicitur Candaca cum omnibus pertinentiis suis, abbatias, piscaturas, terras et vineas quas habet apud Chrisopolim, casale quod dicitur Stravo, casale quod dicitur Pravicaresta, casale quod dicitur...., domus quae dicitur Platon, casale quod dicitur Caresta, cum omnibus pertinentiis suis, ecclesias quas habet in castro Christopoli, episcopatus quoque inferius annotandos Ecclesiae tuae metropolitico iure subiectos tibi tuisque successoribus nihilominus confirmamus, videlicet Eleutheropolim, Casiropolim, Polistrios, Vilikios Morenos. Palleo vero quod tibi ex apostolica benignitate contulimus, infra tuam Ecclesiam ad missarum solemnia uti memineris, his diebus videlicet Nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania, Hypapanti, Dominica in Ramis Palmarum, Coena Domini, Sabbatho Sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus festivitatibus Beatae Mariae, natali beati Ioannis Baptistae, solemnitatibus omnium Apostolorum, commemoratione omnium Sanctorum, dedicationibus Ecclesiarum, consecrationibus episcoporum, ordinationibus clericorum, Ecclesiae tuae principalibus festivitatibus, et consecrationis tuae anniversario die, iura quoque ac bona eius, dignitates, et libertates ipsius, necnon antiquas et rationabiles consuetudines auctoritate apostolica confirmamus, et tam tibi, quam eidem Ecclesiae firma et illibata manere sancimus; cimiteria quoque ecclesiarum, earumque beneficia *etc.*, *usque* censura canonica compescatur. Prohibemus insuper ne presbyteri, capellani ecclesiarum *etc.*, *usque* irritum habeatur. Prohibemus insuper ne interdictos vel excommunicatos tuos *etc.*, *usque* oporteat ligatum absolvi.

Ecclesiam hanc sub Apostolicae Sedis protectione suscipit.

Eiusque bona omnia confirmat.

Pallium archiepiscopo concedit.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum *etc.*, *usque* usibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum *etc.*, *usque* districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco *etc.*, *usque* praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Clausulae.

Datum Laterani, per manum Iohannis Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi cardinalis, sanctae Romane Ecclesiae cancellarii, XI kalendas iunii, indictione XV, incarnationis dominicae anno MCCXIII, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno decimoquinto.

Dat. die 20 maii 1213, pontif. anno XV.

LXXXV.

Delegatis apostolicis mandat, ut constitutionem quandam Henrici Constantinopolitani imperatoris, contra libertatem ecclesiasticam editam, elargitionesque erga Ecclesias impedientem irritam declarent.

SUMMARIUM

Quae fuerit Henrici constitutio. — Mandatum de eius irritatione.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Sardicen. et Sidonien. episcopis, et archidiacono Davalien.

Quae fuerit Henrici constitutio.

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod charissimus in Christo filius noster, Henricus Constantinopolitanus imperator illustris, constitutionem cum suis baronibus edidit, quae vergit in periculum animarum, et est contraria prorsus ecclesiasticae libertati, videlicet, ut nullus possit de suis possessionibus in vita, vel ultimo testamento, aliquid Ecclesiis elargiri.

Mandatum de eius irritatione.

Cum igitur constitutio huiusmodi tam divinis, quam humanis sit legibus inimica, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsam auctoritate nostra decernatis frivolam et inanem, et nullo modo servandam.

Datum Laterani, 10 kal. iunii, anno decimoquinto.

Dat. die 23 maii 1213, pontif. anno XV.

LXXXVI.

Confirmatio bonorum ac privilegiorum concessio Ecclesiae Corinthiensi (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Corinthiensem Ecclesiam sub apost. suscipit protectione. — Eique bona omnia confirmat. — Privilegia ei concedit. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Gualtero Corinthiensi archiepiscopo, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Exordium.

Quanto diligentius et utilius vas electionis, et Doctor gentium Corinthiorum instruxit Ecclesiam, sicut eius ad illos Epistolae missae declarant, tanto studiosius et cautius nos oportet insistere, ut eam in ipsius forma doctrinae sub Apostolicae Sedis magisterio conservemus, quae nuper eandem ad ipsius obedientiam revertentem affluenti benignitate suscepit. Quo circa, venerabilis frater in Christo, propter specialem ipsius Corinthiensis Ecclesiae charitatem, tuam volentes personam propensius honorare, propriis manibus consecravimus in pontificem, et palleo insignivimus, pontificalis videlicet officii plenitudine, ut nihil tibi ex aliqua parte desit, quod ad metropoliticam pertinet dignitatem. Quia vero nos suppliciter exorasti, ut eandem Corinthiensem Ecclesiam cui Deo auctore præesse dignosceris, dignaremur apostolici privilegii munimine roborare, nos tuis iustis postulationibus annuentes, eam sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones *etc.*, *usque* illibata permaneant. In quibus haec *etc*, *usque* vocabulis locum ipsum *etc.*, *usque* pertinentiis suis, casale quod dicitur Enoria, casale quod dicitur Petricia, casale quod dicitur Palagia, casale quod dicitur Calesmata, casale quod dicitur Cyrilla, casale quod dicitur Succhyna, casale quod dicitur Sorados, casale quod dicitur Lavenicia, casale quod dicitur Clenna, casale quod dicitur Sarman, casale quod dicitur Crata, casale quod dicitur Quarrata, et casale quod dicitur Sandyca, cum omnibus pertinentiis eorundem, episcopatus quoque inferius annotandos Ecclesiae tuae metropolitico iure subiectos tibi, tuisque successoribus nihilominus confirmamus, videlicet Cephalonensem, Iacint., Demelant., Malasevia, Argos, Gilas, et Gimenes. Palleo vero quod tibi ex Apostolicae Sedis benignitate contulimus, infra tuam Ecclesiam *etc., usque* solemnitatibus beatorum Theodori et Stratilatis martyrum, et consecrationis tuae anniversario die ad haec ipsi Corinthiensi metropoli suam provinciam confirmamus. Iura quoque, ac bona eius, dignitates et libertates ipsius, necnon antiquas et rationabiles consuetudines auctoritate apostolica ro-

Corinthiensem Ecclesiam sub apost. suscipit protectione.

Eique bona omnia confirmat.

Privilegia ei concedit.

(1) Ex Baluz., lib. XV, Epist. 58.

boramus, et tam tibi, quam eidem Ecclesiae firma et illibata manere sancimus. Cimiteria quoque Ecclesiarum, earumque beneficia *etc.*, *usque* censura canonica compescatur. Prohibemus autem ne presbyteri, capellani *etc.*, *usque* irritum habeatur. Prohibemus insuper ne interdictos vel excommunicatos *etc.*, *usque* oporteat ligatum absolvi.

Clausulae. **Decernimus** ergo ut nulli omnino hominum *etc.*, *usque* usibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apostolicae auctoritate: si qua igitur in futurum *etc.*, *usque* districta subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco *etc.*, *usque* praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Datum Laterani per manum Iohannis Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi cardinalis, Sanctae Romanae Ecclesiae cancellarii, XI kalendas iunii, indictione XV, incarnationis dominicae anno MCCXIII, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno decimoquinto.

Dat. die 22 maii 1213, pontif. anno XV.

LXXXVII.

Castrum Nimphae ad Romanam Ecclesiam pertinens Iacobo Papae Consobrino, eiusque marescalco in feudum conceditur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Iacobus militiae pontificiae praefectus. — De Apost. Sede optime meritus. — Castrum Nimphae quo iure ad Apost. Sedem pertineat. — Sub quibus conditionibus Iacobo concessum. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, nobili viro Iacobo Consobrino, et marescalco nostro.

Exordium. Cum eius vices geramus in terris, qui unicuique secundum sua merita legitur redditurus, his qui Apostolicae Sedis obsequio, et pro ea etiam periculis se exponunt, magnifice debemus et volumus respondere, quatenus sic labores eorum remuneremus in ipsis ut alios ad nostrum servitium inducamus. Olim siquidem cum Marcualdus Dei et Ecclesiae inimicus in devotos Apostolicae Sedis, et charissimi in Christo filii nostri Federici Siciliae regis illustris fideles quasi desaeviret impune, ac Siciliam ex multa parte ferro flammaque vastaret, regnum sibi usurpare disponens, ut eidem regi, quem inclitae recordationis Constantia imperatrix tutelae nostrae commisit, et regno cuius balium nobis testamento reliquit, necessarium et expectatum diutius subsidium praestaremus militibus, quos pecunia nostra conduximus, te duximus praeferendum, et in Siciliam curavimus destinare; tu ergo de mandato nostro regnum ingressus, post multas anxietates, sollicitudines, et labores, de Frederico in Calabria, et Marcualdo in Sicilia, faciente Domino, mirabiliter triumphasti, memoriale comparans nomen tibi, et famam Apostolicae Sedis extollens, quam praedictus iniquus nitebatur in illis partibus abolere. Cumque per viarum discrimina sub inclementia temporis et aeris intemperie victor ad nostram praesentiam redivisses, eam gratiam in fratrum nostrorum oculis invenisti, ut diligentius attendentes, quantum pro te Apostolicae Sedi accessisset honoris, laboribus tuis magnifice respondendum assererent, et non solum consulerent, sed cum instantia plurima postularent, ut tibi curaremus magnifice respondere. Nos ergo tuis respondere laboribus, et utilitatibus providere volentes, castrum Nimphae, quod quondam inclitae recordationis Cencio Fraiapani, et O. et E. nepotibus eius bonae memoriae Eugenius Papa praedecessor noster pro octingentis libris denariorum Lucensium obligarat, et nos ab eorum haeredibus iam pridem recollegimus pecunia consignata, et apud nobilem virum Bononem de mandato senatus, iudiciaria auctoritate deposita, pro qua fuerat obligatum, cum omnibus pertinentiis et utilitatibus tibi pro summa mille librarum

Iacobus militiae pontificiae praefectus.

De Apostolica Sede optime meritus.

Castrum Nimphae quo iure ad Apostolicam Sedem pertineat.

(1) Ex Baluz., Epistola 114.

provenientium de senatu, de fratrum nostrorum consilio obligavimus tamdiu tam a te quam tuis haeredibus detinendum donec praedicta pecunia tibi, vel eis esset integre persoluta ex tunc ad Romanam Ecclesiam libere reversurum. Ne autem si fructus quos ex eodem castro perciperes computare cogereris in sortem, plus ad incommodum, quam commodum tuum haec obligatio redundaret, vel si aliud faceres pro temporali lucro, animae dispendium patereris, cum sis obsequiis nostris in Marescalciae officio deputatus, praedictum castrum tibi tamquam marescalco nostro de solita Sedis Apostolicae libertate concessimus; ita tamen, quod haec nostra concessio nec nobis, nec successoribus nostris praeiudicium generaret, quominus illud recolligere valeremus, feudo tamen tua vita durante. Cum igitur tibi persolverimus pecuniam praetaxatam, et tu nobis legitimam refutationem feceris super ea, ne super feudo ipso propter hoc valeas molestari, illud tibi iuxta praedictae concessionis tenorem auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Sub quibus conditionibus Iacobo concessum

Nulli ergo *etc.*, concessionis et confirmationis *etc.*, *usque* incursurum.

Clausulae

Datum Laterani sexto idus iunii, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Datum die 8 iunii 1213, pont. anno xv.

LXXXVIII.

Confirmatio bonorum ac privilegiorum concessio monasterio S. Cosmae de Vicovario, quod sub apostolica recipitur protectione (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Monasterium sub S. A. protectione suscipit: — Suisque in bonis confirmat. — Privilegia nonnulla elargitur. — Solitae clausulae.

(1) Ex Baluz., Epist. 120.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, abbati Sancti Cosmae de Vicovario eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Quotiens postulatur a nobis, quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et iuxta petentium voluntatem consentaneum rationi congruum suffragium impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et monasterium ipsum Sancti Cosmae, quod ad ius et proprietatem beati Petri specialiter pertinet, ad exemplar felicis memoriae Coelestini Papae praedecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus *etc.*, *usque* illibata permaneant, in quibus haec *etc.*, *usque* vocabulis. Locum ipsum in quo praefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, Sanctae Mariae de Marcianello, Sancti Petri de Ferrata, Sanctae Mariae de Cantalupo, et Sancti Felicis ecclesias, cum omnibus pertinentiis suis, ius quod habetis in ecclesiis Sancti Salvatoris, et Sancti Nicolai de Cantalupo, ecclesiam Sancti Angeli Rocca. In Vicovario ecclesiam Sanctae Luciae cum pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Ianuarii de Catiniano cum pertinentiis suis, ecclesiam Sanctae Eugeniae cum pertinentiis, quinque denarios papienses, quos a monasterio Sancti Clementis Tiburtini percipere debetis, casalem Cerriti Plani, et casalem in Martianello cum pertinentiis suis; ad haec statuimus, ut idem monasterium vestrum nulli nisi Romano Pontifici sit subiectum, nec ab eo quicquam ab alio aliquo clerico seu laico exigatur, excepto uno prandio, quod Tyburtino episcopo cum septem tantum personis semel in anno, si ipsum ad monasterium vestrum forte venire contigerit, persolvetis. Chrisma vero, Oleum sanctum *etc.*, *usque* quod postulatur impendat. Praeterea quatuor molendina de Precis, quae sedent in pede

Procemium.

Monasterium sub S. A. protectione suscipit.

Suisque in bonis confirmat.

Privilegia nonnulla elargitur.

Ripae Sanctorum Cosmae et Damiani, molendinum quod sedet sub fonte Piccicaroli, sedium molendini in rivo de Runci, molendinum in eodem loco, quod habetis cum Iohanne de Runci, et terram quam habetis in tenimento Sambuci, vobis nihilominus auctoritate apostolica confirmamus. Sepulturam praeterea ipsius loci *etc.*, *usque* nullus obsistat. Salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo *etc.*, *usque* usibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apostolicae auctoritate. Ad indicium autem huius perceptae a Sede Apostolica libertatis duas libras cerae nobis, nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si qua igitur in futurum *etc.*, *usque* districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco *etc.*, *usque* praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Solitae clausulae

Datum Laterani per manum Iohannis Sanctae Mariae in Cosmedin, diaconi cardinalis, S. R. E. cancellarii, idibus iunii, indictione decima quinta, incarnationis dominicae anno MCCXIII, pontificatus vero domini Innocentii Papae tertii anno decimoquinto.

Dat. die 13 iunii 1213, pontif. anno XV.

LXXXIX.

Confirmatio sententiae a delegatis apostolicis latae contra priorem monasterii de Charitate Antissiodorensis dioecesis (1).

SUMMARIUM

Quaestionis status. — Abbatis monasterii de Charitate saevitia in abb. Cluniac. — Poenae in eum inflictae ab abbate Cluniacensi. — Non resipiscit. — Quid actum postea sit, ut rediret ad eos. — Delegatis apost. mittitur cognitio causae, et confirmatio sententiae in priorem de Charitate latae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Trecensi et Meldensi episcopis, et abbati Latiniacensi Parisiensis dioecesis.

Ex parte Cluniacensis abbatis fuit propositum coram nobis, quod cum ipse ad probandam coram dilecto filio abbate S. Genuefae Parisiensis, ac coniudicibus suis monasterii de Charitate laesionem enormem, quam in alienatione possessionum suarum incurrerat, et inveniendam pecuniam Templariis refundendam diligenter et sollicite laboraret, iamque magnam partem pecuniae sine ipsius monasterii gravamine invenisset, ac spem concepisset de inveniendo residuo meliorem, Gaufridus tunc prior eiusdem monasterii Antissiodorensis dioecesis, ne ipsius abbatis studium super hoc sortiretur effectum nequiter studuit impedire. Nam cum abbas praecepisset eidem, ut de his, et aliis, quae ad ordinem pertinent tractaturus ad capitulum generale accederet, quod instabat ipse quendam clericum abbatem apud Sezanniam ad appellandum transmisit, sicut idem clericus asserebat. Tunc abbas praedictus per huiusmodi machinationes et studia videns super probationes laesionis enormis, et solutione Templariis facienda, necnon et aliis utilibus procurandis impediri processum, disciplinamque monasticam dissolvi penitus, et elidi versus idem monasterium, licet iam instaret dies celebrandi capituli generalis, duxit celerius festinandum, volens super hoc cum eiusdem loci conventu habere tractatum, ac de mandato nostro corrigenda corrigere, ac statuere statuenda, praesertim cum de novo nostris fuisset litteris redargutus, quod se in corrigendis excessibus subditorum, in abbatiis et prioratibus sibi subiectis exhiberet tepidum et remissum, ac nos mandassemus eidem, ut appellatione remota corrigeret, et reformaret in illis, quae correctionis et reformationis officio cerneret indigere. Verum Gaufridus praedictus captato favore servientium nobilis viri comitis Nivernensis, praevenit abbatem, et conventum suis mendaciis circumvenit, in capitulo asserens quod abbas de monasterio ipso omnes proponebat eiicere, et de Cluniaco inducere alios numero pauciores. Cum ergo abbas praedictus per servientem ipsum

Quaestionis status.

Abbatis monasterii de Charitate saevitia in abb. Cluniac.

(1) Ex Baluz., lib. XV, Epist. 144.

cum iniuria expellentes, villae et claustri portas firmiter obseraret, et cum illic abbas postmodum advenisset, ipsi, et aliis viris religiosis, qui comitabantur eundem, villae imprudenter et claustri denegarunt ingressum. Verumtamen quidam de monachis monasterii antedicti zelo devotionis accensus, quandam portam villae, postquam abbas et socii ipsam, et alios circumierant, reverenter reseravit eidem, quam iidem ingressi, primam partem claustri, quam quidam monachi eodem zelo ducti aperire curarunt, secundum consuetudinem ordinis intraverunt: hoc comperto, Gaufridus et monachi, ac servientes armati, quos idem Gaufridus ad hanc praeparaverat victimam, de campanilibus et eminentioribus locis in abbatem et socios lapides grandes et densos crudeliter proiecerunt. Verumtamen misericors Dominus miraculose abbatem servavit illaesum, licet in equum eiusdem plures magni ponderis proiecti lapides extitissent adeo quod idem equus in quatuor locis apparuit vulneratus. Tunc abbas tam atrocibus affectus iniuriis cum illi proiicere lapides non cessarent, censuit furori cedendum, et equo laxato fugam petiit, et se recepit in villam: quem quidam burgensis errantem inveniens, et quasi de mortis periculo erutum trementem totis artubus, et pallentem, misericordia motus, duxit in domum suam, et curam eius egit filialiter et devote. In illo autem conflictu, quando abbatem et socios lapidibus voluerunt obruere, quidam servientes et monachi maiorem portam cum gladiis et fustibus exeuntes sercinulis oneratos retinuere tres equos, uno de abbatis servientibus vulnerato; sed et iis Gaufridus et eius complices non contenti, quin immo malis adiicientes peiora, balivos comitis memorati in grave praeiudicium monasterii atque villae ad suorum defensionem facinorum, et iuris oppressionem, necnon abbatis et ordinis advocarunt, quorum praesentia et favore campanilia et alia loca editiora armis, arcubus, balistis et lapidibus munierunt de nocte, ita celebrantes excubias cornibus, cantilenis, fistulis et clamore, ac si castrum obsessum ab hostibus custodirent; quamquam abbas per violentiam irrumpere claustrum, etsi posset, nullatenus noluisset, sed nobis vindictam potius reservare. Attendens igitur idem abbas, quod Gaufridus et sui nullam admonitionem admitterent, semper claustri curiae, ac maioris ecclesiae, necnon omnibus aditibus obseratis per quos ad eos haberi posset accessus, habito virorum religiosorum consilio, ipsius Gaufridi et complicum eius culpis clarescentibus evidenter, ipsum tanquam inobedientem, rebellem, contumacem et dilapidatorem sententialiter amovit a regimine prioratus; et tam ipsum, quam omnes sibi taliter adhaerentes vinculo excommunicationis innodans, Ecclesiam supposuit interdicto, donec redeuntes ad cor condigne satisfacerent de tam enormibus excessibus et offensis; ipsi vero semper proniores ad peius, sententias in eos sic latas rationabiliter non servantes, pulsatis campanis, divina praesumunt solemniter celebrare. Caeterum cum equi ducerentur ad aquam ab hominibus comitis antedicti, quos introduxerunt in villam contra ipsius et monasterii libertatem, septem ex eis capti fuerunt, reliquis effugatis. Iidem etiam ceperunt servientes abbatis in villa, in qua comes praefatus nullam habet iustitiam, licet in nullo praefati excesserint servientes, omnes praeterea villae portas et aditus per quos intratur in eam, postmodum obstruxerunt, non patientes intrare quempiam peditem vel equitem ad abbatem. Quod si quisquam ingrederetur ignotus, custodes perquirebant ipsum, ne ferret litteras, vel mandatum. Abbas igitur taliter impeditus, et affectus taedio ac languore, quoniam Cluniaci capitulum annuum non poterat celebrare, in quo de saepedicti monasterii reformatione potissimum, et pecunia Templariis refundenda, tractare, ac ordinare cum abbatibus et prioribus disposuerat,

Poenae in eum inflictae ab abbate Cluniacensi.

Non resipiscit

ne tunc abbates et priores inaniter laborassent, neve propositum eius circa relevationem eiusdem monasterii suo privaretur effectu, vocatis ad se abbatibus et prioribus, idem capitulum apud Charitatem celebrare decrevit, credens auctoritate ac praesentia tantorum virorum posse praefatos rebelles a sua pertinacia revocari. Venerabilis quoque frater noster Gebennensis episcopus, et H. Remensis archidiaconus, sicut suis nobis litteris intimarunt, accesserunt Cluniacum ad capitulum generale: sed cum abbas se per suas litteras excusasset, quod illuc ire nequiverat, a priore ac monachis de Charitate, quos inobedientes et rebelles invenerat, graviter impeditus, et deffinitores capituli ad Charitatem cum congregatis ibidem prioribus, evocasset, ut ibi tam de rebellione prioris et monachorum, quam de aliis agendis communiter tractaretur, iidem diffinitores cum prioribus ad mandatum abbatis, et episcopus et archidiaconus ad preces ipsorum cum ipsis, usque ad castrum quod Marchia dicitur, accesserunt. Ibidem diffinitoribus, et prioribus remanentibus, iidem episcopus et archidiaconus ad praefatam villam iverunt, de pace cum saepedicto abbate et priore ac monachis ipsius monasterii locuturi; sed invenerunt ianuas obseratas. Rogaverunt autem eos quos viderant supra muros, ut ipsos permitterent introire. Qui responderunt eisdem quod sine prioris mandato nullatenus ipsis pateret ingressus. Cum ergo quidam serviens comitis memorati interrogasset, qui essent, et ipsis respondentibus didicisset, rogatus ab eis ad priorem accessit, ut ipsis ingrediendi licentiam impetraret. Quo moram diutius protrahente, idem archidiaconus divertit ad aliam villae portam, tentans si alium ingressum possent habere, sed nihil omnino profecit. Ad ultimum vero post expectationem non modicam serviens comitis responsum huiusmodi reportavit, quod non ingrederentur ullo modo, eo quod ad capitulum accesserant generale, sic ergo passi repulsam, ad Marchiam redierunt. Die vero sequenti praefatus episcopus magistrum Philippum Nivernensem officialem rogavit, ut priorem adiret, et sibi et archidiacono impetraret ingressum, quia loqui de pace cum eo et suis fratribus affectabant. Ipse vero cum priore locutus sic respondit eisdem, quod prior ipsos nullo modo intrare permitteret, nec ipse ad episcopum iret, neque loqueretur cum eo. Tertia quoque die cum diffinitores et priores ad saepedictam villam simul proposuissent accedere, tentaturi si cum priore ac monachis possent loqui et habere ad abbatem accessum, servientes saepedicti comitis advenerunt, inhibentes eisdem ne ad villam accederent saepedictam in personis et equis eorum gravia pericula intentando. Adiecerunt etiam quod, si possent, eosdem episcopum et archidiaconum introducerent, sed si cum diffinitoribus et prioribus irent, nullo modo permitterentur intrare. Ipsis igitur illuc venientibus occurrit thesaurarius Turonensis, et ad quandam portam duxit eosdem ad quam post expectationem non modicam cum difficultate maxima stipatus militibus, et servientibus, equis armatis, et monachis magnos ferentibus baculos venit prior; cui proposuerunt, praesentibus thesaurario supradicto, Bituricensi cantore, Antissiodorensi archidiacono, aliis pluribus, verbum pacis, ostendentes damna, quae poterant ex hac discordia provenire, et quam gravis infamia occasione dissentionis ipsius, non solum eis, sed et religiosis aliis imminebat. Ad haec obtulerunt eidem ex parte diffinitorum ipsorum, quod parati erant corrigere, si qua essent tam circa ipsum abbatem, quam eosdem priorem et monachos corrigenda cum auctoritate capituli generalis per Sedem Apostolicam approbati potestatem haberent corrigendi excessus tam in capite, quam in membris. Ipse vero respondit quod de diffinitorum correctione,

Quid actum postea sit, ut rediret ad eos.

vel generalis capituli non curabat, cum nonnisi coram nobis, ad quem appellaverat, ut dicebat, de spiritualibus responderet, et de temporalibus nonnisi coram comite memorato, in cuius erat custodia constitutus, nec aliquod verbum pacis, aut compositionis alicuius admitteret quamdiu abbas in eadem villa maneret. Asseruit enim, quod monasterium Cluniacense aliquando gravarat eosdem, et ipsi priori extiterat nuntiatum quod abbas illum a prioratu proposuerat amovere, et monachos in domibus aliis collocare. Propter quod ipsum illic noluerunt recipere venientem. Ad haec autem rogarunt eundem, ut ipsos loqui permitteret cum abbate. Qui post multa consilia dixit eis, quod ipsum episcopum solum loqui cum eo praesentibus suis, et comitis servientibus pateretur, ita quod quandocunque ipsi vellent exiret. Porro extra villam praefato archidiacono remanente, ad abbatem solus episcopus accessit, proponens eidem, quae sibi videbantur in facto huiusmodi expedire. Abbas vero respondit quod monachos eiusdem monasterii tanquam bonus Pater in spiritu mansuetudinis paratus erat recipere si tanquam boni filii venirent ad ipsum, et cum eis quantum secundum Deum posset, cum religiosorum virorum dispensaret, atroces iniurias quas eidem intulerant remissurus: cum enim pro ipsorum utilitate ad eorum accesserit monasterium, portas villae sibi clauserunt, quibus per quosdam ex fratribus reseratis, cum monasterium sicut pastor Ecclesiae, ac villae dominus ingredi voluisset, violenter a monachis est repulsus, qui equos capientes ipsius, et a turribus monasterii in eum ingentes lapides iacientes equum suum graviter vulneraverunt, ipsum divina misericordia protegente, ac tres servientes capti a servientibus comitis villam cum monachis observantibus extiterunt: unde ad domum cuiusdam burgensis, in qua manebat declinaverat necessitate compulsus. Praeterea asseruit plurimum se dolere quod executio mandati apostolici de alienatis possessionibus revocandis, extiterat impedita, cum propter hoc ad deliberandum et tractandum cum ipsis specialiter accessisset, proponens se iam magnam partem pecuniae, nisi staret per eos, sine difficultate ac damno monasterii invenisse. Audito igitur abbatis responso, ad priorem, et monachos rediit in curia monachorum, et verbum pacis illis proposuit diligenter, dicens quod benignum responsum receperat ab abbate, ac ex parte generalis capituli dixit eis quod libenter corrigerent circa eundem abbatem vel ipsos si esset aliquid corrigendum. Monachi vero dixerunt quod de abbate, vel diffinitoribus, seu generali capitulo non curabant, nec pacem ipsorum, vel per eos etiam requirebant. Prior vero addidit, sicut prius, quod quandiu abbas esset in villa, sive in prioratus officio remaneret, sive removeretur ab illo, nullum admitteret verbum pacis. Cum igitur aliud a priore ac monachis responsum habere dictus episcopus nequivisset, priorem interrogavit eundem si ab ipso et suis essent securi ad suum abbatem monachi venientes. Ipse vero respondit, quod guerram nemini faciebat, et cum idem episcopus institisset, ut sibi plenius responderet, sic ait, quod securitatem alicui non praestabat. Et statim Lethericus serviens comitis antedicti, ipso priore praesente, nec contradicente, subiunxit quod si Cluniacenses monachi de caetero tangerent villae portas, et equos amitterent, et personis periculum immineret; prohibens nihilominus, ne amplius apud Marchiam eiusdem comitis castrum, in quo prius hospitati fuerant, remanerent. Egressus igitur villam episcopus antedictus, ad diffinitores et priores rediit cum archidiacono memorato; a quibus interrogati si boni aliquid invenissent, aut profecissent in aliquo commonendo, exposuerunt eisdem quod fecerant diligenter. Ipsi vero iuxta muros villae sedentes suum capi-

tulum ordinarunt, et habito diligenti tractatu, suam sententiam formaverunt, quam diffinitores redactam in scriptis, praefatis episcopo et archidiacono convocatis et audientibus promulgarunt: Gaufridum priorem eiusdem monasterii, quia vocatus ad generale capitulum venire contempsit, et abbatem suum accedentem ad idem monasterium non admisit, sed cum armis violenter reiecit, et eosdem illuc correctionis gratia properantes portis turpiter repulit obseratis, auctoritate Dei et sua, necnon generalis capituli, propter inobedientiam, rebellionem et contumaciam manifestam, ac causas alias excommunicationis vinculo innodantes, et deponentes a regimine prioratus, sigilla eiusdem pariter, et conventus eiusdem monasterii condemnando, et omnes complices suos pari excommunicationis sententia involvendo nisi infra septem dies a praesumptione huiusmodi non resipiscerent, et regulariter emendarent. Et ne ipsius monasterii negotia deperirent, dilectum filium W. Cluniacensem priorem praefecerunt eidem, ipsius sibi administratione concessa. Ne igitur tantae praesumptionis excessus remaneant incorrecti, discretioni vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus ad locum ipsum personaliter accedentes, et inquisita super iis plenius, et cognita veritate, scientem inveneritis ita esse probatam in saepedictum G. depositionis sententiam a regimine prioratus auctoritate apostolica confirmantes, et approbantes nihilominus, quod de substitutione prioris et sigillorum damnatione per praefatos diffinitores est factum, excommunicationis sententiam in praefatum G. ac eius complices promulgatam faciatis appellatione postposita usque ad satisfactionem condignam firmiter observari, contradictores quoslibet, aut rebelles, sive monachi, vel clerici fuerunt, sive laici per censuram ecclesiasticam sublato cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo compescendo. Et quoniam audivimus praefatum Gaufridum multas sibi pecunias congregasse, volumus nihilominus, et mandamus quatenus ad resignationem earum per districtionem ecclesiasticam appellatione remota compellatis eundem, facientes ipsas pecunias in solutionem debitorum converti, vel in aliam utilitatem monasterii memorati. Eos vero quos excommunicatos constiterit temere celebrasse divina poena canonica percellatis. Testes autem, qui fuerunt nominati *etc.*, *usque* substraxerint, per censuram eandem appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis literis veritati et iustitiae praeiudicantibus a Sede Apostolica impetratis. Quod si non omnes *etc.*, duo vestrum *etc.*

Delegatis apostolicis mittitur cognitio causae, et confirmatio sententiae in priorem de Charitate latae

Datum Signiae, quarto kalendas iulii, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Dat. die 28 iunii 1213, pontif. anno xv.

XC.

Conceduntur privilegia nonnulla dominis castri Scuriae, quod de speciali Sedis Apostolicae iure esse declaratur (1).

SUMMARIUM

Castrum Scuriae iuris S. R. E. — Privilegia eius dominis concessa. — Innocentius iuramentum fidelitatis accipit.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, nobilibus viris Viviano, Gaillardo, et aliis dominis Scuriensis castri.

Castrum Scuriae iuris S. R. E.

Manifestum est castrum quod Scuria dicitur temporibus sanctae memoriae Silvestri Papae, sicut ex inspectione litterarum antecessoris nostri felicis recordationis Sergii Papae cognovimus regia liberalitate per manus eiusdem beato Petro quondam fuisse collatum, et a Vediano quondam eiusdem castri domino memorato praedecessori nostro Papae Sergio per innovationem sub annuo censu decem solidorum Raimondensis monetae fuisse

(1) Ex Baluz., Epist. 188.

recognitum et oblatum. Idem etiam castrum Humbertus, Raimundus, et Sicardus domini ipsius loci praedecessori nostro beatae memoriae Papae Calixto, et per manum ipsius beato Petro et sanctae Romanae Ecclesiae recognoverunt et obtulerunt. Nos itaque eorundem antecessorum nostrorum Sergii, Calixti, Innocentii et etiam Adriani Romanorum Pontificum, qui castrum ipsum ad ius et proprietatem beati Petri pertinens sub Sedis Apostolicae protectione ac munimine receperunt vestigiis inhaerentes, praefatum castrum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti patrocinio communimus, statuentes, ut neque comiti, neque alicui personae facultas sit ipsum castrum auferre, minuere, infestare, vel suis usibus vendicare; sed quietum, et integrum vobis in fide catholica, et fidelitate apostolica permanentibus sicut a iam dictis praedecessoribus nostris, et a nobis concessum est sub beati Petri iure ac defensione consistat; sane si quis vestrum gravius aliquid, quod absit, forte commiserit, pro eius culpa, sicut a praefato praedecessore nostro Alexandro Papa statutum est, nisi, et alii eiusdem iniquitatis participes fuerint, ipsi, et honores eorum minime a divinis interdicantur officiis, quod et de subiectis militibus vestris, praecipimus observari, statuimus etiam ut nulli nisi dominis et hominibus eiusdem castri liceat infra terminos tenimenti vestri castrum aedificare, vel munitionem construere; si qua vero ecclesiastica saecularisve persona adversus homines eiusdem castri querimoniam deposuerit apud metropolitanum vestrum, vel legatum a latere Romani Pontificis destinatum, quod iustum fuerit experiri procuret. Nos autem a dilecto filio nobili viro Ademaro, uno dominorum eiusdem castri, ad nostram praesentiam accedente, pro ipso castro fidelitatis recepimus iuramentum, et ab aliis per manum dilecti filii magistri Petri Marci subdiaconi nostri olim correctoris nostrarum litterarum, et archidiaconi Foroiuliensis, recessi viva voce mandamus. Si quis igitur clericus, sive laicus temere, quod absit, adversus ista venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, honoris et officii sui patiatur periculum, aut excommunicationis ultione plectatur. Qui vero conservator extiterit, omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius gratiam consequatur.

Privilegium eius dominis concessa.

Innocentius iuramentum fidelitatis accipit.

Datum Laterani tertio idus novembris, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Dat. die 11 novembris 1213, pont. anno xv.

XCI.

Universis Cluniacen. ordinis abbatibus et prioribus ut monasteria eorum gubernationi commissa reformare studeant (1).

SUMMARIUM

Exordium. — In monasteriis Ord. Cluniac. dilapsa disciplina. — Abbatibus mandat reformationem. — Capitulum generale quolibet anno tenendum.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis abbatibus et prioribus Cluniacen. Ordinis ad generale concilium convenientibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Si diligenti meditatione pensabitis, qualiter vita monastica sub primis ordinis patribus pullulavit, et palmites longe lateque producens ad mortifera circumquaque venena pellenda flores bonorum operum protulit, et boni nominis effudit odores; pervigili cura studebitis eorum inhaerere vestigiis, per quos in deserto mundi huius plantata est, et fructificavit in pluribus vitis monasticae honestatis. Hi nimirum monastica frugalitate contenti, et optimum ponentes in paupertate principium, assequuti sunt in Domino totius sufficientiae complementum, Ecclesiarum praelatis accepti, ante reges et praesides

(1) Ex Regest. Vatic.

vita ac merito gloriosi. Nunc autem quod moerentes dicimus, etsi non a cunctis in omnibus, a plerisque tamen ex vobis in pluribus dicitur declinatum in tantum, quod vestri Ordinis regulam manu nimis avida colligentes ubi forsitan non sparsistis, dum loculos proprios replere nitimini, bona Ecclesiarum, quae vestro committuntur regimini vacuatis sic ambitioni vacantes, quod in locis quibus præestis terrenae paupertatis opes quaeritis, non opem impenditis consilii salutaris. Ecce inter alia loca vestra praesidentium culpa depressa prioratus de Charitate, qui olim in spiritualibus florens, in temporalibus abundat tanta corruptela, marcescit, et tam arida deprimitur paupertate, quod nisi aliorum relevetur auxilio, vix adiicere poterit ut resurgat. Alias etiam, sicut accepimus, tam in vobis quam aliis curae vestrae commissis, adeo perniciosi facti estis exemplo, quod antiquis patribus, loco tantum et habitu, non praerogativa virtutum videmini successisse, sed eo plures contagio corruptionis inficitis, quo pluribus illi, quorum loca tenetis, correctionis exempla vitae magisterio exhibebant. Ne vero indigne illorum privilegiis gaudeatis, quorum non servatis in moribus disciplinam, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus incipientes facere quod possitis liberius edocere in vobis et subditis, haec et his similia corrigatis, tantoque plus luceant opera vestra bona coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum, qui est in Coelis, quanto magis mala praeterita facti evidentia publicavit, et ubi maior ruina praecessit, ibi maioris reparationis sollicitudo sequatur, et damnum quod divulgata malitia intulit manifestae bonitatis suffragio restauretur. Quia vero integrum consuevit esse iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur et quae profectum communem respiciunt, tractari solent melius in communi; annuatim interesse capitulo generali omni occasione postposita studeatis, quae ibidem secundum Deum, et beati Benedicti regulam fuerint instituta firmiter servaturi, et tam in his, quam in aliis dilecto filio abbati Cluniacen. tamquam devoti filii Patri, et membra convenientia capiti obedientiam et reverentiam debitam impendentes, circa reformationem prioratus de Charitate manum auxilii et consilii apponatis, tantaque in praemissis diligentia vigiletis, quod nec in vobis per culpam, nec in subiectis per negligentiam offendentes corrigatis imposterum, quod in praeterito commisistis. Vos denique, filii abbates, super vobis ipsis, et credito vobis grege taliter vigilare procuretis extirpando vitia et plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die coram tremendo Iudice qui reddet unicuique secundum opera sua, dignam possitis reddere rationem.

In monasteriis ord. Cluniac. dilapsa disciplina.

Abbatibus mandat reformationem

Capitulum generale quolibet anno tenendum

Datum Laterani idibus martii, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Dat. die 15 martii 1214, pont. anno XVI.

XCII.

Ad universos Christifideles per Maguntinam provinciam constitutos de negocio Terrae Sanctae (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Utilitates ex sacro bello deductae. — Plenariam peccatorum indulgentiam tribuit omnibus sacro bello cooperantibus. — Auxilium postulat ab archiep., episc., abb., *etc.*, et bellatorum numerum cum expensis ad triennium. — Innovat excommunicationis sententiam in eos qui Sarracenis opitulantur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis Christifidelibus per Maguntinensem provinciam constitutis.

Exordium.

Quia maior nunc instat necessitas quam unquam extiterit, ut Terrae Sanctae necessitatibus succurratur, et de succursu speratur maior quam unquam provenerit utilitas proventura, ecce resumpto clamore

(1) Ex Baluz., lib. XVI, Epist. 28.

clamamus ad vos, et pro illo clamamus qui moriendo voce magna clamavit in Cruce, factus obediens Deo Patri usque ad mortem Crucis, clamans, ut nos ab aeternae mortis eriperet cruciatu, qui clamat etiam per seipsum, et dicit: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me. Ac si diceret manifestius: Qui vult me subsequi ad coronam me quoque subsequatur ad pugnam, quae nunc ad probationem proponitur universis. Poterat enim omnipotens Deus terram illam, si vellet, omnino defendere, ne in manus traderetur hostiles. Posset et illam, si vellet, de manibus hostium facile liberare, cum nihil possit eius resistere voluntati. Sed cum iam superabundasset iniquitas, refrigescente charitate multorum, ut fideles suos a somno mortis, ad vitae studium excitaret, agonem illis proposuit, in quo fidem eorum velut aurum in fornace probaret, occasionem salutis immo salvationis causam praestando; ut qui fideliter pro ipso certaverint, ab ipso feliciter coronentur; et qui ei noluerint in tantae necessitatis articulo debitae servitutis impendere famulatum, in novissimo districti examinis die iustam mereantur damnationis sententiam sustinere. Oh quanta iam provenit utilitas ex hac causa: quam multi conversi ad poenitentiam pro liberatione Terrae Sanctae mancipaverunt se obsequio Crucifixi, et quasi per agonem martyrii coronam gloriae sunt adepti, qui forte in suis iniquitatibus periissent, carnalibus voluptatibus et mundanis illecebris irretiti: vetus est hoc artificium Iesu Christi quod, ad suorum salutem fidelium, diebus istis dignatus est innovare. Si enim rex aliquis temporalis a suis hostibus eiiceretur de regno, nisi vassalli eius pro eo non solum res exponerent, sed personas, nonne cum regnum recuperaret amissum, eos velut infideles damnaret et excogitaret in eos inexcogitata tormenta, quibus perderet male malos? Sic Rex regum Dominus Iesus Christus, qui corpus et animam, et caetera vobis contulit bona, de ingratitudinis vitio et infidelitatis crimine vos damnabit, si ei, quasi eiecto de regno, quod pretio sui sanguinis comparavit, neglexeritis subvenire. Sciat ergo se culpabiliter durum, et dure culpabilem quicumque in hoc necessitatis articulo suum negaverit obsequium Redemptori. Nam et quomodo secundum praeceptum divinum diligit proximum sicut seipsum qui scit fratres suos fide ac nomine christianos apud perfidos Sarracenos ergastulo diri carceris detineri, ac iugo deprimi gravissimae servitutis, et ad liberationem eorum efficacem operam non impendit, transgrediendo illius naturalis legis mandatum, quod Dominus in Evangelio declaravit: Quaecumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis (1). An forte nescitis, quod apud illos multa millia christianorum in servitute ac carcere detinentur, qui tormentis innumeris cruciantur: et quidem omnes pene Sarracenorum provincias usque post tempora sancti Gregori christiani populi possederunt; sed ex tunc quidam perditionis filius Machometus pseudopropheta surrexit, qui per saeculares illecebras et voluptates carnales multos a veritate seduxit: cuius perfidia etsi usque ad haec tempora invaluerit, confidimus tamen in Domino, qui iam fecit nobiscum signum in bonum, quod finis huius bestiae appropinquat, cuius numerus secundum Apocalypsin Iohannis intra sexcenta sexaginta sex clauditur, ex quibus iam pene sexcenti sunt anni completi. Certe praeter priores iniurias grandes et graves Redemptori nostro pro nostris offensis a perfidis Sarracenis illatas, nuper in Monte Thabor, ubi discipulis suis futurae glorificationis speciem demonstravit, iidem perfidi Sarraceni quamdam munitionis arcem in confusionem christiani nominis erexerunt, per quam civitatem Accon sibi valde vicinam de facili cogitant occupare, ac deinde sine omni contradictionis obsta-

Utilitates ex sacro bello deductae.

(1) Matth. vii, 12.

culo residuum terrae huius invadere, cum sit viribus et opibus penitus destituta. Eia igitur, dilectissimi filii, dissensiones et aemulationes fraternas in pacis et dilectionis foedera commutantes, accingimini ad obsequium Crucifixi, non dubitantes pro illo res exponere ac personas qui pro vobis animam suam posuit et sanguinem suum fudit, certi pariter et securi quod si vere poenitentes fueritis, per hunc temporalem laborem, quasi quodam compendio, ad requiem pervenietis aeternam. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus, et in retributione iustorum salutis aeternae pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem et qualitatem suam viros idoneos destinarint, et illis similiter qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes qui ad subventionem Terrae Sanctae de bonis suis congrue ministrabunt. Personas quoque ipsorum et bona ex quo crucem assumpserint sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, necnon et sub archiepiscoporum, et episcoporum, et omnium praelatorum Ecclesiae Dei defensione consistant, statuentes ut donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant et quieta consistant. Quod si quisquam contra praesumpserit, per Ecclesiarum praelatos, appellatione postposita, censura ecclesiastica compescatur. Si qui vero proficiscentium illuc ad praestandas usuras iuramento tenentur astricti, creditores eorum per ecclesiarum praelatos, ut remittatur eis praestitum iuramentum, et ab usurarum exactione desistant, eadem praecipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animadversione mandamus. Iudaeos vero ad remittendas ipsis usuras per saecularem compelli praecipimus potestatem, et donec illas remiserint, ab universis christifidelibus tum in mercimoniis, quam in aliis per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. Ut autem Terrae Sanctae subsidium divisum in plurimos facilius impendatur, obsecramus omnes et singulos, per Patrem et Filium, et Spiritum Sanctum, unum solum verum, unum aeternum Deum postulantes, vice Christi, pro Christo, ab archiepiscopis et episcopis, abbatibus et prioribus, et tam cathedralium, quam aliarum conventualium Ecclesiarum capitulis, et clericis universis, necnon civitatibus, villis et oppidis, competentem numerum bellatorum cum expensis ad triennium necessariis secundum proprias facultates. Et si ad hoc unum quodlidet non suffecerit, plura coniungantur in unum. Quia pro certo speramus, quod personae non deerunt, si expensae non desint. Postulantes hoc ipsum a regibus et principibus, comitibus et baronibus, aliisque magnatibus, qui forsitan per seipsos personaliter non accesserint ad obsequium Crucifixi. A civitatibus vero maritimis navale subsidium postulamus, et ne aliis onera gravia et importabilia imponere videamur, quae digito nostro movere nolimus, protestamur veraciter coram Deo, quia quod ab aliis exigimus faciendum, hoc ipsi prompto animo faciemus. Clericis autem ad hoc negotium necessariis providimus indulgendum, ut omni contradictione cessante beneficiorum suorum proventus propter hoc valeant usque ad triennium pignori obligare. Quia

Plenariam peccatorum indulgentiam tribuit omnibus sacro bello cooperantibus.

Auxilium postulat ab archiep., episc., abb., etc., et bellatorum numerum cum expensis ad triennium.

vero subsidium Terrae Sanctae multum impediri vel retardari contingeret si ante susceptionem Crucis examinari quemlibet oporteret an esset idoneus et sufficiens ad huiusmodi votum personaliter prosequendum, concedimus, ut regularibus personis exceptis, suscipiant, quicumque voluerint, signum Crucis; ita quod cum urgens necessitas aut evidens utilitas postulaverit, votum ipsum de apostolico possit mandato commutari, aut redimi, vel differri. Et propter eandem causam remissiones et indulgentias hactenus a nobis concessas procedentibus in Hispaniam contra Mauros, vel contra haereticos in Provinciam, revocamus; maxime cum illis concessae fuerint ad tempus quod iam ex toto praeteriit, et istis ob causam quae iam ex maiori parte cessavit, utroque negotio per Dei gratiam adeo prosperato, ut vehementem instantiam non requirat; et si forte requireret, nos ingruenti necessitati prospicere curaremus. Concedimus tamen, ut huiusmodi remissiones et indulgentiae apud Provinciales remaneant et Hispanos. Caeterum quia cursarii et piratae nimis impediunt subsidium Terrae Sanctae capiendo et spoliando transeuntes ad illam, et revertentes ab illa, nos eos, et principales adiutores et fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus, sub interminatione anathematis inhibentes ne quis cum eis scienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, et iniungentes rectoribus civitatum et locorum suorum, ut eos ab hac iniquitate revocent et compescant. Alioquin quia nolle perturbare perversos nihil est aliud quam fovere, nec caret scrupulo societatis occultae, qui manifesto facinori desinit obviare, nos in personas et terras eorum severitatem ecclesiasticam curabimus exercere, cum tales non minus quam Sarraceni adversentur nomini christiano. Innovamus praeterea excommunicationis sententiam in Lateranensi concilio promulgatam adversus eos qui Sarracenis arma, ferrum et lignamina deferunt galearum, quique in piraticis Sarracenorum navibus curam gubernationis exercent, eosque rerum suarum privatione multari, et capientium servos, si capti fuerint, fore censemus; praecipientes, ut per omnes urbes maritimas diebus dominicis et festivis huiusmodi sententia publice innovetur. Verum cum longe plus de divina clementia, quam de humana potentia confidere debeamus, oportet nos in tali conflictu non tam corporalibus armis, quam spiritualibus dimicare. Ideoque statuimus, et mandamus ut singulis mensibus semel fiat generalis processio seorsum virorum, ac seorsum, ubi fieri poterit, mulierum, in humilitate mentis, et corporis, cum devota orationum instantia postulantium, ut misericors Deus auferat a nobis hoc confusionis opprobrium, liberando terram illam, in qua universa redemptionis nostrae sacramenta peregit, de manibus paganorum, restituendo eam ad laudem et gloriam nominis sui sancti populo christiano, proviso prudenter, ut semper in ipsa processione verbum salutiferae Crucis cum diligenti exhortatione populo proponatur. Orationi vero ieiunium et eleemosyna coniungantur; ut iis quasi alis facilius et celerius ipsa volet oratio ad piissimas aures Dei, qui nos clementer exaudiat in tempore opportuno. Singulis quoque diebus intra missarum solemnia, post pacis osculum, cum iam pro peccatis mundi offerenda vel sumenda est Hostia salutaris, omnes tam viri quam mulieres humiliter prosternantur in terram, et a clericis psalmus iste, *Deus venerunt gentes in haereditatem tuam* (1), alta voce cantetur, quo cum hoc versu devote finito, *Exurgat Deus, et dissipentur inimici eius, et fugient a facie eius, qui oderunt eum*, sacerdos qui celebrat, orationem istam super altare decantet:

Innovat excommunicationis sententiam

In eos qui Sarracenis opitulantur.

Deus qui admirabili providentia cuncta

(1) Psalm. LXXVIII.

Oratio a sacerdote dicenda.

disponis, te supplicite exoramus, ut terram quam Unigenitus Filius tuus proprio sanguine consecravit, de manibus inimicorum Crucis eripiens, restituas cultui christiano, vota fidelium ad eius liberationem instantium misericorditer dirigendo in viam salutis aeternae. Per eumdem Dominum nostrum *etc.*

In illis autem Ecclesiis in quibus conveniet processio generalis, truncus concavus statuatur tribus clavibus consignatus, una penes honestum presbyterum, alia penes devotum laicum, et tertia penes aliquem regularem fideliter conservandis, in quo clerici et laici, viri et mulieres, eleemosynas suas ponant in Terrae Sanctae subsidium convertendas secundum dispositionem eorum quibus haec fuerit sollicitudo commissa. Porro super processu, et transitu modesto, et ordinato, congruo loco et tempore faciendo, nondum oportet aliquid diffinire, donec exercitus Domini Cruce signetur; sed tunc pensatis undique circumstantiis, quaecumque viderimus opportuna de prudentum virorum consilio statuemus. Ad haec igitur exequenda dilectos filios... de Salem *etc.* quondam de Novocastro abbates, et C. decanum Spirensem, et praepositum Augustensem, viros utique probatae honestatis et fidei, deputamus; qui ascitis secum viris providis et honestis, auctoritate nostra statuant et disponant quaecumque ad hoc negotium promovendum viderint expedire, facientes quae statuerint in singulis dioecesibus per viros idoneos ad hoc specialiter deputatos fideliter ac sollicite procurari. Quocirca universitatem vestram rogando monemus, et obsecramus in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, et in virtute Spiritus Sancti iniungentes, quatenus eis pro Christo legatione fungentibus tales vos exhibere curetis, necessaria ministrantes eisdem, quod per vos et in vobis fructum faciant exoptatum (1).

XCIII.

Indictio sacri et oecumenici concilii Lateranensis, pro prima die novembris 1215.

SUMMARIUM

Infelix Ecclesiae status. — PP. de ea solicitudo. — Ad hoc indicandum concilium. — Quae in eo sint tractanda. — Quae praemiserit Innocentius. — Indictio concilii. — In eo tractandum de subventione Terrae Sanctae. — Adhortatio ad concordiam.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis abbatibus et prioribus, decanis et archidiaconis per Teutonicas provincias constitutis.

Infelix Ecclesiae status.

Vineam Domini Sabaoth multiformes satagunt bestiae demoliri, quarum incursus adeo invaluit contra ipsam, ut ex parte non modica, pro vitibus spinae succreverint, et quod gementes referimus, ipsae iam vites proferant pro uva labruscam, infectae multipliciter et corruptae.

(1) In eumdem modum per Magdeburgensem et Bremensem provincias. In eumdem modum per Coloniensem provinciam. In eumdem modum per Sardiniam. In eumdem modum per Salzburgensem provinciam. In eumdem modum per Dalmatiam. In eumdem modum per Trevirensem provinciam. In eumdem modum per Ravennatem. In eumdem modum per Poloniam. In eumdem modum per Mediolanensem et Ianuensem provincias constitutis. In eumdem modum per Svetiam. In eumdem modum per Marchiam Anconitanam. In eumdem modum per Lundensem provinciam. In eumdem modum per Hungariam. In eumdem modum per Angliam. In eumdem modum Pragensi episcopo, et abbatibus, prioribus et universis Christifidelibus, per Bohemiam constitutis. In eumdem modum per Tusciam. In eumdem modum per Iberniam. In eumdem modum per Norvegiam. In eumdem modum per Calabriam. In eumdem modum per Scotiam. In eumdem modum universis per regnum Franciae constitutis.

PP. de ea sollicitudo.

§ 1. Illius ergo testimonium invocamus, qui testis est in coelo fidelis, quod inter omnia desiderabilia cordis nostri duo in hoc saeculo principaliter affectamus, ut ad recuperationem videlicet Terrae Sanctae, ac reformationem universalis Ecclesiae valeamus intendere cum effectu. Quorum utrumque tantam requirit provisionis instantiam, ut absque gravi et grandi periculo ultra dissimulari nequeat, vel differri.

§ 2. Unde supplicationes et lacrymas effundimus coram Deo, humiliter obsecrantes, quatenus super his suum nobis beneplacitum revelaret, inspiraret affectum, accenderet desiderium et propositum confirmaret, facultatem et opportunitatem praestando, ad ea salubriter exequenda.

Ad hoc indicendum concilium

§ 3. Quapropter habito super his cum fratribus nostris, et aliis viris prudentibus, frequenti et diligenti tractatu, prout tanta sollicitudo exigebat, hoc tandem ad exequenda praedicta de ipsorum consilio providimus faciendum; ut quia haec universorum fidelium communem statum respiciunt, concilium iuxta priscam consuetudinem Sanctorum Patrum convocemus, propter lucra solum animarum opportuno tempore celebrandum: in quo ad estirpandum vitia, et plantandas virtutes, corrigendos excessus, et reformandos mores, eliminandas haereses, et roborandam fidem, sopiendas discordias, et stabiliendam pacem, comprimendas oppressiones, libertatem fovendam, inducendos principes et populos christianos ad succursum et subsidium Sanctae Terrae, tam a clericis, quam a laicis impendendum, cum caeteris, quae perlongum esset per singula enumerare, provide statuantur inviolabiliter observanda circa praelatos et subditos regulares, quaecumque de ipsius approbatione concilii visa fuerint expedire, ad laudem et gloriam nominis eius, ad remedium et salutem animarum vestrarum, ac profectum et utilitatem populi christiani.

Quae in eo sint tractanda.

Quae praemiserit Innocentius.

§ 4. Quia vero ante biennium universale non posset concilium commode celebrari, disposuimus interim per viros prudentes in singulis provinciis plenius explorare, quae apostolicae provisionis limam exposcant, et praemittere viros idoneos ad Terrae Sanctae negotium procurandum, ut si, exigente necessitate, sacrum concilium approbaverit, nos ipsum negotium personaliter assumamus efficacius promovendum.

Indictio concilii.

§ 5. Credentes igitur hoc salutare propositum ab Illo descendere, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum, universitati vestrae per apostolica scripta praecipimus, quo vos taliter praeparetis, quod a praesenti dominicae incarnationis MCCIII (1) anno, usque ad duos annos et dimidium, praefixis vobis pro termino kal. novembris, ad Sedem Apostolicam accedatis cum modestia et cautela, ita quod in vestra provincia, si necessitas postulaverit, duo vel tres de suffraganeis episcopis valeant remanere, pro christianitatis ministeriis exequendis, et tam illi, quam alii, qui canonica praepeditione detenti venire nequeunt, idoneos pro se dirigant responsales. Personarum, et evictionum mediocritate servata, quam Lateranense concilium definivit, ut nullus omnino plures, aut pauciores secum adducere possit. Nec quisquam faciat superfluas et pomposas, sed necessarias tantum et moderatas expensas, ostendendo se actu et habitu verum Christi cultorem, cum non saecularis applausus, sed spiritualis profectus in hoc negotio sit requirendus.

In eo tractandum de subventione Terrae Sanctae.

§ 6. Interim autem per vos ipsos, et per alios viros prudentes, universa subtiliter inquiratis, quae studio correctionis aut reformationis indigere videntur, et ea fideliter conscribentes, ad sacri concilii praefati examen, erga subventionem Terrae

(1) Sic in Cocquelines: legendum nobis videtur MCCXIII (R. T.)

Sanctae necessaria, ubi Deus noster Rex ante saecula salutem in medio terrae operari dignatus est, opem et operam efficaciter impensuri, assistendo fideliter et prudenter, his quos ad hoc negotium duxerimus specialiter procurandum destinare.

Adhortatio ad concordiam.

§ 7. Nullus itaque fallaciter se excusando ab executione tam sancti operis subtrahat, si canonicam vult effugere ultionem. Nemo dissensionum obstacula, vel itinerum impedimenta causetur, quae Domino faciente signum in bonum ex magna iam parte cessare coeperunt. Nam et quanto maiora imminent pericula, tanto potiora remedia convenit adhiberi. Nunquam enim navigabit per aequora, qui semper expectat, ut mare non excitet in se fluctus. Propter haec autem ad vos dilectum filium N. cum iussione apostolica destinamus, quem habeatis pro reverentia commendatum.

XCIV.

Confirmatio privilegiorum ab Adriano, Ioanne IX et Marino Summis Pontificibus Nonantulano monasterio concessorum (1).

SUMMARIUM

Privilegia huiusmodi iussu PP. exemplata. — Par privilegii ab Adriano PP. concessi. — Privilegium Ioannis PP. — Marini privilegium. — Legalizatio horum exemplorum.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, abbati et conventui Nonantulanis.

Privilegia huiusmodi iussu PP. exemplata.

Exhibita nobis ex parte vestra quaedam fel. memoriae Adriani, Ioannis, atque Marini praedecessorum nostrorum authentica scripta diligenter inspeximus, et per dilectum filium Henricum Sanctae Romanae Ecclesiae scriniarium iussimus fideliter exemplari: qui ea, quae de ipsis scriptis papyris ex quadam parte prae nimia vetustate consumptis colligere potuit, in publicam formam redigere procuravit: quibus nos apostolici favoris praesidium impendentes, in hac pagina fecimus sub bulla nostra conscribi, supplendo quaedam, quae secundum literae circumstantias in integris praesumebantur originibus fuisse descripta, quae causa discretionis mandavimus in hac charta tonsis literis exarari. In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Anno dominicae incarnationis millesimo ducentesimo decimo tertio, pontificatus vero domini Innocentii III Papae anno eius sextodecimo, indictione prima, mense ianuarii exeunte, die quartadecima. Privilegium domini Adriani Papae domibus atque famulis, servis originalibus, simulque rebus atque possessionibus, necnon aquimolis, olivetis, vel quidquid in quibuscumque locis habere vel tenere videtur, vel si quid in potestate legaliter donatum vel largitum fuit, aut quolibet modo iuste evenerit, tenere et possidere sine qualibet controversia perpetuis temporibus valeat, et nulli unquam liceat regum, episcoporum, ducum vel actorum parvae vel magnae personae in praedicto venerabili monasterio, vel in eis quae eidem venerabili monasterio pertinere..... stabilitate permaneant. Interdicentes omnino episcopo, in cuius parochia esse videtur supradictum monasterium constitutum..... contra tenorem praesentis decreti pia postulatione indulti quicquam attentet, neque ullo modo eius baptismales Ecclesias sibi vendicet, neque ipse suique successores praesumant prohibita contingere. Sed neque missarum solemnia ibidem persolvere praesumat, nisi ab abbate suprascripti monasterii fuerit invitatus; neque ordinationem sacerdotum quilibet episcoporum in praefato monasterio vel eius in re... celebrare audeat, nisi, ut praedictum est, ab abbate fuerit invitatus: Chrisma igitur, vel quidquid ad sacra ministeria pertinet, si a patre monasterii fuerit postulatus, a quocumque praeviderit concedimus tribuenda. Sed neque decimas usquam dare concedimus nisi ecclesiis supradicti venerabilis monasterii ad nostram dioecesim pertinentis.

Par privilegii ab Adriano PP. concessi.

(1) Ex Baluz., lib. XVI, Epist. 61.

Sed et hoc statuimus, et inviolabili sanctione auctoritate apostolica firmamus, ut nullus aliquando in praedicto monasterio de aliis monachis, seu quibuscunque ecclesiis..... abbas..... divina vocatione abbas praefati monasterii pertransierit, et resolutionis tempus advenerit, de propria semper congregatione eligatur abbas, qui ab omni.....

Privilegium Ioannis PP.

Iohannes episcopus servus servorum Dei, Benedicto religioso abbati monasterii Sancti Silvestri de Nonantula, et in eodem venerabili monasterio in perpetuum... Salvatoris nostri Iesu Christi pertinere noscuntur, et ad stabilitatem venerabilium locorum respiciunt, cum magno sollicitudinis studio nos convenit apostolica et rationali censura procurare: quatenus ex hoc iuges eidem propitiatori nostro Domino Deo efficacius persolvi possint carminum laudes, et nobis, qui, licet immeriti, divina tamen gratia praeveniente, pastoralis regiminis curam gerimus, opima in sidereis arcibus remunerationis praemia adscribantur. Igitur quia constat tuam nobis religiositatem detulisse praeceptum praedecessoris nostri domini Adriani, et Iohannis, sive Stephani reverendae memoriae Pontificum de praefato monasterio, et omnibus ei pertinentibus locis ac possessionibus, quae petiistis, ut per nostri privilegii paginam confirmaremus: unde nos precibus vestris inclinati, et a praesenti quartadecima indictione in perpetuum praedictum monasterium successorum tuorum abbatum ditione et potestate cum omnibus sibi pertinentibus confirmantes, irrefragabili iure decernimus permanenda, idest monasterium Sancti Silvestri de Nonantula territorio Mutinensi. Quapropter auctoritate beati Petri apostoli cui a Domino Deo nostro coelorum regni claves traditae sunt, et potestas ligandi atque solvendi coelo terraque tradita est, promulgantes decernimus, et firma stabilitate et censura statuimus, ut ipsum venerabile monasterium cum omnibus locis .... fundis, casis, casalibus, domibus, atque familiis, servis originalibus, simulque rebus et possessionibus, necnon aquismolis, olivetis, vel quicquid in quibuscumque locis..... habere vel tenere videtur. Vel si quid in potestate legaliter donatum vel largitum fuerit, aut quolibet modo iuste evenerit, tenere et possidere sine qualibet controversia perpetuis temporibus valeat, et nulli unquam liceat regum, episcoporum, ducum, et actorum parvae vel magnae personae in praedicto monasterio, vel in eis quae eidem monasterio pertinere noscuntur quocunque modo incumbere..... invasionem facere, aut quispiam sacerdotum ibidem praesumat accedere, vel missarum solemnia celebrare; et neque episcopus, neque abbas, vel comes, aut quaelibet magna parvaque persona in praefato monasterio, vel in eius cellis aut ecclesiis mansiones facere, aut expensas expetere, aut aliquod per potestatem servitium, praeter peregrini, et legitimi hospites; sed neque colloquium qualecunque aut placitum in ipso monasterio, aut in eius praenominatis locis esse quis audeat, nisi ab abbate fuerit invitatus; quatenus hoc quod ad laudem Dei, et stabilitatem praedicti monasterii statuimus firma stabilitate permaneat. Interdicentes omnino episcopo in cuius parochia esse videtur supradictum monasterium constitutum, ut nihil contra tenorem praesentis decreti pia postulatione indulti quicquam attentet, neque ullo modo baptismales ecclesias sibi vindicet, neque ipse, suique successores praesumant prohibita contingere. Sed neque missarum solemnia ibidem persolvere praesumat, nisi ab abbate suprascripti monasterii fuerit invitatus: neque ordinationem sacerdotum quilibet episcoporum in praefato monasterio, vel eius iure, aut de suo clero celebrare audeat, nisi ut praelatum est, ab abbate fuerit evocatus. Chrisma igitur, vel quicquid ad sacra ministeria pertinere, si a patre monasterii fuerit postulatus, quibuscumque praeviderit concedimus... nisi ecclesiis supradicti venerabilis monasterii ad

nostram dioecesim pertinentis. Sed et hoc statuimus, et inviolabili sanctione apostolica auctoritate firmamus, ut nullus aliquando in praedicto monasterio de aliis monachis, seu quibuscumque ecclesiis.... esse praesumat, neque a quacumque potestate in postero ducantur. Sed cum divina vocatione abbas praefati monasterii perstrinxerit, et resolutionis tempus advenerit, de propria semper congregatione eligetur abbas, qui ab omnium monachorum..... eorum pro Dei amore arantium monastico ordine militantium. Nihilominus omnibus huic nostri pontificii interdictione inhibemus aliquam scripturam, vel confirmationem de praedicti monasterii rebus, vel de praenominata abbatia quo ingenio contra hoc praeceptum petere: si qua scriptura, vel petitio impetrata fuerit, aut in reliquo apparuerit, has irritas esse vacuasque omni robore iubemus: si quis praeterea, quod non credimus, praesumpserit hoc nostrum privilegii constitutum in aliquo transgredi, aut contemnere, sciat se auctoritate beati Petri et Pauli apostolorum principum anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei penitus segregatum. Porro qui observator et custos extiterit, benedictionis gratiam a misericordissimo Deo nostro, et vitam perpetuam fideliter consequatur. Scriptum per manum Sergii Sanctae Romanae Ecclesiae scrinarii in mense ianuarii, indictione suprascripta. Bene valete. Ego Sergius. Dat. idus ianuarias per manum Anastasii primicerii defensoris S. Sedis Apostolicae, anno Deo propitio pontificatus domini Iohannis Summi Pontificis, et universalis noni Papae in sacratissima Sede Beati Petri apostoli secundo, indictione secunda.

Marini privilegium.

Marinus episcopus servus servorum Dei, Theodorico religioso abbati venerabilis monasterii Sancti Silvestri ...... territorio Mutinensi, necnon omnibus subiacentibus, et in perpetuo... quaeque ad laudem Redemptoris Dei et Domini Salvatoris nostri Iesu Christi pertinere noscuntur, et ad stabilitatem venerabilium locorum respiciunt, cum magno sollicitudinis studio nos convenit apostolica et rationabili censura procurare; quatenus ex hoc inges eidem propitiatori nostro Domino Deo efficacius persolvi possint carminum laudes, et nobis, qui licet inmeriti, divina tamen gratia praeveniente, pastoralem regiminis curam gerimus, opima in sidereis arcibus remunerationis praemia adscribantur. Igitur quia constat religiositatem tuam nobis detulisse praeceptum praedecessoris nostri domini Adriani et Iohannis reverendae memoriae Pontificum de praedicto monasterio, et omnibus ei pertinentibus locis, ac possessionibus, quae petistis, ut per nostri apostolici privilegii paginam confirmaremus. Unde nos precibus vestris inclinati, et a praesenti prima indictione in perpetuum, saepedictum monasterium successorum tuorum abbatum ditione et potestate cum omnibus sibi pertinentibus confirmantes irrefragabili iure decernimus permanenda, idest monasterium Sancti Silvestri epi.... a Nonantula territorio Mutinensi. Quapropter auctoritate beati Petri apostoli cui a Domino Deo nostro coelorum regni claves traditae sunt, et potestas ligandi atque solvendi coelo terraque concessa est, promulgantes decernimus, et firma stabilitatis censura statuimus, ut ipsum venerabile monasterium cum omnibus locis, mansis, fundis, casis, casalibus, domibus, aquismolis, olivetis, vel quicquid in quibuscunque... videtur, vel potestate legaliter donatum, vel largitum fuerit, aut quolibet modo iuste evenerit, tenere et possidere sine qualibet controversia perpetuis temporibus valeatis. Et nulli unquam liceat regum..... episcoporum....... vel actorum parvae vel magnae personae in praedicto venerabili monasterio, vel in eis, quae eidem venerabili monasterio pertinere videntur quocunque modo incumbere, aut invasionem facere....... accedere, vel missarum solemnia nisi ab abbate fuerit invitatus; quatenus hoc quod

ad laudem et stabilitatem supradicti sancti monasterii statuimus firma stabilitate permaneat. Interdicentes omnino episcopo in cuius parochia esse videtur supradictum monasterium constitutum, ut nihil contra tenorem praesentis decreti pia postulatione indulti quicquam attentet; sed neque ullo modo baptismales ecclesias sibi vindicet. Ego Henricus sacrosanctae Romanae Ecclesiae scriniarus, una cum Bartholomeo clerico Sancti Petri ad Vincula horum supradictorum exemplorum authentica privilegia, dominorum videlicet Adriani, Iohannis, atque Marini Papae videns, et perlegens, ut in eis continebatur, sic in suprascriptis continetur exemplis, et ea fideliter exemplavi, et signum feci.

Legalizatio horum exemplorum.

Nulli ergo *etc.*, conscriptionis *etc.*, *usque* incursurum.

Datum Laterani idibus iunii, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Dat. die 13 iunii 1213, pontif. anno XVI.

XCV.

Confirmatio diplomatis Urbani PP. II, quo regnum Aragonum sub protectione Sedis Apostolicae suscipitur (1)

SUMMARIUM

Urbani PP. privilegium. — Innoc. Philippum coronat in regem. — Confirmat suprad. privilegium. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Philippo illustri regi Aragonum, salutem et apostolicam benedictionem.

In privilegio felicis recordationis Urbani Papae secundi praedecessoris nostri de verbo ad verbum prospeximus contineri.

Urbani PP. privilegium.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, charissimo filio Petro Pampilonen. et Aragonen. regi, eiusque successoribus in eadem beati Petri fidelitate permansuris in perpetuum. Cum universis sanctae Ecclesiae filiis ex Apostolicae Sedis auctoritate ac benevolentia debitores existamus, illis tamen personis, quae familiarius ac devotius Romanae adhaerent Ecclesiae propensiori nos convenit studio imminere. Quia igitur bonae memoriae patris tui Santii, cuius regno temporaliter successisti, fidem quoque, ac devotionem erga Romanam Ecclesiam efficaciter sequeris; nos eadem benignitate, qua patris tui postulationem implevimus, tuae quoque petitioni adesse curamus. Te enim tamquam regem beato Petro devotissimum, et omne tuum regnum in tutelam Sedis Apostolicae speciali dilectione suscipimus. Constituimus ergo auctoritate apostolica sancientes, ut omnes tui successores regnum illud de manu nostra nostrorumve successorum accipiant, eundem censum scilicet quingentorum mancusorum rependant, et se beati Petri reges, ministros, ac famulos recognoscant. Quapropter nullus deinceps viventium, et fidem christianam tenentium regnum illud temere perturbare, invadere, aut diminuere qualibet occasione praesumat, nec molestiam ullam tibi tuisve successoribus, qui in eadem Sedis Apostolicae fidelitate permanserint, inferre audeat, ne Dei et apostolorum eius indignationem incurrat. Tuam vero personam in beati Petri, et nostrae manus tutelam ita omnino suscipimus, ut nulli episcoporum, nulli archiepiscoporum, nulli etiam sanctae Romanae Ecclesiae legato liceat sine certo praecepto nostro adversum te, vel tuam coniugem excommunicationis aut interdictionis proferre sententiam. Tu igitur, fili in Christo charissime, in ea, quam coepisti, devotione persistens, ita regnum saeculare sub coelestis iustitiae lege coerce, ita semper tuae et catholicorum omnium matris Romanae Ecclesiae gratiam excole, ut et in praesenti, annuente Domino, maiora merearis, et in futuro sanctorum apostolorum intercessionibus aeterni regni gloriam consequaris. Sane ad indicium huius per-

(1) Ex Regest. Vatic.

ceptae a Romana Ecclesia libertatis quingentos Iaccen. monetae mancusos aureos per annos singulos Lateranensi palatio, ut superius dictum est, persolvetis. Hoc igitur nostrae privilegium sanctionis, si quis in crastinum agnoscens archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, princeps, dux, vel marchio, comes, aut vicecomes, iudex, aut persona quaelibet saecularis vel ecclesiastica contra eam temere venire tentaverit, et regni tui bona, quae in praesenti ex paterna possessione retines, seu quae in futurum largiente Domino iuste acquirere poteris, invadere, molestare, vel suis usibus applicare praesumpserit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, a Christi eum, et Ecclesiae corpore auctoritatis apostolicae potestate segregamus, et honoris sui periculo subiacere decernimus. Cunctis autem conservantibus haec pax a Deo et misericordia praesentibus ac futuris saeculis conservetur. Amen. Datum Placentiae per manum Iohannis sanctae Romanae Ecclesiae diaconi cardinalis, decimo septimo kalendas aprilis, indictione tertia, anno dominicae incarnationis millesimo nonagesimo quinto, pontificatus autem domini Urbani Papae secundi anno octavo.

Innoc. Philippum coronat in regem.

Cum autem adeo personam tuam dilexerimus et diligamus in Domino charitate sincera, quod nostris manibus coronavimus te in regem, tuis petitionibus quantum cum Deo possumus favorabiliter impartientes assensum, praedictum privilegium ratum habemus, et praecipimus inviolabiliter observari. Tu ergo ne unde nascantur iniuriae, unde iura nascuntur, talem te circa usum praescripti privilegii studeas exhibere, praesertim circa id quod de interdicti, et excommunicationis sententiis est praedictum, ne per abusum, quod absit, privari eiusdem privilegii beneficio merearis, quia iuxta canonicas sanctiones privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.

Confirmat suprad. privilegium.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae praeceptionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae.

Datum Laterani quarto nonas iulii, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Datum die 4 iulii 1213, pontif. anno XVI.

XCVI.

Validatio pacis inter regem Ioannem et Anglicanam Ecclesiam (1).

SUMMARIUM

Rex clero suo pacem libertatemque promittit. — Patentesque se daturum super hoc literas. — Ad pacta servanda ecclesiasticos adhortatur Innocentius. — Et nihil contra regem agendum inconsulto Romano Pontifice.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Dublinen. archiepiscopo, et Norvicen. et Wintonien. episcopis, et dilectis filiis nobilibus viris Willelmo Saresberien., G. filio Petri Exeriae, R. Boloniae, R. Cestriae, W. Waranniae, W. Marescallo Preabrotiae, R. Libiger Norfoltiae, W. Arundelli, W. de Ferraria, et Sacro Wintoniae comitibus, et R. filio Rogeri, W. Brigertae, R. de Ros., G. filio Ranfredi, R. de Mortuomari, P. filio Herberti, et W. de Albiniaco, salutem et apostolicam benedictionem.

In forma concordiae, quam cum multa deliberatione providimus pro reformanda pace inter charissimum in Christo filium nostrum Iohannem Anglorum regem illustrem, et Ecclesiam Anglicanam, hoc inter caetera continetur expressum, quod idem rex veram pacem et plenam securitatem praestabit venerabilibus viris Stephano Cantuarien. archiepiscopo, W. Londonien., E. Elien., E. Horefordien., I. Rathonien. et H. Linconien. episcopis, priori quoque, et monachis Cantuarien. et Roberto filio

Rex clero suo pacem, libertatemque promittit.

(1) Ex Regest. Vatic.

Walteri, ac Eustario de Vesti, necnon caeteris clericis et laicis hoc negotium contingentibus, praestando similiter coram legato vel delegato nostro publice iuramentum, quod ipsos cum suis non laedet nec laedi faciet vel permittet in personis vel rebus, eisque omnem indignationem dimittet, et in gratiam suam eosdem recipiet, ac bona fide tenebit. Quodque praefatos archiepiscopum et episcopos non impediet nec faciet, aut permittet aliquatenus impediri, quo minus ipsi libere suum exequantur officium, et plena suae iurisdictionis auctoritate, prout debent, utantur, et super his tam nobis, quam ipsi archiepiscopo et singulis episcopis suas patentes literas exhibebit, faciens ab episcopis et comitibus ac baronibus suis quot et quos praefati archiepiscopus et episcopi postulaverint iuramenta, et eorum patentes litteras exhiberi, quod ipsi bona fide studebunt, ut haec pax et securitas firmiter observetur. Et si forte, quod Deus avertat, idem rex per seipsum, vel alios contravenerit, ipsi pro Ecclesia contra violatores securitatis et pacis mandatis apostolicis inhaerebunt, ac dictus rex perpetuo custodiam vacantium Ecclesiarum ammittat. Sane intelleximus pro praescripta securitate ac pace vos iurasse vestrasque patentes litteras tradidisse. Unde per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus ad consummandam et conservandam formam eiusdem securitatis et pacis diligens studium impendatis, et operam efficacem. Ne quis autem ex huius vinculo cautionis occasionem assumat contra praefatum regem aliquam turbationis materiam suscitandi, cum per eam, sic illis ad necessariam securitatem et pacem velimus esse provisum, quod isti ad gravamen indebitum vel incommodum non redundet, praesentium vobis auctoritate praecipimus, quatenus si quid forsan emerserit, quod contra praescriptam securitatem et pacem facere proponatur, non ante cuiusquam instinctu adversus eumdem regem aliquatenus moveamini, quam consulto Romano Pontifice ipsius recipiatis cum responso mandatum, qui omnia consuevit aequo libramine moderari, cum hoc ipsum in praedicta forma contineatur expressum, quod vos pro Ecclesia contra violatores securitatis et pacis debetis mandatis apostolicis inhaerere.

Patentesque se daturum super hoc literas.

Ad pacta servanda ecclesiasticos adhortatur Innocentius.

Et nihil contra regem agendum inconsulto Romano Pontifice.

Datum Laterani secundo kalendas novembris, pontificatus nostri anno sexto decimo.

Dat. die 31 octobris 1213, pontif. anno XVI.

XCVII.

Angliae regnum beato Petro oblatum regi concedit sub annuo censu mille marcharum auri Rom. Ecclesiae persolvendo (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Regum observantia erga Pontifices. — Angliae rex Sedi Apostolicae offert regnum. — Instrumentum praedictae oblationis. — Iuramentum fidelitatis Ioannis regis. — Donationem accipit Innocentius; — Regnumque Ioanni concedit in feudum. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Iohanni regi Anglorum illustri, eiusque de sua uxore liberis haeredibus in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Rex regum et Dominus dominantium Iesus Christus sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, ita regnum et sacerdotium in Ecclesia stabilivit, ut sacerdotale sit regnum, et sacerdotium sit regale, sicut in epistola Petrus, et Moyses in lege testantur, unum praeficiens universis, quem suum in terris vicarium ordinavit, ut sicut ei flectitur omne genu coelestium, terrestrium et infernorum, ita illi omnes obediant; et intendant, ut sit unum ovile et unus pastor. Hunc itaque reges saeculi propter Deum

Exordium

Regum observantia erga Pontifices.

(1) Ex Regest. Vatic.

adeo venerantur, ut non reputent se rite regnare nisi studeant ei devote servire. Quod tu, fili charissime, prudenter attendens, illo misericorditer inspirante, in cuius manu sunt corda regum, et quo voluerit vertit illa, te ipsum, et tua etiam temporaliter ei subiicere decrevisti, cui noveras spiritualiter esse subiecta, ut in unam Vicarii Christi personam quasi corpus et anima regnum et sacerdotium uniantur ad magnum utriusque commodum et augumentum. Ille itaque hoc dignatus est operari, qui cum sit Alpha et Omega, finem retulit ad principium, et principium protraxit ad finem, ut illae provinciae, quae olim sacrosanctam Romanam Ecclesiam propriam in spiritualibus habuere magistram, nunc etiam in temporalibus dominam habeant specialem. Tu quippe, quem Deus ad hoc idoneum ministrum elegit, tam te, quam etiam regna tua, Angliae videlicet et Hiberniae, cum omni iure ac pertinentiis suis devota et spontanea voluntate ac communi consilio baronum tuorum Deo et sanctis apostolis eius Petro et Paulo, sanctaeque Romanae Ecclesiae, nobisque ac successoribus nostris in ius et proprietatem sub annuo mille marcharum censu offerens concessisti, sicut in tuo continetur authentico scripto, cuius de verbo ad verbum talis tenor existit.

Angliae rex Sedi Apostolicae offert regnum.

Iohannes Dei gratia rex Angliae, dominus Hiberniae, dux Normandiae et Aquitaniae, comes Andegaviae, omnibus christifidelibus praesentem chartam inspecturis salutem.

Instrumentum praedictae oblationis.

Universitati vestrae per hanc chartam nostram sigillo nostro munitam volumus esse notum, quia, cum Deum, et matrem nostram sanctam Ecclesiam offenderimus in multis, et proinde divina misericordia plurimum indigere noscamur, nec quid digne offerre possimus pro satisfactione Deo et Ecclesiae debita facienda, nisi nos ipsos habeamus, et regna nostra, volentes nos ipsos humiliare pro illo, qui se pro nobis humiliavit usque ad mortem, gratia Sancti Spiritus inspirante, non vi inducti, nec timore coacti, sed nostra bona, spontaneaque voluntate, ac communi consilio baronum nostrorum, offerimus, et libere concedimus Deo, et sanctis apostolis eius Petro et Paulo, et sanctae Romanae Ecclesiae matri nostrae, ac domino nostro Papae Innocentio, eiusque catholicis successoribus totum regnum Angliae, et totum regnum Hiberniae, cum omni iure et pertinentiis suis pro remissione peccatorum nostrorum, et totius generis nostri tam pro vivis, quam defunctis, et eo modo illa a Deo, et Ecclesia Romana tamquam feudatarius recipientes, in praesentia prudentis viri Pandulphi domini Papae subdiaconi et familiaris fidelitatem exinde praedicto domino nostro Papae Innocentio, eiusque catholicis successoribus, et Ecclesiae Romanae secundum subscriptam formam facimus et iuramus; et homagium ligium in praesentia domini Papae, si coram eo esse poterimus, eidem faciemus, successores et haeredes nostros de uxore nostra in perpetuum obligantes, ut simili modo Summo Pontifici, qui pro tempore fuerit, Ecclesiae Romanae sine contradictione debeant fidelitatem praestare, et homagium recognoscere. Ad indicium autem huius nostrae perpetuae obligationis et concessionis volumus et stabilimus, ut de propriis et specialibus redditibus praedictorum regnorum nostrorum pro omni servitio et consuetudine, quod pro ipsis facere deberemus, salvo per omnia denario beati Petri, Ecclesia Romana mille marchas sterlingorum percipiat annuatim, scilicet in festo Sancti Michaelis quingentas marchas, et in Pascha quingentas marchas, septingentas scilicet pro regno Angliae, et trecentas pro regno Hiberniae; salvis nobis et haeredibus nostris iustitiis, libertatibus et regalibus nostris. Quae omnia, sicut supra dicta sunt, rata esse volentes perpetuo, atque firma, obligamus nos et successores nostros contra non venire. Et

si nos, vel aliquis successorum nostrorum hoc attentare praesumpserit, quicumque fuerit ille, nisi rite commonitus resipuerit, cadat a iure regni, et haec charta oblationis et concessionis nostrae semper firma permaneat.

Iuramentum fidelitatis Ioannis regis.

Ego Iohannes Dei gratia rex Angliae et dominus Hiberniae, ab hac hora in antea fidelis ero Deo, et beato Petro, et Ecclesiae Romanae, ac domino meo Papae Innocentio, eiusque successoribus catholice intrantibus. Non ero in facto, dicto, consensu, vel consilio, ut vitam perdant, vel membra, vel mala captione capiantur. Eorum damnum, si scivero, impediam, et remanere faciam, si potero, alioquin eis quam citius potero intimabo, vel tali personae dicam, quam eis credam pro certo dicturum. Consilium quod mihi crediderint per se, vel per nuncios, seu litteras suas secretum tenebo, et ad eorum damnum nulli pandam me sciente. Patrimonium beati Petri, et specialiter regnum Angliae, et regnum Hiberniae, adiutor ero ad tenendum, et defendendum contra omnes homines pro posse meo. Sic Deus me adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia, teste me ipso, apud domum Militiae Templi iuxta Doveram coram domino Henrico archiepiscopo Dublinensi, domino Iohanne episcopo Norwicensi, Galfrido filio Petri comitis Essex iustitiario nostro, Willelmo comite Saresberiensi fratre nostro, W. Marescallo comite Pembroc, R. comite Bonon., W. comite Warenae, G. comite Wintoniensi, W. comite Arundell, W. comite de Ferrariis, W. Broubert, Petro filio Herberti, Warino filio Geroldi, decimoquinto die maii, anno regni nostri decimoquarto.

Donationem accipit Innocentius:

Nos autem oblationem et concessionem huiusmodi pie ac provide factas, gratas et ratas habentes, personam tuam et personas haeredum tuorum cum praedictis regnis et pertinentiis eorumdem, et omnibus bonis aliis rationabiliter nunc possessis, et imposterum possidendis sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, tibi, et ipsis secundum praescriptam formam de communi consilio fratrum nostrorum supradicta regna concedentes in feudum, et praesenti privilegio confirmantes, ita quod quilibet haeredum tuorum cum regni coronam acceperit, feudum huiusmodi Summo Pontifici et Romanae Ecclesiae publice recognoscat et eis fidelitatis exhibeat iuramentum.

Regnumque Ioanni concedit in feudum.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae

Dat. Laterani, per manum Raynaldi acolythi, et capellani domini Innocentii Papae tertii, secundo nonas novembris, indictione secunda, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo decimo tertio, pontificatus vero eiusdem domini Innocentii anno sextodecimo.

Dat. die 4 novembris 1213, pontif. anno XVI.

XCVIII.

Confirmatio bonorum omnium ac privilegiorum concessio monasterio Gemblacensi (1).

SUMMARIUM

Proœmium. — Monasterium hoc sub apostolica protectione recipit: — Bonaque omnia ei confirmat. — Confirmat quoque eidem donationes omnes. — Privilegia nonnulla elargitur. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Willelmo abbati Gemblacensis monasterii, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris religiosam vitam professis in perpetuum.

Proœmium.

Religiosis desideriis dignum est facilem praebere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis po-

(1) Ex Baluz., lib. XVI, Epist. 146.

stulationibus clementer annuimus, et praedecessorum nostrorum felicis memoriae Innocentii, Eugenii, et Coelestini Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, praefatum monasterium in quo divino mancipati estis obsequio sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quaecunque bona *etc.*, *usque* et illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Ipsum videlicet monasterium in beatorum Petri et Exuperii honore fundatum, quod utique ipsius burgi principalis Ecclesia esse dicitur, cum capella sua, quae vocatur S. Salvatoris, iuxta providentiam tuam et successorum tuorum, fili abbas, tam in temporalibus quam in spiritualibus libere et absque contradictione aliqua disponenda, salvo nimirum iure debito Leodiensis episcopi. Similiter etiam villas et capellas de Corcis, de Esnagia, et de Salveniriis, et de Lircil, et de Arentin, ad praedictum locum tam parochiali quam saeculari iure pertinentes. Praeterea fundum ipsius burgi et terras adiacentes, cum banno, et iustitia, percussura monetae, mercato, et teloneo, fonagio vini, cambatico, et materia, positione villici sive scabinorum atque caeterorum officialium ad eundem locum pertinentium. Piscarias et vivaria, cum molendinis, terris, cultis et incultis, pratis, pascuis et sylvis, ac partem allodii Gemblacensis, quae fuit Ægidii et Iohannis fratrum de Corcis et comparticipum suorum. Ecclesiam quoque de Castris, Pictam villam, villam quae dicitur Eineis, vicum qui dicitur Boferolus, vicum qui dicitur Maisnil, censum de Roseriis, villam quae dicitur Soe cum ecclesia, banno, iustitia, terris, sylvis, pratis, pascuis, et piscaria. Censum villae quae dicitur Templiacus, cum tribus placitis annualibus, villam quae dicitur Ferolt, villam de Monterivo cum ecclesia, villam Sancti Gaurerici cum ecclesia, villam de Niele cum ecclesia, allodium de Walchem, villam de Bellorivo, montem qui dicitur Sancti Wiberti cum ecclesia et appendiciis suis, decimas quorundam Sartorum de Sumbresia, villam de Diona cum ecclesia, terris, pratis, et sylvis, allodium de Iandrenolio, apud Puccium viginti duos solidos Leodiensis monetae, Ecclesiam de Bossuth, Ecclesiam de Baverechircum cum terris ad eam pertinentibus, villam de Stirs. Apud Leodium duos mansos, unum in Insula iuxta Sanctum Paulum, alterum apud S. Lambertum, et vineam unam apud Viniacum, apud Namucum aliam vineam, villam de Soffri cum ecclesia, heremum Sanctae Mariae apud Brenam cum ecclesia in episcopatu Cameracensi, villam de Turp cum ecclesia. Adiicientes vigesimam partem totius allodii de Bevenchin, quam tenetis de Ecclesia Sancti Lamberti sub annuo censu vigintiquinque solidorum Leodiensis monetae. Ecclesias quoque de Bossuth et de Bavenchin. Cum omni iure quod habetis in eis tam ex patronatu, quam ex donatione piae recordationis Alberti Leodiensis episcopi, quam vobis specialiter Sedes Apostolica confirmavit. Decimam Sartorum totius sylvae episcopi Leodiensis apud Bavenichen. Decimam quoque in Villa Smirei, quadraginta bunuariorum terrae et amplius, cum decimis quas habetis in monte Sancti Wiberti a parochianis mansionariis vestris; medietatem ecclesiae de Vuares cum dominio dotis et terrae et census et Gallianorum. Praeterea libertatem, donationes et possessiones, ab illustri quondam viro imperatore Othone et Wilbodone Leodiensi episcopo rationabiliter eidem venerabili loco collatas, et praedecessoris nostri bonae memoriae Benedicti Papae privilegio roboratas et usque ad hanc diem quiete a vestro monasterio habitas, nos quoque vobis concedimus et firmamus, sicut in eorum scriptis et privilegiis authenticis continetur. Sane novalium vestrorum *etc.*, *usque* exigere vel extorquere praesumat.

Monasterium hoc sub apostolica protectione recipit:

Bonaque omnia ei confirmat.

Confirmat quoque eidem donationes omnes.

Privilegia nonnulla elargitur.

Liceat quoque vobis clericos vel laicos *etc.*, *usque* contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper *etc.*, *usque* nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum *etc.*, *usque* divina officia celebrare. Chrisma vero, Oleum sanctum *etc.*, *usque* voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis *etc.*, *usque* quod postulatur impendat; adiicimus etiam ut si quando in aliquo negotio vos gravari senseritis, Sedem Apostolicam vobis libere liceat appellare. Quotiens etiam sanctam Romanam Ecclesiam pro gravaminibus vestris aut certa utilitate adire volueritis, id ipsum faciendi facultatem liberam habeatis.

Sancimus etiam ut bonae atque canonicae consuetudines quae in vestro monasterio hactenus viguerunt, eidem venerabili loco in perpetuum illibatae serventur. Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbate *etc.*, *usque* providerint eligendum.

Clausulae.

Decernimus ergo *etc.*, *usque* omnimodis profutura. Salva Sedis Apostolicae auctoritate, et dioecesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum *etc.*, *usque* districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco *etc.*, *usque* pacis inveniant.

Datum Laterani, per manum Raynaldi acolyti, et capellani domini Innocentii Papae III, XVII kal. decembris, indictione secunda, incarnationis dominicae, anno millesimo ducentesimo tertiodecimo, pontificatus vero domini Innocentii Papae III anno sextodecimo.

Dat. die 15 novembris 1213, pont. anno XVI.

XCIX.

Confirmatio concordiae, initae inter monasterium Virziliacense, et Herveum comitem ac Mathildem comitissam Nivernenses (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Monachorum Virziliacen. literae ad Innocentium PP. — Instrumentum comitis Nivernensis. — Innoc. literae quibus delegat cognitionem causae inter monast. Virziliacense et comitem Nivernensem: — Delegatisque mandat, ut comitem absolvant ab excommunicatione. — Comes iurat se servaturum concordiam ab Innocentio mandatam. — Hanc confirmari petunt Virziliacen. — Confirmat Innocentius.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, abbati, et conventui Virziliacensi.

Exordium.

Cum litigantium utilitati intersit, ne sopitae iudicio vel concordia quaestiones iterum suscitentur, si ea, quae provida sunt deliberatione firmata, auctoritatis nostrae robur exposcant, eis grato concurrentes assensu, favoris apostolici praesidium impertimur. Sane postulastis a nobis, ut concordiam, quae inter vos ex parte una, et comitem ac comitissam Nivernenses ex altera super procurationibus, damnis et iniuriis intervenit, sicut per litteras vestras accepimus, quas de verbo ad verbum iussimus praesentibus annotari, dignaremur apostolico munimine roborare. Tenor autem litterarum talis existit. Sanctissimo patri et domino reverendo Innocentio Dei gratia Summo Pontifici, devoti et humiles filii frater Galterius dictus abbas, et conventus Virziliacensis, devota pedum oscula. Noverit sanctitas vestra quod dominus Herveus comes et Mathildis comitissa Nivernenses fecerunt nobis authenticum instrumentum, cuius tenor est talis: Universis christifidelibus ad quos praesens scriptum pervenerit. Herveus comes, et Mathildis comitissa Nivernenses salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod cum inter nos ex una parte, et abbatem, et conventum monasterii Virziliacensis ex altera super quibusdam procurationibus annuis, damnis, et iniuriis quaestio verteretur, tandem mandavimus Domino Papae, quod per omnia volebamus in hac causa ipsius obtemperare mandatis. Ipse vero, communicato fratrum suorum consilio, scripsit in hunc modum. Innocentius episcopus servus servorum Dei ve-

Monachorum Virziliacen. literae ad Innocentium PP.

Instrumentum comitis Nivernensis.

(1) Ex Baluz., lib. XVI, Epist. 159.

Innoc. literae quibus delegat cognitionem causae inter monast. Virziliacense et comitem Nivernensem.

nerabili fratri episcopo, et dilectis filiis abbati Sancti Victoris, et cancellario Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum pro quaestione quae inter nobilem virum Herveum comitem Nivernensem ex parte una, et dilectos filios abbatem et conventum monasterii Virziliacensis dioecesis Eduensis ex altera super quibusdam procurationibus annuis, damnis et iniuriis vertebatur, ipsius nobilis, et partis alterius procuratores ad nostram praesentiam accessissent, et in ea fuisset aliquandiu coram nobis prudenter et provide disputatum, tandem ex parte nobilis antedicti relatione suorum procuratorum accepimus, quod ipse volens per omnia complacere nostro beneplacito voluntatis, paratus erat in hac causa nostris obtemperare mandatis. Nos autem communicato fratrum nostrorum consilio, hoc duximus iniungendum, ut cum ipse et successores sui comites Nivernenses in festo Paschali ad monasterium accesserint memoratum, nomine procurationis centum librarum usualis monetae, quae pro tempore curret, sint summa contenti, tantumdem in festo Beatae Mariae Magdalenae procurationis nomine recepturi si ad monasterium accesserint supradictum, ad protectionem eiusdem monasterii, secundum quod de iure tenentur, dantes operam efficacem. Ut ergo super hoc nulla possit imposterum via patere calumniae, mandavimus ut praedictus nobilis, et uxor ipsius per authenticum instrumentum abbati et conventui monasterii eiusdem promittant, se id firmiter servaturos, suos nihilominus successores ad huius rei observantiam obligantes, et ad maiorem cautelam faciant hoc per charissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Francorum auctoritate regia confirmari, ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus postquam nobilis memoratus et uxor sua litteras secundum formam concesserint supradictam, eundem nobilem iuxta formam Ecclesiae ab excommunicationis vinculo absolvatis quo propter idem negotium nostra est auctoritate ligatus, iniungentes eidem sub debito praestiti iuramenti ut ad impetrandam super hoc confirmationem regiam det operam bona fide. Abbatem vero et conventum praedictos ab omni decrevimus impetitione cessare, omnemque remittere quaestionem, quae ipsis adversus nobilem saepedictum super damnis et iniuriis competebat; decimis de Dornitiaco dumtaxat exceptis, super quibus eis satisfieri volumus, et mandamus. Quod si non omnes *etc.*

Delegatisque mandat, ut comitem absolvant ab excommunicatione.

Datum Laterani, secundo idus aprilis, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Comes iurat se servaturum concordiam ab Innocen. mandatam.

Nos autem, ut promisimus, volentes, sicut decuit, mandatum apostolicum adimplere, mediante venerabili Patre Roberto tituli Sancti Stephani in Coelio Monte presbytero cardinale Apostolicae Sedis legato, solemni coram eo praestito corporaliter sacramento concessimus, quod pacem praescriptam cum maxima deliberatione a domino Papa et cardinalibus ordinatam observabimus bona fide, et litteris praesentibus ad praedictae pacis observationem successores et haeredes nostros in perpetuum obligamus, volentes modis omnibus, et liberaliter concedentes ut suprascriptae pacis forma a nobis et successoribus et haeredibus nostris in aeternum firmiter et inviolabiliter penitus observetur. Ut igitur quae praedicta sunt maiori gaudeant firmitate, ista omnia filia.... nostra laudavit, et nos ea praesenti scripto, et sigillorum nostrorum appositione roboravimus. Actum apud Leigniacum Castrum anno gratiae millesimo CCXIII mense octobris. Inde est quod sanctitatem vestram quo humilius possumus exoramus quatenus pacem istam per vos, et a vobis factam ita dignemini confirmare, quod firma et stabilis permaneat in aeternum.

Hanc confirmari petunt Virziliacen.

Nos igitur precibus vestris favorem benivolum impendentes, id auctoritate apo-

Confirmat Innocentius.

stolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo *etc.*, confirmationis *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Laterani, IV non. ianuarii, pontificatus nostri anno decimosexto.

Dat. die 2 ianuarii 1214, pontif. anno XVI.

C.

Confirmatio bonorum omnium, libertatum, immunitatum, ac privilegiorum monachorum Montis Sancti, qui sub apostolica protectione recipiuntur (1).

SUMMARIUM

Monasterii huius status. — Privilegia ei a principibus concessa. — Diminutum afflictumque monasterium a quodam perdito homine. — Illud sub apostolica suscipit protectione, libertates omnes eidem confirmans.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Sancti Athanasii caeterisque abbatibus et monachis Montis Sancti.

Monasterii huius status. Relatione illustrium et magnorum virorum nostro est apostolatui declaratum, quod ille, qui est mons domus Domini praeparatus in vertice montium, ut ad eum confluant omnes gentes, Sanctus videlicet Sanctorum, qui Ecclesiae fundamenta in sanctis montibus collocavit, Montem vestrum super mare situm ad inhabitandum suis fidelibus prælegit; qui effectum sui nominis et numinis in se habens, licet aridus sit et asper, ac temporalis fertilitatis gratia destitutus, est tamen inter alios mundi montes maxima spiritualium ubertate mirabiliter foecundatus. Nam cum trecentis monasteriis, et gloriosa religiosorum virorum multitudine arctam et pauperem vitam ducentium decoretur, tanta usque modo refloruit excellentia honestatis, tanta religionis eximia claritate refulsit, ut de ipso cum Iacob recte possit quis dicere admirando: Vere sanctus est iste locus; quia hic est Domus Dei, et quaedam quodammodo porta coeli, ubi multitudo coelestis exercitus, tamquam castrorum acies ordinata, et parata suscitare Leviatam, victoriose pugnat iugiter cum dracone, psallens Domino sapienter. Propter quod cum iam dudum fama vestri nominis, quae fuerat effusa sicut oleum circumquaque multos populos ad se traxerit in odorem unguentorum vestrorum, ipsos currere faciens a remotis, Ecclesiarum praelati, et imperatores Constantinopolitani pluresque principes saeculares per privilegia sua multa olim tantae libertatis praeminentia vos dotarunt ut post Deum, cui vos volebant libere famulari, nullius unquam essetis iurisdictioni subiecti. (Privilegia ei a principibus concessa.) Caeterum peccatis exigentibus nunc ex parte has infregit mundana potentia libertates per quendam Dei et Ecclesiae inimicum, qui latrunculis congregatis in quodam castro, quod idem in Monte vestro construxerat per auxilium brachii saecularis, non solum ecclesias vestras tamquam praedo sacrilegus et crudelis, auro, argento, et ornamentis omnibus spoliavit, verum etiam ut pecuniam exhauriret, quam vos credebat ille perditionis filius congregasse, tamquam insanus carnifex atque tortor peremit crudeliter quosdam vestrum multiplici genere tormentorum, sed tandem sua prava intentione frustratus, quam in camino cupiditatis ignis avaritiae succendebat, exinde iustitia exigente per imperatoris potentiam est deiectus. (Diminutum afflictumque monasterium a quodam perdito homine.) Unde ne cuiusquam praesumptoris audacia volentis iurisdictionem aliquam super vos sibi temere usurpare vestra pax et tranquillitas de caetero perturbetur, nobis humiliter supplicastis, ut vestris vobis libertatibus confirmatis sub beati Petri ac nostra protectione vos suscipere dignaremur. Volentes igitur paci et quieti vestrae paterna sollicitudine providere, vestris iustis postulationibus inclinati, personas et locum in quo divino estis obsequio mancipati, possessiones etiam, (Illud sub apostolica suscipit protectione, libertates omnes eidem confirmans.)

(1) Ex Baluz., lib. XVI, Epist. 168.

et omnia bona vestra, quae in praesentiarum rationabiliter possidetis, vel in futurum iustis modis dante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Libertates autem, et immunitates rationabiles et antiquas ac etiam approbatas, prout in vestris privilegiis dicitur contineri, vobis et per vos monasteriis vestris auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo *etc.*, nostrae protectionis et confirmationis *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Laterani, xvi kalend. februarii, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Dat. die 17 ianuarii 1214, pontif. anno xvi.

CI.

Confirmatio bonorum omnium ac privilegiorum concessio monasterio Beatae Mariae Virginis de Alderspach (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Monast. sub tutela recipit S. A. — Bona omnia ei confirmat: — Eaque a decimarum solutione eximit. — Clericos eius inde prohibet discedere. — Quidquam ab eo alienari vetat. — Nonnulla concedit privilegia. — Sacramenta a dioecesano accipienda episcopo. — Abbates contra ordinis statuta professionem facere non compellendi. — Quae episcopi propria sunt, a quo accipienda sede episcopali vacante. — Nonnulla alia concedit privilegia. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Ludovico abbati de Alderspach, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse praesidium ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut (quod absit) sacrae religionis habitum infringat. *Exordium*

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et monasterium sanctae Dei Genetricis et Virginis Mariae in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus qui secundum Deum, et beati Benedicti regulam, atque institutum Cisterciensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona idem monasterium in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino adipisci poterit, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo praefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis. Grangiam Strazze, grangiam Wifling, grangiam Gumprechtingen, grangiam Atzenperge, grangiam Prennebach, et grangiam Gneunsendorf, possessiones, quas habetis in Revute in Pentzing, in Celle, in Batrichsperge, in Kaste, in Circknarn, cum pratis, vineis, terris, nec non moribus, usuagiis et pascuis, in bosco et plano, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus, aut sumptibus colitis, tam de terris cultis, quam incultis, sive de hortis, et virgultis, et piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e saeculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit abs-

Monast. sub tutela recipit S. A.

Bona omnia ei confirmat:

Eaque a decimarum solutione eximit.

Clericos eius inde prohibet discedere.

(1) Edidit Hundius, Hist. Salisburg. tom. II, pag. 41.

que abbatis sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Quod si quis retinere praesumpserit, licitum vobis sit, in ipsos monachos vel conversos regularem sententiam promulgare. Illud districtius inhibentes ne terras, seu quodlibet beneficium Ecclesiae vestrae collatum liceat alicui personarum dari, sive alio modo alienari absque consensu totius capituli, vel maioris, aut sanioris partis ipsius. Si quae vero donationes vel alienationes aliter, quam dictum est, factae fuerint, eas irritas esse censemus. Ad haec etiam prohibemus, ne aliquis monachus, sive conversus sub professione vestrae domus astrictus, sine consensu et licentia abbatis et maioris partis capituli vestri pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat ultra pretium capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestrae utilitatem, quod si facere frater praesumpserit, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere. Licitum praeterea sit vobis in causis propriis, sive civilem, sive criminalem contineant actionem fratrum vestrorum testimoniis uti, ne prae defectu testium ius vestrum in aliquo valeat deperire. Insuper auctoritate apostolica inhibemus, ne ullus episcopus, vel alia quaelibet persona, ad synodos, vel conventus forenses vos ire, vel iudicio saeculari de vestra propria substantia, vel possessionibus vestris subiacere compellat, nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causa tractandi, vel aliquos conventus publicos convocandi venire praesumat, nec regularem electionem abbatis vestri impediat, aut de instituendo, vel removendo eo, qui pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis se aliquatenus intromittat. Si vero episcopus, in cuius parochia domus vestra fundata est, cum humilitate et devotione, qua convenit, requisitus, substitutum abbatem benedicere, et alia quae ad officium episcopale pertinent, vobis conferre renuerit, licitum sit eidem abbati, si tamen sacerdos fuerit, proprios novitios benedicere, et alia quae ad officium suum pertinent, exercere, et vobis omnia ab alio episcopo percipere, quae a vestro fuerint indebite denegata: illud adiicientes, ut in recipiendis professionibus, quae a benedictis, vel benedicendis abbatibus exhibentur, ea sint episcopi forma et expressione contenti, quae ab origine ordinis noscitur instituta, ut scilicet abbates ipsi, salvo ordine suo, profiteri debeant, et contra statuta ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecrationibus vero altarium, vel ecclesiarum, sive pro Oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico sacramento nullus a vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quicquam audeat extorquere: sed haec omnia gratis vobis episcopus dioecesanus impendat. Alioquin liceat vobis quemcumque volueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatis impendat. Quod si sedes episcopi vacaverit, interim omnia ecclesiastica sacramenta a vicinis episcopis accipere libere et absque contradictione possitis. Sic tamen ut ex hoc imposterum propriis episcopis nullum praeiudicium generetur: quia vero interdum propriorum episcoporum copiam non habetis, si quem episcopum Romanae Sedis, ut diximus, gratiam et communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium, consecrationes altarium, ordinationes monachorum auctoritate Apostolicae Sedis accipere valeatis. Porro si episcopi, vel alii Ecclesiarum rectores in monasterium vestrum, vel personas inibi constitutas, suspensionis, vel excommunicationis, vel interdicti sententiam promulgarint, sive etiam in mercenarios vestros, pro eo quod decimas non solvitis, sive aliqua occasione eorum, quae

Quidquam ab eo alienari vetat.

Nonnulla concedit privilegia.

Sacramenta a dioecesano accipienda episcopo

Abbates contra ordinis statuta professionem facere non compellendi.

Quae episcopi propria sunt, a quo accipienda sede episcopali vacante.

Nonnulla alia concedit privilegia

ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo, quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex charitate praestiterint, vel ad laborandum adiuverint in illis diebus, quibus vos laboratis, et alii feriantur, eandem sententiam protulerint, ipsam tamquam contra Sedis Apostolicae indulta prolatam duximus irritandam. Nec litterae ullam firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis ordinis, et contra tenorem apostolicorum privilegiorum constiterit impetrari. Praeterea cum commune interdictum terrae fuerit, liceat vobis nihilominus in vestro monasterio, exclusis excommunicatis et interdictis, divina officia celebrare. Paci quoque, et tranquillitati vestrae paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuram locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Praeterea omnes libertates, et immunitates a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ordini vestro concessas, necnon et libertates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus. Clausulae. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Datum Romae apud Sanctum Petrum per manum Raynaldi domini Innocentii Papae tertii acolyti, et capellani, decimo kalendas aprilis, indictione secunda, incarnationis dominicae anno MCCXIV, pontificatus vero eiusdem domini Innocentii anno septimo decimo.

Dat. die 23 martii 1214, pontif. anno XVII.

CII.

Commissio Apostolicae Sedis delegatis, ut Angliae regni barones regi suo rebelles excommunicatos denuncient (1).

SUMMARIUM

Cantuariensis archiep. cum baronibus suo regi infesti, — Et negotium Terrae Sanctae impedientes, — Excommunicantur. — Executio sententiae delegatis apostolicis commissa.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, P. Wintoniensi episcopo abbati de Reainge, et Pandulpho Ecclesiae Romanae subdiacono, salutem et apostolicam benedictionem.

Miramur plurimum, et movemur, quod cum charissimus in Christo filius noster Ioannes illustris rex Angliae supra spem Domino, et Ecclesiae satisfecerit: et praesertim fratri nostro Stephano Cantuariensi archiepiscopo, et episcopis eius, quidam eorum minus quam oportuerit et decuerit ad Sanctae Crucis negotium Apostolicae Sedis mandatum, et fideli- Cantuariensis archiep. cum baronibus suo regi infesti.

(1) Edidit Matth. Paris., Hist. Anglic., pag. 270.

tatis praestitae iuramentum debitum, immo nullum habentes respectum, et contra perturbatores regni, quod ad Romanam Ecclesiam ratione dominii pertinere dignoscitur, auxilium non praestiterint, vel favorem quasi consocii, ne dicamus socii coniurationis iniquae: quia non caret scrupulo societatis iniquae, qui manifesto facinori desinit obviare. Ecce qualiter patrimonium Romanae Ecclesiae pontifices praefati defendunt! qualiter Crucesignatos tuentur, imo qualiter se opponunt his, qui destruere moliuntur negotium Crucifixi! Peiores procul dubio Saracenis existentes, cum illum conantur a regno depellere, de quo potius sperabatur quod deberet succurrere Terrae Sanctae. Unde ne talium insolentia non solum in periculum regni Angliae, verum etiam in perniciem aliorum regnorum, et maxime in subversionem totius negotii Crucifixi valeat praevalere, nos ex parte Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, authoritate quoque apostolorum eius Petri et Pauli, ac nostra, omnes huiusmodi perturbatores regis, ac regni Angliae, cum complicibus et fautoribus suis, excommunicationis vinculo innodamus, et terras eorum ecclesiastico subiicimus interdicto: praefato archiepiscopo et episcopis suis in virtute obedientiae districtissime iniungentes quatenus nostram sententiam singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis, et candelis accensis, solemniter per totam Angliam publicare procurent, donec satisfecerint domino regi de damnis et iniuriis irrogatis, et ad eius obsequium fideliter revertantur. Universis insuper eiusdem regis vassallis in remissionem peccatorum ex parte nostra iniungentes, ut contra perversores huiusmodi praefato regi tribuant consilium et iuvamen. Si quis autem episcoporum hoc nostrum praeceptum neglexerit adimplere, sciat se ab episcopali officio suspensum, et subiectorum obedientiam esse subtractam, quia iustum est ut eis inferiores non obediant, qui superiori suo obedire contemnunt. Ne igitur mandatum alicuius tergiversatione valeat impediri, excommunicationis causam praedictorum, cum caeteris quae ad hoc negotium pertinuerint, vobis duximus committendum: per apostolica vobis scripta mandantes quatenus protinus, omni appellatione postposita, procedatis sicut videritis expedire (1).

Et negotium Terrae Sanctae impedientes,

Excommunicantur

Executio sententiae delegatis apostolicis commissa.

CIII.

Confirmatur diploma a Ioanne Angliae rege datum pro libertate electionum Ecclesiis sui regni (2).

SUMMARIUM

Exordium. — Ioannes rex dat libertatem electionum. — Quam confirmat Innocentius. — Ioannis regis diploma. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus et dilectis filiis universis Ecclesiarum praelatis per Angliam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Dignis laudibus attollimus magnificentiam Creatoris, quod postquam idem, qui est mirabilis et terribilis in consiliis super filios hominum, aliquandiu toleravit, ut perflando discurreret per areolam horti sui spiritus tempestatis, quasi ludens taliter in orbe terrarum, ut sic ostenderet infirmitatem et insufficientiam nostram nobis, statim cum voluit, Aquiloni dixit fila (3), et Austro noli prohibere, imperansque ventis et mari, statuit procellam in auram, ut nautae portum quietis inveniant peroptatum.

Cum enim inter regnum et sacerdotium anglicanum non sine magno periculo atque damno, super electionibus praela-

(1) Matthaeus Parisius hasce Innocentii literas refert ad annum 1214. (2) Ex Rymer., tom. I, pag. 197. (3) Sic in Cocquelines; in veteri edit. italica legitur *adduc*; in Syriaca *affer*; in vulgata editione, Sixti V iussu recognita, habemus *Da* (Isai XLIII. 6).

torum gravis fuerit controversia diutius agitata, illo tandem cui nihil est impossibile, quique, ubi vult, spirat mirabiliter, ex mera et spontanea voluntate de consensu communi suorum baronum, pro salute animae suae, ac praedecessorum et successorum suorum vobis concessit, et suis litteris confirmavit, ut de caetero in universis et singulis ecclesiis, ac monasteriis, cathedralibus et conventualibus totius regni Angliae in perpetuum libere fiant electiones quorumcumque praelatorum, maiorum etiam et minorum.

Ioannes rex dat libertatem electionum.

Nos igitur hoc gratum et ratum habentes, concessionem huiusmodi vobis, et per vos Ecclesiis et successoribus vestris, prout in eiusdem regis litteris perspeximus contineri, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Quam confirmat Innocentius.

Ad maiorem autem firmitatem et perpetuam memoriam huius rei praefatas regis litteras, super hoc confectas, praesentibus inseri fecimus, quorum tenor est talis.

Ioannes, Dei gratia, rex Angliae, dominus Hiberniae, dux Normaniae et Aquitaniae, et comes Andegaviae, archiepiscopis, episcopis, comitibus, baronibus, militibus, ballivis, et omnibus has litteras visuris salutem.

Ioannis regis diploma.

Quoniam inter nos et venerabiles patres nostros Stephanum Cantuariensem archiepiscopum, totius Angliae primatem, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem, Willelmum Dondoniensem, Eustachium Elyensem, Egidium Herefordensem, Iocellinum Bathoniensem et Glastoniensem, et Hugonem Lincolniensem, episcopos, super damnis, et ablatis eorum, tempore interdicti, per Dei gratiam, de mera et libera voluntate utriusque partis, plene convenit, volumus, non solum eis quantum secundum Deum possumus satisfacere, verum etiam toti Ecclesiae Anglicanae salubriter et utiliter in perpetuum providere.

Inde est quod, qualiscumque consuetudo temporibus nostris et praedecessorum nostrorum hactenus in Ecclesia Anglicana fuerit observata, et quicquid iuris nobis hactenus vindicaverimus, quae in electionibus quorumcumque praelatorum, nos ad ipsorum petitionem pro salute animae nostrae et praedecessorum ac successorum nostrorum regum Angliae liberaliter mera et spontanea voluntate de communi assensu baronum nostrorum concessimus, et constituimus, et in hac praesenti charta nostra confirmavimus, ut de caetero, universis, et singulis ecclesiis, monasteriis, cathedralibus et conventualibus totius regni nostri Angliae, liberae sint in perpetuum electiones quorumcumque praelatorum maiorum et minorum, salva nobis et haeredibus nostris custodia ecclesiarum et monasteriorum vacantium, quae ad nos pertinent.

Promittimus etiam quod, nec impediemus, nec impediri permittemus per nostros, nec procurabimus, quin in singulis et universis ecclesiis et monasteriis memoratis, postquam vacaverint praelaturae, quemcumque voluerint libere sibi praeficiant electores pastorem, petita tamen prius a nobis et haeredibus nostris licentia eligendi, quam non denegabimus, nec differemus.

Et si forte, quod absit, denegaremus, vel differremus, nihilominus procedent electores ad electionem canonicam faciendam, et similiter post celebratam electionem noster requiratur assensus quem non denegabimus nisi aliquid rationabile proposuerimus, et legitime probaverimus propter quod non debeamus consentire.

Quare volumus et firmiter iubemus ne quis vacantibus ecclesiis vel monasteriis contra hanc nostram concessionem et constitutionem in aliquo veniat vel venire praesumat; si quis vero contra hoc aliquo unquam tempore venerit, ma-

ledictionem omnipotentis Dei et nostram incurrat.

Testibus

P. Wintoniensi episcopo.
W. comite Warennae.
R. comite Cestriae.
S. comite Wintoniae.
G. de Mandevilla comite Gloucestriae et Essexiae.
W. Comite de Ferrariis.
W. Briwer.
W. filio Geroldi.
W. de Cantilupo.
H. de Neivillis.
Roberto de Vere.
W. de Hunteingefeld.

Datum per manum magistri Ricardi de Mariscis cancellarii nostri, decimo quinto die ianuarii, apud novum templum London, anno regni nostri decimo sexto.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani tertio kalendas aprilis, pontificatus nostri anno decimo octavo.

Dat. die 30 martii 1215, pontif. anno XVIII.

CIV.

Infeudatio comitatus Melgorii, seu Montisferrant favore Guillelmi episcopi Magalonen. sub annuo censu 20 marcharum arg. Sedi Apostolicae persolvendo (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Infeudatio castri. — Conditiones. — Clausulae.

(1) Edidit Catelius, Hist. Occitan., lib. v. Vide quoque Annales Raynaldi.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerando patri Guillelmo episcopo Magalonae, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Apostolicae Sedis benignitas proinde pensans merita singulorum, iis quos sibi fideles spiritualiter invenit et devotos, spiritualem consuevit gratiam exhibere, ut et ipsi grata suae devotionis praemia se gaudeant accepisse, ac alii ad eius obsequia eorum exemplo merito provocentur. Hinc est quod devotioni, quam tu et Magalonensis Ecclesia retroactis temporibus ad Apostolicam Sedem noscimini habuisse, ac habere in futurum speramini, attendentes, comitatum Melgorii, sive Montisferrant, qui iuste ad proprietatem Ecclesiae noscitur pertinere, cum omnibus pertinentiis eius in feudum concedimus tibi ac successoribus tuis sub annuo censu viginti marcharum argenti nobis et successoribus nostris in festo Resurrectionis Dominicae persolvendo, salvo nihilominus alio censu, quem pro alia causa Ecclesiae Romanae debetis. (Infeudatio castri.) Itaque tu, et successores tui nobis et successoribus nostris fidelitatem propter hoc specialiter facietis, et per Romanam dumtaxat Ecclesiam ipsum recognoscetis, et tenebitis comitatum, et de ipso facietis guerram et pacem ad mandatum ipsius, nec castrum Melgorii, seu castrum Montisferrandi, cum sint comitatus caput eiusdem infeudare, seu quomodolibet alienare ullatenus praesumetis absque Apostolicae Sedis licentia spirituali: minora etiam feuda quae ad ipsum pertinent comitatum nulli concedetis omnino extra Magalonensem dioecesim commorantibus. (Conditiones.)

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani decimo octavo kalendas maii, pontificatus nostri anno octavodecimo.

Dat. die 14 aprilis 1215, pontif. anno XVIII.

CV.

De vitanda simonia in receptione monachorum aut sanctimonialium (1).

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in regno Franciae constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Multoties audivimus, et a multis, quod in quibusdam monachorum, monialium, et aliorum religiosorum monasteriis per vestras dioeceses constitutis, consuetudo damnabilis, immo damnatus et damnandus abusus, *usq.* adeo inolevit, ut pene penitus nulla persona recipiatur in ipsis absque labe simoniacae pravitatis. Ne igitur clamorem totiens iteratum videamur, quod absit, simulando fovere, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus atque praecipimus, quatenus semel in anno huiusmodi monasteria singuli per vestras dioeceses visitantes sub anathematis interminatione vetetis, ne qua persona de caetero recipiatur in eis per huiusmodi pravitatem, semper in vestris synodis denunciantes hoc ipsum, et circa eas quas sic receptas invenietis, auctoritate apostolica, sublato appellationis obstaculo, statuatis, quod saluti et honestati videritis expedire.

Datum Laterani decimoquinto kal. maii, pontificatus nostri anno decimo octavo.

Dat. die 17 aprilis 1215, pontif. anno XVIII.

(1) Ex mss. S. Michaelis in Periculo Maris edidit Martene Thesaur. Anecdot., tom. I, col. 817.

CVI.

Irritatio concessionum omnium ab Angliae rege magnatibus in praeiudicium regni factarum (1).

SUMMARIUM

Ioannis regis poenitentia — Et voluntas proficiscendi in Terram Sanctam. — Barones contra eum insurgunt. — Cura de hoc Innocentii. — Frustra vero laborat. — Iusta promittit rex rebellibus. — Nil proficit. — Iniquam cum iis init compositionem. — Eam cassat Pontifex.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis Christifidelibus hanc paginam inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi charissimus in Christo filius noster Ioannes rex Anglorum illustris, Deum et Ecclesiam vehementer offenderit, unde nos eum vinculo excommunicationis innodavimus, et regnum eius ecclesiastico subiecimus interdicto, ipse tamen (illo misericorditer inspirante, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat), tandem conversus ad cor, Deo et Ecclesiae humiliter satisfecit, in tantum quod non solum recompensationem pro damnis, restitutionem exhibuit pro ablatis, verum etiam plenariam libertatam contulit Ecclesiae Anglicanae. Quinimo utraque sententia relaxata, regnum suum tam Angliae, quam Hiberniae beato Petro, et Ecclesiae Romanae concessit: recipiens illud in feudum sub annuo censu mille marcarum, fidelitatis nobis inde praestito iuramento, sicut per privilegium eius aurea bulla munitum. Adhuc etiam omnipotenti Deo amplius placere desiderans, signum vivificae Crucis reverenter accessit (2), profecturus in subsidium Terrae Sanctae, ad quod se magnifice praeparabat. Sed humani generis inimicus qui semper consuevit bonis actibus invidere, suis callidis artibus adversus eum barones An-

[Margin: Ioannis regis poenitentia] [Margin: Et voluntas proficiscendi in Terram Sanctam.]

(1) Ex Parisio, loc. cit., pag. 266. Vide etiam Rymer., tom. I, pag. 205. (2) Legendum putamus *accepit*.

gliae concitavit, ita ut ordine perverso in illum insurgerent, postquam conversus Ecclesiae satisfecit, qui assistebant eidem quando Ecclesiam offendebat. Orta

Barones contra eum insurgunt

siquidem inter eos dissentionis materia, cum plures dies statuti fuissent ad tractandum de pace, utrinque interim solemnes nuncii ad nostram fuerunt prae-

Cura de hoc Innocentii:

sentiam destinati. Cum quibus habito diligenti tractatu, post plenam deliberationem scripsimus per eosdem Stephano Cantauriensi archiepiscopo et episcopis Anglicanis, praecipiendo mandantes, ut ad reformandam inter utrosque veram et plenam concordiam diligens impenderent studium et operam efficacem, omnes coniurationes et conspirationes, si quae fuerant forte praesumptae a tempore subortae discordiae inter regnum et sacerdotium, apostolica denunciantes auctoritate cassatas, et per excommunicationis sententiam inhibentes, ne talia de caetero praesumerentur a quoquam, magnates et nobiles Angliae monendo prudenter, et efficaciter iniungendo, ut per manifesta devotionis et humilitatis indicia ipsum regem sibi placere studerent; ac deinde si quid ab eo deducerent postulandum, non insolenter, sed humiliter implorarent; regalem conservantes ei honorem, et exhibentes servitia consueta, quae ipsi et praedecessores eorum sibi et praedecessoribus suis impenderunt: cum ex eis ipse rex non debeat absque iudicio spoliari, ut sic quod intenderent, possent facilius obtinere. Nos enim eundem regem per litteras nostras rogavimus, et monuimus, et per praefatos archiepiscopum et episcopos nihilominus rogari et moneri mandavimus in remissionem sibi peccaminum iniungentes, quatenus praedictos magnates et nobiles benigne tractaret, et iustas eorum petitiones clementer admitteret, ut et ipsi congaudendo cognoscerent eum in meliorem statum divina gratia esse mutatum, ac per hoc ipsi et haeredes eorum sibi et haeredibus suis deberent promptius et devotius famulari; plena eis in veniendo, morando et recedendo securitate concessa, ita quod si forte nequiret inter eos concordia provenire, in curia sua per partes eorum, secundum leges et consuetudines regni suborta dissentio sopiretur. Verum an-

Frustra cura laborat.

tequam nuncii cum hoc provido et iusto mandato rediissent, illi iuramento fidelitatis omnino contempto, cum etsi rex eos iniuste gravasset, ipsi tamen non debuissent sic agere contra eum, ut in causa sua iidem iudices et executores existerent, vassalli contra dominum, et milites contra regem publice coniurantes, non solum cum aliis, sed cum eius manifestissimis inimicis praesumpserunt contra eum arma movere, occupantes et devastantes terras illius; ita quoque, quod civitatem Londinensem, quae sedes est regni, proditione sibi traditam invaserunt. Interim praefatis autem nunciis rever-

Iusta promittit rex rebellibus:

tentibus, rex obtulit eis secundum formam mandati nostri iustitiae plenitudinem exhibere, quam ipsi omnino spernentes, coeperunt manus extendere ad peiora. Unde rex ipse ad audientiam nostram appellans, obtulit eis exhibere iustitiam coram nobis, ad quem huius causae iudicium ratione dominii pertinebat, quod ipsi sunt penitus aspernati. Deinde obtulit illis, ut tam ab ipso, quam illis quatuor viri eligerentur prudentes qui una nobiscum subortam inter eos discordiam terminarent, promittens, quod ante omnia revocaret universos abusus, quicumque fuissent in Anglia suo tempore introducti: sed nec hoc illi dignati sunt acceptare. Tandem illis rex proposuit, quod cum regni do-

Nil prodest

minium ad Romanam Ecclesiam pertineret, ipse non poterat, nec debebat absque nostro speciali mandato quicquam de illo in nostrum praeiudicium immutare. Unde rursus ad nostram audientiam appellavit; seipsum, ac regnum cum omni honore ac iure suo apostolicae protectioni supponens. Sed cum nullo

modo proficeret, postulavit ab archiepiscopo et episcopis, ut nostrum exequerentur mandatum, ius Ecclesiae Romanae defenderent, ac tuerentur eundem secundum formam privilegii crucesignatis indulti. Porro cum ipsi nihil horum facere voluissent, videns se omni auxilio et consilio destitutum, quicquid illi ausi sunt petere, non est ausus ipse negare.

Iniquam cum iis init compositionem.

Unde compulsus est per vim et metum, qui cadere non poterant in virum etiam inconstantissimum, compositionem inivit cum ipsis, non solum vilem, et turpem, verum etiam illicitam et iniquam in nimiam derogationem ac diminutionem sui iuris pariter et honoris. Quia vero nobis a Domino dictum est in Propheta: Constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas, aedifices et plantes; itemque per alium Prophetam: Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; nos tantae malignitatis audaciam dissimulare nolentes in Apostolicae Sedis contemptum, regalis iuris dispendium, Anglicanae gentis opprobrium, et grave periculum totius negotii Crucifixi, quod utique immineret, nisi per auctoritatem nostram revocarentur omnia, quae a tanto principe

Eam cassat Pontifex.

crucesignato taliter sunt exorta, et ipso volente ea servare, ex parte Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, auctoritate quoque apostolorum Petri et Pauli ac nostra, de communi fratrum nostrorum consilio compositionem huiusmodi reprobamus penitus et damnamus sub intimatione anathematis prohibentes, ne dictus rex eam observare praesumat, aut barones cum complicibus suis ipsam exigant observari: tam chartam quam obligationes seu cautiones quaecumque pro ipsa vel de ipsa sunt factae, irritantes penitus, et cassantes, ut nullo unquam tempore aliquam habeant firmitatem.

Datum Anagniae nono kalendas septembris, pontificatus nostri anno decimo octavo.

Dat. die 24 augusti 1215, pontif. anno XVIII.

CVII.

Indictio belli et cruciatae contra Saracenos pro recuperatione Terrae Sanctae Hierusalem, cum indulgentiarum et privilegiorum concessione pro crucesignatis ad illud proficiscentibus, aut aliter subsidium praestantibus.

SUMMARIUM

Locus conveniendi et tempus. — 2. Clericorum munus in eo exercitu quale sit. — 3. Eis fructus concedit suorum beneficiorum. — 4. Episcopis mandat crucesignatos moneant de his: — 5. Aliosque ad subsidia praestanda inducant. — 6. Renuentibus vero Dei iudicium comminentur. — 7. Quae det Innocentius pro hac expeditione. — 8. Vigesimam ecclesiasticis imponit. — Cardinalibus autem decimam. — 9. Privilegia dat crucesignatis. — 12. Excommunicat adiutores piratarum — 13. Et inimicis christianorum arma, ligna, *etc.* ferentes. — 14. Prohibet insuper ne christiani suas naves mittant in partes Saracenorum. — 15. A torneamentis vult abstineri. — 16. Pacemque generalem per quadriennium indicit. — Indulgentiam crucesignatis, et subsidium quomodolibet praestantibus elargitur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei.

Ad liberandam Terram Sanctam de manibus impiorum ardenti desiderio aspirantes, de prudentum virorum consilio, qui plene noverunt circumstantias temporum et locorum, sacro approbante concilio, definimus, ut ita crucesignati se praeparent, quod in kalendas iunii sequentis post proximum, omnes qui disposuerunt transire per mare conveniant in regnum Siciliae, alii sicut oportuerit et decuerit apud Brundusium, et alii apud Messanam et partes utrobique vicinas, ubi et nos personaliter, Domino annuente,

Locus conveniendi et tempus.

disposuimus tunc adesse; quatenus nostro consilio et auxilio exercitus christianus salubriter ordinetur, cum benedictione divina et apostolica profecturus.

§ 1. Ad eumdem quoque terminum se studeant praeparare, qui proposuerunt per terram proficisci, significaturi hoc interim nobis, ut eis ad consilium et auxilium legatum idoneum de nostro latere concedamus.

Clericorum munus in eo exercitu quale sit.

§ 2. Sacerdotes autem, et alii clerici, qui fuerint in exercitu christiano, tam subditi quam praelati, orationi et exhortationi diligenter insistant, docentes eos verbo pariter et exemplo, ut timorem et amorem semper habeant divinum ante oculos, nequid dicant aut faciant, quod divinam maiestatem offendat. Etsi aliquando lapsi fuerint in peccatum, per veram poenitentiam mox resurgant, gerentes humilitatem cordis et corporis, et tam in victu, quam in vestitu mediocritatem servantes, dissensiones et aemulationes omnino vitando, rancore ac livore a se penitus relegatis. Ut sic spiritualibus et materialibus armis muniti, adversus hostes Fidei securius praelientur, non de sua praesumentes potentia, sed de divina virtute sperantes.

Eis fructus concedit suorum beneficiorum.

§ 3. Ipsis autem clericis indulgemus, ut beneficia sua integra percipiant per triennium, ac si essent in ecclesiis residentes, et si necesse fuerit, ea per id tempus pignori valeant obligare.

Episcopis mandat crucesignatos moneant de his.

§ 4. Ne igitur hoc sanctum propositum impediri vel retardari contingat, universis Ecclesiarum praelatis districte praecipimus, ut singuli per loca sua illos, qui signum Crucis disposuerunt resumere, ac tam ipsos, quam alios crucesignatos, et quos adhuc signare contigerit, ad reddendum vota sua Domino diligenter moveant et inducant, et si necesse fuerit, per excommunicationis in personas et interdicti sententias in terras eorum, omni tergiversatione cessante, compellant, illis dumtaxat exceptis, quibus tale impedimentum occurrerit, propter quod secundum Sedis Apostolicae providentiam, votum eorum commutari debeat merito vel differri.

Aliosque ad subsidia praestanda inducant.

§ 5. Ad haec, ne quid in negocio Iesu Christi de contingentibus omittatur, volumus et mandamus, ut patriarchae, archiepiscopi, episcopi, abbates et alii qui curam obtinent animarum, studiose proponant sibi commissis verbum Crucis, obsecrantes per Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, unum solum verum aeternum Deum, reges, duces, principes, marchiones, comites et barones, aliosque magnates, necnon communitates civitatum, villarum, oppidorum, ut qui personaliter non accesserint in subsidium Terrae Sanctae, competentem conferant numerum bellatorum, cum expensis ad triennium necessariis, secundum proprias facultates, in remissionem peccatorum suorum, prout in generalibus litteris est expressum, et ad maiorem cautelam etiam inferius exprimemus. Huius remissionis volumus esse participes, non solum eos qui naves proprias exhibent, sed etiam illos, qui propter hoc opus naves studuerint fabricare.

Renuentibus vero Dei iudicium comminantur.

§ 6. Renuentibus autem, si qui forte tam ingrati fuerint Domino Deo nostro, ex parte apostolica firmiter protestentur, ut se sciant super hoc nobis in novissimo districti examinis die, coram tremendo iudicio responsuros. Prius tamen considerantes, qua conscientia quave securitate confiteri poterunt coram unigenito Dei filio Iesu Christo, cui omnia Pater dedit in manus, si ei pro peccatoribus Crucifixo servire renuerint in hoc negocio quasi proprie sibi proprio, cuius munere vivunt, cuius beneficio sustentantur, quin etiam cuius sanguine sunt redempti.

Quae dat Innocentius pro hac expeditione.

§ 7. Ne vero in humeros hominum onera gravia et importabilia imponere videamur, quae digito nostro movere nolimus, similes illis qui dicunt utique, sed non faciunt; ecce nos de his, quae ultra necessarias et moderatas expensas

potuimus reservare, triginta millia librarum in hoc opus concedimus et donamus, praeter navigium, quod crucesignatis de Urbe atque vicinis partibus conferimus assignatur (1), nihilominus ad hoc ipsum tria millia marcarum argenti, quae apud nos de quorumdam fidelium eleemosynis remanserint, aliis in necessitates et utilitates praedictae Terrae per manus fel. mem. abbatis Hierosolymitani patriarchae ac magistrorum Templi et hospitalis fideliter distributis.

Vigesimam ecclesiasticis imponit:

§ 8. Cupientes autem alios Ecclesiarum praelatos, necnon clericos universos, et in merito, et in praemio habere participes et consortes, ex communi concilii approbatione statuimus, ut omnes omnino clerici, tam subditi, quam praelati, vigesimam partem ecclesiasticorum proventuum usque ad triennium conferant in subsidium Terrae Sanctae, per manus eorum qui ad hoc apostolica fuerint providentia ordinati; quibusdam dumtaxat religiosis exceptis, ab hac praetaxatione merito eximendis, illis similiter qui assumpto vel assumendo Crucis signaculo sunt personaliter profecturi.

Cardinalibus autem decimam:

§ 9. Nos autem et fratres nostri S. R. E. cardinales plenarie decimam persolvimus, sciantque se omnes ad hoc fideliter observandum, per excommunicationis sententiam obligatos, ita quod illi qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrant.

Privilegia dat crucesignatis:

§ 10. Sane quia iusto iudicio caelestis Imperatoris obsequiis inhaerentes, speciali decet praerogativa gaudere, cum tempus proficiscendi annum excedat in modico, crucesignati a collectis vel taliis aliisque gravaminibus sint immunes. Quorum personas et bona post Crucem assumptam, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, ut sub archiepiscoporum, episcoporum et aliorum praelatorum Ecclesiae defensione consistant. Propriis nihilominus protectoribus ad hoc specialiter deputandis, itaut donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant et quieta. Et si quisque contra praesumpserit, per censuram ecclesiasticam compescatur.

§ 11. Si qui vero proficiscentium illuc ad praestandas usuras iuramento teneantur astricti, creditores eorum, ut remittant, eis praestitum iuramentum, et ab usurarum exactione desistant, eadem praecipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animadversione mandamus. Iudæos vero ad remittendas usuras per saecularem impelli praecipimus potestatem, et donec illas remiserint ab universis christifidelibus per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. His autem qui Iudaeis debita solvere nequeunt in praesenti, sic principes saeculares utili dilatione provideant, quod post iter arreptum. usquequo de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, usurarum incommoda non incurrant. Compulsis Iudaeis, proventus pignorum, quos interim ibi perceperint in sortem, expensis deductis necessariis, computare, cum huiusmodi beneficium non multum videatur habere dispendii, quod solutionem sic prorogat quod debitum non absorbet. Porro Ecclesiarum praelati qui in exhibenda iustitia crucesignatis et eorum familiis negligentes extiterint, sciant se graviter puniendos.

Excommunicat adiutores piratarum

§ 12. Caeterum quia cursarii et piratae nimium impediunt subsidium Terrae Sanctae, capiendo et expoliando transeuntes ad illam, et redeuntes ab ipsa, nos speciales adiutores et fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus. Sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis scienter communicet aliquo venditionis vel emptionis contractu, et iniungentes rectoribus civitatum et locorum suorum, ut eos ab hac iniquitate revocent et compescant. Alioquin, quia

(1) Leg. forsitan *assignamus*.

nolle perturbare perversos, nihil aliud est quam fovere, nec caret scrupulo societatis occultae, qui manifesto facinori desinit obviare, in personas et terras eorum per Ecclesiarum praelatos severitatem ecclesiasticam volumus et praecipimus exerceri.

Et inimicis christianorum arma, ligna, etc. ferentes.

§ 13. Excommunicamus praeterea et anathematizamus illos falsos et impios christianos, qui contra ipsum Christum et populum christianum Saracenis arma, ferrum et lignamina deferunt galearum. Eos etiam qui galeas eis vendunt, vel naves, quique in piraticis Saracenorum navibus curam et gubernationem exercent, vel in machinis, aut quibuslibet aliis aliquod eis impendunt auxilium, consilium vel favorem in dispendium Terrae Sanctae, ipsarum rerum suarum privatione mulctari, et capientium servos fore censemus; praecipientes ut per omnes urbes maritimas diebus dominicis et festivis huiusmodi sententia innovetur, et talibus gremium non aperiatur Ecclesiae, nisi totum quod ex substantia tam damnata perceperint, et tantundem de sua subsidium praedictae Terrae transmiserint, ut aequo iudicio, in quo deliquerint, puniantur. Quod si forte solvendo non fuerint, alias hic reatus talium castigetur, quod in poena ipsorum aliis interdicatur audacia similia praesumendi.

Prohibet insuper ne christiani suas naves mittant in partes Saracenorum

§ 14. Prohibemus insuper omnibus christianis, et sub anathemate interdicimus, ne in terras Saracenorum, qui partes orientales inhabitant, usque ad quadriennium transmittant aut transeant naves suas, ut per hoc volentibus transfretare in subsidium Terrae Sanctae, maior navigii copia praeparetur, et Saracenis praedictis subtrahatur auxilium, quod eis consuevit ex hoc non modicum provenire.

A torneamentis vult abstineri

§ 15. Licet autem torneamenta sint in diversis conciliis sub poena generaliter interdicta, quia tamen hoc tempore Crucis negocium eis plurimum impeditur, nos illa sub poena excommunicationis firmiter prohibemus usque ad triennium exerceri.

Pacemque generalem per quadriennium indicit

§ 16. Quia vero ad hoc negocium exequendum, est permaxime necessarium, ut principes et populi christiani ad invicem pacem observent; sancta universali synodo suadente statuimus, ut saltem per quadriennium in toto orbe christiano servetur pax generaliter, ita quod per Ecclesiarum praelatos discordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treguam inviolabiliter observandam. Et qui acquiescere forte contempserint, per excommunicationem in personas et interdictum in terras arctissime compellantur, nisi tanta fuerit iniuriarum malitia, quod ipsi tali non debeant pace gaudere. Quod si forte censuram ecclesiasticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per auctoritatem Ecclesiae, circa eos, tanquam perturbatores negocii Crucifixi, saecularis potentia inducatur.

Indulgentiam crucesignatis, et subsidium quomodolibet praestantibus elargitur.

§ 17. Nos igitur omnipotentis Dei misericordia et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa quam nobis (licet indignis) Deus ligandi atque solvendi contulit potestatem, omnibus qui laborem propriis personis subierint et expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus liberaliter fuerint corde contriti et confessi, veniam indulgemus, et in retributione iustorum, salutis aeternae pollicemur augumentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem et qualitatem suam viros idoneos destinarint; et illis similiter qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus et concedimus esse participes, iuxta qualitatem subsidii et devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius Terrae de bonis suis congrue ministrabunt, aut consilium et auxilium impenderint opportunum. Omnibus etiam pie

proficientibus in hoc opere, in communi universalis synodus omnium beneficiorum suorum suffragium impartitur, ut eis digne proficiat ad salutem. Amen.

Datum Laterani decimonono kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno decimo octavo (*alias* octavo) (1).

Dat. die 14 decembris 1215, pont. anno XVIII.

HONORIUS III

PAPA CLXXVII

Anno aerae Christi comm. MCCXVI.

Honorius tertius, patria Romanus, ex gente Sabella, antea Centius, presbyter cardinalis Ss. Ioannis et Pauli, tit. Pammachii, electus est Perusii, die 18 iulii 1216, et consecratus est ibidem in Ecclesia S. Petri, die dominica 24 eiusdem. Sedit in pontificatu annos X, menses VII, dies XXIV (2), imperantibus in Oriente Henrico, Petro, mox Roberto, in Occidente vero Othone, ac deinde Friderico II imperatoribus, obiit Romae die 18 martii anno 1227, et sepultus est in ecclesia Sanctae Mariae Maioris prope altare Praesepis. Non vacavit sedes.

(1) Cum in nonnullis ex superallatis Innocentii constitutionibus non conveniat indictio cum anno pontificatus, afferenda ultimo loco videntur Baluzii verba de hac re. Baluzius siquidem in praefatiuncula, quam editioni suae epistolarum huius Pontificis praemisit, unde maiorem, melioremque collectionis nostrae hausimus partem, haec notat: Insignis est difficultas in libro decimo, quam dissimulare non licet. Certum est enim indictionem decimam concurrere cum anno decimo pontificatus Innocentii. Et tamen in libro decimo, quoties indictio ponitur in epistolis anno illo datis, toties occurrit nona, quam constat decimam tum fuisse... .. Adeoque concludi debet signum illud non esse suppositionis. Idem sentiendum ergo erit de literis vel constitutionibus eiusdem Pontificis aliis annis datis, notatisque indictione cum his annis non conveniente. Colligi siquidem ex anno decimo potest hunc errorem per alios quoque annos invaluisse inter scriptores apostolicos. (2) A die consecrationis, non electionis computandos.

I.

Confirmatio bonorum omnium, ac privilegiorum concessio monasterio Cassinensi.

SUMMARIUM

Exordium. — Monasterium Cassinen. sub apost. recipit protectione et iure. — Eique bona omnia confirmat. — Cassinense monast. eiusque abbates caeteris per Occidentem praefert. — Annuli, mitrae, *etc.* usum abbatibus concedit. — Monasterium a quaiibet ecclesiastica potestate liberum declarat. — Nonnulla alia concedit privilegia. — Palladii cellam in urbe concedit ad hospitium. — A nonnullis eximit datiis. — Abbatem de gremio a monachis eligendum statuit. — Sepulturae concedit libertatem. — De modo deferendi mortuos. — Contra bonorum monast. detentores excommunicationem ferre concedit, *etc.* — Clausulae. — Honorii PP. subscriptio — Et sigillum. — Subscriptiones cardinalium S. R. E.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Stephano abbati monasterii Sancti Benedicti Cassinensis, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Omnipotenti Deo, cuius melior est misericordia super vitas, gratias agimus copiosas, quoniam gloriosus in sanctis suis, atque mirabilis est, et virtutes suas ubicumque vult ineffabili bonitate demonstrat. Ipse quippe dignationis suae potentia beatissimum Benedictum patrem constituit monachorum, ipsum monasticae legis latorem et operatorem esse disponens, ut merito Cassinense monasterium in quo, et sanctissime vixit et gloriosissime obiit, omnibus per Occidentem monasteriis dignitatis privilegio antecellat. Quoniam igitur dignum est, ut tam celebre ac solemne monasterium Apostolica Sedes specialius amplectatur, monasterium ipsum, ad exemplar felicis memoriae Clementis et Innocentii Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio

Exordium.

Monasterium Cassinense sub Apost. recipit protectione et iure.

communimus. In primis siquidem statuentes, ut idem monasterium, et omnia quae ad ipsum pertinent pleno iure quieta semper, et ab omni iugo mortalium libera sub solius Sanctae Romanae Ecclesiae iure ac perpetua defensione consistant. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona idem monasterium in praesentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. In primis monasterium Domini Salvatoris positum ad pedem Casini Montis, monasterium Sanctae Genetricis Dei Virginis Mariae quod vocatur Plumbarola, monasterium Sanctae Mariae in Cingla, cellam Sancti Benedicti in Capua, cum cellis et pertinentiis suis, Sancti Angeli ad Formam cum cellis et pertinentiis suis, Sancti Iohannis Puellarum, Sancti Rufi, S. Benedicti Pizoli, Sancti Angeli ad Odaldiscos, S. Agathae in Aversa, Sanctae Caeciliae et Sancti Dimitrii in Neapoli. In civitate Beneventana ecclesiam Sancti Benedicti ad Portam Rufini, Sancti Nicolai in Civitate Nova, Sancti Benedicti in Pantana, Sancti Nicolai in Petra Pulecina, S. Georgii in Fenuclo, Sancti Iohannis in Turlecuso, Sancti Petri in Rossano, S. Angeli in Capraria, Sancti Iannarii prope Beneventum, Sancti Martini ibidem, Sancti Dionysii in Ponte S. Anastasii, Sanctae Mariae in Canneto iuxta fluvium Trinium, Sancti Laurentii in Salerno, Sancti Liberatoris in Marchia, cum omnibus suis pertinentiis, S. Benedicti in Marsi, S. Mariae in Luco, S. Cosmatis in Civitella, Sancti Angeli in Bareio cum omnibus pertinentiis suis, Sanctae Mariae Ancillarum Dei in civitate Cosentina, Sancti Petri de Lacu, Sancti Petri de Avellana cum cellis et pertinentiis suis, Sancti Erasmi et S. Benedicti, et S. Scholasticae in Gaieta, Sancti Manni in Fundis cum cellis et pertinentiis suis, Sanctae Agathae et Sancti Benedicti, et Sancti Stephani in Terracina, Sancti Petri in Foresta cum cellis et pertinentiis suis, S. Heliae in Ambrifiae, Sancti Pauli in Foresta, S. Mariae et S. Vincentii in Pontecurvo cum cellis et pertinentiis suis, Sancti Benedicti in Bagnarola, S. Mariae et S. Luciae in Rivo Matricio, Sancti Nicolai et S. Petri in Castello, Sancti Iohannis in Carrica, Sancti Angeli et S. Nicandri et Sancti Thomae in Troia, S. Eustasii in Pantasia, S. Benedicti in Alarino, S. Benedicti in Pectinari, Sanctae Mariae in Casali Plano, Sanctae Illuminatae in Castello Lemusano, Sanctae Trinitatis et Sancti Georgii in Termole, Sancti Focati in Lesina cum fauce et piscaria, S. Benedicti in Asculo, Sancti Eustachii in Petrahabundanti, Sancti Eustachii in Vipera, Sanctae Mariae in Barruttano, S. Scholasticae in Pinnis, S. Salvatoris in Tave, S. Nicolai iuxta Fluvium Trutinum in Aprutio cum pertinentiis suis, Sancti Iohannis ad Scursionem, Sancti Benedicti in Trunto, Sancti Benedicti in Tisino Fluvio, Sancti Apollinaris in Firmo, qui dicitur ad Oplanis, Sanctae Mariae in Arboscla, Sancti Marini in Salino, S. Angeli in Marano, et Ss. Septem Fratrum, et Sancti Laurentii, Sancti Benedicti in Ripaursa. In comitatu Aquinensi cellam Sancti Gregorii, et Sancti Mauritii, et S. Pauli, Santi Constantii, S. Christophori, Sancti Nicolai, et S. Mariae in Albaneto, Sancti Nicolai in Ciconia, Sancti Benedicti in Clia, S. Nazarii in Comino, et Sancti Valentini, et Sancti Martini, S. Urbani, S. Angeli, S. Pauli, S. Felicis et S. Salvatoris, Sancti Angeli in Valle-Luci, S. Michaelis in Oliveto, S. Nicolai in Pica cum cappellis suis, Sancti Honuphrii et S. Mariae de Ægypti, S. Angeli in Cannutio, Sancti Iohannis de Pesclo, S. Mariae in Verule, S. Petri in Escleta, S. Luciae et S. Petri in Curuli,

Eidem bona omnia confirmat

proficientibus in hoc opere, in communi universalis synodus omnium beneficiorum suorum suffragium impartitur, ut eis digne proficiat ad salutem. Amen.

Datum Laterani decimonono kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno decimo octavo (*alias* octavo) (1).

Dat. die 14 decembris 1215, pont. anno XVIII.

HONORIUS III

PAPA CLXXVII

Anno aerae Christi comm. MCCXVI.

Honorius tertius, patria Romanus, ex gente Sabella, antea Centius, presbyter cardinalis Ss. Ioannis et Pauli, tit. Pammachii, electus est Perusii, die 18 iulii 1216, et consecratus est ibidem in Ecclesia S. Petri, die dominica 24 eiusdem. Sedit in pontificatu annos X, menses VII, dies XXIV (2), imperantibus in Oriente Henrico, Petro, mox Roberto, in Occidente vero Othone, ac deinde Friderico II imperatoribus, obiit Romae die 18 martii anno 1227, et sepultus est in ecclesia Sanctae Mariae Maioris prope altare Praesepis. Non vacavit sedes.

(1) Cum in nonnullis ex superallatis Innocentii constitutionibus non conveniat indictio cum anno pontificatus, afferenda ultimo loco videntur Baluzii verba de hac re. Baluzius siquidem in praefatiuncula, quam editioni suae epistolarum huius Pontificis praemisit, unde maiorem, melioremque collectionis nostrae hausimus partem, haec notat: Insignis est difficultas in libro decimo, quam dissimulare non licet. Certum est enim indictionem decimam concurrere cum anno decimo pontificatus Innocentii. Et tamen in libro decimo, quoties indictio ponitur in epistolis anno illo datis, toties occurrit nona, quam constat decimam tum fuisse... .. Adeoque concludi debet signum illud non esse suppositionis. Idem sentiendum ergo erit de literis vel constitutionibus eiusdem Pontificis aliis annis datis, notatisque indictione cum his annis non conveniente. Colligi siquidem ex anno decimo potest hunc errorem per alios quoque annos invaluisse inter scriptores apostolicos. (2) A die consecrationis, non electionis computandos.

I.

Confirmatio bonorum omnium, ac privilegiorum concessio monasterio Cassinensi.

SUMMARIUM

Exordium. — Monasterium Cassinen. sub apost. recipit protectione et iure. — Eique bona omnia confirmat. — Cassinense monast. eiusque abbates caeteris per Occidentem praefert. — Annuli, mitrae, *etc.* usum abbatibus concedit. — Monasterium a quaiibet ecclesiastica potestate liberum declarat. — Nonnulla alia concedit privilegia. — Palladii cellam in urbe concedit ad hospitium. — A nonnullis eximit datiis. — Abbatem de gremio a monachis eligendum statuit. — Sepulturae concedit libertatem. — De modo deferendi mortuos. — Contra bonorum monast. detentores excommunicationem ferre concedit, *etc.* — Clausulae. — Honorii PP. subscriptio — Et sigillum. — Subscriptiones cardinalium S. R. E.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Stephano abbati monasterii Sancti Benedicti Cassinensis, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Omnipotenti Deo, cuius melior est misericordia super vitas, gratias agimus copiosas, quoniam gloriosus in sanctis suis, atque mirabilis est, et virtutes suas ubicumque vult ineffabili bonitate demonstrat. Ipse quippe dignationis suae potentia beatissimum Benedictum patrem constituit monachorum, ipsum monasticae legis latorem et operatorem esse disponens, ut merito Cassinense monasterium in quo, et sanctissime vixit et gloriosissime obiit, omnibus per Occidentem monasteriis dignitatis privilegio antecellat. Quoniam igitur dignum est, ut tam celebre ac solemne monasterium Apostolica Sedes specialius amplectatur, monasterium ipsum, ad exemplar felicis memoriae Clementis et Innocentii Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio

Exordium.

Monasterium Cassinense sub Apost. recipit protectione et iure.

communimus. In primis siquidem statuentes, ut idem monasterium, et omnia quae ad ipsum pertinent pleno iure quieta semper, et ab omni iugo mortalium libera sub solius Sanctae Romanae Ecclesiae iure ac perpetua defensione consistant. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona idem monasterium in praesentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. In primis monasterium Domini Salvatoris positum ad pedem Casini Montis, monasterium Sanctae Genetricis Dei Virginis Mariae quod vocatur Plumbarola, monasterium Sanctae Mariae in Cingla, cellam Sancti Benedicti in Capua, cum cellis et pertinentiis suis, Sancti Angeli ad Formam cum cellis et pertinentiis suis, Sancti Iohannis Puellarum, Sancti Rufi, S. Benedicti Pizoli, Sancti Angeli ad Odaldiscos, S. Agathae in Aversa, Sanctae Caeciliae et Sancti Dimitrii in Neapoli. In civitate Beneventana ecclesiam Sancti Benedicti ad Portam Rufini, Sancti Nicolai in Civitate Nova, Sancti Benedicti in Pantana, Sancti Nicolai in Petra Pulecina, S. Georgii in Fenuclo, Sancti Iohannis in Turlecuso, Sancti Petri in Rossano, S. Angeli in Capraria, Sancti Iannarii prope Beneventum, Sancti Martini ibidem, Sancti Dionysii in Ponte S. Anastasii, Sanctae Mariae in Canneto iuxta fluvium Trinium, Sancti Laurentii in Salerno, Sancti Liberatoris in Marchia, cum omnibus suis pertinentiis, S. Benedicti in Marsi, S. Mariae in Luco, S. Cosmatis in Civitella, Sancti Angeli in Bareio cum omnibus pertinentiis suis, Sanctae Mariae Ancillarum Dei in civitate Cosentina, Sancti Petri de Lacu, Sancti Petri de Avellana cum cellis et pertinentiis suis, Sancti Erasmi et S. Benedicti, et S. Scholasticae in Gaieta, Sancti Manni in Fundis cum cellis et pertinentiis suis, Sanctae Agathae et Sancti Benedicti, et Sancti Stephani in Terracina, Sancti Petri in Foresta cum cellis et pertinentiis suis, S. Heliae in Ambrifiae, Sancti Pauli in Foresta, S. Mariae et S. Vincentii in Pontecurvo cum cellis et pertinentiis suis, Sancti Benedicti in Bagnarola, S. Mariae et S. Luciae in Rivo Matricio, Sancti Nicolai et S. Petri in Castello, Sancti Iohannis in Carrica, Sancti Angeli et S. Nicandri et Sancti Thomae in Troia, S. Eustasii in Pantasia, S. Benedicti in Alarino, S. Benedicti in Pectinari, Sanctae Mariae in Casali Plano, Sanctae Illuminatae in Castello Lemusano, Sanctae Trinitatis et Sancti Georgii in Termole, Sancti Focati in Lesina cum fauce et piscaria, S. Benedicti in Asculo, Sancti Eustachii in Petrahabundanti, Sancti Eustachii in Vipera, Sanctae Mariae in Barruttano, S. Scholasticae in Pinnis, S. Salvatoris in Tave, S. Nicolai iuxta Fluvium Trutinum in Aprutio cum pertinentiis suis, Sancti Iohannis ad Scursionem, Sancti Benedicti in Trunto, Sancti Benedicti in Tisino Fluvio, Sancti Apollinaris in Firmo, qui dicitur ad Oplanis, Sanctae Mariae in Arboscla, Sancti Marini in Salino, S. Angeli in Marano, et Ss. Septem Fratrum, et Sancti Laurentii, Sancti Benedicti in Ripaursa. In comitatu Aquinensi cellam Sancti Gregorii, et Sancti Mauritii, et S. Pauli, Santi Constantii, S. Christophori, Sancti Nicolai, et S. Mariae in Albaneto, Sancti Nicolai in Ciconia, Sancti Benedicti in Clia, S. Nazarii in Comino, et Sancti Valentini, et Sancti Martini, S. Urbani, S. Angeli, S. Pauli, S. Felicis et S. Salvatoris, Sancti Angeli in Valle-Luci, S. Michaelis in Oliveto, S. Nicolai in Pica cum cappellis suis, Sancti Honuphrii et S. Mariae de Ægypti, S. Angeli in Cannutio, Sancti Iohannis de Pesclo, S. Mariae in Verule, S. Petri in Escleta, S. Luciae et S. Petri in Curuli,

Eidem bona omnia confirmat

et Sancti Nicolai de Francavilla, S. Iohannis de Pantano, S. Silvestri et S. Martini, et S. Luciae in Arpino, S. Mariae de Castello Supponis, S. Benedicti in Colle de Insula, S. Mariae in Babuco, Sancti Nicolai in Turrice, S. Iuliani Frisilone, Sancti Valentini in Ferentino. In Anagna S. Caesarei, Sancti Angeli in Algido, S. Marci in Ceccano, S. Agathae in Tusculano, et S. Hierusalem, S. Benedicti in Albano: in Roma monasterium Sancti Sebastiani, quod dicitur Palladia: in Lucano cellam S. Georgii, S. Salvatoris in Civitella. In ducatu Spoletino (1), S. Germani in Sora, S. Benedicti in Peschesana, S. Petri in Morinis, Sancti Angeli in Pesco Canali, S. Patris in Formis, Sancti Angeli in Albe, S. Erasmi in Pomperano, S. Mariae in Cellis. In Benafra S. Benedicti, et S. Nazarii, et Sancti Martini in ipsa Furca, et curtem S. Mariae in Sala, et S. Benedicti Piozuli. Ibidem Sancti Benedicti in Caesima, S. Iacobi de Pace, Sancti Benedicti et Sancti Leonis in Suessa, et curtem, quae dicitur Lauriana, et phaeudum, quod fuit Pandulfi de Patricio, Sancti Iohannis in Currenti, S. Benedicti in Theano, Sanctae Mariae in Calvo, et S. Agapiti in territorio Calvi, Sancti Nazarii in Anglona, Sancti Adiutoris et S. Benedicti in Aliphas, Sancti Domnini in Telesia, Sancti Martini in Vulturno, S. Petri in Sexto. In Amalphi Sanctae Crucis et Sancti Nicolai, Sanctae Crucis in Sernia, S. Marci in Carpinone, S. Mariae in Calena, Sancti Benedicti in Trani, S. Benedicti in Bari, S. Petri imperialis in Tarento. In Calabria cellam S. Anastasiae, Castellum Tellae, et Ecclesias Selletani, Sanctae Mariae in Tropea, Sanctae Euphemiae in Marchia. Item civitatem, quae dicitur Sancti Germani, positam ad pedem ipsius montis, Pontem Curvum, et castellum Sancti Petri, quod ab antiquis dictum est Castrum Casini, castellum S. Angeli Pinnatarium Terami, Plumbarola, Pesdemonte et villam Pedemontis, castellum Sancti Stephani, castellum Sancti Georgii, castellum S. Apollinaris, castellum Sancti Ambrosii, castellum S. Andreae, Vallisfrigida, Castellum Novum, Fractae et ecclesiam Sancti Martini, Mirtula cum ipsa curte, quae dicitur Casa Fortina, roccam de Bantra cum omnibus pertinentiis suis, Sugium, Turrem ad Mare, iuxta fluvium Garilianum, Sancti Salvatoris, qui vocatur Cucuruzzo. Bantra Comitalis, Vantra Monastica, Caminum iuncturam, Torocclum, Cervarium, S. Victorem, S. Petrum in Fine, Sanctum Heliam, Vallem Rotundam, Saraciniscum, Castrum Atini, cum omnibus pertinentiis suis, Cardetum, Aquamfundatam, Vitigosum, ecclesiam Sancti Martini in pede Arcis, Castrum Cetrariae, cum omnibus ecclesiis et pertinentiis suis. In Marchia Theatina castellum Lastinianum, Montem Alberici, Mucclam, S. Quiricum cum portu Frisani, S. Iustam. In comitatu Esculano castellum, quod dicitur Octavum, et post montem Cinianum, Trivilianum et Cavinum. In principatu castellum Ripae Ursae, Montembellum, Petra Fracida. In Comino Vicumalbum. In territorio Carseolano castellum Mauricola. Piretum, Roccam in Cameratam. Fossam Cecam et Capriatam. In Amalfi Fundicum. In territorio Troiano Castellionem de Baroncello, S. Iustam, villam Sancti Nicolai, quae de Galliciano dicitur. In monte Sancti Angeli hospitale, in territorio Capuano Gualdum de Liburia. In comitatu Theanen. curtem S. Felicis cum ecclesia Sancti Hippolyti. In comitatu Aretino monasterium Sancti Benedicti. In territorio Pisanae civitatis S. Silvestri et S. Benedicti de Crema. In regno Francorum ecclesiam Sancti Mauri in Floriaco cum cellis et pertinentiis suis. In Sardinia insula ecclesiam Sanctae Mariae in Tergo, S. Heliae in Monte, et S. Helisaei cum omnibus earum pertinentibus, Sanctae

(1) Deest aliquid. Vide ad supplendum pagg. 183, 234, 266 ac 662 tomi II huius operis.

Mariae de Sabuccło, Sanctae Mariae de Toralbo, Sanctae Mariae de Tanede, Sancti Petri de Tricinglo, Sancti Nicolai, et Sanctae Mariae in Solio cum pertinentiis earum, S. Nicolai de Talasa, S. Michaelis in Ferucisi, Sancti Georgii in Ticillo, Sancti Petri de Simbrano, Sancti Petri in Nurchi, S. Nicolai de Ugulfuli, Sancti Iohannis et Sancti Heliae de Sitin. Praeterea patrum nostrorum beatae memoriae Urbani et Calixti, dictorum Clementis, et Innocentii Romanorum Pontificum vestigia subsequentes, vestrum coenobium caeteris per Occidentem caenobiis praefeferendum asserimus, et tam te, quam successores tuos in omni conventu episcoporum, seu principum superiores omnibus abbatibus consedere, atque in iudiciis priorem caeteris vestri ordinis iuris sententiam proferre sancimus. Usum quoque compagorum, chirotecarum, tunicae, dalmaticae ac mitrae, virgam pastoralem et quotidianum usum annuli, tam tibi, fili abbas, quam successoribus tuis auctoritate apostolica indulgemus. Sane tam in ipso venerabili monasterio, quam in cellis eius cuiuslibet Ecclesiae episcopum vel sacerdotem praeter Romanum Pontificem ditionem quamlibet, aut excommunicandi, aut interdicendi, atque ad synodum provocandi praesumere prohibemus. Itaut nisi ab abbate vel priore loci fuerit invitatus, nec missarum solemnia inibi audeat celebrare. Liceatque ipsius monasterii, et cellarum eius fratribus clericos, cuiuscumque ordinis, vel laicos de quocumque episcopatu e saeculo fugientes liberos, et absolutos, ad conversionem venientes absque alicuius contradictione suscipere. Liceat quoque absque cuiuslibet saecularis vel ecclesiasticae potestatis inhibitione subiectos monasteriis suis tam monachos, quam sanctimoniales foeminas iudicare. Liceat etiam fratribus per cellas in civitatibus constitutas ad divina officia quandocumque voluerint signa pulsare, populum Dei tam in ipsum coenobium, quam in cellas eius ad Dei verbum audiendum ingredi, nullus episcopus, excepto pro communi totius civitatis vel parochiae interdicto, prohibeat. Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum, seu clericorum, a quocumque malueritis catholico accipiatis episcopo. Baptismum vero, et infirmorum visitationes in oppidis vestris aut villis ad vos pertinentibus pleno iure per clericos vestros agetis. Ad perpetuum etiam hospitium tibi, fili abbas, tuisque successoribus Palladii cellam concedimus, ut de vestra illic congregatione, quem volueritis ordinetis: quem si forte romanum in abbatem promovere placuerit, omni tamen tamquam vestrae congregationis monachum sub vestra decernimus dispositione persistere: redditum quoque qui ab officialibus nostris apud Ostiam, vel Portum de navibus exigi solet, navi vestrae, si qua eo venerit, relaxamus. Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris de collegio vestro vel alieno, si ibidem idoneus repertus non fuerit, secundum Dei timorem, et beati Benedicti regulam providerint eligendum. Electus vero ad Romanum Pontificem benedicendus accedat. Ad haec tam praesentium, quam futurorum avaritiae, ac nequitiae obviantes omnes omnino seditiones quas levas dicunt, seu direptiones in cuiuscumque abbatis morte aut electione fieri auctoritate apostolica interdicimus. Sepulturam sane loci vestri et monasteriorum vestrorum liberam omnino esse censemus, ut eorum qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremae voluntati, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salva iustitia illarum Ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Praeterea cum vobis tam in capite, quam in membris ab Apostolica Sede sit concessa

Casinense monast. eiusque abbates caeteris per Occidentem praefert.

Annuli, mitrae, etc. usum abbatibus concedit.

Monasterium a qualibet ecclesiastica potestate liberum declarat.

Nonnulla alia concedit privilegia.

Palladii cellam in Urbe concedit ad hospitium.

A nonnullis eximit datiis.

Abbatem de gremio a monachis eligendum statuit.

Sepulturae concedit libertatem.

libera sepultura, eorumdem praedecessorum nostrorum Clementis et Innocentii vestigiis inhaerentes, vobis duximus indulgendum, ut quotiens pro corporibus mortuorum in processione vos exire contigerit, crucem, incensum et aquam benedictam portandi iuxta morem terrae liberam, nullius contradictione vel appellatione obstante, habeatis de nostra licentia facultatem. Ad exemplar quoque dictorum praedecessorum nostrorum Clementis et Innocentii, licentiam concedimus tibi, ac legitimis successoribus tuis, ut si quis eiusdem monasterii vestri, et cellarum eius possessiones, aut res violenter abstulerit, postquam ipsorum episcopi a vobis tertio invitati iustitiam de eis facere omnino noluerint, vos super eosdem raptores secundo tertiove commonitos, canonicam excommunicationis sententiam proferatis. Ea vero, quae monasterium vestrum a quadraginta retro annis bona fide noscitur pacifice possedisse, vobis et eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus. Ita quidem quod super his nullo unquam tempore impediri debeatis, vel quomodolibet molestari.

De modo deferendi mortuos.


Contra bonorum monast. detentores excommunicationem ferre concedit, etc.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi praesumptionem suam condigna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a Sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Nostri Redemptoris Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen.

Clausulae.

Ego Honorius catholicae Ecclesiae episcopus.

Honorii PP. subscriptio



Et sigillum.

Ego Nicolaus Tusculanus episcopus subscripsi.

Subscriptiones cardinalium S. R. Ecclesiae.

Ego Hugo Ostiensis et Velitren. episcopus subscripsi.

Ego Pelagius Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Cinthius S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Leo tituli Sanctae Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Robertus tituli Sancti Stephani in Monte Coelio presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Stephanus basilicae Duodecim Apostolorum presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Petrus tituli Sanct Laurentii in Damaso presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Thomas tituli Sanctae Sabinae presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Guido Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius Sancti Theodori diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Raynerius Sanctae Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Romanus Sancti Angeli diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Stephanus Sancti Adriani diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Perusii per manus Vulli sacrae Romanae Ecclesiae notarii, secundo idus augusti, indictione quarta, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo decimo sexto, pontificatus vero domini Honorii Papae tertii anno primo.

Dat. die 12 augusti 1216, pontif. anno I.

II.

Approbatio ordinis B. Dominici sub regula S. Augustini.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Prioratum S. Romani Tolosan. recipit sub protectione S. A. — 2. Facultatem dat possidendi bona. — 3. Nonnulla recenset. — 4. Novalia a decimis eximit. — 5. Clerici et laici adsciscendi in ordinem. — 6. Votis obstrictus ab ordine discedere nequit. — 7. Ad parochias sacerdotes eligendi. — 8. Exemptiones. — 9. Chrisma, ordinationes, *etc.* a quibus accipienda. — 10. Sepultura omnibus libera. — 11. Quomodo priores eligendi. — Clausulae. — Honorii PP. et S. R. E. card. subscriptiones.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Dominico priori Sancti Romani Tholosanensis, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse praesidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur (quod absit) sacrae religionis infringat.

Prioratum S. Romani Tolosan. recipit sub protectione S. A.

§ 1. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam S. Romani Tolosanensis, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et B. Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Facultatem dat possidendi bona.

§ 2. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant.

Nonnulla recenset

§ 3. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis, scilicet: locum ipsum in quo praefata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam de Prulliano, cum omnibus pertinentiis suis. Villam de Cassenolio, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Mariae de Lescura, cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale Tolosanen., quod dicitur Arnaldi Berardi, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Trinitatis de Lobens, cum omnibus pertinentiis suis. Decimas a venerabili fratre nostro Fulcone Tolosanense episcopo, de assensu capituli sui vobis pia et provida liberalitate concessas, prout in eorumdem literis plenius continetur.

Novalia a decimis eximit.

§ 4. Sane novalium vestrorum, quae propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat.

Clerici et laici adsciscendi in ordinem

§ 5. Liceat quoque vobis, clericos vel laicos, liberos et absolutos, e saeculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere.

Votis obstrictus ab ordine discedere nequit.

§ 6. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in Ecclesia vestra professionem, fas sit sine prioris sui licentia, de eodem loco, nisi arctioris religionis obtentu discedere. Discedentem vero absque communi literarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere.

Ad parochias sacerdotes eligendi.

§ 7. In parochialibus vero Ecclesiis quas habetis, liceat vobis sacerdotes eli-

gere, et dioecesano episcopo praesentare, quibus, si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere.

Exemptiones. § 8. Statuimus praeterea, ut nulli liceat Ecclesiae vestrae novas et indebitas exactiones imponere, aut in vos vel praedictam Ecclesiam vestram, sine manifesta et rationabili causa, excommunicationis vel interdicti sententias promulgare. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare.

Chrisma, ordinationes, etc. a quibus accipienda. § 9. Chrisma vero et Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a dioecesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et gratiam et communionem sacrosanctae Romanae Sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatis impendat.

Sepultura omnibus libera. § 10. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint (nisi forte excommunicati, vel interdicti sint) nullus obsistat. Salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Quomodo priores eligendi. § 11. Obeunte vero te nunc eiusdem loci priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia, praeponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars maioris et sanioris consilii, secundum Deum, et B. Augustini regulam, providerint eligendum.

§ 12. Libertates quoque, et immunitates antiquas, et rationabiles consuetudines, Ecclesiae vestrae concessas, et hactenus observatas, ratas habemus, et eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus.

Clausulae. § 13. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate, et dioecesani episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat.

§ 14. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi: quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen.

Honorii PP et S. R. Eccl cardinalium subscriptiones.

Ego Honorius catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

Ego Nicolaus Tusculanen. episcopus.

Ego Guido Praenestin. episcopus.

Ego Ugolinus Hostien. et Velletren. episcopus.

Ego Pelagius Albanen. episcopus.

Ego Cinthyus tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis.

Ego Leo tituli S. Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis.

Ego Robertus tituli S. Sixti in Monte Caelio presbyter cardinalis.

Ego Stephanus basilicae XII Apostolorum presbyter cardinalis.

Ego Gregorius tituli S. Anastasiae presb. card.

Ego Petrus tit. S. Laurentii in Damaso presbyter cardinalis.

Ego Thomas tit. S. Sabinae presbyter cardinalis.

Ego Guido S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. cardinalis.

Ego Octavianus Ss. Sergi et Bacchi diac. card.

Ego Ioannes Ss. Cosmae et Damiani diac. card.

Ego Gregorius S. Theodori diaconus cardinalis.

Ego Raynerius S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis.

Ego Romanus S. Angeli diac. card.

Ego Stephanus S. Adriani diaconus cardinalis.

Datum Romae apud S. Sabinam, per manum Raynerii prioris S. Fridiani Lucanae dioecesis, S. R. E. vice-cancellarii, 11 kal. ianuarii, indictione quinta, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo decimo sexto, pontificatus vero domini Honorii Papae III anno primo.

Dat. die 22 decembris 1216, pontif. anno I.

III.

Commissio inquisitionis super vita et miraculis beati Guillelmi episcopi Bituricensis (1).

SUMMARIUM

Bituricenses Innocentio supplicant de B. Guillelmo inter sanctos referendo. — Innocentius differendum statuit. — Quid sit necessarium ut quis sanctus proponatur inter homines. — Inquisitionem de virtutibus et miraculis eiusdem Beati committit.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Antissiodoren., et dilectis filiis Boni-Radii et Callovien. Ordinis Cistercien., abbatibus Antissiodoren. et Bituricen. dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Bituricenses Innocentio supplicant de B. Guillelmo inter sanctos referendo.

Venerabilis frater noster archiepiscopus, et dilecti filii capitulum Bituricen. firmiter extimantes piae recordationis Guillelmum praedecessorem ipsius archiepiscopi, cui sanctitatis, ut asserunt, testimonium perhibent miracula post eius de hoc mundo transitum subsequuta, sanctorum ascribi debere cathalogo venerandum, et attendentes quod iuxta divinum praeceptum iudicium difficile ac ambiguum, ad locum quem elegit Dominus, referri debeat, et ab his, qui eidem praesident, requiri iudicii veritatem, ac tenentes pro certo, quod Dominus Apostolicam Sedem elegerit, et ipsam omnium Ecclesiarum caput constituerit et magistram, per nuncios suos ad eamdem pluries accesserunt felicis recordationis Innocentio Papae praedecessori nostro supplicantes instanter, ut ipsum censeret sanctorum cathalogo ascribendum, ne tanta lucerna sub modio remaneret abscondita, sed illuminaret potius eos, qui sunt in domo super candelabrum constituta. Ipse vero praedecessor noster sollicite cogitans quod huiusmodi iudicium divinum sit potius quam humanum, esseque difficile mortalem hominem iudicare de illis, qui veste mortalitatis exuti, cum Christo creduntur vivere ac regnare, petitionem ipsorum protinus non admisit, sed ad tempus censuit expectandum, ut interim magis ac magis miraculis sanctitas eius claresceret, et ipse sic securius procedere posset ad tam arduum iudicium proferendum. Cum igitur ex parte ipsorum asserentium quod Dominus postmodum illum plurimis decoravit miraculis, et adhuc per ea ipsius sanctitas elucescit, id ipsum nunc a nobis fuerit postulatum. Nos attendentes quod licet ad hoc, ut aliquis fidelis sanctus sit apud Deum, meritum sufficiat vitae solum, ad hoc tamen, ut sanctus apud homines habeatur necessaria sint miracula, cum eodem de utroque duximus inquirendum, eo quod alterum non sufficit sine altero,

Innocentius differendum statuit.

Quid sit necessarium ut quis sanctus proponatur inter homines.

(1) Ex Regest. Vatic.

videlicet vitae meritum, si miracula non fuerint subsequta, neque miracula, si ea vitae meritum non processit, cum multi dicturi sint in die illa: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo demonia eiecimus, et virtutes fecimus in nomine tuo multas: quibus, quia non novit eos: discedite a me operarii iniquitatis, Dominus, prout ipse testatur in Evangelio, respondebit. Unde oportet quod approbentur miraculis opera, et operibus miracula fulciantur. Quo circa discretioni vestrae, de qua plenam fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus de praedicti viri praeclari vita et conversatione ac meritis a viris honestis et fide dignis, qui de praedictis habent notitiam, necnon et miraculis, quae post eius obitum subsequta dicuntur, ac circumstantiis universis pertinentibus ad utrumque inquiratis diligentissime veritatem, et quae inveneritis fideliter redigentes in scriptis, ea sub vestris sigillis ad nostram praesentiam transmittatis, ut per vestram relationem instructi, in negotio ipso auctore Domino procedamus, prout ille, qui dat omnibus affluenter, et non improperat nobis, ad sui nominis honorem et gloriam inspirabit, quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu ea, frater episcope, cum eorum altero nihilominus exequaris.

Inquisitionem de virtutibus et miraculis eiusdem Beati committit.

Datum Laterani, sextodecimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 17 ianuarii 1217, pontif. anno I.

IV.

Confirmatio bonorum omnium ac privilegiorum Ecclesiae Terracinen. ac unionis cum eadem Ecclesiarum Privernatis et Setinae (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Ecclesiam hanc sub protectione Sedis Apostolicae suscipit. — Eique bona omnia confirmat: — Unionem quoque Ecclesiarum Privernat. et Setinae. — Honorii PP. et S. R. E. card. subscriptiones.

(1) Ex Ughell., Ital. Sac., tom. I.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Simeoni Terracinensi episcopo, eiusque successoribus canonice instituendis, in perpetuum.

Exordium.

Hortatur nos, et admonet cura suscepti regiminis *etc.*

Ecclesiam hanc sub protectione Sedis Apostolicae suscipit.

Eapropter, venerabilis in Christo frater episcope, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, et Terracinensem Ecclesiam, cui auctore Deo præesse dignosceris, ad exemplar felicis memoriae Alexandri II, Urbani II, Paschalis II, Calixti II, Alexandri III, Coelestini III et Innocentii Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, et illibata permaneant, e quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: casale in integro, quod vocatur Antisanum cum aquimolo suo, et Teruniam cum aquimolis suis, et iuxta fundum Cardiculum, coloniam quae posita est in...... casale, quod vocatur Doransa, coloniam, quae vocatur Rosetum, coloniam quae vocatur Rossizam, casale quod vocatur Casamartin. Casale quod est positum in Silana, casale quod vocatur..... sylva quae vocatur Sigubara, et Lenciscum. Duo casalia in Circeyo, fundum quod vocatur Pensum, casale quod vocatur Are, fundum qui vocatur Belazam, Propesianum, pratum vineatum iuxta Balneum, et cannetum cum dracinia, usque in porta Sancti Laurentii, fundum Casaricum, vinea posita in Cepollato, vineam sitam in porta Albini, coloniam

Eique bona omnia confirmat.

quae vocatur Pasanianum, casale quod vocatur Frusilianum, sive Flixum, cum aqua de Ponte Mannati usque in locum, casale quod vocatur Iubelle in territorio Fundano, coloniam quae vocatur Agre, coloniam quae vocatur Villa Magna, coloniam quae vocatur Papiniana, coloniam quae vocatur Opasera, fundum Flamminianum, coloniam quae posita est in Anculiano, coloniam iuxta Sanctum Stephanum, coloniam in Fossa Nova territorio Priverni, casale quod positum est in Ciliaria, sex uncias de casale sito in Antico, coloniam quae posita est in Anculiano, cum ecclesia Beati Crescentiani Christi martyris, in Setia piscariam quae vocatur Altura, piscariam quae posita est in Massa Flaviana, piscariam quae vocatur ad Duas Fauces, piscariam quae vocatur Arulier, piscariam in integro quae vocatur Bitectula, piscariam quae vocatur Lenciscum, piscariam quae vocatur Suare, piscariam quae vocatur Struntula, septem uncias piscariae in Ponte Militum, item piscariae quae vocatur Sanguiniana uncias quatuor, sex uncias de piscaria quae vocatur Passinum cum omnibus ad eas pertinentibus, et piscariam quae vocatur Carsum. Praeterea ecclesiam Sancti Andreae, et omnes possessiones Rutelli, cum aquis et omnibus pertinentiis et adiacentiis suis, tibi, et Ecclesiae tuae auctoritate apostolica confirmamus, de quibus cum coram felicis recordationis Alexandro Papa praedecessore nostro inter Privernum, et bonae memoriae Hugonem quondam Terracinensem episcopum quaestio mota fuisset, visis et cognitis publicis et antiquis Ecclesiae instrumentis, idem praedecessor noster praefatas possessiones episcopo memorato, et Ecclesiae adiudicavit, fecitque tam eum, quam Ecclesiam in corporalem possessionem induci, sicut in eius privilegio exinde confecto manifestius continetur. Sane si quae possessiones aliae cultae, vel incultae, molendina, tenimenta, atque piscariae quae quondam forte particulariter tuae Ecclesiae fuerunt, sive per temporum intervalla ad eandem Ecclesiam iure legitimo pervenerunt, aut iustis modis in antea Domino largiente pervenerint, eas tibi et eidem Ecclesiae manere decernimus futuris temporibus illibatas. Praeterea praedictorum praedecessorum nostrorum vestigia subsequentes, Privernen. et Setinam Ecclesias eidem Terracinensi Ecclesiae in perpetuum unitas manere decernimus cum omnibus iuribus earum, rebus ac pertinentiis, ecclesiis, monasteriis, praesidiis, rocchis atque castellis, quae sunt Sumninum, Roccha Sicca, Roccha Angurgae, Magentia, Aspianum, Treve, Sarminetum, Aquapuzza, Bassianum cum finibus et adiacentiis suis, cunctisque illarum Ecclesiarum facultatibus mobilibus et immobilibus, de seque moventibus, ut quidquid de omnibus praedictarum Ecclesiarum seu monasteriorum rebus, vel de omnibus ad eas generaliter pertinentibus, canonice ordinare provideris, tam tuo, quam universi in praedicto Terracinensi episcopatu tibi canonice successuris liberam habeatis in perpetuum modis omnibus facultatem. Decernimus ergo, *etc.* Si qua igitur *etc.* Cunctis autem *etc.* Amen.

Unionem quoque Ecclesiarum Privernat. et Setinae.

Ego Honorius catholicae Ecclesiae episcopus.

Honorii PP.

Cinthius tituli S. Laurentii in Lucina S. R. E. presbyter cardinalis.

et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Leo tit. S. Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis.

Petrus S. Pudentianae tituli Pastoris presbyter cardinalis.

Robertus tituli S. Stephani in Monte Coelio presbyter cardinalis.

Stephanus basilicae Duodecim Apostolorum presb. card.

Gregorius tit. S. Anastasiae presbyter cardinalis.

Petrus tituli S. Laurentii in Damaso presbyter cardinalis.

Thomas tituli Sanctae Balbinae presbyter cardinalis.

Robertus tit. Ss. Iohannis et Pauli presbyter cardinalis.

Nicolaus Tusculanensis episcopus.

Guido Praenestinensis episcopus.

Hugo Ostiensis et Velitrensis episc.

Pelagius Albanensis episcopus.

Guido Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis.

Octavianus Ss. Sergii et Bacchi diaconus cardinalis.

Gregorius Sancti Theodori diaconus cardinalis.

Raynerius S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis.

Romanus diaconus cardinalis.

Stephanus Sancti Adriani diaconus cardinalis.

Alebrandinus S. Eustachii diaconus cardinalis.

Datum Laterani, per manum Raynerii prioris Sancti Fridiani Lucani, S. R. E. vice-cancellarii, 16 kalendas februarii, indictione quinta, incarnationis dominicae anno 1217, pontificatus vero domini Honorii anno primo.

Dat. die, annoque eodem.

V.

Indictio cruciatae pro subsidio Terrae Sanctae in partibus Lombardiae et Tusciae cum indulgentiarum elargitione (1).

SUMMARIUM

Admonitio ex materia ipsa desumpta. — Proficiscentibus indulgentia elargitur. — Pacem generalem per quadriennium indicit. — Legatum mittit. — Obedientia ei praestanda.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, et aliis Ecclesiarum praelatis, potestatibus, consulibus, et universis fidelibus per Lombardiam et Tusciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Admonitio ex materia ipsa desumpta.

Tempus acceptabile instat, et dies salutis advenit, ut hi, qui aere peccatorum se diabolo vendiderunt, tamquam in novi iubilei iubilo amissam recuperent libertatem, et per novae redemptionis remedium animas redimant fraude diabolica captivatas; exurgat ergo nunc qui dormit, et ab operibus excitetur, ut illuminet sibi Christus, et currat quilibet in splendore fulgoris armorum Domini accinctus ad ipsius prelium preliandum, qui coronam legitime certantibus repromittit, et quia non est in homine, ut Domino possit retribuere, qui pro nobis formam servi accipiens, in mortem tradidit semetipsum, saltem pro eo, retributionis aequitate pensata, paratus sit bibere calicem passionis; ignominia est namque populo christiano, quod Rex ille regum, qui creavit omnia, et ea quae coeli ambitu continentur, a propria sede depulsus pro nostris facinoribus, amisit terram, quae funiculus est haereditatis suae, quam non auro et argento, sed suo pretioso Sanguine comparavit: confusio est etiam universis, qui sub Christo principe gloriantur, quod princeps noster amisit terreni gloriam regni sui, et terram nativitatis, in qua corporaliter visus est cum hominibus conversando, ac filii ancillae, qui non sunt haeredes cum filio liberae, illam detinent miserabiliter occupatam: sed ubi est indignatio Moysis cum dixit: Qui Domini est accingatur mecum, et ponat quilibet gladium supra femur suum contra gentes idolatras, et populum murmurantem: ubi est Finees, qui Iudaeum et Madianitam coeuntes pugione transfixit; ubi est magnanimitas Mathathiae, qui videns sancta Domini prophanari, prosilivit, ut legem et patrias observantias tueretur? Accingantur ergo fideles, et sint filii potentes, tempus est enim, ut faciant vindictam in nationibus, in gentibus scilicet detinentibus et contaminantibus Terram Sanctam, in his, qui stultam faciunt gloriam Crucis Christi, et exprobrant ignominiam Dominicae Passionis.

(1) Ex Regest. Vatic.

Properare igitur necesse est ad tantae felicitatis bravium, et tollat fidelis quilibet crucem suam, et sequatur vexillum gloriae summi Regis, nec excuset se aliquis a servitio Iesu Christi, qui vult regnare, cum ipso quin potius abneget semetipsum, et exeat de terra et cognatione sua, in manu illius dimittens omnia, qui contulit universa. Caeterum, nos iuxta statutum sacri concilii generalis, personas et bona eorum qui Crucis sunt charactere insigniti recipientes sub protectione Sedis Apostolicae speciali, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, plenam suorum peccaminum de quibus fuerint veraciter corde contriti et ore confessi veniam indulgemus, et in retributione iustorum salutis aeternae pollicemur augumentum; eis autem, qui non in propriis personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem et qualitatem suam viros idoneos destinarint, et illis similiter, qui licet in alienis expensis in personis propriis tamen accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum; huius quoque remissionis volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem ipsius Terrae de bonis suis congrue ministrabunt, aut circa praedicta consilium et auxilium impenderint opportunum. Et cum pernecessarium credimus negotio Terrae Sanctae, ut principes et populus christianus pacis gaudeant unitate adeo, quod statutum est sancta et universali synodo suadenti, ut saltem per quadriennium in toto orbe christiano pax generaliter observetur, ita quod per Ecclesiarum praelatos discordantes reducantur ad plenam pacem aut firmam treguam inviolabiliter observandam, et qui acquiescere forte contempserit per excommunicationem in personas, et interdictum in terras arctissime compellatur. Nos qui ad liberationem Terrae illius ardenti desiderio aspiramus ac pacem diligimus, et eam inquirimus puro corde tam pro exhortatione verbi Crucis, quam pro pacis seu treguarum foedere propagando, et pro aliis quae limam correctionis exposcunt, mittimus ad vos venerabilem fratrem nostrum Ugolinum Ostien. episcopum virum utique secundum cor nostrum Deo et hominibus acceptum, potentem in opere et sermone, praecipuum Ecclesiae Dei membrum, quem inter alios fratres nostros speciali praerogativa diligimus charitatis, commisso ei plene legationis officio, ut evellat et destruat, aedificet et plantet, et inserat quae in agro Domini viderit inserenda. Universitatem itaque vestram monemus et exhortamur attente per apostolica scripta praecipiendo mandantes, quatenus ipsum, immo nos in ipso recipientes, hilariter et benigne monitis, statutis et mandatis ipsius humiliter intendatis. Nos enim sententiam quam in contumaces et rebelles duxerit proferendam faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

Proficiscentibus indulgentia elargitur.

Pacem generalem per quadriennium indicit.

Legatum mittit.

Obedientia ei praestanda

Datum Laterani, decimo kalend. februarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 23 ianuarii 1217, pontif. anno I.

VI.

Approbatio regulae ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Ordo hic ab Innocent. III approbatus. — Confirmatur quoque ab Honorio. — Regulae. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Ioanni ministro, et fratribus ordinis Sanctae Trinitatis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Operante divinae dispositionis clementia in Sedis Apostolicae specula constituti, piis debemus affectibus suffragari, et eos cum a charitatis radice procedunt perducere ad effectum, praesertim ubi

(1) Ex Regest. Vatic.

quod quaeritur Iesu Christi est, et privatae communis utilitas antefertur. Sane cum bonae memoriae frater Ioannes minister vester ad felicis recordationis Innocentii Papae praedecessoris nostri olim praesentiam accessisset, et propositum suum, quod ex inspiratione divina creditur processisse, dicto praedecessori nostro humiliter significare curasset, intentionem suam postulavit apostolico munimine confirmari. Idem praedecessor noster, ut desiderium praedicti ministri fundatum in Christo praeter quem poni non potest stabile fundamentum, plenius nosceret, ad bonae memoriae episcopum, et dilectum filium abbatem Sancti Victoris Parisien. cum suis eum duxit literis remittendum, ut per eos, utpote qui desiderium eius perfectius noverant, de intentione sua et intentionis fructu ac intentione ordinis, et vivendi modo instructus assensum suum sibi posset securius et efficacius impertiri. Quia igitur sicut dictus praedecessor noster ex eorum literis evidenter cognovit, Christi lucrum appetere videmini plusquam vestrum, nos volentes, ut apostolicum vobis adsit praesidium, ad exemplar eiusdem praedecessoris nostri regulam, iuxta quam vivere debeatis, cuius tenorem dicti episcopus et abbas suis eidem praedecessori nostro inclusum literis transmiserunt cum iis quae de dispositione ipsius, et petitione ministri praefati disposuit adiungenda, praesentium vobis et successoribus vestris auctoritate concedimus, et illibata perpetuo permanere sancimus, quorum tenorem, ut evidentius exprimatur, inferius iussimus annotari. In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Fratres domus ordinis Sanctae Trinitatis.

Ordo hic ab Innocentio III. approbatus.

Confirmatur quoque ab Honorio.

Regulae

(Caetera legi possunt in constitutione Innocentii III, num. XVII, *pag. 123).*

Clausulae

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Laterani, quinto idus februarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 9 februarii 1217, pontif. anno I.

VII.

Coronatio imperatoris Constantinopolitan. et uxoris eius Romae in coenobio Sancti Laurentii extra muros (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — Imperator Constantinopol. ab Honorio petit coronari. — Quare distulerit Honorius. — Tandem eum coronat. — De his patriarcham C. P. certiorem facit.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri patriarchae Constantinopolitano, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Qui statuit terminos gentium secundum numerum angelorum, et utrorumque ministeria ordine miro dispensat, sicut chorus angelorum variis dignitatibus, quae propriis vocabulis teste Apostolo appellantur, mirabiliter insignivit, sic et Ecclesiam adhuc militantem in terris diversis tam spiritualium, quam temporalium distinxit titulis potestatum, penes unum videlicet Romanum Pontificem Christi vicarium, et apostolorum principis successorem omnium magisterio pro firmamento fidei remanente, ut pulchra fidelibus et infidelibus terribilis apparens, ut castrorum acies ordinata, procedat prospere, donec regina tandem a dextris summi Regis vestitu sedeat deaurato feliciter in perpetuum regnatura. Unde cum constet, quod omnis a Domino est potestas, qui solus potestatem habet in regno hominum, et quaecumque vult suscitat super illud, nemo illi temere debet resistere, ne secundum Apostolum potestati divinae resistere videatur, quin potius tenetur quilibet in

(1) Ex Regest. Vatic.

operibus manum Domini exaltare, quae semper, iuxta Prophetam, misericordiam et iudicium esse constat. Sane factum est nuper a Domino, quod imperio Constantinopolitan. vacante, vocatus ad illud charissimus in Christo filius noster P...... Antissiodoren. comes ad Sedem Apostolicam cum nobili muliere Y... uxore sua ex insperato veniens nobis opportune importune in omnimodae humilitatis spiritu supplicavit multiplicatis intercessionibus plurimum non solum exorantium, sed et obtestantium in nomine Iesu Christi, ut dignaremur ipsum in imperatorem, et uxorem suam in imperatricem de nostrae potestatis plenitudine coronare. Nos autem licet id pluries denegassemus eisdem, ne quis posset quamvis de superfluo suspicari, quod id in Ecclesiae Constantinopolitan. praeiudicium faceremus, quia tamen timebatur a multis, ne si sic a nobis confusus abscederet, non solum sibi, sed universo imperio grave dispendium immineret. Condescendentes tandem ipsos sine tuo, vel alterius praeiudicio vel contemptu in ecclesia Beati Laurentii foris muros Urbis duximus solemniter coronandos, quod ad hoc divino nutu credimus esse actum, ut cum imperatores Constantinopolitani, qui fuerunt pro tempore, cornu superbiae contra Romanam Ecclesiam erigentes, dedignati fuerint recognoscere ipsam Matrem omnium Christifidelium generalem, propter quod ab eis imperium est translatum, nec in Ecclesia generali vestigium appareat perfidiae praecedentis, isto tamquam devoto et humili filio a Summo Pontifice coronato, quin potius generatio et generatio laudent opera Domini, qui suscipiens mansuetos, usque ad terram humiliat peccatores. Cum igitur beneplacitis nostris te tamquam honorabile membrum capiti obsequi deceat humiliter et devote, fraternitatem tuam rogamus, et monemus attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus quod per nos actum est, immo per ministerium nostrum Dominus voluit operari, gratanter acceptans, imperatorem praedictum ad solium suum cum nostrae gratiae plenitudine accedentem suscipias hilariter et benigne, paternum affectum et effectum erga ipsum omnimodis exhibendo, speramus, quod et ipse qui vir catholicus extitit nunc a Domino exaltatus, tanto Deum et Ecclesiam studebit humilius revereri, quanto se recognoscet potiorem gratiam accepisse, et qui hactenus per magnanimitatis virtutem, et operum magnificentiam se dignum exhibuit imperii dignitate, provectus de virtute proficiet in virtutem ad honorem et gloriam Iesu Christi et totius populi christiani. Noveris autem, quod nos eidem iniunximus, quod tibi et Ecclesiae tuae de omnibus iuribus et consuetudinibus debeat plenarie respondere.

Imperator Constantinopol. ab Honorio petit coronari.

Quare distulerit Honorius.

Tandem eum coronat.

De his patriarcham C. P. certiorem facit.

Datum Laterani secundo idus aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 12 aprilis 1217, pontif. anno I.

VIII.

Infeudatio nonnullorum locorum ex donatione comitissae Mathildis provenientium favore Salinguerrae de Ferraria (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Infeudatio dd. locorum. — Census annuus S. A. solvendus. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Salinguerrae de Ferraria, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Consuevit providentia Sedis Apostolicae manum libertatis extendere ad devotos, ut devotiores efficiat de devotis, et ad bonum devotionis alliciat indevotos. Ea propter, dilecte in Domino fili Salinguerra, nos de fratrum nostrorum consilio felicis memoriae Innocentii praedecessoris nostri vestigiis inhaerentes, in feudum tibi concedimus illas terras de

(1) Ex Regest. Vatic.

podere comitissae Mathildis, quas idem praedecessor noster tibi concessit in feudum per vexillum beati Petri te investiendo de illis, videlicet Medicinam, duas partes Argellatae cum proventibus suis, Carpenetam, Besinacum, Mandriam, Bibianellum, Castrum Arianum, Foldundum, Muzole, Bundenum Arduini, Pigugnagiam, cum universis curiis et pertinentiis, iuribus et honoribus omnium praedictorum castrorum et locorum, salvo iure per omnia, quod habet monasterium Sancti Benedicti de Laron in Pigugnaga, Carpum et Mombarazon cum plebanatu Sanctae Mariae, salva tamen dispositione nostra circa ipsum Carpum et Mombarazon. Insuper cuncta iura et redditus, responsiones et iurisdictiones, honores, usus et albegarias quae sunt dicti poderis in feudum tibi concessi, et in his locis specialiter, sive pertinentiis, videlicet in Sablono, Cazolo, Fellegaria, Rioltorto, Dinazano, Casali Magno, Casali Zigonio, Tregasso, Pregnano, Cavesiano, Runcaliis, Planzo, Castro Canusiae, eiusque Curia, Fontana, Campogaliano, Sancto Martino de Rio Sustiliolo, Pradis, Corregia, Fossa Canulis, Miliarnia, Gurgacellis Fossulis, Budriono, Soleria, et in toto eo quod est eiusdem poderis, quod detinebatur a te, quando illud Sedi Apostolicae resignasti in episcopatibus Bononien., Mutinen., Regien., pariter et Parmen. Tu vero pro feudo ipso nobis et Ecclesiae Romanae quadraginta marchas argenti in festo Omnium Sanctorum nomine census annuatim exolves. Serviturus nihilominus in Lombardia et Romania cum centum militibus in valle Spoletana vel Marchia cum quinquaginta. Ab urbe autem, et infra versus Maritimam per Campaniam et totum regnum Siciliae cum viginti per mensem integrum singulis annis quandocumque fueris requisitus, tempore veniendi et recedendi minime computato, ac deinde quantum Ecclesiae Romanae placuerit in eiusdem tamen expensis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Infeudatio dd. locorum.

Census annuus S. A. solvendus.

Clausulae.

Datum Laterani per manum Raynerii Sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarii quinto decimo kalendas maii, indictione quinta, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo decimoseptimo, pontificatus vero domini Honorii Papae tertii anno primo.

Dat. die 17 aprilis 1217, pontif. anno I.

IX.

Confirmatio privilegiorum Ecclesiae Ianuen., eiusque civitati medietatis insulae Corsicae concessio sub annuo censu unius librae auri (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Ianuenses de Rom. Eccles. optime meriti. — Archiepiscopalis dignitas eis confirmatur. — Eccles. Corsicanae eis subiectae. — Archiepisc. legatio transmarina committitur: — Eidem dat monast. in insula Gallinaria. — Nonnulla ei concedit privilegia: — Civitati vero medietatem insulae Corsicae: — Pallium autem archiepiscopo. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Octoni Ianuen. archiepiscopo, eiusque successoribus canonice substituendis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium

Superna et ineffabilis providentia Maiestatis sacrosanctam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem instituit et magistram, ut praelata caeteris merita respiceret singulorum, et ad similitudinem aeterni et iusti Iudicis unicuique pro meritorum qualitatibus responderet. Unde et eadem sancta Ecclesia eos, quos fide-

(1) Ex Regest. Vatic.

les filios reperit, clementiori tractare gratia consuevit, et quos ferventiores circa suum obsequium intuetur, multiplici praerogativa honoris est solita sublimare. Nos igitur qui in Sede Apostolica beato Petro apostolorum principi licet non suffragantibus meritis ex divina dispositione successimus, reverentiam, devotionem et sedulitatem obsequii, quam Ianuen. Ecclesia, et tota civitas Ecclesiae Romanae tempore necessitatis exhibuit, diligenter attendentes, considerantes etiam quanta nobis et successoribus nostris incrementa et commoda per Ianuensem civitatem poterunt provenire, et antecessoris nostri felicis memoriae Innocentii Papae vestigiis inhaerentes, qui Ianuensem Ecclesiam archiepiscopalis dignitatis excellentia sublimavit ad honorem, exaltationem, et gloriam praefatae civitatis, quae beato Petro et Sanctae Romanae Ecclesiae fidelissima, et ad serviendum ei, sicut dictum est, promptissima perseverat, et de caetero idem se facturam propensius pollicetur, ad exemplar tam ipsius Innocentii, quam felicis recordationis Alexandri, Clementis, Coelestini, et Innocentii praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum eamdem dignitatem tibi et successoribus tuis communi fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam. Quod enim iam dicti antecessores nostri Innocentius, Alexander, Clemens, Coelestinus et Innocentius Ianuensem civitatem insignem reddiderunt gratia ampliori nos ratum habentes, et auctoritate apostolica roborantes, tres episcopatus in Corsica, Maranen. videlicet, Nebolen. et tertium, cuius sedem memoratus Innocentius ecclesiam Sancti Petri de Atho constituit, et cui unam plebem de Maranna, et aliam de Aleria concessit, Bobiensem quoque episcopatum, et illum de Brugniate cum ecclesiis suis, quas circa et in castellis suis habet, quem idem antecessor noster de novo constituit, tibi tuisque successoribus, sicut et ipse antecessor noster fecisse dignoscitur, metropolitico iure subiicimus. Verumtamen episcopatum Ianuensem, et te videlicet, ac posteros tuos ab omni emancipatos subiectione in manu propria libere retinemus, statuentes ut Ianuensis archiepiscopus a suffraganeis suis episcopus consecretur, pallium, pontificalis scilicet officii plenitudinem a Sede Apostolica recepturus. Praeterea illam sincerissimam devotionem tam tuam, quam civitatis tuae multimoda obsequiorum servitia, quae Romanae Ecclesiae fideliter ac liberaliter impendistis, in memoria retinentes, ut Ianuensis clerus et populus ad servitium et honorem Ecclesiae tanto ferventius accendatur, quanto Ecclesiam et civitatem Ianuensem a Sede Apostolica cognoverit amplius honorari, communicato fratrum consilio, ad exemplar iam dictorum Alexandri, Clementis, Coelestini et Innocentii praedecessorum nostrorum legationem transmarinam tibi tuisque successoribus in perpetuum duximus concedendam, ita quidem ut singulis octenniis cum episcopo vel cardinali Romanae Ecclesiae illuc accedere debeatis a catholicis successoribus nostris eamdem auctoritatis et potestatis plenitudinem recepturi, quam episcopus vel cardinalis habuerit, qui a nobis vel successoribus nostris illuc de corpore Ecclesiae fuerit destinatus. Monasterium quoque quod in insula Gallinaria situm est, ad ius sanctae Romanae Ecclesiae specialiter pertinens, et ecclesias in castro et suburbio Portus Veneris a iurisdictione Lunen. episcopi eximentes, tibi, et his qui post te successerint in perpetuum apostolica auctoritate concedimus, et praesenti privilegio confirmamus. Albinganensem insuper episcopatum tibi et successoribus tuis ad exemplar iam dictorum antecessorum nostrorum Alexandri, Clementis, Coelestini et Innocentii concedimus nihilominus, et confirmamus. Denique ut Ianuen. civitas, quae coelestis Numinis adiuta favore, de inimicis Crucis Christi triumphum fre-

Ianuenses de Rom. Eccles. optime meriti.

Archiepiscopalis dignitas eis confirmatur.

Ecclesiae Corsicanae eis subiectae.

Archiepisc. legatio transmarina committitur.

Eidem dat monast. in insula Gallinaria

quenter et victoriam reportavit, et plurimas eorum urbes mira quadam et invincibili potentia subiugavit, ampliori honoretur fastigio dignitatis, equo albo cum naelio albo in processionibus uti, et Crucem, vexillum videlicet dominicum per subiectam vobis provinciam portandi, sicut praenominati antecessores nostri concessisse noscuntur, tibi tuisque successoribus licentiam damus, et liberam vobis concedimus facultatem. Ad haec Ianuensi civitati medietatem insulae Corsicae ad exemplar eorumdem praedecessorum nostrorum concedimus, ita scilicet ut nobis nostrisque successoribus Ianuen. populus cum exinde fuerit requisitus, fidelitatem iuret, et pro pensione unam libram auri singulis annis nobis et successoribus nostris exolvat, salvis nimirum feudis tam vestris, quam Pisanorum, sicut a decem annis et supra obtinuisse noscuntur: pallio vero infra Ecclesiam perfruaris his diebus, in Coena Domini, Pascha, Ascensione Domini, Pentecoste, in festivitate apostolorum Petri et Pauli, et Sancti Iohannis Baptistae, Sancti Laurentii, tribus festivitatibus Beatae Mariae, in solemnitate omnium Sanctorum, Sancti Siri, et beati confessoris Nicolai, Natale Domini, Epiphania, et in anniversario tuae consecrationis die; in consecrationibus quoque episcoporum, basilicarum, et ordinationibus clericorum. Abbatiam quoque de Tiro ad meliorationem, salva sanctae Romanae Ecclesiae proprietate ac censu, sicut praedicti antecessores nostri Innocentius, Alexander, Clemens, Coelestinus et Innocentins fecisse noscuntur, tibi, frater archiepiscope, tuisque successoribus duximus committendam. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei, ac Domini Redemptoris Nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem sua iura servantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Nonnulla et concedit privilegia.

Civitati vero medietatem insulae Corsicae.

Pallium autem archiepiscopo.

Clausulae.

Datum Laterani per manum Raynerii sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarii, octavo kalendas maii, indictione sexta, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo decimoseptimo, pontificatus vero domini Honorii Papae tertii anno primo.

Dat. die 24 aprilis 1217, pontif. anno I.

X.

Dissolutio unionis de Domo Sancti Spiritus in Saxia de Urbe hospitali Montispessulan. factae cum nonnullarum gratiarum praefatae Domui confirmatione (1).

SUMMARIUM

Hospitalitatis encomium. — Hospitale S. Spiritus in Saxia recipit sub protectione S. A. — De numero clericorum ibidem servientium: — Eorumque officio. — Dissolvit ab eo hospitale Montispessulan. — Magistrum soli Romano Pontifici subiectum declarat. — Fratribus in loca interdicto subiecta venientibus pulsandi campanas dat facultatem: aliaque concedit privilegia. — De fratribus amovendis. — Decret. immunitatum. — Rom. Pontifices adhortatur, ut ei praesto sint. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Cinthio magistro hospitalis Sanctae Mariae in Saxia de Urbe, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter opera pietatis, quae secundum Apostolum promissionem habent vitae,

Hospitalitatis encomium

(1) Ex Regest. Vatic.

quae nunc est pariter et futurae, hospitalitatem nobis specialiter et frequenter divina Scriptura commendat, utpote quae illa omnia comprehendit, propter quae Dominus in ultimae discussionis examine remuneraturum se bonos, et malos asserit puniturum. Haec enim pascit esurientes, sitientes potat, colligit hospites, nudos vestit, et non solum infirmos visitat, sed eorum in se infirmitatem assumens, infirmantium curam agit, in carcere positis subvenit, et quibus vivis in infirmitate communicat, participat in sepultura defunctis. Per hanc quidem Angelis receptis hospitio placuerunt, cum Abraham et Loth hospitalitati vacantes Angelos meruerunt hospitari, per quos Abraham iam senex futurae sobolis promissionem accepit, et Loth fuit de incendio Sodomae liberatus. Duo quoque discipuli, qui Iesum hospitio caeperunt, quem in expositione Scripturae non noverant, in panis fractione noverunt. Per hanc superflua divitum, quae congregata forte servarentur ad mortem, in necessitates pauperum erogantur ad vitam. Per hanc terrena in coelestia, et transitoria in aeterna felici commercio commutantur, dum per manus pauperum thesaurizamus in coelis, ubi nec aerugo, nec tinea demolitur, ubi fures non effodiunt, nec furantur, et facimus nobis de mammona iniquitatis amicos, qui cum defecerimus, in aeterna tabernacula nos admittant. Haec igitur attendentes, hospitale vestrum, quod non solum pro nostra, sed praedecessorum ac successorum et fratrum nostrorum episcoporum, presbyterorum atque diaconorum Romanae Ecclesiae cardinalium tam vivorum, quam etiam defunctorum salute apud Sanctam Mariam in Saxia, locum utique satis idoneum ad hospitalitatis officium exercendum eleemosynis Ecclesiae Romanae solemniter est constructum, in quo recipiuntur et reficiuntur pauperes et infirmi, et exhibentur alia opera pietatis, ad exemplar felicis recordationis

Hospitale S. Spiritus in Saxia recipit sub protectione Sedis Apostolicae.

Innocentii Papae praedecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut regularis ordo qui secundum Deum, et institutionem fratrum hospitalis Sancti Spiritus ibidem institutus esse dignoscitur, perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Hoc tamen adiecto, ut in eadem Ecclesia quatuor semper ad minus sint clerici regulam eiusdem hospitalis professi, qui pro nobis et praedecessoribus ac successoribus, et fratribus nostris vivis pariter ac defunctis specialiter obsecrantes, omnia spiritualia liberaliter amministrent, et super his nullius nisi Romani Pontificis correctioni subiaceant, ad quem quoties expedierit, monitione praemissa, charitativa fiat a fratribus proclamatio propter Deum, ut ipse cognita veritate decernat quod suo prudenti consilio duxerit providendum. Ipsi autem victu et vestitu contenti, quem eis secundum eamdem regulam praecipimus exhiberi, divinis vacent officiis, et intendant ecclesiasticis sacramentis, ita quod de aliis hospitalis negotiis praeter concessionem magistri se nullatenus intromittant, sed omnia dispositioni tuae, fili magister, et successorum tuorum, vel eorum, qui per te, vel per eos ad haec fuerint deputati, sine contradictione ac murmuratione relinquant. Caeterum cum unionem eiusdem hospitalis, et Sancti Spiritus in Montepessulan. vobis et hospitali vestro in spiritualibus et temporalibus perniciosam cognovimus et damnosam, ipsam de fratrum nostrorum consilio providimus dissolvendam. Statuentes ut nec istud illi, nec illud isti in aliquo teneatur, nec vobis et illis aliquid sit commune, non obstante privilegio dicti praedecessoris nostri, vel nostro, si quod super unione ipsa apparuerit impetratum. Caeterum cum ecclesia Sanctae Mariae in Saxia, et hospitale constructum ibidem ad nos nullo pertineat mediante, salvo quod clerici eius-

De numero clericorum ibidem servientium:

Eorumque officio.

Dissolvit ab eo hospitale Montispessulan.

Magistrum soli Romano Pontifici subiectum declarat.

dem Ecclesiae debent ex nostro mandato basilicae Principis Apostolorum in scrutinio, baptismo, et letania, ne disparis conditionis praeferatur homo eidem, et servus, qui alii domino stet, aut cadat, praeponatur hospitali praedicto, quod nostrae tantum est iurisdictioni subiectum; personam tuam, fili magister, et successorum tuorum a quorumlibet praelatorum eximimus potestate, ut nullus in te vel eos interdicti, vel excommunicationis sententiam sine mandato Apostolicae Sedis audeat promulgare, quam si aliter prolata fuerit, decernimus non tenere.

Fratribus in loca interdicto subiecta venientibus pulsandi campanas dat facultatem: aliaque concedit privilegia.

Si qui vero fratrum vestrorum, qui destinati fuerint ad eleemosynas colligendas, in quamlibet civitatem, castellum, vel villam advenerint, si forte locus ille a divinis fuerit officiis interdictus, pro omnipotentis Dei reverentia in eorum adventu iucundo semel in anno pulsatis campanis aperiantur ecclesiae, ut super eleemosynis acquirendis verbum exhortationis ad populum in ecclesia proponatur. Decernimus insuper ut receptores fraternitatum, sive collectarum vestrarum, salvo iure dominorum suorum, in beati Petri et nostra protectione consistant, et pace in terris quibus fuerint potiantur. Simili etiam modo sancimus, ut quicumque in vestra fuerit fraternitate receptus, si forsan parochialis Ecclesia, cuius ipse parochianus extiterit, a divinis fuerit officiis interdicta, eumque mori contigerit, ipsi sepultura ecclesiastica non negetur, nisi excommunicatus vel nominatim fuerit interdictus. Decimas autem de terris et vineis, quas ad opus infirmorum et pauperum propriis manibus aut sumptibus colitis de terris habitis ante concilium generale, sive de nutrimentis animalium, seu de fructibus hortorum vestrorum nullus exigere vel extorquere praesumat. Liceat autem vobis in domibus vestris, quas in praesentiarum habetis, vel in futurum eritis habituri ad opus vestrum et familiae vestrae, necnon infirmorum et pauperum ibidem manentium, oratorium et cimiterium sine impedimento cuiuslibet contradictionis habere. Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, a dioecesanis suscipietis episcopis siquidem catholici fuerint, et communionem sacrosanctae Romanae Sedis habuerint, et ea vobis sine pravitate aliqua voluerint exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatur impendat. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat in Ecclesiis vestris, clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Liceat quoque vobis liberas et absolutas personas e saeculo fugientes ad conversionem recipere, et eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in locis vestris professionem fas sit absque magistri sui licentia inde discedere nisi arctioris religionis obtentu. Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus penitus audeat retinere.

De fratribus amovendis.

Si qui vero fratrum vestrorum post factam professionem turbatores religionis vestrae, vel inutiles fuerint fortassis inventi, liceat tibi, fili magister, et successoribus tuis eos cum assensu et consilio sanioris partis capituli amovere, ipsisque dare licentiam ad alium ordinem, ubi secundum Deum vivere valeant transeundi, et loco eorum alios subrogandi, qui unius anni spatio in vestra societate probentur, quo peracto, si mores eorum exegerint, et ipsi utiles fuerint ad servitium hospitalis inventi, professionem faciant regularem. Ad haec districtius inhibemus ne a te, fili magister, vel successoribus tuis, et fratribus hospitalis eiusdem exigat ulla ecclesiastica saecularisve persona fidelitates, homagia, iuramenta, vel securitates reliquas, quae

a laicis frequentantur. Postremo decimas, quas consilio et assensu episcoporum a clericis vel laicis potueritis obtinere, illasque quas, consentientibus dioecesanis episcopis et clericis ad quos pertinent, acquiretis, auctoritate vobis apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat praedictum locum temere perturbare, vel possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac substentatione concessa sunt usibus omnimomdis profutura, salva in omnibus Apostolicae Sedis auctoritate. De caetero successores nostros obsecramus, et obtestamur in Christo Iesu, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, ut locum vestrum cum personis et rebus ad hospitalitatis officium deputatis tamquam speciales patroni specialiter foveant et defendant, cum etsi caeteris piis locis teneantur ex apostolicae servitutis officio providere: huic tamen hospitali quod de bonis Ecclesiae Romanae fundatum est et dotatum, et tam nostris, quam successorum nostrorum diebus credimus ampliandum, curam debent impendere specialem. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei, ac Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Decret. immunitatum.

Rom. Pontifices adhortatur, ut ei praesto sint

Clausulae

Dat. Laterani per manum Raynerii sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarii, tertio idus maii, indictione quinta, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo decimoseptimo, pontificatus vero domini Honorii Papae tertii anno primo.

Dat. die 13 maii 1217, pontif. anno I.

XI.

Exhortatio ad omnes Galliarum praelatos, ut pro anniversariis adimplendis in cathedralibus et conventualibus Ecclesiis diebus festis et aliis, alia missa decantanda praetermitti non debeat (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Caussae decreti huius. — Mandat Galliae praelatis ut pro anniversariis adimplendis alias missas decantandas non praetermittant.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis et universis aliis Ecclesiarum praelatis, et clericis per Franciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Cum creatura non habeat quid pro meritis respondeat Creatori, qui ut eam de corruptionis eriperet servitute, ac in libertatem filiorum vocaret, servi formam suscipiens tradidit semetipsum, nec desinit ei naturalia et gratuita beneficia elargiri; non est, unde quis se debeat ab obsequiis excusare divinis, praesertim ad quae pro certis stipendiis, quae recepit, se professione facta specialiter obligavit, quaeve fideliter exequendo, quamvis solvat debitum, salutis propriae profectum prosequitur incomparabile sibi exinde meritum comparando. Nam etsi dives in omnibus Dominus non nisi pro nobis egeat bonis nostris; beneplacitum tamen est ei, ut creatura se totam impendat in laudibus Creatoris, quia de perceptis beneficiis gratias exhibens, po-

(1) Ex Regest. Vatic.

tiora beneficia sumere mereatur: secus agentibus reputatis ingratis, quorum spes tanquam lanugo tabescit, et quasi spuma gracilis, quae degitur a procella (1). Caeterum licet omnes omnino cuiuscumque conditionis aetatis vel sexus teneantur nomen Domini collaudare, clerici tamen ad id ita specialiter sunt ascripti, quod non solum suas, sed etiam populi vices in hoc exequi quasi stipendiario iure teneantur, utpote qui, facti funiculus haereditatis Domini, ecclesiastica beneficia, quae Christus in suo Sanguine acquisivit, propter hoc præcipue assequuntur, assequuturi maiora, si iniunctum sibi ministerium exequi student fideliter et devote, non subducentes se a divinis obsequiis, ut remissi, cum maledictus sit homo, qui opus Domini fecerit negligenter. Sane accepimus, sed minime acceptamus, quod in partibus vestris, multiplicatis anniversariis defunctorum, ex quibus ea celebrantibus commodum obvenit temporale, quidam in cathedralibus et conventualibus ecclesiis praetextu missae semel in die pro anniversario celebratae sacra missarum solemnia quae ratione diei vel festi solent solemnius celebrari, culpabili negligentia praetermittunt, quasi non sint obligati Domino ad utrumque, ne inde his sibi praeiudicium generetur, vel Dominus forte pro tantis obsequiis non sufficeret eis aequa vicissitudine respondere. Certe verendum est, ne qui tam nequam negligentia laborare noscuntur in obstinatam malitiam prolabentes, et si non voce, quod est gravius, facto dicant: Quis est Dominus, ut serviamus ei? tamquam testa contra figulum cogitet, et contra levantem eam virgula elevetur. Cum igitur Ecclesia Gallicana per Dei gratiam tamquam lucerna super candelabrum posita luceat aliis per exemplum, qui videntes opera eius bona glorificant Patrem coelestem; ne, quod absit, tantae negligentiae tenebris obumbretur, et alias consequenter obumbret; universitatem vestram rogandam duximus, et monendam per apostolica vobis scripta firmiter praecipiendo mandantes, quatenus universi et singuli proinde attendentes quod servire Deo regnare est; nullum in vos torporem negligentiae, sicut hactenus, obrepere permittatis, quo minus, et pro anniversariis defunctorum, et pro festo, vel feria secundum temporum congruentiam, missarum solemnia conventualiter celebretis, et faciatis conventualiter celebrari, ut sic quodammodo sine intermissione orantes, ab eo mereamini exaudiri, qui adest omnibus in veritate invocantibus nomen suum.

Causas decreti huius.

Mandat Galliae praelatis ut pro anniversariis adimplendis alias missas decantandas non praetermittant.

Datum Anagniae quarto nonas iulii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 4 iulii 1217, pontif. anno I.

(1) Legendum forsitan *dispergitur*.

XII.

Infeudatio Marchiae Anconitanae Azzoni VII, marchioni Estensi, sub annuo censu centum librarum Provinien. monetae Apostolicae Sedi persolvendo (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Infeudatio Marchiae Anconitanae Azzoni VII. — Conditiones, seu pacta. — Firmitas concessionis. — Honorii PP. — et S. R. Eccl. card. subscriptiones.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Azzoni Anconitano, et Estensi marchioni, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sinceritas devotionis, et fidei, quam ad nos, et Romanam Ecclesiam clarae memoriae Azzo marchio pater tuus probatus est habere, promeruit, ut ad tuum commodum et honorem efficaciter intendamus, cum per illius discretionis prudentiam, et strenuitatis virtutem eidem Ecclesiae commoda magna provenerint, et per tuae quoque probitatis industriam multa sperentur authore Domino proven-

(1) Edidit Muratorius, Antiquit. Estens., parte I, cap. XLII.

Infeudatio Marchiae Anconitanae Azzoni VII.

tura. Ut ergo te ad eius obsequium fortius astringamus, de communi fratrum nostrorum consilio Marchiam Anconitanam in rectum tibi feudum concedimus, in qua istae sunt civitates, cum comitatibus, seu dioecesibus suis, Ancona, Asculum, Humana, Firmum, Camerinum, Auximum, Hesis, Senogallia, Fanum, Pensaurum, Callis, et Forum Sempronii, quae omnia, sicut praedictum est, cum iurisdictione, districtu, honore et dominatu, et aliis ad nos temporaliter pertinentibus, in rectum tibi feudum concedimus, sub annuo censu centum librarum Proviniensis monetae Sedi Apostolicae persolvendo, ita quod quandocumque ac ubicumque per totum ipsius Ecclesiae patrimonium a mari usque ad mare, et a Ridacofano usque ad Ceparanum requisitus fueris, nobis cum centum militibus sumptibus tuis uno integro mense per annum, tempore veniendi et recedendi minime computato. . . . ipsamque Marchiam a Sede dumtaxat Apostolica recognosces, cuius iuris et proprietatis existit, et de illa contra omnem mortalem facies pacem et guerram ad mandatum ipsius. Nos ergo dilectum filium nobilem virum Othonem Ramberti procuratorem tuum ad hoc specialiter destinatum, pro te de Marchia ipsa solemniter investivimus per vexillum, ita quod tempore congruo ad nostram accedas praesentiam ligium nobis in manibus nostris facturus dominium, et fidelitatis iuramentum personaliter praestiturus. Ne igitur haec nostra concessio in dubium revocetur, sed debitam potius obtineat firmitatem, eam per praesentis privilegii paginam confirmamus, statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Conditiones, seu pacta

Firmitas concessionis

Honorii PP. et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Ego Honorius catholicae Ecclesiae episcopus.

Ego Nicolaus Tusculanus episcopus.

Ego Peregrinus Albanensis episcopus.

Ego C. . . Th. Portuensis, et S. Rufinae episc.

Ego Leo tituli Sanctae Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis.

Ego Petrus Sanctae Pudentianae tituli Pastoris presbyter cardinalis.

Ego Robertus tituli Sancti Stephani in Monte Coelio presbyter cardinalis.

Ego Stephanus basilicae Duodecim Apostolorum presbyter cardinalis.

Ego Gregorius tituli S. Anastasiae presb. card.

Ego Thomas tituli Sanctae Sabinae presb. card.

Ego Guido Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis.

Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis.

Ego Gregorius Sancti Theodori diaconus cardinalis.

Ego Raynerius Sanctae Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis.

Ego Romanus Sancti Angeli diaconus card.

Ego Stephanus Sancti Adriani diaconus card.

Ego Aldebrandinus S. Eustachii diaconus card.

Ego Ægidius Sanctorum Cosmae et Damiani diaconus cardinalis (1).

---

(1) Quamvis chronologici desiderentur caracteres, ab ipso tamen infeudationis huiusmodi instrumento, ab eodem Muratorio relato, *loc. cit.*, confectoque coram S. R. E. cardinalibus, in cuius fronte haec verba leguntur: Anno a Nativitate D. N. I. C. MCCXVII, eodem anno datum crediderim pontificium diploma ab Honorio PP. III, qui quadriennio post, anno scilicet 1221, ***Rectoribus et populis Anconitanae, et Humanatis civitatum, et Recanatensis, castelli Ficardi, Cinguli et Monticuli castrorum*** eiusdem ***Marchiae Anconitanae*** literas dedit, ut ***Azzoni tamquam domino et vicario,***

ac nuntiis eius .... de iustitiis suis sine difficultate responderent. Laudatum infeudationis instrumentum subiicio.

In nomine Domini. Amen.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi millesimo ducentesimo decimoseptimo, pontificatus domini Honorii PP. tertii primo, die decimotertio intrante, mense aprilis, indictione quinta, in praesentia et testimonio rogatorum testium infrascriptorum, coram cardinalibus scilicet dominis G. P. Albanensi, et C. Portuensi episcopis, necnon domino L. tituli Sanctae Crucis in Hierusalem, domino P. Sanctae Pudentianae, domino S. basilicae Duodecim Apostolorum, domino R. tit. Sancti Stephani in Coelio Monte, domino Th. tituli Sanctae Sabinae, et domino I. de Columna tituli S. Praxedis presbyteris cardinalibus, et domino G. Sancti Nicolai in Carcere, domino Sancti Theodori, domino S. Sancti Adriani, domino R. Sancti Angeli, domino Aldebrandino Sancti Eustachii, domino Ægidio Sanctorum Cosmae et Damiani diaconis cardinalibus, dominus Honorius Papa tertius de consensu et consilio fratrum suorum praedictorum cardinalium investivit per vexillum beati Petri Othonem Ramberti de tota Marchia Guarnerii nomine et vice marchionis Azzonis Estensis recipientem pro eo, procuratoris nomine, sicut investiti fuerunt pater et frater dicti Azzonis per Ecclesiam Romanam, cum omnibus rationibus et libertatibus, iuribus et honoribus eiusdem Marchiae, scilicet ad voluntatem dicti marchionis, et matris suae comitissae.... de spiritualibus ab eadem Marchia perceptis debeat respondere domino Papae et Ecclesiae Romanae, de omnibus vero temporalibus fructibus debeat respondere dicto marchioni et matri suae, et quod dictam Marchiam tenebit et salvabit ad voluntatem dicti marchionis et matris suae pro Ecclesia Romana. Et cum dictus marchio ad maiorem accesserit aetatem, quod ipse in propria persona debeat visitare Curiam Romanam, et iurare fidelitatem domino Papae et Ecclesiae Romanae pro dicta Marchia; et haec omnia attendere et observare dictus Oddo tacto libro corporaliter iuravit.

Testes rogati.

Dom. Willelmus marchio Montisferrati.
Dom. Salinguerra de Ferraria.
Dom. Iohannes Capotius Romanus.
Dom. Paganus de Saviola.
Dom. Suxinellus de Ferraria.
Dom. Ugolinus Sancti Iohannis.
Dom. presbyter de Placentia.
Dom. Guido Nisnelli de Regio.
Dom. Alizius de Regio.
Petrus Capotius Hostiarius domini Papae.
Petrus Nicolaus Sotio suo.
Zapulinus notarius de Ferraria.

Actum in Palatio Lateranensi in consistorio feliciter.

Ego Thomas, qui vocor Aizardus, domini Othonis imperatoris notarius, interfui, audivi et scripsi.

XIII.

Confirmatio iurium omnium, ac privilegiorum a Romanis Pontificibus Albanensi Ecclesiae concessorum (1).

SUMMARIUM

De episcopis Pontifici collateralibus. — Iura Albanen. Ecclesiae confirmat. — Clausulae. — Honorii PP. — et S. R. Eccl. card. subscriptiones.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Pelagio Albanensi episcopo, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Etsi omnes unum corpus sumus in Christo, singulis autem alter alterius mem-

(1) Ex Regest. Nicolai IV edidit Ughell., Ital. Sac., tom. I.

bra, quia tamen non omnia membra actum habent eundem, sed capiti suo alterius vicibus et variis officiis obsequuntur, iis tamquam principalibus honor est abundantior deferendus, quae capiti sunt ipsa corporis dispositione vicina, et interiorem mentis conceptum facilius et expeditius per exteriores actiones exponunt. Sane licet Sedes universos, quos episcopalis apex dignitatis extollit, in partem creditae sibi sollicitudinis evocavit, eos tamen, qui sibi collaterales existunt, suo specialius obsequio deputavit, quibus sua saepius secreta communicans cum ipsis interdum, et interdum per ipsos in spiritualibus et temporalibus exequitur vices suas.

De episcopis Pontifici collateralibus.

Cum igitur Albanensis civitatis antistes magnum locum obtineat inter eos, et ex institutione praedecessorum nostrorum, et consuetudine approbata Romano Pontifici familiaris semper et collateralis existat, te qui ex vocatione divina civitatis ipsius cathedram conscendisti, specialius honorare proponimus, et in tuis te petitionibus exaudire. Ea propter, venerabilis frater in Christo, tuis precibus annuentes, ad exemplar felicis recordationis Innocentii Papae praedecessoris nostri civitatem Albanensem cum burgo Thermis, monte qui dicitur Sol et Luna, palatio et omnibus appenditiis suis ad ius et proprietatem Sedis Apostolicae pertinentibus, immo etiam cum omni iure nostro tam in comitatu, castellania, et moneta, quam fidelitatibus et dominio, futuris bannis, placitis, plateatico, guerra, pace, hoste, cavalcada, glandatico, herbatico, ruspatico, pratis, vineis, nemoribus, terris cultis et incultis, et aliis manualibus nostris sive in terris, sive in aquis, et iure quod habemus in ecclesiis eiusdem civitatis pro charatis vini, et si quae alia ad regalia nostra pertinere noscantur, tibi et successoribus de fratrum nostrorum consilio concedimus, confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Iura Albanen. Ecclesiae confirmat.

Clausulae.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Albanensem Ecclesiam temere perturbare *etc.* Si qua igitur in futurum *etc.*, usque praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Honorii PP.

Ego Honorius catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones

Ego Guido Praenestinus episcopus subscripsi.

Ego Cynthius Portuensis, et Sanctae Rufinae subscripsi.

Ego Petrus Sabinensis episcopus subscripsi.

Ego Leo tituli Sanctae Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Robertus tituli Sancti Stephani in Monte Coelio presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius tituli Sanctae Anastasiae presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Stephanus basilicae Duodecim Apostolorum presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Thomas tituli Sanctae Sabinae presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Guido Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius S. Theodori diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Stephanus Sancti Adriani diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Aldebrandinus Sancti Eustachii diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Ferentini, per manum Raynerii sanctae Romanae Ecclesiae vice-cancellarii, nono kalendas augusti, indictione quinta, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo decimoseptimo, pontificatus vero domini Honorii Papae tertii anno secundo.

Dat. die 24 iulii 1217, pontif. anno II.

XIV.

Publicatio processuum contra Fanenses ecclesiasticae libertatis perturbatores, ac episcopalis dignitatis invasores (1).

SUMMARIUM

Fanensium flagitia — Forosempronien. Ecclesiam excindunt: — Fanensis Ecclesiae ledunt libertatem. — Monitio ab episcopo potestati et populo facta, vana. — Nova scelera. — Episcopus civitatem interdicto subponit. — Potestas flagitia flagitiis addit. — Episcopi constantia. — Legatus ap. excommunicatos declarat Fanenses. — Sententiam confirmat Pontifex. — Episcopis mandat, ut hanc publicent sententiam.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus episcopis per Marchiam Anconitanam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Fanensium flagitia.

Prophani Fanensium actus innuunt, immo manifeste declarant illos esse timore ac amore divini nominis vacuos, et quod inviti ac dolentes dicimus reprobos circa fidem, cum in Ecclesias ac in ecclesiasticos viros saevitias illas exerceant a quibus abstinet etiam feritas paganorum. Illi enim Loca Sancta cum peccatis exigentibus traduntur in manibus eorumdem, sine reverentia tenent, et forte rituum suorum polluunt immunditiis, hi autem ea penitus dissipant, et evertunt, sicut ruinae Forosemproniensis Ecclesiae protestantur.

Forosempronien. Ecclesiam excindunt.

Cum vero expectaremus, ut iidem Fanenses recurrentes ad proprias conscientias, et offensam Dei ac Sedis Apostolicae cogitantes saluti animarum suarum consulere, ut satisfaciendo de impietatis huiusmodi sacrilegio, et absolvi ab excommunicationis sententia, quam propter hoc sunt ligati, humiliter postulando; ipsi quasi contra Deum, et salutem propriam coniurarint, ecce manus impias converterunt in viscera Fanensis Ecclesiae Matris suae, primo Ecclesiae ipsius hominibus exactiones indebitas et insolitas imponere molientes, et eamdem Ecclesiam, quae illos in libertatem filiorum Dei, quantum in ipsa est, genuit, satagentes subiicere servituti.

Fanensis Ecclesiae ledunt libertatem.

Cumque venerabilis frater noster Fanensis episcopus Albergettum potestatem et communitatem Fanensem rogaret ac moneret benigne, ut ab huiusmodi gravaminibus abstinerent, cum eiusdem Ecclesiae homines ab eorum collectis permansissent hactenus liberi et immunes, et ipse qui crucesignatus est gaudere deberet immunitatis privilegio crucesignatis indulto, monitionibus praedictis adiiciens, ut iuxta statuta generalis concilii revocarent sanctiones iniquas praesumptas contra ecclesiasticam libertatem; praefatus Albergettus obturans eius iustis et salubribus monitis aures suas, ac totos sensus suos exacuens in eiusdem episcopi iniuriam et gravamen, quemdam ipsius baiulum, qui pro eo quod in commissa sibi amministratione se infideliter gesserat, ad dandum eidem quamdam pecuniae quantitatem semetipsum astrinxerat, datis fideiussoribus, et praestito iuramento novo potentiae genere, ab ipso iuramento absolvit, fideiussoribus datis ab eo nihilominus absolutis, ac deinde fecit per civitatem voce praeconis interdici, ne quis ipsi episcopo vel eius familiae loqueretur, aut eis quidquam vendere attentaret, et sic coegit eumdem cum tota familia sua viginti duobus diebus quasi obsessum in solis vivere leguminibus nullo audente coquere sibi panem aut aliquid ministrare, ipsisque non audentibus palatium egredi metu mortis.

Monitio ab episcopo potestati et populo facta vana.

Nova scelera.

Fama igitur per partes vicinas huius impietatis saevitiam nunciante, venerabiles fratres nostri Anconitanus et Senogallien. episcopi, ac prior Fontis Avellanae, aliique viri religiosi moti compassionis affectu, ad civitatem praedictam personaliter accesserunt, in quorum manus et arbitrium post longos tractatus concordiae idem episcopus praecise ponere noluit totam huiusmodi quaestionem, sed dictus Albergettus haec

(1) Ex Regest. Vatic.

et alia, quae praefati episcopi et religiosi rationabiliter proponebant prorsus audire contemnens, iterum praesente dicto Senogallien. episcopo fecit per civitatem praeconis voce clamari, ut nullus loqueretur iam dicto Fanen. episcopo, aut aliquod exerceret commercium cum eodem, et praesumptioni praesumptionem, ac furori furorem adiiciens, inhibuit sub poena banni, et vinculo iuramenti, ut nullus missam, praedicationem, vel officium aliquod audiret episcopo saepedicto praesente, ut sic ordine perturbato, ipsum episcopum excommunicasse quodammodo videretur. Videns ergo idem episcopus locum amplius dissimulationi non esse, cum dictus Albergettus de die in diem fieret insolentior, et gravaminibus gravamina cumularet, in ipsum et iudicem, ac totam familiam eius excommunicationis, et in civitatem praedictam interdicti sententias promulgavit. Porro cum dilectus filius Andreas subdiaconus et cappellanus noster tunc in partibus illis officium legationis exercens, praefato episcopo, et quibusdam aliis convocatis, in ipsos Fanen. et eorum complices pro destructione praedictae Forosempronien. Ecclesiae excommunicationis sententiam protulisset, saepedictus Albergettus per nuncios suos mandavit ipsi episcopo a praesentia dicti legati reverso, ut excommunicationis et interdicti sententias, quas in ipsum, et iudicem, ac familiam suam, et civitatem Fanen. protulerat, ac aliam quoque latam in mulierem quandam pro eo, quod quandam Ecclesiae suae domum contra iustitiam detinet violenter, sine conditione qualibet relaxaret, nec impediret, quo minus ipsius Ecclesiae homines impositam sibi collectam exolverent, et de statutis concilii toto tempore sui regiminis intentionem non faceret, vel in aliquem eius iurisdictioni subiectum excommunicationis sententiam promulgaret. Cumque idem episcopus nolens eius malitiae consentire, offerret eidem, quod super his omnibus in aliquos viros ecclesiasticos compromitteret, et eorum arbitrium sine refragatione qualibet observaret, dictus Albergettus verbis iustitiam vel aequitatem sonantibus obturans aures et animum more, ac de malo in peius corruendo, demonstrans se super talentum plumbi cum iniquitate sedere, sacristiam Fanensis Ecclesiae, in qua erant corpora Sanctorum, indumenta, libri, et caetera ecclesiastica ornamenta, cum capella, et quibusdam aliis rebus ipsius episcopi, ac Hostia (1) universa canonicae securibus frangi fecit, ac res ibidem inventas conscribi, et canonicos de ipsa canonica eiici, subtractis eisdem omnibus alimentis. Deinde ministri eiusdem in episcopale palatium irruentes, et cameram ipsius episcopi frangentes securibus, scrinia, in quibus privilegia et instrumenta episcopatus posita erant, penitus confregerunt, ac expulerunt cappellanum et omnes servientes ipsius episcopi de palatio, et solo inter Sathanae satellites remanente, quorum unus adhuc humanitatis aliquid retinens sibi dixit in aure, quod praefatus Albergettus eum mutilare firmiter proposuerat, si ea nocte in ipso palatio remaneret, unde idem episcopus de viro iniquitatis merito iniqua praesumens, statim fugit ad altare maioris Ecclesiae vestimentis et calceamentis omnibus, quod etiam dicere pudor est, spoliatus: ibique cum septem de ipsius loci canonicis et eorum familia permansit tribus diebus et noctibus sine pane, vino, aqua, et omnibus alimentis, valvis Ecclesiae confixis clavis ferreis de foris, ne ipsis pateret egressus, et custodibus deputatis circa ipsam Ecclesiam ne per fenestras panis, aut edulium aliud inferretur. Postremo idem episcopus in huiusmodi mortis angustia positus, facta protestatione coram ipso altari, et canonicis antedictis, ne praeiudicaret Ecclesiae quod tam certo mortis metu facere cogebatur, consensit, ut mortem effugeret, dicti Albergetti petitionibus supradictis. Praefa-

Episcopus civitatem interdicto subponit.

Potestas flagitiis flagitiis addit.

Episcopi constantia.

(1) Legendum putamus ostia.

Legatus apost. excommunicatos declarat Fanenses.

tus vero legatus cum haec ad aures eius impietas pervenisset, ad Senogalliensem civitatem festinus accedens, in ipsum potestatem, et totum consilium civitatis Fanensis solemniter promulgavit excommunicationis sententiam, salva ea quam pro facto praefatae Forosemproniensis Ecclesiae tulerat in eosdem. Licet igitur poena severior tantis deberetur excessibus, nos tamen mitiori utentes, ad praesens praefati legati sententiam auctoritate apostolica roboramus, et civitatem praedictam districtissimo subiicimus interdicto. Adiicentes, ut praefatus Albergettus et complices eius, etiam finito sui regiminis tempore, nihilominus eadem sententia teneantur, nec ab ea possint absolvi, nisi personaliter propter hoc ad Sedem venerint Apostolicam, nisi forsan in mortis articulo constituti; uxorem quoque, ac familiam eius sententiae subiicimus interdicti, auctoritate praesentium inhibentes, ut quandiu saepedictus Albergettus in aliqua civitate, castello, seu villa personaliter fuerit, nullus ibi divinum praesumat officium celebrare, et si quis ei alicuius obligationis vinculo est astrictus non teneatur eidem sic ligato aliquatenus respondere. Ad haec sub poena excommunicationis districtissime inhibemus, ne aliqua civitas, castellum, seu villa saepedictum Albergettum ullo unquam tempore in rectorem, seu potestatem assumat, sententias si quas forte idem, vel aliquis auctoritate ipsius protulerit, quamdiu fuerit sic ligatus, decernentes irritas, et inanes, nullo unquam tempore valituras: sub poena etiam excommunicationis districtius inhibemus, ne quis cum Fanensibus antedictis, donec super praemissis eidem episcopo, et Fanensi Ecclesiae congrue satisfecerint, aliquod praesumat commercium exercere.

Sententiam confirmat Pontifex.

Episcopis mandat, ut hanc publicent sententiam.

Ideoque universitati vestrae per apostolica scripta in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus singuli per civitates et dioeceses vestras singulis diebus dominicis et festivis per vos et subditos vestros haec solemniter publicantes, ea praecipiatis, et faciatis, quantum in vobis fuerit, firmiter observari. Denuntietis etiam eisdem Fanensibus quod si diu in sua contumacia perduraverint, poterunt non immerito formidare ne civitatem ipsorum episcopali dignitate privemus, ut in quo deliquerunt iusto iudicio puniantur, et eorum insolentiam comprimamus potentia brachii saecularis.

Datum Ferentini, septimo kalendas octobris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 25 septembris 1217, pontif. anno I.

XV.

Confirmatio privilegiorum et libertatum iudaeis concessorum (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Protectionem suam iudaeis spondet Honorius. — Eos nonnisi volentes ad Baptismum admitti statuit. — Molestias eis inferri vetat. — Firmitas decreti huius.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis fidelibus christianis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sicut iudaeis non debet esse licentia in synagogis suis, ultra quam permissum est lege praesumere, ita in his, quae eis concessa sunt, nullum debent praeiudicium sustinere. Nos ergo, licet in sua magis velint duritia perdurare, quam prophetarum verba, et suarum Scripturarum arcana cognoscere, atque ad christianae fidei et salutis notitiam pervenire, quia tamen defensionem nostram et auxilium postulant, ex christianae pietatis mansuetudine praedecessorum nostrorum felicis memoriae Calixti, Eugenii, Alexandri, Clementis, Coelestini, et Innocentii Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, ipsorum petitionem admittimus, eisque protectionis nostrae clypeum indulgemus. Statuimus etiam, ut nullus christianus invitos, vel nolen-

Protectionem suam iudaeis spondet Honorius

(1) Ex Regest. Vatic.

tes eos ad Baptismum per violentiam venire compellat, sed si eorum quilibet sponte ad christianos fidei causa confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, christianus absque aliqua efficiatur calumnia. Veram quippe christianitatis fidem habere non creditur, qui ad christianorum Baptisma non spontaneus, sed invitus cognoscitur pervenire. Nullus etiam christianus eorum personas sine iudicio potestatis terrae vulnerare, aut occidere, vel suas illis pecunias auferre praesumat, aut bonas, quas hactenus in ea, in qua habitant regione, habuerint consuetudines immutare. Praeterea in festivitatum suarum celebratione quisquam fustibus vel lapidibus eos ullatenus non perturbet, neque aliquis ab eis coacta servitia exigat nisi ea, quae ipsi praeteritis facere temporibus consueverunt: ad haec malorum hominum pravitati et avaritiae obviantes decernimus, ut nemo caemeterium iudaeorum mutilare vel minuere audeat sive obtentu pecuniae corpora humata effodere. Si quis autem, decreti huius tenore cognito, temere, quod absit, contraire tentaverit, honoris et officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis ultione plectatur, nisi praesumptionem suam digna satisfactione correxerit. Eos autem dumtaxat huius protectionis praesidio volumus communiri, qui nihil machinari praesumpserint in subversionem fidei christianae.

Eos nonnisi volentes ad Baptismum admitti statuit.

Molestias eis inferri vetat.

Firmitas decreti huius.

Datum Laterani, per manum Raynerii sanctae Romanae Ecclesiae vice-cancellarii, septimo idus novembris, indictione quinta, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo decimoseptimo, pontificatus vero domini Honorii Papae tertii anno secundo.

Dat. die 7 novembris 1217, pontif. anno II.

XVI.

Exhortatio ad archiepiscopum Arborensem eiusque universos Ecclesiarum provinciae suae praelatos, ut orationibus et auxiliis opportunis pro Terrae Sanctae liberatione desudent (1).

SUMMARIUM

Adversus fidei hostes orationibus prius dimicandum. — Hungariae rex in Babiloniam penetrat. — Habitae a Pontifice cum clero preces solemnes: — Eas fieri mandat omnibus Ecclesiis. — Crucesignati ut eo se conferant monendi. — Magistri Templariorum ad Honorium literae de statu Terrae Sanctae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Alboren., et universis episcopis, ac omnibus Ecclesiarum praelatis tam exemptis, quam aliis per Alboren. provinciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Adversus hostes visibiles invisibilibus armis idest orationibus dimicare veteribus exemplis instruimur, quae nostris quoque temporibus innovata, quando exercituum Dominus infidelium multitudinem bello Hispanico tradidit in manus paucorum fidelium gloriam. Ecce autem tempus quo universi fideles ad haec debent arma concurrere: ecce tempus quo cinere debent aspergere caput suum; ecce tempus quo debent in coelum lacrymarum et orationum vocibus exclamare, ut ille qui non in multitudine dimicat, innovatis signis et mirabilibus immutatis, secundum omnipotentiam, suam multitudinem in paucitate devincat. Charissimi etenim filii nostri A... Hungariae rex illustris, et Austriae ac Moraviae duces, viri utique dignitatis honore conspicui, sed non minus fidei devotione praeclari, cum nonnullis comitibus, baronibus, et alio comitatu suo, Dei munere ventis usi felicibus, lictora Hierosolymitanae provinciae feliciter attigerunt, qui attenden-

Adversus fidei hostes orationibus prius dimicandum.

Hungariae rex in Babiloniam penetrat.

(1) Ex Regest. Vatic.

tes, quod non est differentia in conspectu Dei Coeli liberare in multis aut paucis, quia non in exercitus multitudine, sed de Coelo victoria ministratur, terram Babiloniae in multitudine quidem parva, sed strenua, de superno confisi auxilio sunt ingressi; quis fidelis hoc audito lacrymis et orationibus indulgere non debeat ac ad Dominum oris et cordis vocibus exclamare, cum pars corporis nostri, quod est Ecclesia; corporis, cuius caput est Christus; corporis, cuius sumus singuli membra, forsan hac ipsa hora gloriosa pro fide Christi certamina ineat, suisque diffidens viribus, ac de sola divinae virtutis miseratione confidens, ad eam facilius impetrandam nostrarum suffragia orationum exposcat. Sane nos cum ad nostram pervenit notitiam illos terram praedictam intrasse, animam nostram effudimus coram Deo, illum pro eis in lacrymarum affluentia deprecantes, et quia de meritorum nostrorum qualitate diffidimus, tam clerum, quam populum Urbis convocavimus in basilica Salvatoris, atque inde ad venerandam gloriosae Matris eius Ecclesiam, praelatis capitibus beatorum apostolorum Petri et Pauli, pedibus nudis processionaliter ivimus, ut praefatis Iesu Christi atletis eius Genetricis obtentu supremum impetraremus auxilium, ad quod nostra non sufficere merita sciebamus. Verum quia per eos totius populi christiani negotium geritur; quare dignum est, ut ad exorandum pro eis christianus quilibet in oratione humiliter prosternatur, solemnes propter hoc processiones in singulis civitatibus, et aliis locis, in quibus est frequentia populorum, prima sexta feria cuiuslibet mensis providimus faciendas, sperantes, quod ille qui dictatam in Ninivitis sententiam, eorum humiliatione inspecta, misericorditer revocavit, quique uno Moyse orante pro populo Israel convertit Amalechitas in fugam, et solem Iosue precibus stare fecit, qui denique suos ad se de quacumque tribulatione clamantes se auditurum ineffabili pietate promisit, devote pulsatus tot fidelium suorum clamoribus, nequaquam continebit suae viscera pietatis, sed propter semetipsum inclinabit ad preces servorum suorum propitius aures suas, et effundens iram suam in gentes, quae non noverunt eum, et in regna, quae non invocant nomen eius, ad laudem et gloriam suam confringet cornua peccatorum. Ideoque charitati vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus haec cum devotione debita fieri faciatis, ita ut quilibet vestrum nisi iusto impedimento excusetur, intersit suis indutus insignibus, et pedibus nudis, quatenus exemplo vestro ad idem provocetur devotio subditorum. Religiosi autem in locis solitariis commorantes haec in claustris suis eo devotius exequantur, quo magis a mundanis tumultibus sunt immunes, subditos vero vestros tam mares, quam mulieres sollicite moneatis, ut ad haec facienda non in veste pretiosa, seu in alio inani cultu conveniant, sed in eo, per quem se ipsos ad devotionem mutuo provocant, ac humiliationem internam exterioris habitus humilitate demonstrent. Memores quod Ninivitae, de quibus iam sermo processit, in humiliatione sua se saccis a minore usque ad maximum induerunt, adeout ipse rex, abiecta regali purpura, se sacco indueret, et asperserit cinere, propter quod apud eum, qui humilia respicit, meruerunt misericordiam invenire. Ad haec crucesignatos omnes ad celerem succursum illorum sedulis exhortationibus animetis, et faciatis per alios ad hoc idoneos animari, ita quod in instanti passagio, Deo duce, transeant universi: iis vestrum qui muniti sunt Crucis signaculo cum illis pariter profecturis in nomine Domini Iesu Christi. Ut autem de statu Terrae vos certiores reddamus, et ad providendum, quae sunt necessaria, cautiores, tenorem litterarum, quas nuper a magistro domus Militiae Templi recepimus, praesentibus de verbo ad verbum

Habitae a Pontifice cum clero preces solemnes;

Eas fieri mandat in omnibus Ecclesiis.

Crucesignati ut eo se conferant monendi.

Magistri Templariorum ad Honorium literae de statu Terrae Sanctae.

duximus inserendum, qui talis est. Reverendissimo in Christo Domino et Patri Honorio Dei providentia sanctae Romanae Ecclesiae Summo Pontifici suorum subditorum devotissimus frater W..... de Carnoto pauperis Militiae Templi magister humilis debitam cum osculo pedum reverentiam et obedientiam paternitati vestrae statum Terrae Sanctae, quam Dominus proprio sanguine suo consecravit, praesentibus duximus intimandum. Hoc igitur vobis constet, quod ad discessum praesentium innumera peregrinorum multitudo tam militum, quam servientium vivificae Crucis insignita charactere ab Alamanici imperii, et aliorum regnorum variis partibus confluens apud Accon adventarat: Sephedinus vero Magnus Soldanus in terra Babilonis commorans ibidemque existens immobilis, de se minime confidebat. Reverebatur etenim regis Hungariae, et ducum Austriae et Moraviae adventus, qui cum copiosa multitudine militum ac servientium cleri et populi apud Accon applicuerunt: timebat etiam dictus Sephedinus navigium Frisonum, quod apud Accon in proximo applicaturum ferebatur: Corradinus vero filius eius in Marchiis nobis adiacentibus iter suum direxerat, et accessus. Et hoc vobis intimamus, quod annis pluribus retroactis non recolimus paganismum in statu fuisse debiliori, quam nunc extat, quem Pater omnipotens de die in diem permittat peiorari, sed in partibus nostris frumenti et hordei, et omnium humanae sustentationis necessariorum caritudo est maxima, seges autem fallens agricolam in hoc anno in minima quantitate fuit recollecta: expectabant indigenae etiam, quod seges de partibus afferretur transmarinis, sed minimum in hoc anno fuit apportatum. Est et aliud incommodum, videlicet super equitaturis adeo grave, quod equi nullo modo possunt venales inveniri. Quo circa universis crucesignatis ac signandis bona fide consulatis quatenus de praedictis se studeant praemunire, de quibus in partibus nostris nullum invenient consilium vel iuvamen. Caeterum sciatis, quod ante adventum regis Hungariae et ducis Austriae provisum fuit a domino patriarcha, et rege, et peregrinis, et fratribus Hospitalis, et nobis quod versus Neapolim Syriae iter arriperemus cum Corradino si nos expectaret pugnaturi. Post adventum vero praedictorum magnatum in hoc omnes unanimiter assensum exhibuimus, quatenus in manu forti per mare et terram in Babiloniam proficisceremur ad obtinendum Damiatam, ut sic cautius et provisius versus Sanctam Terram Hierosolymitanam iter praepararemus; omnes igitur crucesignati seu crucesignandi sollicite moneantur, ut quam maiorem poterunt secum ducant copiam victualium et equorum.

Datum Laterani, octavo kalendas decembris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 24 novembris 1217, pontif. anno II.

XVII.

Conditiones pacis servandae inter Pisanos et Ianuenses (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Inter Pisanos et Ianuenses pacem curat Honorius. — Legatum ad hoc mittit. — Procuratores utraque ex parte Romam missi. — Pacis conditiones a Pontifice propositae. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis potestatibus, et populis Pisanis et Ianuensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Miserator et misericors Dominus, qui non obliviscitur misereri, exurgat nunc imperaturus ventis et flatibus, ut fiat ex commotione tranquillitas, procella turbationis mitescat in auram, et sileant fluctus eius, cum diei malitia, et pericula temporis invalescunt: ita ut quos prae-

(1) Ex Regest. Vatic.

dixit Apostolus dies novissimos sentiamus instare, ac tempus advenit, in quo qui amici sunt sponsi, sponsae ulciscuntur iniurias, ut iugum tollatur captivitatis nostrae, ac captivae filiae Syon vincula dirumpantur. Unde cum vos ad invicem dudum commoverit fremitus tempestatis, utamini iam beneficio pacis quia homini pacifico sunt reliquiae, et pacifici Dei filii vocabuntur, et cum inter alios Christi atletas necessarii sitis succursui Terrae Sanctae potenter accingimini contra Crucis blasphemos, cum iam sit revelatio improperiorum nostrorum in ianuis, ut speramus. Sane nos, qui Eius in terris vicem gerimus, qui pacem suis discipulis nunciavit, et eam mundo reliquit, ad reformandam inter vos pacem laboravimus, et institimus bona fide, utpote qui animarum salutem et civitatum vestrarum honorem diligimus et optamus: ad quod melius peragendum olim de latere nostro venerabilem fratrem nostrum Hugonem episcopum Hostien. ad vos duximus destinandum, qui a vobis, quod super hoc mandatis nostris omnibusque faceremus, per nos seu nuncios vel literas pareatis, iuramento recepto, et utriusque partis voluntate plenius intellecta, vobis iniunxit, ut nuncios et procuratores idoneos, qui mandata nostra reciperent, ad nostram praesentiam mitteretis, et ipse postmodum ad Apostolicam Sedem rediens, nobis et fratribus nostris exposuit plene ac fideliter universa. Nos igitur per eius fidelem relationem instructi, nunciis, et procuratoribus vestris, videlicet nobilibus viris Gisberto Albigo, et Leon pro vobis Pisanis, et Huberto Spinulae, Fulconi Castelli, Daniele Doriae, et Hugone cancellario pro vobis Ianuensibus ad nos super iis ex parte vestra transmissis, in nostra praesentia constitutis, vobis sub debito iuramenti de communi fratrum nostrorum consilio praecipimus, quae sequuntur. Vos itaque, Ianuenses, postquam nuncii vestri ad propria remeabunt infra mensem custodiam Castri Bonifatii nobis, et Romanae Ecclesiae assignetis, tenendi usque ad beneplacitum nostrum per eos, quos ad hoc duxerimus deputandos, ita ut per hoc nullum Romanae Ecclesiae praeiudicium generetur (1), et vos Pisanorum nuncii statim nomine omnium Pisanorum praedictis nunciis Ianuen. pro Ianuensi civitate, et omnibus civibus Ianuensibus, et pro universis, qui sunt de eorum districtu in terra et mari, et vos Pisani pro vobis et vestris omnibus postquam nuncii vestri redierint, Ianuensibus, et suis omnibus veram, plenam et firmam pacem reddatis et imposterum conservetis, et hoc praecipimus, salvis omnibus aliis mandatis nostris super iis, quae ad pacem facere dignoscuntur, ut per nos universis demum discordiis infra tempus praefigendum a nobis Domino cooperante sopitis, pax inter vos perpetua valeat conservari, et vos Pisani pacem eamdem omnibus vestris curetis absque morae dispendio nuntiare, vosque Ianuenses nuncii nomine omnium Ianuensium dictis Pisanorum nunciis pro civitate Pisana Pisanis, et omnibus suis, et vos Ianuenses pro vobis, et vestris omnibus, sicut in Pisanis est dictum, eadem per omnia faciatis. Ad haec praecipimus vobis Pisanis, ut nobili viro Iudici Turitan., et eius filio rebusque ipsorum in terra et mari, veram, firmam, et plenam pacem reddatis, atque servetis. Omnia vero, quae a tempore nobis praestiti iuramenti sunt hinc inde ablata, vel deinceps auferri contigerit, restituere vos Pisani et Ianuenses damnum passis et patientibus procuretis, et ad id plenius exequendum post susceptionem praesentium infra mensem vos Pisani duos cives Ianuenses, et vos Ianuenses totidem Pisanos pacis amatores discretos et providos eligatis, quos post eorum electionem infra triduum, quod de manifestis infra quadraginta, et de dubiis vero post querelam propositam

Inter Pisanos et Ianuenses pacem curat Honorius.

Legatum ad hoc mittit.

Procuratores utraque ex parte Romam missi.

Pacis conditiones a Pontifice propositae.

(1) Legendum crediderim: *et vos Ianuen. nuncii statim nomine omnium Ianuen. praedictis nunciis Pisanorum pro Pisana civitate et omnibus civibus Pisanis.*

infra sexaginta dies pronuncient, et potestates, rectores, seu consules vestros, qui pro tempore fuerint, ut id quod ab illis pronunciatum fuerit faciant, post pronunciationem infra viginti dies exequtioni mandari, astringatis vinculo iuramenti. Haec autem vobis ad praesens, salvis omnibus aliis mandatis nostris, duximus iniungenda. Volumus etiam vobis Ianuensibus ius pignoris, quod in iudicatu Arboreae vos habere proponitis, salvum fore, itaut nihil consequamini ultra sortem, et ea percepta vel si iam percepistis eamdem, ipsa contenti dictum pignus absolutum absque difficultate aliqua dimittatis.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat huius nostri praecepti paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani, kalendis decembris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 1 decembris 1217, pontif. anno II.

XVIII.

Confirmatio donationis cuiusdam Ecclesiae per Angliae regem hospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe factae (1).

SUMMARIUM

Donatio a Ioanne rege facta. — Eam confirmat Pontifex. — Literae Ioannis regis. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro, et fratribus Hospitalis Sanctae Mariae in Saxia, sulutem et apostolicam benedictionem.

Donatio a Ioanne rege facta. Clarae memoriae Ioannes rex Anglorum ad preces et exhortationes felicis memoriae Innocentii Papae praedecessoris nostri Ecclesiam de Wintele, quae ratione patronatus pertinebat ad ipsum, in puram et perpetuam eleemosynam ad usum et sustentationem infirmorum ac pauperum hospitali vestro donavit, statuens et concedens, ut donec ipsa vacet Ecclesia, centum marcas annuatim ad saccarium in festo Sancti Michaelis idem percipiat hospitale. Eam confirmat Pontifex. Nos igitur ad exemplar memorati praedecessoris nostri in favorem hospitalitatis donationem et concessionem ipsam ratam habentes, eamdem Ecclesiam, salvo episcopali iure, vobis, et per vos eidem hospitali auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus: statuentes ut postquam ab eo, qui nunc possidet illam, canonice fuerit absoluta, vos per idoneum vicarium deserviatis eidem, et assignata sibi de proventibus eius congrua portione, caeteros ad hospitalitatis usum percipiatis sine contradictione cuiusquam: ad maiorem vero certitudinem huius rei tenorem literarum donationis et concessionis eiusdem regis de verbo ad verbum huic paginae duximus inserendum: Literae Ioannis regis. Ioannes Dei gratia rex Angliae, dominus Hyberniae, dux Normanniae et Aquitaniae, et comes Andegaven., omnibus ad quos praesens charta pervenerit salutem. Sciatis nos divinae pietatis intuitu, et pro salute animae nostrae, et animarum antecessorum et haeredum nostrorum, et ob reverentiam domini Papae Innocentii, cuius preces super hoc recepimus, concessisse, et praesenti charta confirmasse hospitali, quod idem dominus Papa construxit apud ecclesiam Sanctae Mariae in Saxia, quae Anglorum dicitur, et Anglorum fuit hospitio deputata ante basilicam Beati Petri positam secus stratam, centum marcas annuatim percipiendas ad saccarium nostrum in termino Sancti Michaelis quousque Ecclesia de Wintele, quam dedimus praedicto hospitali in puram et perpetuam eleemosynam ad usus et sustentationem infirmorum et pauperum eiusdem hospitalis, vacaverit: et cum vacaverit praedicta Ecclesia cessabimus in solutione praedictarum centum marcarum.

(1) Ex Regest. Vatic.

Testibus domino Herimanno archiepiscopo Cantuarien., Ernesto Helyen., Ioanne Horwicen., et Willelmo Londonien. episcopis, Guillelmo filio Petri comitis Effexini, comite Willelmo marescallo, Roberto comite Leycestriae. Datum per manum Sifridi praepositi Beverlacen., et archidiaconi Wellen. apud Westien., vigesima quinta die martii, anno regni nostri quinto.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Laterani, tertio nonas ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 3 ianuarii 1218, pontif. anno II.

XIX.

Portugalliae rex, eiusque haeredes et regnum sub Apostolicae Sedis protectione suscipiuntur, cum solutione census duarum marcarum auri singulis annis (1).

SUMMARIUM

Aldefonsus rex de Ecclesia Rom. optime meritus. — Sub protectione S. A. suscipitur, eique regnum confirmatur. — Census annuus eidem Sedi persolvendus. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Aldefonso illustri Portugallensi regi, eiusque haeredibus in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Aldefonsus rex de Ecclesia Romana optime meritus. Manifestis probatum est argumentis, quod per sudores bellicos et certamina militaria inimicorum christiani nominis intrepidus extirpator, et propagator diligens fidei christianae, sicut bonus filius, et princeps catholicus multimoda obsequia matri tuae sacrosanctae Ecclesiae impendisti, dignum memoria nomen, et exemplum imitabile posteris derelinquens.

(1) Ex Regest. Vatic.

Æquum est autem, ut quos ad regimen et salutem populi ab alto dispensatio coelestis elegit, Apostolica Sedes affectione sincera diligat, et in iustis postulationibus studeat efficaciter exaudire. Proinde nos attendentes personam tuam prudentia ornatam, iustitia praeditam, atque ad populi regimen idoneam, eam ad exemplar felicis recordationis Alexandri et Clementis praedecessorum nostrorum Pontificum Romanorum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et regnum Portugalliae cum integritate honoris regni et dignitate, quae ad reges pertinet, necnon et omnia loca, quae cum auxilio caelestis gratiae de Saracenorum manibus eripueris, in quibus ius sibi non possunt christiani principes circumpositi vendicare, excellentiae tuae concedimus, et auctoritate apostolica confirmamus. (Sub protectione S. A. suscipitur, eique regnum confirmatur.) Ut autem ad devotionem et obsequium B. Petri apostolorum principis, et sacrosanctae Romanae Ecclesiae vehementius accendaris, haec ipsa praefatis haeredibus tuis duximus concedenda, eosque super iis, quae concessa sunt, Deo propitio, pro iniuncto nobis apostolatus officio defendemus. Tua itaque intererit, fili charissime, ita circa honorem et obsequium matris tuae sacrosanctae Romanae Ecclesiae humilem et devotum existere, et sic te ipsum in eius opportunitatibus, et dilatandis christianae fidei finibus exercere, ut de tam devoto et glorioso filio Sedes Apostolica gratuletur, et in eius amore quiescat. Ad indicium autem, quod praescriptum regnum beati Petri iuris existat, pro amplioris reverentiae argumento statuit illustris memoriae rex Alphonsus avus tuus duas marcas auri annis singulis nobis nostrisque successoribus persolvendas. (Census annuus eidem Sedi persolvendus.) Quem utique censum ad utilitatem nostram, et successorum nostrorum Bracharen. archiepiscopo qui pro tempore fuerit, tu et successores tui curabitis assignare.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat personam tuam aut hae-

redum tuorum, vel etiam praefatum regnum temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem regi et regno sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Clausulae.

Datum Laterani, tertio idus ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 11 ianuarii 1218, pontif. anno II.

XX.

Quod fratres ordinis Carthusien. ab eorum solitudine per neminem distrahantur, vel testimonium ferre, iuramentumve calumniae subire compellantur.

SUMMARIUM

Decernit Pontifex ne quis Carthusianos molestet, — Nec eos ad calumniae iuramentum compellat et ad testimonium ferendum.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in quorum dioecesibus sunt domus Carthusien. ordinis constitutae, salutem et apostolicam benedictionem.

Decernit Pontifex ne quis Carthusianos molestet,

Cum dilecti filii fratres Carthusien. ordinis, acceptis pennis columbae in mentis solitudinem evolarint, illicque pro suis et aliorum peccatis gemendis in ara cordis, mactatis carnalibus desideriis, holocaustum offerentes Domino semetipsos, ne pedes, quos laverant, cogantur iterum inquinare, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus quilibet vestrum parochianos suos, qui eos praesumpserint temere molestare, ut super hoc eis debitam satisfactionem impendant, monitione praemissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat.

Et quoniam iidem, ut credimus, ad calumniam proiecerunt, auctoritate praesentium inhibemus, ne quis priores, seu fratres ordinis memorati subire compellat calumniae iuramentum, nec iidem ad ferendum testimonium cogantur inviti.

Nec eos ad calumniae iuramentum compellat et ad testimonium ferendum.

Dat. Lateran., quinto idus februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 9 februarii 1218, pontif. anno II.

XXI.

Interamnensi cathedrali Ecclesiae, quae per Romanos Pontifices Spoletanae fuerat unita, episcopalis dignitas restituitur (1).

SUMMARIUM

Capituli Interamnen. preces ad Innocentium PP. pro restitutione dignitatis episcopalis. — Rationes a Spoletano episcopo in contrarium prolatae. — Series responsionum Interamnensium. — Spoletani praescriptioni immemorabili nituntur. — Iteratae Interamnensium responsiones. — Mortuo Innocentio, res acta coram Honorio: — Qui episcopalem dignitatem Interamnensibus restituit.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Petro priori, et clericis Interamnensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Ven. fratri nostro Benedicto episcopo cum quibusdam canonicis Spoletanis, et tibi, fili prior, cum clericis Sanctae Ma-

Capituli Interamnen. preces ad Innocentium PP. pro resti-

(1) Ex Regest. Vatic. edidit Ughell., Ital. Sac., tom. I. pag. 754.

tutione dignitatis episcopalis.

riae Interamnen. in bon. mem. Innocentii Papae praedecessoris nostri praesentia constitutis, pro eadem Ecclesia supplicabatur humiliter: et cum cathedralis fuit ab antiquo, ita quod inter alios gloriosos martyres Valentinum et Proculum, et Anastasium confessorem meruit habere pontifices, non obstante quod aliquanto tempore propter inopiam langueret proprii pastoris destituta solatio, restaurare dignaremur in ipsa episcopalis dignitatis honorem; quia cum per Dei gratiam, et populus satis abundet, et adeo ferveat eius devotio, quod plena manu conferentibus omnibus in communi de competenti dote, ac idoneis aedificiis providetur contra damnum, quod rerum defectus hactenus intulit, deberet suffragante iam copia restaurari, sic cessante causa, cesset effectus. Sed ad haec obiecta fuerunt: primo, longinquitas temporis, quo Interamnen. Spoletana possedit Ecclesia tanquam suam, cuius dicebatur memoria non extare; secundo, concessiones quorumdam Romanorum imperatorum, quorum unus comitatum civitatis Interamnensis, et alius monasteria et quasdam ecclesias civitatis eiusdem Spoletanae videbatur Ecclesiae concessisse. Tertio, confirmationes quorumdam Romanorum Pontificum, qui concessiones imperatorum, et specialiter plebis Sanctae Mariae Interamnensis, ut privilegiorum verbis utamur, inter alia Spoletano episcopo conservabant. Quarto, quod olim inter Spoletanum episcopum, et clericos Ecclesiae vestrae talis compositio intervenit, ut nullum ad beneficium, sive partem beneficii reciperent, sine ipsius assensu, et quod eadem annuatim hospitia duo darent, ut studerent, ac praedicarent, ut Interamnenses laici solverent decimas et mortuaria episcopo Spoletano, et quae tria, tam in Ecclesiis, quam clericis, et laicis ius episcopale recognosci eidem episcopo dicebatur. Ad quae fuit a vobis responsum. Primo, quod si Spoletanus episcopus Interamnensem Ecclesiam Spoletanae subiectam ab antiquo fuisse, proponeret, praeteriti cursum quantumcumque temporis allegaret, quasi obstaculum praescriptionis opponens, cum res suas nemo praescribat, et nullorum acquirat in proprio servitutem: quod si eam tenuit commendatam, sicut interdum Constantius Narniensis fuit episcopus, quia commendatarius sibi nomine possedit, et per consequentiam non praescripsit, cum in talibus, secundum canonicas sanctiones, bona fides, iustus titulus, et continua possessio requirantur. Secundo, quod imperialis concessio nihil spiritualis iuris auferre potuit, vel adferre, cum laicis, quantumcumque religiosis, disponendi de rebus ecclesiasticis nulla sit attributa facultas. Quapropter is, qui loca religiosa voluisse conferre videtur, nil contulit; cum regulariter quantum iuris in alium quis habeat, transferre non possit, et sic quamvis donationis verba protulerit, effectum conferre nequivit, nec in generali comitatus donatione, si etiam in temporalibus tenuisset, cum eo tempore terram illam per usurpationem contra Ecclesiam imperium possideret: quod spiritualis iuris existit, dici debet, quasi cum universitate tentasse, quoniam nec particulariter, nec cum toto habere potuit id donator. Tertio, quod per confirmationes Romanorum Pontificum generales nihil videtur adiectum, cum firmum non praecesserit, quod sic potuerit confirmari, quia per eas novum ius non consuevit acquiri, sed robur adiicitur legitime acquisitis. Unde in privilegiis continebatur exhibitis clausula consueta, videlicet, sicut iuste ac canonice possidetis. Quarto, quod etsi forte praefatis clericis allegata compositio praeiudicium aliquod potuisset adferre, posteris non nocebat, cum enorme dispendium vacantis Ecclesiae fuerit attentatum, praesertim cum et quilibet episcopus alius, cui recommendata fuisset Ecclesia, potuisset percipere talia sine praeiudicio libertatis. Pro Spoletanis autem fuit propositum, quod si

Rationes a Spoletano episcopo in contrarium prolatae.

Series responsionum Interamnensium.

Spoletani praescriptioni immemorabili nituntur.

haberent necesse recurrere ad praescriptionis auxilium, nec commendatam, nec suam fuisse Interamnensem Ecclesiam allegarent, sed possedisse pro sua, et ab eo tempore, cuius memoria non extabat, unde etiam si qui praescribere coeperat ab initio bonam fidem non habuerit, potuit postea bona fide possidere successor, a quo ultra tempus illud effluxit, quod exigitur ad praescriptionem quadragenariam confirmandam; praeterea per concessiones imperatorum, et confirmationes Romanorum Pontificum, si forte ius plenum Spoletana Ecclesia non fuisset adepta, titulum tamen probabilem habuit, ut sic Interamnensem Ecclesiam possidendo pro sua, praescriptionem canonicam bona fide ac iusto titulo consumaret. Caeterum si cathedralis fuerat, non latuit illos Romanos Pontifices, qui inter Ecclesias alias Sanctam Mariam Interamnensem Ecclesiam per authentica privilegia confirmarunt Ecclesiae Spoletanae, et sic consensu tacito, quinimo facto tali expresso, eam subiicere videbantur, cum illa cui confirmatur maior haberi consueverit confirmata, et consequenter Interamnensem Ecclesiam episcopali dignitate privatam fecerunt, quoniam alias satis esset ridiculum, ut episcopalis episcopali subiecta dicatur, unde non absque cautela, cum eadem confirmata fuit Ecclesia, plebs extitit nominata, quasi nollet eam fore cathedralem imposterum confirmator. Compositio non allegata superior, non solum praeteritis, sed etiam praesentibus et futuris dicebant praeiudicium generasse, cum successores illarum, cum quibus inita fuerat, sic in emolumenta, sic et in damna successerunt, tempore nihilominus tanto silentes, quod etiam si qua illis contra compositionem eandem actio competere potuisset, fuit omnino praescritione sublata. His autem sic fides adimi videbatur: est quidem cautum in iure, quod ubi episcopatus certi sunt limites praescribi non possunt, ne status provinciarum sive dioecesum confundantur. Multo ergo minus episcopalis dignitas praescriptione non tollitur, ex qua nimia confusio sequeretur. Porro Spoletanus nequivit episcopus Interamnensem Ecclesiam per praescriptionem huiusmodi pontificali dignitate privare, cum sua debuerit esse contentus, et alienam possidere, vel quasi possidere nequiverit, ut diceretur unus vel simplex episcopus duas dignitates episcopales habere, ac ratione unius maior, et ratione alterius minor haberi ut novo iure, nec metropolitanus, nec simplex episcopus haberetur, nec obviat, ut dicatur non dignitas, sed episcopalis locus praescriptus, cum nec dignitas propter praedicta, nec locus dignitati connexus potuit sede vacante praescribi. Praeterea cum Interamnensis Ecclesia proprio gaudebat pontifice, immediate Romano Pontifici subiacebat, contra quem sola centenaria currit praescriptio, de qua Spoletanus episcopus per tempora schismatum, quae aliquando per 40 annos, et aliquando 10 et 8 durasse noscuntur, idem medio subducantur, prout debent de iure deduci. Docere non posset, cum tot annorum testes idoneos invenire nequiret, et sic compositio illa non obviat, ut Ecclesiae Romanae praeiudicet, quando de mera iustitia cathedralem ibi restauret honorem, et obedire cogantur clerici, qui pro tempore fuerit cathedrato, quoniam si etiam componentes aliquod praeiudicii ad posteros transtulissent, sed vacanti nocere non poterat, et futuro praeiudicare pastori, alioquin possent subiecti, cum vellent, iuga suorum praelatorum excutere, si sic praelationis electio subiaceret arbitrio subiectorum. Satius, quia pro non dato habetur, quod ab eo datur, qui dandi non habuit potestatem, et dici non debet iustum possessionis titulum contulisse, qui possidere nequivit: nullum probabilem titulum citra spiritualia per concessionem imperialem Spoletanus episcopus fuit assecutus. Haec confert, si forsitan erravit, quasi iuris ignarus, talia de manu reci-

Iteratae Interamnensium responsiones.

piens laicali, cum stultus melioris conditionis esse non debeat, quam peritus. Per confirmationes quoque Romanorum Pontificum novum possessionis titulum Spoletanus non acquisivit episcopus, cum ea tantum modo confirmarint, quae iuste ac canonice possidebat. Porro licet plebem Sanctae Mariae Interamnensis videatur inter alias Ecclesias in suis privilegiis confirmasse, non propter hoc sequitur, quod de Ecclesia intellexerint cathedrali, cum non simpliciter Interamnensem Ecclesiam dixerint, sed plebem Sanctae Mariae Interamnensis; et forte non absque cautela, nec ideo, quod sciebat cathedralem Interamnen. fuisse, sequitur, quod sciverint talem hanc esse, quam plebs simpliciter inter alias vocabat, per quod plus impetrantis notatur obiectio, quam liberalitas confirmantis, cum confirmationes huiusmodi suspicione non careant, ubi nomen supprimitur dignitatis. Caeterum, si etiam tacitus posset praesumi consensus, non deberet sufficere talis praesumptio, maxime in manifestae praeiudicium libertatis, quia cum omnis res per quascumque causas contrahitur, per easdem regulariter dissolvitur. In talibus, quae speciali privilegio Summo sunt Pontifici reservata, sicut in concedendo, sic et in auferendo expressus desideratur assensus. Interim vero, praenominato praedecessore nostro sublato de medio, apud nos instetistis suppliciter, et supplicastis instanter, ut iam finem dignaremur dare negotio. Cum per eumdem non contentioso iudicio, sed cognitione summaria usque adeo fuit ad ipsius negotii consummationem processum, quod super hoc demum deliberatum extitit a fratribus in communi, nec superfuit aliud, nisi publicatio voluntatis eiusdem, quae tantum facto videbatur exposita, cum idem per cives Interamnenses Ecclesiae vestrae ad opus futuri pastoris in domibus, possessionibus, et aliis pro maiori parte fecerit providere. Nos autem praeter praedicta, considerantes commodum animarum, quod habitatoribus loci per specialem episcopum facilius poterit provenire, attendentes nihilominus, quod tempore nostro Interamnensis communitas per adiectionem non modicam pro episcopali mensa plene providit, ne divinae gratiae videamur ingrati, quae ad talem statum Interamnensem reduxit Ecclesiam, ut proprium possit rehabere pastorem, et necesse non habeat alicui suffragia mendicare, in eadem, de communi fratrum nostrorum consilio, episcopalis dignitatis restauramus honorem, statuentes, ut nulli, nisi Romano Pontifici sit subiecta.

Mortuo Innocentio, res acta coram Honorio.

Qui episcopalem dignitatem Interamnensibus restituit.

Datum Laterani id. ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 13 ianuarii 1218, pontif. anno II.

XXII.

Sanctorum Confessorum Pontificum canoni adscribitur beatus Willelmus Bituricen. archiepiscopus, cum decreto ut eius festivitas a christifidelibus annis singulis celebretur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — B. Villhelmus miraculis clarus. — Commissus in partibus processus. — Ss. catalogo adscribitur.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis clero et populo Bituricensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Etsi electi dicantur pauci respectu multitudinis vocatorum, non est tamen aliquatenus dubitandum, quin ex tanto fidelium numero eligatur maxima multitudo, nam, et Prophetae conquerenti se solum esse relictum, omnibus aliis interemptis, est responsum a Domino: Reliqui mihi septem millia virorum, qui ante Baal genua non curvaverunt (2). Et beatus Evangelista Ioannes, cum revelatum sibi numerum signatorum ex duo-

(1) Ex Fontanino, Cod. Canoniz., pag. 49.
(2) Rom. XI, 4 ex III Reg. XIX.

decim tribubus conspexisset, vidit turbam magnam, quae dinumerari non poterat, amictam stolis candidis, et tenentem palmam in manibus coram Domino. Porro iustus et misericors Dominus fideles suos, quos praedestinavit ad vitam, omnes quidem coronans in patria, quosdam eorum secundum altitudinem divitiarum sapientiae, et misericordiae suae, glorificat et in via, ut frigescentem iam in pluribus charitatis igniculum accendat, mirabilium novitate signorum, et pravitatem confundat haereticam, dum ad catholicorum tumulos faciens miracula pullulare, manifeste demonstrat eos habuisse, dum viverent, fidem rectam. Ipso igitur piae recordationis Willelmum Bituricensem archiepiscopum, quem in vita non solum virtutibus, sed etiam signorum ostensionibus insigniverat, faciente post obitum crebrioribus miraculis coruscare, venerabilis frater noster archiepiscopus, et dilecti filii canonici Bituricenses ipsum per Apostolicam Sedem adscribi sanctorum catalogo instanti devotione ac devota instantia multoties petierunt.

B. Villhelmus miraculis clarus.

Cum autem necessaria maturitate diu suspensa fuisset petitio eorumdem, eo quod, cum huiusmodi iudicium divinum sit potius, quam humanum, difficile est mortalem hominem iudicare de illis, qui veste mortalitatis exuti, cum Christo creduntur vivere ac regnare; demum ipsis propter miraculorum frequentiam petitionem praedictam humiliter replicantibus, nos ne ministerium nostrum divinae dignationi, mirificanti servum suum, subtrahere videremur, venerabili fratri nostro Antissiodorensi episcopo, et dilectis filiis Boniradii et Calloviensi abbatibus Cisterciensis ordinis dedimus in mandatis, ut cum opera pietatis in vita, et miraculorum vita post mortem ad hoc quod quis reputetur sanctus in militanti Ecclesia requirantur, licet ad sanctitatem animae opera sola sufficiant in Ecclesia triumphanti, diligentissimo inquirerent de utroque, et quae invenirent fideliter redigentes in scripta, ea nobis transmitterent sub suorum munimine sigillorum; quatenus per eorum relationem instructi, et in negotio ipso securius, Domino inspirante, procedere valeremus; qui primo iuxta mandati nostri tenorem, de illius conversatione, ac vita, ac deinde de miraculis inquisitionem facientes per legitimos testes, et omni exceptione maiores, adstrictos iurandi vinculo diligenter, invenerunt, ipsum sanctae conversationis odorem aliis fuisse dum viveret, et insignium miraculorum multitudine post obitum claruisse, quae tum quia vobis nota sunt, tum quia pro sui multitudine non possent sub brevitate narrari, praesenti paginae non duximus inserenda, melius aestimantes scripturo gloriosam eius historiam universa relinquere, quam paucis auctoritatem bullae nostrae appositione praestando eam reliquis quodam modo derogare. Ipsius autem miraculis, quae inquisitores praedicti nobis sub suis sigillis inclusa, prout in mandatis receperant, transmiserunt examinatis per quos de fratribus nostris penitus et diligenter; ea demum in pleno consistorio fecimus solemniter recitari, et cum sanctitatem morum et signorum virtutem ad favorem petitionis, pro qua praedicti archiepiscopus et canonici una cum episcopis et praelatis Bituricensis provinciae aliisque quamplurimis vehementer instabant concurrere videremus, divinum et humanum sequuti iudicium, de fratrum nostrorum consilio post multam deliberationem habitam cum eisdem, necnon archiepiscopis et episcopis tunc existentibus apud Sedem Apostolicam, quos ad consilium nostrum admisimus, de divina misericordia, et eiusdem Sancti meritis confidentes, ipsum sanctorum catalogo duximus adscribendum, statuentes, ut in die depositionis ipsius eiusdem festivitas devote a vobis et aliis christifidelibus annis singulis de caetero celebretur.

Commissus in partibus processus

Sa. catalogo adscribitur.

Quocirca devotionem vestram monemus in Domino et hortamur, per apo-

stolica vobis scripta praecipiendo mandantes quatenus eiusdem Sancti memoriam cum celebritate debita venerantes, eius apud Deum suffragia humiliter imploretis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, decimo sexto kalendas iunii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 17 maii 1218, pontif. anno II.

XXIII.

Commissio de Bohemiae rege a censuris absolvendo, dummodo de damnis Pragensi Ecclesiae illatis satisfaciat (1).

SUMMARIUM

Facti series. — Conditiones a rege praestandae ut a censuris absolvi possit.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Ratisbonen., et dilectis filiis de Ebra, et de Waltsasen. abbatibus Cisterciensis ordinis Herbipolien. et Ratisbonen. dioecesum, salutem et apostolicam benedictionem.

Facti series. Charissimus in Christo filius noster Bohemiae rex illustris suas nobis literas destinavit continentes, quod venerabili fratri nostro Pragen. episcopo paratus erat de omnibus, super quibus de ipso et baronibus suis conqueritur, pro reverentia nostra satisfactionem congruam exhibere, petens, ut aliquem de latere nostro propter hoc usque Pactaviam cum ipso episcopo mitteremus. Quia vero idem episcopus de prudentum virorum consilio non duxit laborem huiusmodi subeundum, donec plenius disquisitum extiterit, qualem possit satisfactionem habere de damnis et iniuriis sibi et clero suo hactenus irrogatis, quamque habere valeat cautionem, ne attententur similia in futurum. Conditiones a rege praestandae ut a censuris absolvi possit. Nos ipsum regem per nostras rogamus literas, et hortamur, ut in manibus vestris praestet, et a nobilibus terrae suae praestari faciat idoneam cautionem dimittendi de caetero ipsi episcopo institutiones, et destitutiones, et iudicia quaelibet clericorum, ac alia, quae noscuntur ad ius pontificalis officii pertinere. Ad haec ipsum episcopum et procuratores suos restituat in episcopatus sui possessionem liberam et quietam, et de proventibus subtractis sibi, ac iis, qui adhaeserunt eidem, congruam satisfactionem exhibeat, et a suis faciat subditis exhiberi per unum vestrum nobis plene ac plane rescribens quidquid super restitutione possessionis ipsius episcopatus, ac satisfactione damnorum, et aliis supradictis duxerit faciendum, ut tam scripto suo, quam relatione illius e vobis, qui ad nos venerit hac de causa, facti super iis omnibus certiores, huiusmodi negotio dignum finem imponere valeamus. Sane salutem eiusdem regis zelantes, ipsi consulimus, ut super eo quod clericum quemdam ad suspendium iudicavit, licet reiecto, ut dicitur, clericali habitu, clericali videretur privilegio se privasse, absolutionis recipiat beneficium ad cauthelam. Quo circa discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum regem ad exhibendam cautionem praedictam, et ad faciendum eam a suis subditis exhiberi, ac ad restitutionem ipsius episcopi et alia, quae praemisimus, monentes prudenter, et efficaciter inducentes, eius super iis literas requiratis ad nos per vestrum aliquem deferendas, relaxaturi sententiam interdicti promulgatam in regnum si super restitutione ipsius episcopi, et aliis fecerit, quae hortamur, et impensuri eidem si voluerit, ut praedictum est, absolutionis beneficium ad cauthelam pro suspensione clerici memorati. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, tu, frater episcope, cum eorum altero nihilominus exequaris.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, idibus maii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 15 maii 1218, pontif. anno II.

(1) Ex Regest. Vatic.

XXIV.

Confirmatio infeudationis comitatus Melgorii, seu Montis Ferrandi sub annuo censu viginti marcharum argenti favore Ecclesiae Magalonen. (1).

SUMMARIUM

Tenor Innocentii PP. privilegii. — Illud confirmat Pontifex cum solitis clausulis.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Magalonen., salutem et apostolicam benedictionem.

In regesto Censuali felicis recordationis Innocentii Papae praedecessoris nostri contineri perspeximus in hunc modum: Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Magalonen. salutem et apostolicam benedictionem. Apostolicae Sedis benignitas provide pensans merita singulorum iis *etc.* (*prout in Innocentio III, constit. num. CIV, pag. 297*).

Tenor Innocentii PP. privilegii.

Nos igitur tuis iustis precibus inclinati, quod per eumdem praedecessorem nostrum factum est in hac parte ratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Illud confirmat Pontifex cum solitis clausulis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum septimo kalendas iunii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 26 maii 1218, pontif. anno II.

XXV.

Commissio inquisitionis super vita et miraculis beati Willelmi abbatis (2).

SUMMARIUM

Exordium. — B. Villelmus virtutibus et miraculis clarus. — Commissio inquirendi de vita et miraculis eiusdem.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Lunden., et episcopo Roscilden., ac dilecto filio abbati de Hervado Cistercien. ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Licet angelus Sathanae se quandoque in lucis angelum transfiguret, et plerique, impietatem suam velantes sub vellere pietatis, tamquam parietes dealbati, per falsam religionis speciem, quam praetendunt, ignominiose nomen sibi sanctitatis usurpent, et fallentes opinionem hominum, et se ipsos, Deum, qui non irridetur, non fallant, sed iusto eius iudicio relinquantur; isque, qui novit solus abscondita tenebrarum, huiusmodi perversorum malitiam ab eorum fructibus esse docuerit cognoscendam; ut tamen inter lepram et lepram melius distinguamus, et quae munda fuerint et immunda sciamus discernere separando pretiosum a vili, solet Dominus vitam sanctam eorum, qui seminaverunt in lacrymis, id quod metunt in benedictionibus abundanter plerumque miraculis confirmare signisque sequentibus indicare, quod eis splendorem pro meritis dederit sempiternum. Hac igitur ratione cum tu, frater archiepiscope, nobis saepius intimasses, quam pie, sobrie, atque iuste felicis recordationis Willelmus abbas de Paraclito vixerit in hoc mundo, quantaque sanctorum suorum mirabilis splendor Deus, ne qui forsitan propter eos qui habentes faciem euntis in Hierusalem, in dissimilitudinis regionem, prout supra diximus, abeunt, scandalizarentur, in ipso operetur miracula, per eumdem languorem multorum relegando languentium, qui devote auxilium eius implorant, nobisque devotissime supplicasses, ut et canonizaremus eumdem, et sanctorum cathalogo annumerari faceremus, tanto maturiori consilio circa ea censuimus procedendum, quanto in his citius, quam in aliis mole carnis gravatus humanae considerationis intuitus potest falli. Quapro-

B. Villelmus virtutibus et miraculis clarus.

(1) Ex Regest. Vatic. (2) *Ibidem.*

Commissio inquirendi de vita et miraculis eiusdem. pter prudentiae vestrae, de qua fiduciam gerimus pleniorem, per apostolica scripta mandamus, quatenus inquiratis tam de vita ipsius abbatis, quam de miraculis supradictis diligentius veritatem, et quod super his inveneritis sub sigillis vestris nobis remittatis inclusum, ut præeunte divina gratia, et sequente, statuamus exinde quod fuerit statuendum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum quinto kalendas iunii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 28 maii 1218, pontif. anno II.

XXVI.

Demandatur inquisitio super vita et miraculis Ioannis Eremitae prioris conventus S. Mariae de Gualdo (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Commissionis caussae. — Mandat ut de vita et miraculis Ioannis Eremitae inquirant.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Dragonarien. et Lutherin. episcopis ac dilecto filio priori Sancti Fortunati Beneventan. dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Ineffabilis Sapientia Deitatis nosse tempora, vel momenta in sua retinens potestate, temporalium etiam habet sola perfectam notitiam actionum, quae quo fiant animo non ignorans, opera, quantumcumque videantur hominibus grata, reprobat nisi ea vivificet piae operationis affectus. Sicut etenim angelus Satanae se quandoque in lucis angelum transfigurat, sic plerique impietatem suam velantes sub vellere pietatis tamquam parietes dealbati per falsam religionis speciem, quam praetendunt, ignominiose nomen sibi sanctitatis usurpant, et fallentes opiniones hominum, et seipsos, Deum, qui non irridetur, non fallunt, sed iusto eius iudicio relinquuntur. Licet igitur is qui solus novit abscondita tenebrarum, huiusmodi perversorum malitiam ab eorum fructibus esse docuerit cognoscendam, ut tamen inter lepram et lepram melius distinguamus, et quae munda fuerint vel immunda sciamus discernere separando pretiosum a vili, solet Dominus vitam sanctam eorum, qui seminaverunt in lacrymis, id quod metunt in benedictionibus abundanter plerumque miraculis confirmare, signisque sequentibus indicare, quod eis splendorem pro meritis dederit sempiternum. Hac igitur ratione, cum nobis dilecti filii prior, et conventus Sanctae Mariae de Gualdo fideliter retulissent, quam pie, sobrie, atque iuste felicis recordationis Ioannes Eremita prioris eiusdem praedecessor vixerit in hoc mundo, quantaque sanctorum suorum mirabilis splendor Deus, ne qui forsitan propter eos, qui habentes faciem eundi in Hierusalem, in dissimilitudinis regionem, prout supra diximus, abeunt, scandalizarentur, in ipso operetur miracula, per eundem suscitando mortuos, et languorem quorumlibet relegando languentium, qui devote auxilium eius implorant, nobisque devotissime supplicassent, ut et canonizaremus eumdem, et sanctorum cathalogo annumerari faceremus, tanto maturiori consilio circa ea censuimus procedendum, quanto in iis citius, quam in aliis mole carnis gravatus humanae considerationis intuitus potest falli. Quapropter prudentiae vestrae, de qua fiduciam gerimus pleniorem, per apostolica scripta mandamus, quatenus inquiratis tam de vita ipsius Eremitae, quam de miraculis supradictis diligentius veritatem, et quod super iis inveneritis sub sigillis vestris nobis remittatis inclusum, ut præeunte divina gratia et sequente, statuamus exinde quod fuerit statuendum.

(Commissionis caussae. — Mandat ut de vita et miraculis Ioannis eremitae inquirant.)

Datum Romae apud Sanctum Petrum, tertio nonas iunii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 3 iunii 1218, pontif. anno II.

(1) Ex Regest. Vatic.

XXVII.

Exhortatio ad Mediolanenses omnes, ut contra Pisanos quosdam Sardiniae occupatores, quae iuris Apostolicae Sedis existit, assurgant, cum indulgentiarum elargitione (1).

SUMMARIUM

Caussae decreti. — Hortatur Mediolanenses ut repellant Pisanos Sardiniam violientia invadentes, et iura S. A. defendant.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis christifidelibus per Mediolanensem provinciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Caussae decreti.

Cum Ecclesiarum omnium iura ex iniuncto nobis officio defendere teneamur, graves et intolerabiles Ecclesiae Romanae iniurias dissimulare salva conscientia non valemus. Hinc est quod ad vestram cogimur perferre notitiam, quod Ubaldus et Lambertus frater eius, cives Pisani, cum quibusdam complicibus suis terram Sardiniae, quae iuris et proprietatis Apostolicae Sedis existit, Dei timore postposito, invadentes, partem occupaverunt ipsius, et ad aliam occupandam anhelant in gravem Ecclesiae Romanae iniuriam et contemptum; nec eos ab iniquitate huiusmodi aliquatenus revocare potuimus, licet multis monitionibus benigne institerimus apud eos, unde ipsorum exigente contumacia, in eos et fautores eorum coacti sumus excommunicationis sententiam promulgare. Monemus igitur universitatem vestram, et obsecramus in Domino per apostolica vobis scripta mandantes et iniungentes in vestrorum remedium peccatorum, quatenus Romanae Ecclesiae matri vestrae in hac sua causa propria sicut devotionis filii viriliter assistentes, dilecto filio nobili viro Mariano iudici Turritano, qui cum aliis, quos ad eius excitamus auxilium, magnifice se accingit ad praedictorum excommunicatorum violentiam repellendam, bellatorum succursum in istanti martio terras mittatis, ut defendentes iura beati Petri regni coelorum clavigeri, eum in districto iudicio invenire propitium merito debeatis. Nos autem de Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus qui cum devotione ad praefatam Ecclesiae terram defendendam accesserint, quartam partem de iniunctis sibi poenitentiis relaxamus.

Hortatur Mediolanenses ut repellant Pisanos Sardiniam violentia invadentes, et iura S. A. defendant.

Datum Laterani quarto idus novembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 10 novembris 1218, pontif. anno II.

(1) Ex Regest. Vatic.

XXVIII.

Confirmatio privilegiorum regni Scotiae (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Scoticana Ecclesia Romanae specialis filia. — Ecclesiae ei subiectae. — Privilegia ei confirmata. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Alexandro illustri Scotorum regi eiusque successoribus in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Cum universi fideles apud Sedem Apostolicam patrocinium invenire debeant et favorem; illos tamen specialius convenit eius protectionis munimine confoveri, quorum fidem ac devotionem in pluribus est experta, ut ad ipsius dilectionis fervorem tanto amplius provocentur, et eius reverentiae devotiori affectione subdantur, quanto benevolentiae ipsius, et gratiae pignus se noverint certius assequutos.

Scoticana Ecclesia Romanae specialis filia.

Ea propter, charissime in Christo fili, reverentiam ac devotionem, quam ad Romanam Ecclesiam a longis retro temporibus te ac praedecessores tuos habuisse cognovimus attendentes, praesentis scripti pagina ad exemplar felicis recor-

(1) Ex Regest. Vatic.

dationis Coelestini et Innocentii praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum districtius inhibemus, ut cum Scoticana Ecclesia Sedi Apostolicae sicut filia specialis nullo medio sit subiecta, in qua hae sedes episcopales esse noscuntur, Ecclesia videlicet Sancti Andreæ Dumblenen., Ecclesia Glascuen., Dunkelden., Brecinen., Ecclesia Aberden., Ecclesia Mureven., Ecclesia Rosen. et Ecclesia Katen., nemini liceat nisi Romano Pontifici, vel legato ab ipsius latere destinato in regnum Scotiae interdicti vel excommunicationis sententiam promulgare, et si promulgata fuerit, decernimus non valere. Adiicimus etiam, ut nulli de caetero, qui de Scotiae regno non fuerit, nisi quem Apostolica Sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem, ut controversiae, quae fuerint in regno ipso de possessionibus eius exortae, ad examen extra regnum positorum iudicum non trahantur, nisi ad Romanam fuerit Ecclesiam appellatum. Si qua vero scripta contra huius libertatis statutum apparuerint impetrata, vel imposterum istius concessionis mentione non habita contigerit impetrari, nullum tibi, tuisve successoribus, vel ipsi regno circa huius praerogativae concessionem praeiudicium generetur. Praeterea libertates et immunitates tam tibi, quam regno tuo, et Ecclesiis in eodem regno constitutis ab Ecclesia Romana concessas et hactenus observatas ratas habemus, et eas futuris temporibus illibatas manere sancimus. Salva tamen Sedis Apostolicae auctoritate.

Ecclesiae et subiectae.

Privilegia et confirmata.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, prohibitionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae.

Datum Laterani per manum Raynerii Sanctae Romanae Ecclesiae vice-cancellarii, undecimo kalendas decembris, indictione septima, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo decimo octavo, pontificatus vero domini Honorii Papae tertii anno tertio.

Dat. die 21 novembris 1218, pontif. anno II.

XXIX.

Confirmatio instituti, ac regularum hospitalis Noviomensis a Stephano episcopo huiusce civitatis nuper erecti (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Episcopus Noviomensis regulas a se constructo dat hospitali, quas confirmat Pontifex. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis rectori, et fratribus hospitalis Noviomensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere consensum, et vota, quae a rationis tramite non discordant, affectu prosequente complere. Sane autem cum referentibus vobis didicimus..... Venerabilis frater noster Stephanus Noviomensis episcopus, datis in hospitali vestro de approbatis religionibus, ordine, ac regula super numero fratrum hospitalis ipsius, et modo recipiendi eos, et aliis, quae regularem sapiunt honestatem, certa et salubria ibidem ediderit instituta. Nos autem vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, statuta huiusmodi sicut ab eodem episcopo provide et salubriter facta sunt, et ipsius litteris dicitur contineri, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Exordium

Episcopus Noviomensis regulas a se constructo dat hospitali, quas confirmat Pontifex.

Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesum-

Clausulae.

(1) Ex Dacherii Spicileg., tom. III.

perit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani quarto idus decembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 10 decembris 1218, pontif. anno III.

XXX.

Quod privilegia et indulta Cisterciensi ordini hactenus a Sede Apostolica concessa, salva generalis Concilii moderatione, in viridi habeantur observantia (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Causa edendae huius constitutionis. — De observandis privilegiis Cisterciensibus a Sede Apostolica concessis.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis aliis Ecclesiarum praelatis, ad quos literae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Benefaciens Dominus bonis et rectis corde dilectos filios fratres Cistercien. ordinis in via mandatorum ipsius inoffense currentes, tamquam populum acceptabilem sibi numero et merito ampliavit, eisque de rore coeli et terrae pinguedine benedicens dilatavit locum tentorii eiusdem ordinis, et pelles tabernaculorum eius extendit: sed quod dolentes referimus, in via hac, qua ambulant superbi contra eos laqueos extendentes, imo velut torrentes iniquitatis irruentes in eos ipsos, bonis suis, quae soli Deo sunt dicata, non solum nequiter defraudare, cum filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sint; verum etiam iniquitate potentes violenter spoliare nituntur, et

Causa edendae huius constitutionis. quod gravius est, nonnulli de iis, qui eos debuerant in Christi visceribus charius amplexari, et favorabilius confovere, ipsos immanius persequentes, privilegia, quae ipsis a Sede Apostolica suis exigentibus meritis sunt indulta, gestiunt penitus enervare, dicendo illa fuisse omnino in concilio generali revocata, vel alias intellectum privilegiorum ipsorum ita maligna interpretatione ad libitum pervertendo; quod nisi os iniqua loquentium obstruatur, nil restet quin praedicti fratres privilegiorum suorum pene penitus fructu frustrentur, per quod illi non tam eisdem fratribus, quam nobis iniuriari probantur, dum contra Sedis Apostolicae indulgentias memoratas fratres temere perturbare praesumunt, molientes contra nostrae plenitudinem potestatis dum indulta nostra irreverenter impugnant. Nos igitur, qui praedictos fratres speciali praerogativa dilectionis et gratiae amplexamur, utpote qui iugiter offerentes Domino suorum vitulos labiorum, non solum nobis, sed etiam universali Ecclesiae piis intercessionibus incomparabiliter suffragantur, nolentes huiusmodi vexationibus eorum sabbathi amaricari quietem, quos potius tenemur omnimodis consolari, universitatem vestram monemus, et hortamur attente, ac

De observandis privilegiis Cisterciensibus a Sede Apostolica concessis. per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus supradictos fratres, ob reverentiam divinam et nostram, habentes in visceribus charitatis, eis privilegia et indulgentias Apostolicae Sedis eisdem concessas inviolabiliter conservetis et faciatis ab aliis conservari. Salva moderatione concilii generalis, videlicet, ut de alienis terris a tempore praedicti concilii acquisitis et de caetero acquirendis exsolvant decimas Ecclesiis, quibus ratione praediorum antea solvebantur, nisi aliter cum eis duxerit componendum. Alias quoque praedictos fratres ab incursibus malignorum taliter defendatis, quod defensores iustitiae ac pietatis probemini amatores, Deumque vobis propitium, et nos reddatis exinde favorabiles et benignos.

Datum Laterani, secundo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 31 decembris 1218, pontif. anno III.

(1) Ex Regest. Vatic.

XXXI.

Confirmatur donatio a populo Interamnensi facta suae Ecclesiae (1).

SUMMARIUM

Bona huic Ecclesiae ab Interamnensibus data, confirmat eidem. — Instrumentum donationis. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri nostro Raynerio Interamnensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere consensum, et vota, quae a rationis tramite non discordant, effectu consequente complere. Eapropter, ven. in Christo frater episcope, tuis iustis postulationibus grato concurrentes assensu, concessiones, redditus, iura et omnia, quae Interamnensis communitas episcopatui assignavit in dotem, sicut ea omnia iuste possides, et quiete, et instrumento inde confecto plenius continetur, tibi, ac successoribus tuis auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus: ad rei autem evidentiam pleniorem, tenorem ipsius instrumenti praesentibus de verbo ad verbum fecimus annotari, qui talis est:

Bona huic Ecclesiae ab Interamnensibus data, confirmat eidem.

In Dei nomine, anno Domini MCCXVIII, tempore domini Honorii Papae III, indictione sexta, mense februarii. Hoc namque tempore nos Petrus Capitonus potestas, et Iacobus Petri camerarius cum consilio, consensu et auctoritate consiliariorum civitatis Interamnensis, non vi, nec dolo ducti, sed nostra bona, propria ac spontanea voluntate, praesente magistro Gratia capellano domini Papae, primo ad ordinandum dotem episcopatus Interamnensis, et secundo ad incathedrandum ipsum dominum episcopum, et assignandum eidem domino episcopo possessiones, et redditus, et iura episcopatui concessa a domino Papa Honorio destinato, et verbum inde concione ad populum proponente, et populo universo reclamante et assentiente pro nobis et successoribus nostris, et communantia, et populo Interamnensi, damus, donamus, tradimus, concedimus, atque largimur Ecclesiae Interamnae ad opus episcopatus, et vobis domino Raynerio episcopo Interamnae, et per vos, et vestris successoribus in eadem Ecclesia in perpetuum in dotem omnia infrascripta tenimenta et possessiones terrarum, vinearum, canapinarum et iardini, sicut suis finibus clauduntur, videlicet totum tenimentum canapinarum, quae habent hos fines: a primo palatium, et palatium, et via, quae vadit ad portam... a secundo murus civitatis; a tertio forma, a quarto terra et vinea canonicae, et istae possessiones consistunt infra murum, et extra murum civitatis, et totum iardinum, quod est infra palatium, ita quod nulla domus circa palatium habeat exitum, vel prospectum de intra in ipsum iardinum, excepto quod domus et cryptae Guidonis Thebalduccii habeant hostia et fenestras, sicut modo habent, salvo quod ipse Guido faciat a via iardini versus domus et cryptas suas murum fieri ita altum usque ad fenestram ipsius domus altiorem, quae modo ibi est, ita quod non fiat in praenominato iardino prospectus, et totum tenimentum, quod insistit extra formam, et habet suos fines, a primo formam, a secundo Arderado, secundum quod recte vadit iter a forma per illud, quod fuit Arderadi usque in viam, a tertio via publica, a quarto filii Oderisii, per quod vadit via, qua itur ad pontem Sancti Martini, et totum tenimentum positum in vocabulo Sancti Martini, et habet fines, a primo, secundo et tertio via, a quarto Petrus Raynutii, et Ioannes Iordani, et totum tenimentum terrae positae in vocabulo Canneti, vel Crucis Sancti Fortunati, et habet suos fines, a primo forma, sive fossatum, a secundo via, quae vadit ad Collem Lunae, a tertio Thomaso Matthaei, et Ioannes Berardutii Bai, et An-

Instrumentum donationis.

(1) Ex Regest. edidit Ughell., Ital. Sac., tom. I.

gelus de Maclatu, et filia de Scrofono, et Assale, et Raynutius de Benencasa, et limes Canniti, et Sinibaldus Matthaei, sicut recte descendit a limite inferiori per illud, quod fuit dicti Sinibaldi, et filii Laurentii, et Carboncellus, et Thomas de Ductalevo, et filia de Benencasa de Pagano usque in viam Canneti, a quarto via Canneti, et Bai de Benencasa, et Paulus in Golano, sicuti recte venit inferius per illud, quod fuit ipsius Pauli, et filii Padei Ioannis Camello, et terra Sancti Petri Licon., et Baii Rinaldi, et filius Nicolae de Cassa, et Paulus Baii, usque in praenominatum fossatum, sive formam, per quem campum labitur forma de foris, et quinque cannas ad iustam mensuram, qua mensuratur circa ecclesiam Sancti Fortunati, undique, et totum tenimentum vinearum et terrae quod est positum in vocabulo Sancti Savini, et Dolii, et habet fines a primo et a secundo et a tertio via, a quarto Falco Bonaefidae, et filii Tallacozzi, et Bolletta, et totum spatium terrae positae ibidem ab alia parte, videlicet, quae fuit Matthaei Gottifredi, et habet hos fines, a primo et secundo via, a tertio, filii de Franco Ghislerii, et a quarto, dictus Gottifredus, reservato iure eundi et redeundi cum suis necessariis ad Gottifredum et filios per dictam terram sine malitia, et eorum haeredes, et totum tenimentum vinearum et terrae positae ad Sanctam Mariam de Rocca, et habet suos fines a primo et a secundo, via, a tertio, possessio Sancti Nicolai foris portam, et Donadeus Berardi, a quarto, filii Ioannis Berardi sicut recte venit inferius in viam per illud, quod fuit filiorum Ioannis Berardi, et aliud petium terrae positum ibidem, et habet fines a primo, via, a secundo, tertio, et quarto, terra praedictae Ecclesiae, et nucem de Calcaia, cum terra sibi subiacente, et totum tenimentum terrae positum in flumine, et habet hos fines, a primo Paulus Falconus, a secundo forma, a tertio possessio canonic., a quarto fossatellum, infra quos fines, et in iam dictis vocabulis damus, donamus, tradimus atque largimur vobis domino Raynerio episcopo Interamnensi supradicto, et vestris successoribus, et ipsius Ecclesiae Interamnae memoratae in perpetuum in dotem omnia suprascripta tenimenta et possessiones terrarum, vinearum, canapinarum et iardini cum introitibus, exitibus et omnibus usibus et utilitatibus suis, et cum omnibus infra se, vel super se habentibus et habendis ad habendum, tenendum, possidendum, et quidquid vobis et vestris successoribus deinceps placuerit faciendum; item damus, similiter donamus, concedimus, atque largimur vobis domino Raynerio episcopo Interamnae, et vestris successoribus in perpetuum in dotem omnes redditus subnotatos, et iura per subscripta capitula declarata, scilicet, de qualibet sarcina lignorum ad ignem, quae intrabit in civitate Interamnae, recipiat episcopus vel eius nuncius ad voluntatem suam. Item quicumque est, vel erit venditor piscium publice in civitate Interamnae, vel in eius burgis, in qualibet hebdomada dabit unum piscem episcopo, non maiorem, nec minorem, sed mediocrem. Item de quolibet clibano civitatis, vel burgi, qui est, vel erit, et his qui sunt inter Mormam et flumen, habeat episcopus quolibet sabatho unum panem boni frumenti de his, quos habuerit clibanarius pro fornatico. Item quicumque est, vel erit macellarius, in vigilia Nativitatis Domini dabit unam spallam porcinam et integram cum cute episcopo Interamnensi. Item quicumque est, vel erit, qui habeat molendinum ad partem, vel coptumum, dabit in festivitate Sanctae Mariae augusti unum raserium annonae episcopo Interamnensi ad caserium communitatis nostrae, cum quo publice venditur et emitur. Item si dominus molendini retinuerit molendinum, ita quod non det aliis ad partem, vel coptumum, similiter solvat unum raserium annonae episcopo Interamnae praedicto

tempore. Item quicumque est, vel erit ferrarius qui habeat focinam, dabit unum par de ferriis cum clavis episcopo Interamnae ad voluntatem episcopi omni anno, exceptis quatuor de ferrariis si maluerit episcopus, qui dabunt ei quatuor cultellos, inter omnes quatuor. Item quicumque est, vel erit pandarius lanae, dabit episcopo annuatim mediam libram cerae in vigilia Nativitatis Domini. Item quicumque est vel erit mercator, qui vendat res suas ad pondus librae, dabit annuatim episcopo quartam partem piperis in vigilia Nativitatis Domini. Item quicumque est, vel erit calsolarius, dabit annuatim episcopo unum par sutellarum (1) ad sensum episcopi. Item quicumque est, vel erit magister lapidum, vel lignorum, dabit episcopo singulis annis unam operam sine fraude ad voluntatem episcopi, et cum expensis episcopi, videlicet comestionis. Item de quolibet bove vel vacca ad arandum habeat episcopus in vigilia Omnium Sanctorum duodecim Lucenses (2). Item quicumque erit textor, vel textrix canaparii in civitate vel burgis solvat annuatim in vigilia Omnium Sanctorum domino episcopo, qui pro tempore erit, mediam libram piperis, salvo quod si plures essent textores vel textrices similes in una domo et in una familia, non solvat nisi unus eorum. Item quicumque est, vel erit pelliparius (3), det, et solvat omni anno in vigilia Omnium Sanctorum domino episcopo mediam libram cerae. Item de omnibus acceptis, sive intratis, quae communitas Interamnensis habebit, teneatur communitas dare domino episcopo decimam, quam decimam camerarius, qui pro tempore erit, solvere teneatur, excepto quod de collectis, quae universaliter per civitatem colligent, et de condemnatis et condemnandis ad murum civitatis faciendum non fuit permissa decima; et quicumque suprascripta non observaverit, requisitus teneatur solvere poenam dupli, et poena soluta, nihilominus persolvat. Item constituimus et ordinamus, quod episcopus non constringatur aliquo bando de vendendo, vel extrahendo blada, vel vino, vel quidquid de fructibus terrae voluerit intra in civitate, vel extra, prout sibi placuerit. Item constituimus et ordinamus, quod episcopus et canonici non teneantur solvere salarium pro causis, quas habuerint in curia Interamnensi rerum canonicatus et episcopatus. Item constituimus et ordinamus quod nulli excommunicato ab episcopo, et denunciato iustitia fiat in curia communitatis Inteamnae, nisi prius satisfecerit, et haec capitula constituimus et volumus per nos, nostrosque successores, et per populum Interamnensem firma et rata perpetuo teneri. Item constituimus et ordinamus, quod de omnibus expensis, quas fecerit episcopus in causis extra civitatem pro retinendo et recuperando episcopatu et iura ipsius episcopatus cum hominibus qui non sunt cives Interamnae, communitas ipsa teneatur facere expensas pro tertia parte, et hoc usque ad decem annos, quia haec omnia suprascripta sunt ob reverentiam sanctae Ecclesiae, et vestram vestrorumque successorum, nostra mera, bona, propria ac spontanea voluntate nobis placuit dare, tradere et constituere ac ordinare. Insuper promittimus et obligamus nos, nostrosque successores in hoc officio extituros, et populum Interamnensem vobis domino Raynerio episcopo Interamnae, et vestris successoribus praesente magistro Gratia capellano domini Papae supradicto, verbum in concione super praedictis, et aliis ad populum proponente, et unanimiter populo consentiente hanc chartam et dationem dotis omnium praedictarum rerum, possessionum, redditDuum ac statutorum semper in perpetuum firmam tenere, et contra nullo modo venire. Quod quidem si hanc

(1) *Sutella*, a *sublel*, quae vox Prisciano, l. 5, imam partem pedis significat, calceamenti genus est. (2) *Lucensis*, monetae species, sic dicta ab Italiae urbe Luca. (3) *Pelliparius* latinis *pellio*, qui pelles parat ac vendit.

chartam, et ea quae supra dicta sunt, rumpere, vel falsare, aut in aliquo immutare voluerimus, aut si haec praedicta in curia, vel extra curiam litigando, aut alias molestando venire tentaverimus, vel si res praedictas quandocumque et ubicumque necesse fuerit, ab omni homine, iure, et etiam per vim non defenderimus, quia noluerimus, aut non potuerimus, componemus ipsas res, quae evincerentur in duplum nomine coenae, et poena soluta, haec charta, et omnia supradicta nihilominus firma semper, et illibata permaneant. Nos Petrus Capitonus potestas, et Iacobus camerarius praedicti cum consilio et authoritate consiliariorum Interamnensium, sicut supra legitur, scribi rogavimus. Ego Ioannes imperialis curiae notarius, de mandato, et precibus, et authoritate omnium supradictorum hanc chartam, et omnia supradicta scripsi, et in publicam formam redegi.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Laterani, secundo idus februarii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 12 februarii 1219, pontif. anno III.

XXXII.

Reformatio ordinis Grandimonten. in regno Francorum (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Priori plenam in omnibus dat facultatem. — Poenae excessuum. — Correctoris officium. — De confessionibus. — Cura temporalium cui committenda. — De visitationibus domorum. — De statutis in generali capitulo factis. — Appellationes contra statuta non admittendae. — De fratribus recipiendis. — Proprium nil fratres habeant. — De silentio servando. — Nonnullae aliae regulae. — Loca omnia eis confirmantur. — Priori clericos tonsurandi dat facultatem. — Communis vita servanda. — De numero clericorum in domibus ponendorum. — Nonalia eximit a decimis. — Sacramenta a dioecesano episcopo statuit recipienda. — Excommunicationes sine iusta causa contra eos latas irritat. — Clausulae.

(1) Ex Regest. Vatic.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori Grandimonten., eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Ad sopiendam materiam iurgiorum, quae vestrae religionis quietem longo iam tempore turbaverunt, plures tam a nobis, quam a felicis recordationis Urbano, Clemente, Coelestino, Innocentio et aliis praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus indulgentiae ac privilegia emanarunt, quorum multitudinem ad compendium duximus redigendam, singula eorum capitula praesentibus complectendo, quibusdam exceptis per obreptionem, ut videtur, obtentis, quae vel regulae vestrae contraria, vel inter se invicem dissona videbantur, ac aliis de novo adiectis, prout paci et tranquillitati vestrae vidimus expedire. In primis ergo statuimus, ut prior, qui pro tempore fuerit, plenam in spiritualibus et temporalibus habeat potestatem, et omnes clerici et conversi tam capitis, quam membrorum ei obediant absolute, idemque spiritualia cum clericis, et temporalia cum conversis disponet. Verumtamen in ordinatione spiritualium et temporalium licebit ei clericos et conversos, quos voluerit, et magis idoneos viderit, advocare et habere consilium eorumdem. Ipse quoque prior cuilibet cellae ordinis unum praeficiat sacerdotem, quem ad hoc idoneum reputaverit penes quem de ipsius prioris mandato cura spiritualium tam circa clericos, quam laicos omnino resideat, et omnes eidem reverenter obediant et intendant. Idemque sacerdos corrigendi tam clericorum, quam laicorum excessus plenam habeat potestatem, ita tamen quod nec curiosum a cura temporali deponere, nec aliquem ab ordine poterit removere; sed hoc soli priori servetur. Quicumque autem sive

Priori plenam in omnibus dat facultatem.

Poenae excessuum.

clericus, sive laicus, sive etiam ipse curiosus eius correctionem recipere recusaverit, tribus diebus continuis ad terram comedat grossiori pane et aqua, unoque tantum pulmento contentus, et si perseveraverit, ad priorem mittatur eius arbitrio puniendus.

Correctoris officium.

Porro ipse corrector semper diebus dominicis et festivis post primam, pro festis vero diebus in hyeme post tertiam, et post primam in aestate capitulum teneat, ad quod singulis diebus conveniant omnes clerici et conversi qui poterunt convenire, dominicis vero et festivis diebus conveniant omnes tam clerici, quam laici, eisque omnibus corrector in ipso capitulo praesit, ubi proponat ipse corrector, seu alius verbum Dei exponendo aliquod capitulum regulae, aut aliud, quod ad animarum aedificationem pertineat proponendo, idemque corrector corrigat et disciplinet, cum opus fuerit, omnes tam clericos, quam laicos, et statuta ordinis faciat ab omnibus observari, quae omnia in ipso capite adimpleri volumus per priorem vel per illum, cui prior ipse id duxerit iniungendum, hoc moderamine in correctionibus observato, ut correctio illorum delictorum dumtaxat, quorum emendatio sine priore secundum statuta vestri ordinis fieri potest, per ipsum correctorem fiat, itaut iuxta eius providentiam clerici per clericos, et conversi per conversos disciplinentur, ubi hoc excessus exegerint, et ordinis instituta requirent, nec ullus laicorum fratrum in confessionibus, poenitentiis, divinis officiis celebrandis et corrigendis excessibus clericocorum aliquam sibi auctoritatem usurpet, sed haec omnia per priorem et correctorem, sicut praenotatum est, impleantur.

De confessionibus.

Quaecumque peccata aliquis fratrum commiserit, alicui sacerdoti, qui cum eo fuerit in sua cellula, ea confitebitur, nec oportebit eum de necessitate cellulam occasione dicendae confessionis exire, et sacerdoti licebit illi poenitentiam iniungere, his peccatis exceptis, de quibus secundum statuta vestri ordinis nonnisi solus prior potest poenitentiam iniungere, de quibus tamen si manifesta non fuerint, presbytero, qui secum in cella morabitur, licebit iniungere poenitentiam confitenti. Haec autem volumus illibata servari non obstante conventione illa, quae in praesentia charissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris, et baronum suorum inter quosdam clericos et conversos vestri ordinis facta fuit, cum ea statutis Apostolicae Sedis in pluribus adversetur, et ideo eam vires nullas volumus obtinere.

Cura temporalium cui committenda.

Curam vero temporalium prior uni conversorum, quem discretiorem, et ad hoc magis idoneum viderit, in qualibet domorum exteriorum committat, qui eleemosynas, et alia bona domus recipiat, et ea in pios usus ac necessitatem domus provida consideratione convertat, hoc adhibito moderamine, ut curiosus ipse maiora negotia utpote aedificationes, venditiones, emptiones, obligationes, ac debitorum solutiones nunquam faciat sine correctoris consilio et assensu. Idem quoque curiosus de commissis sibi curis, et receptis omnibus ac expensis, reddat ad minus singulis mensibus rationem omnibus fratribus in communi, vel si nequiverint omnes commode interesse prudentioribus, quos corrector et curiosus duxerint advocandos, redditurus nihilominus rationem priori, cum audire voluerit, et eis, quibus idem prior in hoc vices suas duxerit committendas. Clerici per conversos mansionem non mutabunt, immo eorum mutatio de sola fiet voluntate prioris, licebit tamen converso curioso excessus clerici qui secum debet (1) nunciare priori, et similiter licebit clerico excessus laici nunciare priori, ut quod prior mandaverit impleatur.

De visitationibus domorum.

Ad amputandum quoque plenius audaciam excedendi, statuimus ut presbyteri, qui de mandato prioris in domibus de Vicenis de Bosco Raerii, et de Podio Caprarii cellis vestri ordinis per tempora correctoris officium obtinebunt, sint visitatores

(1) Forlasse *degit*.

Grandimonten. Ecclesiae speciales, iique semel in anno visitent ipsam domum et corrigant in ea tam in capite, quam in membris, quae corrigenda invenerint secundum Deum, et Grandimontensis ordinis instituta, et audiant de receptis et expensis omnibus rationem, et eorumdem visitatorum consilio annuatim prior, sicut moris est, in generali capitulo provideat presbyteros idoneos et discretos ad visitationem semel in anno per totum ordinem generaliter faciendam, qui bini et bini, uno converso assumpto, omnes cellas ordinis cum tanta potestate, quantam eis prior concesserit, visitantes corrigant et reforment, quae secundum regulam et instituta ordinis, ac Apostolicae Sedis statuta correctionis et reformationis officio viderint indigere. Statuta vero quae fient in generali capitulo ab omnibus observentur proviso, ut nulla fiant contra tenorem praesentis privilegii, vel regulae instituta; correctores et curiosi singularum cellarum annuatim conveniant in Grandimonte ad capitulum generale. Appellationes autem quae fuerint contra statuta regularia interiectae, praecipimus non admitti; domui vero Grandimontensi, quae caput est ordinis, ad arbitrium prioris, et trium principalium visitatorum provideatur taliter de bonis mobilibus aliarum domorum, ut fratres de aliis domibus venientes alibi necessaria quaerere non cogantur. Domo vero Grandimontensi destituta priore, omnes tam clerici quam laici totius ordinis praedictis tribus visitatoribus ipsius domus humiliter obediant et intendant, donec alius secundum regulam bulla nostra munitam fuerit substitutus. Hique interim curam ipsius domus et totius ordinis vice-prioris ita prudenter et fideliter gerant, ut dignam rationem reddere possint Deo, et etiam substituto priori si duxerit exigendam, non tamen potestatem aliquam habeant aliquem de fratribus a locis suis interim amovendi. Sane hi, qui relicto saeculo ad ordinem vestrum confugerint, priori,

De statutis in generali capitulo factis.

Appellationes contra statuta non admittendas;

qui pro tempore fuerit, et successoribus eius catholicis, vel si prior non fuerit, futuri prioris nomine dictis visitatoribus obedientiam et reverentiam absolute promittant. Liceat quoque vobis clericos et laicos liberos et absolutos e saeculo fugientes, dummodo iuxta statuta regulae vestrae vigesimum annum attingerint, ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, fas sit absque prioris sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem vero absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere, quod si quis forte retinere praesumpserit, licitum sit vobis in ipsos clericos vel conversos proferre sententiam regularem. Nullus praeterea clericus vel conversus (1) unquam proprium habeat nec etiam arcam: deposita vero in ordine vestro deinceps recipi prohibemus: prior lectum suum habebit in dormitorio, et dormiet cum fratribus, dum sanus fuerit. Illud vero districtius inhibemus, ne aliquis clericus ordinis vestri nisi prior, vel qui hoc fecerit de mandato prioris, fratres suos excommunicare praesumat. Silentium vero tam in capite, quam in membris in ecclesia, in claustro, in refectorio et in dormitorio ab omnibus continue observetur, et tam in capite, quam in membris, in quibus conventus fuerit, claustrum ita servetur, ut nullus exeat, nec loquatur alicui sine licentia prioris vel eius, cui commiserit vices suas; in ipso etiam claustro sub eadem observantia resideant laici diebus dominicis et festivis. Transgressor autem in capitulo verberetur, et pane et aqua sit ipsa die contentus, et ut quae de silentio praemissa sunt commodius valeant observari, statuimus ut habeatis de caetero certa signa, quibus, cum expedierit, possit unus alteri, sine silentii laesione, suam innuere voluntatem: cura significandi horas in singulis cellis, sicut et in

De fratribus recipiendis.

Proprium nulli fratres habeant.

De silentio servando.

Nonnullae aliae regulae.

(1) Addendum forsitan *nihil*

capite, alicui fratri clerico committatur, qui ita provideat, ut omnia horis competentibus compleantur, et fratres qui fuerint in laboribus, ad collationem convenire valeant competenter. Ad quam collationem, necnon ad refectionem idem clericus campanam pulset: vasorum quoque altaris et sacrarum vestium penes clericos erit conservatio, eorum videlicet, quae ad quotidianum usum pertinent; alia vero vasa et sacrae vestes in custodia unius clerici, et unius conversi consistant, quos prior ad hoc magis idoneos elegerit: librorum omnium penes clericos erit conservatio. Regulae vero, et praesentis privilegii, ut nihil possit addi vel minui, unum volumen volumus esse penes clericos, et aliud penes conversos, et tertium in capitulo. Prioris et clericorum erit ecclesiastici officii ordinatio. Praeterea domum et loca vestra cum omnibus, quae in praesentiarum iuste et pacifice possidetis secundum vestrae regulae instituta, vel in futurum secundum eamdem concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modi parante Domino, poteritis adipisci, vobis et successoribus vestris confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus, statuentes ut ea firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant. Praeterea priori vestro, qui pro tempore fuerit, tonsurandi fratres vestros clericos, et pannos eorum benedicendi licentiam indulgemus. Caeterum si rex, vel archiepiscopus, aut episcopus, seu aliquis princeps cellas vestri ordinis intrare voluerit, secum quatuor viros minime suspectos introducere possit. Communitas et aequalitas sit omnibus vobis tam clericis, quam conversis in cibo et potu, in refectorio et in dormitorio, et de communibus pannis sine differentia vestiemini: eleemosynae, et eleemosynarum quantitas, earumque datores dicentur publico in singulis quibus datae fuerint cellulis, et aut sequenti die, quo datae fuerint, et tali hora in qua possint omnes fratres tam clerici, quam laici convenire. In nulla vero cella de caetero unus tantummodo frater clericus collocetur, sed ea potius in hoc adhibeatur discretio, ut ubi sex conversi fuerint, tres clerici, ubi octo conversi, quatuor clerici, ubi decem conversi, quinque clerici, ubi duodecim conversi, sex ad minus clerici statuantur, ubi vero duodenarium numerus excesserit conversorum, in arbitrio prioris existat multiplicare clericos et conversos, prout visum fuerit expedire. Hoc autem dicimus, si in ordine vestro tot poterunt clerici reperiri, si vero clericis placuerit ut exeant ad laborem, exeant cum conversis, et cum eis pariter revertantur, semper tamen corrector, vel sacerdos loco eius dimissus in cella remaneat, ne desit aliquo modo sacerdos, quod si forsan clericus contra regularem statutum excesserit exeundo contra eum, vel a clerico, vel converso in capitulo proclametur, ubi tandem non iudicetur per laicum, sed per correctorem presbyterum regulariter corrigatur. Prohibemus insuper ne clerici a cellis, in quibus fuerint, sine causa transferantur honesta, et hoc ipsum cum fuerit faciendum, fiat provide a priore, adhibito sine praeiudicio auctoritatis ipsius discretorum consilio clericorum. Si qui autem ex iuxta causa fuerint transferendi, nec librum, nec scripturam, nec aliquid penitus secum ferant, nisi quantum eis fuerit de prioris concessione permissum, sed nec conversi, cum eos mutari contigerit, aliquid secum ferant sine prioris licentia speciali. Sane laborum vestrorum quos infra metas vestras propriis manibus aut sumptibus colitis, de terris habitis ante concilium generale, necnon de novalibus nullus a vobis decimas exigere aut extorquere praesumat. Pro consecrationibus vero altarium vel ecclesiarum, et ordinationibus clericorum, sive pro Oleo sancto, vel quolibet ecclesiastico sacramento, nullus a vobis sub obtentu alicuius consuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere, sed haec

Loca omnia eis confirmantur

Priori clericos tonsurandi dat facultatem.

Communis vita servanda.

De numero clericorum in domibus ponendorum.

Novalia eximit a decimis

Sacramenta a dioecesano episcopo statuit recipienda.

omnia gratis vobis a dioecesanis episcopis impendantur; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam atque communionem Apostolicae Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatur impendat. Porro si episcopi, vel alii Ecclesiarum rectores in Ecclesias vestras, vel personas inibi constitutas excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros pro eo quod, sicut dictum est, decimas non persolvitis, seu aliqua occasione illorum, quae a benignitate vobis apostolica sunt indulta, seu benefactores vestros pro eo, quod vobis aliqua beneficia vel obsequia ex charitate praestiterint, vel ad laborandum adiuverint in illis diebus in quibus vos laboratis, et alii feriantur *etc.*, decernimus irritanda. Sane cum locus vester longe sit ab hominum habitatione semotus, vobis pagina praesenti concedimus, ut cum generale terrae fuerit interdictum, liceat vobis unius campanae pulsatione fratres vestros competentibus horis de laboribus ad ecclesiam convocare. Hoc autem, et in aliis locis vestris concedimus observari, quae a civitatibus, castris, ac vicis adeo separantur, ut in eis sonus campanae vestrae minime audiatur; ad haec omnibus regulam vestram servantibus, laborem loco poenitentiae, et peccatorum suorum remissione iniungimus quem in ipsa observantia patiuntur. Vobis autem firmiter iniungimus ut sitis contenti statutis regulae vestrae, et hoc privilegio tantum, nos enim alia privilegia sive indulgentias decernimus non tenere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam domum temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur eorum, pro quorum gubernatione et substentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei, ac Domini Redemptoris Nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem domui iura servantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Excommunicationes sine iusta causa contra eos latas irritat.

Clausulae.

Datum Laterani per manum Raynerii sanctae Romanae Ecclesiae vice-cancellarii, kalendis martii, indictione septima, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo decimonono, pontificatus vero domini Honorii Papae tertii anno tertio.

Dat. die 1 martii 1219, pontif. anno III.

XXXIII.

Confirmatio statutorum ordinis Vallis-Scholarium ordinis Cisterciensis (1).

SUMMARIUM

Regulae Vallis-Scholarium — Confirmantur. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori et conventui Vallis-Scholarium, salutem et apostolicam benedictionem.

Exhibita nobis ex parte vestra petitio continebat, quod cum de prudentum virorum consilio certam vivendi formam elegeritis iuxta beati Augustini regulam observandam, de approbatis religionibus quasdam institutiones proinde assumpseritis, quod tu scilicet, fili prior, et successores tui, omnibus Ecclesiae tui ordinis, de more Cisterciensium visitationis officium, sine ulla rerum temporalium exactione impendatis, et tres primae

Regulae Vallis-Scholarium.

(1) Ex Gall. Christ., n. c, tom. 4.

filiae ipsius ordinis visitandi matrem de more Cisterciensium fratrum habeant facultatem, et quod priores forenseci semel in anno tempore statuto apud ecclesiam vestram convenientes in unum celebrent more dictorum Cisterciens. capitulum generale; necnon etiam ut scapularia fratres deferant laborantes, camisias autem lineas non habeant, nec in dormitorio culcitras, sani carnibus non vescantur, nisi debiles et aegroti. Unde nobis humiliter supplicastis, ut institutiones praedictas apostolico dignaremur munimine roborare. Nos autem vestris postulationibus inclinati, personas vestras et loca in quibus divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quae in praesentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis, praestante Domino, poteritis adipisci, sub protectione beati Petri suscipientes, praesentis scripti patrocinio communimus. (Confirmantur.)

Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostrae protectionis et confirmationis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum apostolorum eius se noverit incursurum. (Clausulae.)

Datum Laterani nonis martii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 7 martii 1219, pontif. anno III.

XXXIV.

Innovatio quorumdam capitulorum super reformatione Cassinensis coenobii quolibet mense recitandorum (1).

SUMMARIUM

Innocentius PP. statuta nonnulla Cassinatibus praecepit: — Ea renovat Honorius. — De victu et vestitu abbatis. — Histriones non admittendi. — Moderatio ab abbate servanda. — De communi vita. — De cura infirmorum. — De hospitali. — De sacrorum custodia. — Poenae contra proprietarios. — Et contra male viventes. — Colloquia mulierum evitanda. — Nil de bonis monasterii alienandum. — De praepositis, et abbatis in eos auctoritate. — De male viventibus puniendis. — Clerici ad forum saeculare non trahendi. — Ratio de administrationibus reddenda. — Haec statuta servanda. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Cassinensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum bonae memoriae Innocentius Papa praedecessor noster ad reformationem monasterii vestri curam et sollicitudinem debitam adhibens, capitula quaedam statuerit, per quae fideliter observata monasterium ipsum, auctore Domino, et temporalibus commodis et spiritualibus proficiet incrementis; nos ad profectum ipsius non minori desiderio aspirantes, eadem ipsius inhaerendo vestigiis quibusdam tamen adiectis duximus innovanda. In primis igitur, ut membra capite sano facilius convalescant, et ad praelati exemplum subditi componantur, statuimus quatenus Cassinensis abbas utatur calciamentis et vestibus secundum beati Benedicti regulam. Pannis videlicet, quibus bonae memoriae Raynaldus et Petrus de Insula aliique ipsius loci religiosi abbates usi esse noscuntur, et abstineant prorsus a carnibus nisi cum minutus, vel medicinatus, aut infirmus, seu valde debilis fuerit, et in capitulo quando superior in monasterio moram fecerit, nisi evidens causa praepediat, singulis diebus intersit, ac semper cum illis hospitibus comedat quos oportet et decet sui praesentia honorari, et tunc nihilominus ipse ac monachi comedentes cum eo carnibus non vescantur, nec ibi, aut in aliis locis ubi abbas reficitur admittantur ullatenus histriones, qui si quando se forsan ingesserint importune, detur eis cibus extra mensam abbatis solummodo propter Deum, quo contenti, a gesticulationum, seu verborum ineptiis abstinere penitus compellantur, nec abbas vel monachus aves (Innocent. PP. statuta nonnulla Cassinatibus praecepit.) (Ea renovat Honorius.) (De victu et vestitu abbatis.) (Histriones non admittendi.)

(1) Ex Regest. Vatic.

Moderatio ab abbate servanda. aut canes venaticos habeat, nec azolum sive aurum in sellis habere praesumat, aut frenis utatur ullatenus deauratis, nec ullus obedientialis monasterii (1) numerum duarum equitaturarum, et totidem servientum excedat. De communi vita. Porro abbas cum pro emergentibus negotiis equitabit, ducat moderatam familiam, et honestam, et tam apud Sanctum Germanum, quam apud alia monasterii castra, in quibus ipsum manere continget, tres aut duo de senioribus monachis vitae probatae religionis et famae semper in una camera iaceant cum eodem, aliis monachis, qui secum fuerint, in uno loco comedentibus et iacentibus, ita quod nullus cameram habeat specialem, ut sic melius Sathanae obvietur astutiis, et ora iniqua loquentium facilius obstruantur; monachi vero in monasterio consistentes tam obedientiales, quam alii in communi dormitorio iaceant, et communi comedant refectorio, nec quisquam illorum obedientialium, aut alius superior in monasterio servientes habeat speciales, nec specialia sibi faciat fercula praeparari, sed omnes pulmentis utantur communibus, infirmis dumtaxat exceptis, qui et ipsi omnes simul in infirmatorio comedant, nisi forsan, De cura infirmorum. qui tanta debilitate laborant, ut a lectis discedere sine difficultate non possint: sub infirmario autem alius statuatur monachus bonae conversationis, vel laicus, qui assiduam in infirmatorio faciens residentiam die ac nocte, infirmatorum singulorum et omnium curam gerat: De hospitali. hospitale quoque, restitutis sibi omnibus subtractis eidem, taliter reformetur, ut infirmi et pauperes confugientes ad illud solatia ibi recipiant consueta: sub hospitalario nihilominus alio monacho, vel religioso laico constituto, qui de die in hospitali permanens, et de nocte fideliter pauperibus amministret. Monachis vero aliorum monasteriorum, cum ad ipsum monasterium declinaverint, benigne sicut ipsius loci fratribus ministretur. De sacrorum custodia. In superiori etiam sacristia constituatur aliquis monachus providus et honestus, qui res sacras custodiat diligenter, nec a ministerio removeatur huiusmodi, quamdiu bene ac laudabiliter ministrabit: sacerdotes ordinentur de senioribus ad hoc officium exequendum idoneis, ut non sit in monasterio penuria, sed copia sacerdotum. Simon de Collealto, Ioannes de Collimento, et illi etiam monachi, qui praesumpserunt cum Adinulfo quondam abbate coniurare vel rebellare contra Romanam Ecclesiam, seu monasterium Cassinense, semper in conventu morentur, ita quod nulla obedientia committatur eisdem, donec emendaverint in melius vitam suam. Poenae contra proprietarios. Quia vero quidam ex vobis in animarum suarum perniciem habere proprium non verentur, statuimus, ut illud resignare in usus monasterii convertendum, sub religione iuramenti, si necesse fuerit, compellantur, et si de caetero aliquis ipsius loci monachus proprium habere fuerit deprehensus, sine spe restitutionis a monasterio expellatur: cum nos omnes huiusmodi proprietarios decreverimus excommunicationis sententiae subiacere. Si vero apud aliquos in morte proprium contigerit inveniri, ecclesiastica careant sepultura. Caeterum si alicui monachorum aliquid a quocumque specialiter datum fuerit, illud abbati vel decano resignet, sed ipse abbas vel decanus necessitatibus eius inde faciat provideri, sicut viderit expedire, nec ea, quae sunt ad refectiones, aut vestes, seu aliis monachorum necessitatibus deputata, inter eos de caetero dividantur, sed conserventur per illos quibus fuerit haec sollicitudo commissa, et pro ipsorum monachorum necessitatibus utiliter expendantur. Nec claustralium aliquis praebendas, vel redditus habeat, extra claustrum, et eis, qui noscuntur habere penitus auferantur. Decanus quoque habere duplicia vestimenta et specialia cibaria

(1) *Obedientialis* et *obedientiarius*, qui officia in monasteriis exercebant, aut in obedientias, cellas nimirum et prioratus, administrandas mittebantur.

non praesumat, et monachus vetera reddat, quandocumque nova receperit indumenta. Et cum apud vos iam quasi pro consuetudine dicitur obtinere, ut cum monachum aliquem religiosum, aut garrulum, inobedientem, aut etiam impudicum in vestro contigit collegio inveniri, abbas eius seditiones evitans, obedientias, ecclesias, et alia bona monasterii det eidem, unde mali quasi de sua malitia commodum reportantes, prolabuntur saepius ad peiora, et alii quoque ad dissensiones et scandala incitantur, volumus et mandamus, ut abbas viros honestos, obedientes, religiosos et graves sincera tractare studeat charitate; inhonestos vero, ac inobedientes, dissolutos, et leves, cum decani et seniorum consilio iuxta monastica puniat instituta, ut sic boni de bono provocentur ad melius, et mali a sua malitia revocentur. Claustralibus autem absque manifesta et necessaria causa exeundi a claustro licentia nullatenus tribuatur, cum periculosum sit talibus saecularium caetibus admisceri, nec sub consanguinitatis praetextu infra monasterii ambitum colloquium habere cum mulieribus iuniores monachi permittantur, nisi praesentibus ad minus duobus monachis senibus et honestis. Ad imitationem quoque felicis memoriae Lucii Papae praedecessoris nostri statuimus, ut abbas possessiones demanias monasterii alienare vel infeudare non possit, adiicientes ut idem tam molendina, quae bonae memoriae abbas Roffridus in gravem alienavit monasterii laesionem, quam alia, quae de ipsius monasterii demanio alienata sunt illicite, vel distracta, seu male concessa, ad opus eiusdem studeat legitime revocare. Praeposituram vero Ecclesiarum suarum conferat monachis prudentibus et honestis, quos faciat iuramento firmare, quod non alienabunt ipsorum possessiones et iura: quod si forte praesumpserint, ipsos perpetuo a ministerio sine spe restitutionis decernimus amovendos, alias graviter puniendos. Dicti autem praepositi singuli certos modestos et consuetos redditus reddant monasterio annuatim secundum Ecclesiarum, quibus praefuerint, facultates, et ut sicut mali de malitia poenam, ita boni de bonitate praemia consequantur: abbas praepositos ipsos a praeposituris, in quibus eos bene administrasse constiterit, non amoveat absque necessitate vel utilitate monasterii manifesta. Monachos vero de castris et villis ad claustrum peaecipimus revocari, nisi forte ad custodiam illarum monitionum, quae fuerint in finibus abbatiae, sint aliqui necessarii, quos ibi pro tempore tolleramus, quibus abbas iniungat in virtute obedientiae, ut quantum poterunt religiose viventes personam in iudicio non accipiant, sed aequaliter iustitiam faciant pauperi ac diviti, debili ac potenti. Eos vero, qui declinabunt ad dexteram vel sinistram, debita severitate puniat ipse abbas, in quorum poena si negligens fuerit, aut remissus, apostolicae correctionis experiatur sententiam in se ipso. Ipse vero nullum invitum agere, vel accusare compellat, nec praeponat iudiciis venditores iustitiae, sed viros timentes Deum, et peritos in iure, qui sine acceptione personarum exhibeant iustitiam, conquaerentibus interdicto penitus, ne aliquod fiat pactum, ut aliquid curiae monasterii serviatur pro iustitia facienda. Clericos autem abbatiae in spiritualibus et temporalibus ad forum trahi non faciat saeculare, sed ad ecclesiasticum potius, ne (1) patiatur sacristiam ab eis exigere ultra duas procurationes in anno, sicut olim fieri consuevit. Praeterea cum consilio conventus, vel maioris et sanioris partis eligat duos de ipso, qui iurati proventus obedientiarum quae consueverant teneri per monachos a balivis diligenter recipient, et de mandato abbatis cum consilio conventus, vel maioris partis ipsius eos in debitorum solutione convertant, reddituri coram abbate ac

Et contra male viventes.

Colloquia mulierum evitanda.

Nil de bonis monasterii alienandum.

De praepositis, et abbatis in eos auctoritate

De male viventibus puniendis

Clerici ad forum saeculare non trahendi.

(1) Legendum putamus *nec*.

Ratio de administrationibus reddenda.

conventu, balivis praesentibus, de receptis et expensis singulis mensibus rationem. Et tam monachi quibus castra, quam illi quibus Ecclesiae committuntur, personaliter ad claustrum in festo dedicationis monasterii annuatim accedant rationem villicationis suae coram abbate decano et aliis reddituri. Quod observandum statuimus etiam circa ipsius monasterii thesaurarium, cellerarium, infirmarium, hospitalarium, et sacristam, ut qui laudabiliter egerint, debita fratrum commendatione laetentur, qui vero male, confusione ac ignominia perfundantur. Ad haec thesaurarius, cellerarius et infirmarius singulis diebus sabbathi ad monasterium, secundum consuetudinem antiquam et approbatam, accedant in claustro cum fratribus usque ad secundam feriam moraturi, quod et abbas facere studeat cum poterit competenter. Supradicta ergo capitula praecipimus inviolabiliter observari, et ne quis se per ignorantiam valeat excusare, volumus et mandamus, ut ea singulis mensibus et (1) fratrum praesentia recitentur. Quod si in observantia praedictorum inventi fueritis tepidi, vel renuisse, cum fructum ex vinea vobis commissa faciemus requiri, perditis male malis, vineam ipsam aliis agricolis profecto locabimus, qui reddant Domino temporibus suis fructum, cum iam non restet aliud vineæ faciendum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Haec statuta servanda.

Clausulae.

Datum Laterani secundo nonas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 4 aprilis 1219, pontif. anno III.

(1) Legendum forsitan *in*.

XXXV.

Commissio super inquisitione vitae ac miraculorum beati Hugonis episcopi Lincolniensis (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Miracula ad sepulchrum B. Hugonis patrata.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Cantuarien. sanctae Romanae Ecclesiae cardinali, et episcopo Conventren., et dilecto filio abbati de Fontibus Cistercien. ordinis Eboracen. dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Ut iuventus Ecclesiae, sicut aquilae renovetur, cum simus in quos fines saeculorum secundum Apostolum devenerunt, innovat signa Dominus, et immutat mirabilia magnifice mirificans sanctos suos ad confirmandam catholicae fidei puritatem, et pravitatem haereticam confutandam, ad convertendum incredulos, ad iustorum scientiam, et corda fidelium in sui Conditoris amorem suaviter accendendum. Sic enim fulgura in pluviam facit Dominus, cum miraculorum coruscationibus gloriosis Ecclesiam suam sanctam dignatur salubriter faecundare. Quis enim videns electos Ecclesiae post finem huius vitae felicem novis coruscare miraculis, capiti eius, Christo videlicet, non cupiat inseparabiliter adhaerere, ut unus spiritus sit cum eo, aut quomodo ei obsequi denegabit, qui sibi obsequentibus dans virtutes tanta praemia elargitur, ut haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi effecti gloriae regni caelestis insignia, quam feliciter obtinent, miraculose revelent in terris, et quidquid petierint fiat eis? Sane gratias agimus gratiarum omnium Largitori, quod sicut ex vestris, fratres archiepiscope et episcope, ac venerabilis fratris nostri Eboracen. archiepiscopi, necnon aliorum omnium episcoporum Angliae, litteris fuit expositum coram nobis, gratiam

(1) Ex Regest. Vatic.

et gloriam dans Dominus, tanta sanctae memoriae Hugonem Lincolniensem episcopum praevenit, et subsequutus est gratia, ut multas per eum in vita ipsius virtutes dignaretur mirabiliter operari, et nunc diebus istis tanta eum clarificavit gloria, ut ad dandam scientiam primae stolae beatae immortalitatis ipsius sepulchrum, ubi corpus requiescit, eiusdem stola tandem beatificandum secunda, divinis faciat coruscare miraculis, ita quod eius inter alios sanctos non invocari suffragia sit indignum, cum lucerna super candelabrum sit ponenda, ut omnes, qui sunt in domo ipsius gaudeant beneficio claritatis. Quare nobis fuit humiliter supplicatum, ut eum sanctorum cathalogo faceremus adscribi, vel saltem super praemissis inquiri diligentius veritatem. Licet igitur tot et tantorum testimoniis plenam fidem nos deceat adhibere; volentes tamen in tam arduo facto cum omni maturitate procedere, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus tam super vita praedicti Sancti, quam miraculis ante mortem et post mortem, necnon aliis huiusmodi negotii circumstantiis inquiratis diligentius veritatem, et quae inveneritis, nobis fideliter rescribatis, ut per vestram relationem instructi procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur.

Miracula ad sepulchrum B. Hugonis patrata.

Datum Romae apud Sanctum Petrum quinto kalendas maii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 27 aprilis 1219, pontif. anno III.

XXXVI.

***Iacobo Aragonum regi, eiusque regno, et bonis apostolicae protectionis clypeus indulgetur* (1).**

SUMMARIUM

Exordium. — Regem, regnumque Aragonis sub protectione S. A. suscipit. — Clausulae.

(1) Ex Regest. Vatic.

Honorius episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Iacobo Aragonum regi illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sacrosancta Romana Ecclesia pia mater devotos et humiles filios ad pietatis suae gremium recurrentes, non solum honorat amplexibus, verum etiam maternae consolationis nutrit uberibus, et exaltat, illos dumtaxat diligentiori studio refovens, quos magis suae recreationis cernit solatio indigere. Huius nempe matris dulcedinem non immerito gustare desiderant reges et principes orbis terrae pro certo scientes, quod si eius prudenter receperint disciplinam, ut et benedictionis suae mereantur gratia confoveri, nulla eis poterit nocere adversitas, quin procedant prospere, atque regnent. Hac itaque consideratione inductus, nobis, fili charissime, supplicasti, ut te sub alarum nostrarum umbra dignaremur protegere, ac protectionis apostolicae clypeo communire. Nos igitur clarae devotionis et fidei puritatem, quam ad Deum et ipsam Ecclesiam progenitores tuos habuisse didicimus recolentes; attendentes quoque, quod te inclytae recordationis M....... regina Aragonum mater tua cum terra et aliis bonis tuis eidem Ecclesiae commendavit; agens dudum apud Sedem Apostolicam in extremis, nostrae tibi dilectionis praecordia dignum duximus aperire, quatenus qui in aetate tenera esse dignosceris constitutus, dum favoris apostolici brachiis substentatus fueris, roborari adiuvante Domino valeas et suscipere incrementum. Regiis itaque supplicationibus inclinati, personam tuam, regnum Aragoniae, terram Cathaloniae, villam et terram Montis Pessulani cum omnibus aliis bonis tuis, quae in praesentiarum rationabiliter possides, vel in futurum iustis modis praestante Domino poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat

Regem regnumque Aragonis sub protectione S. A. suscipit.

Clausulae. hanc paginam nostrae protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, octavo idus maii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 8 maii 1219, pontif. anno III.

XXXVII.

Facultas archiepiscopo Salisburgensi concessa erigendi novum episcopatum in Ecclesia Sechowien. (1).

SUMMARIUM

Salisburgen. archiepiscopi pastoralem curam commendat. — Quibus de causis, quibusve conditionibus erigi Ecclesiam velit. — Quae praemiserit Honorius antequam petitis annueret. — Quae dioecesis Ecclesiae erigendae fuerit assignata. — Gurcensi episcopo nullum damnum illatum. — Erectionem fieri concedit.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Ebraudo Saliburgen. archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Salisburgensis archiepisc. pastoralem curam commendat. Quod non tua, sed quae Christi, vel potius quae Christi et tua sunt, sedula meditatione requiras, opera tua testimonium perhibent evidenter, dum commisso tibi gregi prodesse desiderans, potius quam præesse, animarum lucrum, sicut decet Domini sacerdotem, praefers quaestui temporali, quin etiam ne non tam eas pascere, quam depascere videaris, carnalia, quae posses metere in eisdem voluntarius offers spiritualia seminanti, sicque fit ut ministrum Christi, et dispensatorem mysteriorum Dei te faciens extimari, tuum honores in Domino ministerium, teque reddas omnibus honorandum, et favorem nostrum ex his eo specialius tibi vindices, quo nostris beneplacitis expressius te coaptas. Prudenter enim recogitans quod Salisburgen. dioecesis usque adeo est diffusa, quod non sufficias universis habitantibus in eadem pastorali sollicitudine imminere, timensque ne non sit, qui parvulis lac doctrinae vel provectis cibum solidum amministret, aut quod infirmum est in eis consolidet, aut alliget quod confractum, olim per dilectum filium Carolum Frisacen. praepositum per litteras tuas nobis humiliter supplicasti, ut in Sechowien. Ecclesia tuae dioecesis episcopalem sedem creandi tibi licentiam concedere dignaremur. Parato de assensu capituli tui unam dietam ei, et dimidiam in dioecesi, et trecentas marchas in redditibus assignare, itaut per omnia ipsius Sechowien. Ecclesiae, iure salvo, nihil de bonis ipsius ad episcopalem cathedram transferatur, nec ullum exinde in dignitatibus, libertatibus et consuetudinibus ac rationibus Salisburgensi capitulo praeiudicium generetur. Unde licet forsan eo minus ad hoc insufficiens debeas reputari quo insufficientiam alligas instantius; nos tamen tuum propositum dignis in Domino laudibus commendantes, et precibus tuis eo favorabilius annuentes, quo rarius eis similes, et frequenter nobis dissimiles, vel potius contrariae porriguntur, ut res tam ardua sine omni offensione procederet, venerabili fratri nostro Frisingen. episcopo, et dilectis filiis Brixinen. electo, et abbati Admunten. nostris dedimus litteris in mandatis, ut huiusmodi negotii circumstantias sollicite inquirentes, et specialiter si hoc Salisburgensi Ecclesiae expedire viderent, et ad id capituli eiusdem assensus accederet, necnon si Sechowien. Ecclesia ex hoc servaretur indemnis, et utrum esset sufficiens et idonea futuri episcopi provisio praetaxata, diligentius indagantes, rescriberent nobis super his omnibus fideliter veritatem, qua cognita, de consilio fratrum nostrorum procederemus auctore Domino inoffense. Episcopus vero et abbas prae-

Quibus de causis, quibusve conditionibus erigi Ecclesiam velit.

Quae praemiserit Honorius antequam petitis annueret.

(1) Ex Regest. Vatic.

dicti, sicut suis nobis litteris intimarunt, quia praedictus electus crucesignatus in procinctu quasi peregrinationis positus, huic negotio interesse non poterat, ad Salisburgensem Ecclesiam personaliter accedentes, consensum capituli ad hoc invenere paratum, et quantum tam ibi, quam alibi super hoc poterant edoceri, didicerunt hoc Salisburgensi. Ecclesiae absque dubio expedire. Praepositum quoque, et capitulum Sechowien. personaliter alloquti acceperunt responsum, quod, et Sechowien. Ecclesia illaesa remaneret penitus et indemnis, et ut eorum verbis utamur, terminos novae dioecesis extendi usque ad dietam et dimidiam invenerunt, parochiam videlicet Chinibenz cum omnibus suis pertinentiis, in qua sita est Ecclesia Sechowien. usque ad finem parochiae Sancti Laurentii in longo. Ecclesiam vero Sanctae Mariae in Bracher usque ad finem parochiae Lemsniz in latum cum omnibus ecclesiis, mediis et earum pertinentiis et cappellis, quae sunt in earum terminis constitutae. Redditus autem futuro episcopo assignandos invenerunt Ecclesiam Vanstorf, et triginta mansos de nemore, quod est apud fluvium, qui vocatur Gerol, ecclesiam Libenz, ecclesiam Vogan, ecclesiam Rabe cum omnibus pertinentiis earumdem, salvo tamen iure personarum, quae ibi hactenus Domino servierint, curiam quoque decimalem in Saccah, et domum in Frisaco, quam a nobili muliere Emma, et domum in civitate Salisburgen., quam ab Henrico cive Salisburgen. emisti, ex quibus omnibus secundum aestimationem bonorum virorum trecentarum marcarum redditus plenarie provenire creduntur, de quibus futurus episcopus honorifice poterit sustentari. Unde nobis per eumdem praepositum, et litteras tuas iterum cum instantia supplicasti, ut cum paratus sis, et dioecesim, et redditus, sicut superius est expressum, futuro episcopo assignare, tibi facultatem creandi novum episcopatum in praedicta Sechowien. Ecclesia traderemus, ita quod electio ac investitura eiusdem episcopi ad te ac successores tuos absque omni contradictione pertineat, de quorum bonis idem episcopatus dotatus noscitur et ditatus. Gurcen. autem episcopus, qui vicarius Salisburgensis antistitis in sua dioecesi esse dignoscitur, in illo quoque sit episcopatu vicarius, quantum archiepiscopalis exigit iurisdictio, ne in hoc etiam ius ipsius grave dispendium patiatur. Nos igitur, habito fratrum nostrorum consilio, quia tuum in hac parte propositum ad divini nominis gloriam, et christianae religionis augumentum intelleximus pertinere, favore illud apostolico prosequentes postulata concedimus, sicut superius sunt expressa, sine iuris praeiudicio alieni. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Quae dioecesis Ecclesiae erigendae fuerit assignata.

Gurcensi episcopo nullum damnum illatum.

Erectionem fieri concedit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum per manum Raynerii sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarii, decimo kalendas iulii, indictione octava (1), incarnationis dominicae millesimo ducentesimo decimonono, pontificatus vero domini Honorii Papae tertii anno secundo (2).

Dat. die 22 iunii 1219, pontif. anno III.

XXXVIII.

Annullatio quorumdam statutorum a Fulginatibus contra libertatem ecclesiasticam editorum, ac relaxatio sententiarum contra eorumdem fautores (3).

SUMMARIUM

Dolet de Fulginatum audacia. — Dicta iis dies: — Statutaque ab iis contra libertatem ecclesiasticam irritata: — Eaque observare volentes excommunicati.

(1) Lege *septima*. (2) Lege *tertio*. (3) Ex Regest. Vatic.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis potestati, consiliariis et populo Fulginatibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Dolet de Fulginatum audacia.

Romana Ecclesia quae illius exemplo, a quo magisterium obtinet, et primatum, in suis membris offenditur, et (1) contemni eam contigit, et sperni, dolorem ex causa conceperat, cum vos membrum eius, videlicet Fulginatensem Ecclesiam ignominia et confusione replentes, statuta quaedam in ipsius subversionem feceritis libertatis: et quidem cum esse sciatis eamdem Fulginatensem Ecclesiam matrem vestram, a cuius magisterio animas non eximitis corporibus digniores, cavendum vobis fuerat ne ipsam, quae sacri vos regeneravit unda Baptismatis, et cuius estis eruditi doctrina, statutis hominum subderetis. Porro cum sicut fuit vobis desuper inspiratum, ven. fratri nostro Hugoni Hostien. episcopo tunc Apostolicae Sedis legato, dum per vos reditum faceret, quod super his nostris staretis beneplacitis, et mandatis iuramentum exhiberetis, et mille librarum Lucensis monetae fideiussoriam cautionem solveretis, et tu, fili potestas, nomine Fulginatis civitatis propter hoc nostro te conspectui praesentasses; nos sub dissimulatione sustinere nolentes, divinis obviantia institutis in subversionem libertatis ecclesiasticae attentata, per quae maternum persequimini uterum existentes maledictionis filii et doloris, leges iniquas, et statuta illicita praesumpta per vos contra iurisdictionem et honorem Sedis Apostolicae, ac ecclesiasticam libertatem, cum ad res ecclesiasticas extenderitis manus vestras, de quibus nullis laicis disponendi reperitur attributa facultas, penitus irritamus, ea fore cassa et inania decernentes. Quocirca praesentium vobis auctoritate sub eiusdem debito iuramenti et praedicta poena districte praecipiendo mandamus, quatenus dicta statuta, quorum transcripta vobis sub bulla nostra transmittimus introclusa, ubicumque scripta fuerint, abradatis, et destruatis omnino, ea nullo tempore observantes, et similia de caetero non facturi, et ad hoc ipsum potestates et consules vestros, qui pro tempore fuerint, iuramenti vinculo astringentes, id poni et contineri semper in vestris constitutionibus faciatis; si quid etiam praeter haec fuerit, quod forsitan occultastis, redundans in libertatis ecclesiasticae detrimentum, faciatis similiter aboleri, quod si secus, quod non credimus, ageretis praesumendo similia facere, aut praedicta resumere, vel servare, omnes actores, consiliatores et observatores eorum praeter periurii reatum, et poenae periculum superius annotatae, sententiam excommunicationis incurrant, et cassa et irrita statuta quae fecerint vel resumpserint habeantur. Quia vero dissolvendae sunt colligationes impietatis, et fasciculi deprimendi, ne sub velamine praestiti iuramenti a vobis de servandis statutis iniquis, quod potius periurium est dicendum, possitis excusationem assumere in peccatis; nos illud vergens in vestrarum animarum dispendium relaxantes, vos ad eiusdem observantiam iuramenti, a quo nunciamus penitus absolutos, dicimus non teneri. Volumus etiam, auctoritate vobis praesentium sub debito praestiti iuramenti, et eadem poena firmiter iniungentes, ut infra quindecim dies post reditum tui, fili potestas, pignora quingentarum librarum Lucensis monetae venerabili fratri nostro Assisinati episcopo nomine nostro pro facienda restitutione ablatorum et satisfactione plenius exhibenda, venerabili fratri nostro episcopo, et dilectis filiis clericis, et Ecclesiis Fulginatibus, salvis aliis omnibus mandatis apostolicis, assignetis.

Dicta lis dies.

Statutaque ab iis contra libertatem ecclesiasticam irritata.

Easque observare volentes excommunicati.

Datum Reate septimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 26 augusti 1219, pontif. anno IV.

(1) Forsitan *et*.

XXXIX.

Tusculanis episcopis conceditur ecclesia Sanctae Mariae in Monasterio in Urbe ad habitaculum (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Concessio. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, Nicolao episcopo Tusculano, eiusque successoribus canonice instituendis, in perpetuum.

Exordium. Etsi de universis fratribus et coepiscopis nostris curam et sollicitudinem gerere teneamur, et eorum commoda quantum commode possimus relevare, spiritualiter tam circa illos, qui locum in Ecclesia Romana sortiti nobiscum suscipere sollicitudinis onera iugiter patiuntur, exuberare debet nostrae charitatis affectus, quatenus sentiant honorem ex onere, ac ad exemplar ordinum supernorum, quanto vicinius nobis assistere meruerunt, tanto amplius in nostra mutuo ferveant charitate.

Hinc est, venerabilis frater, quod cum Tusculanus episcopus habitaculum in Urbe non habuerit hactenus opportunum, nos volentes tam tuis, quam successorum tuorum incommoditatibus, quae ex Concessio. hoc provenire poterunt obviare, ecclesiam Sanctae Mariae in Monasterio de consilio fratrum nostrorum episcopatui tuo concedimus auctoritate praesentium statuentes, ut ecclesia supradicta, cum personis, et omnibus bonis suis, tibi ac successoribus tuis ea lege subiaceat, quae aliis fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, suae noscuntur Ecclesiae subiacere.

Decernimus ergo, ut nulli omnino Clausulae. hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, *etc.*, *usque* perpetua *etc.*, salva Sedis Apostolicae auctoritate *etc.*, Si qua igitur in futurum *etc.*, *usque* hanc nostrae concessionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, eique *etc.*, atque praemia aeternae pacis inveniat. Amen.

Datum Viterbii 13 kalend. decembris, indictione prima, anno IV.

Datum per manum Rainerii patriarchae Antiocheni, cancellarii vicemagentis.

Dat. die 19 novembris 1219, pontif. anno IV.

(1) Ex Ughell., Ital. Sac., tom. I.

XL.

Ad praelatos Hiberniae, ut pullulantem inter subditos haeresim oppugnent, abusus tollant, statutaque concilii generalis faciant observari (1).

SUMMARIUM

Invehit contra episcoporum negligentiam in rebus fidei. — Mala inde exorta deplorat. — De observandis statutis concilii generalis. — Pluralitas beneficiorum vitanda. — Dolet de irreverentia erga SS. Eucharistiam. — De modo Viaticum portandi.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis caeteris Ecclesiarum praelatis et capitulis per Hiberniam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Expectavimus hactenus, expectantes si monitis et statutis concilii generalis exculta Domini Sabaoth vinea floruisset, si Aron virga turgentibus gemmis erupisset in flores, et dilatatis foliis amigdala produxisset, si geminassent mala punica, et ficus produceret grossos suos: quia ficus praecoquas anima Sponsi desiderat, et sponsa diligit botros Cipri. Sed ecce, dolentes dicimus, ante messem seges effloruit, et vinea fere tota, et ficus ac virga magis aruit, et vindemiator manum ad carcallum non revocat: sed sic semper vindemiat, quod post vindemiatores racemos aliquos colligere vix valemus. Nam unusquisque fere in viam suam abiit, et ad suam negotiationem revolat a regiis nuptiis damnabiliter Invehit contra episcoporum negligentiam in rebus fidei.

(1) Edidit Martene, Thesaur. Anecdot., tom. I, col. 875.

se excusans. Iam quidam ministri altaris sicut iumenta non solum in stercore computrescunt, sed peccatum suum velut Sodoma praedicare nec abscondunt, facti ruina et laqueus populorum. Quidam etiam Ecclesiarum praelati, qui gladios ancipites in suis manibus acceperunt ad faciendam vindictam, et increpationes in populis, errantes non corrigunt, membra putrida non excidunt, a caulis oves contagiosas et morbidas non excludunt, vulnus, livorem, et plagam tumentem non ligant, nec curant, neque fovent oleo vel amplasto; propter quod quia cicatrix populi non obducitur, in Galaad non censetur esse medicus vel resina. Proinde in consilium subditorum venire anima praelatorum convincitur, dum iidem proximorum vitiis non resistunt: sicque manus mulierum misericordium parvulos suos coquunt. Hi etiam bona sibi commissa dissipant et consumunt, dispergunt sanctuarii lapides in capite omnium platearum, indignos promovent, perniciosis stipendia ecclesiastica largiuntur, in suis ecclesiis conventicula de sanguinibus congregantes. Tales utique non attendunt, quod Eli filios suos palpans de sella retrorsum cecidit, et principes populorum, quia non cohibebant hebraeos initiantes Beelphegor, et cum Madianitis in eorum oculis coeuntes, praecepto Domini suspensi sunt in patibulo contra solem. Quia cum de manibus praelatorum negligentium sanguis requiratur pereuntium subditorum, dum fortioribus instat fortior cruciatus, sit durum iudicium eis qui praesunt. Claustrales quam plurimi qui fregerunt iugum, ruperunt vincula, quin etiam sicut stercus terrae iam contemptibiles sunt effecti, se non corrigunt, subditos non castigant, capitula iuxta concilii generalis statutum non celebrant, ne in lucem prodeant opera tenebrarum, et a lumine arguantur. Propter hoc siquidem haereses invalescunt, quia cum per pauci hodie murus aeneus vel columna ferrea sint praelati, vix est qui se opponat murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso: eo quod conscientia remordente, dum canes muti proiectum in terra ramunculum in os habent, et sint quasi baculus arundinaeus iam confractus; nec latratu nec baculo arceat lupos dilacerantes Ecclesiam, et in ipsam ululatus validos emittentes. Cum igitur non possimus dissimulare de caetero vel conniventibus oculis pertransire tantum cleri contagium, et populi christiani discrimen, quod procedit et proficit ex negligentia praelatorum evacuantium per iniuriam, et torpores sanctiones canonicas, et statuta salubria concilii generalis, increpatis securim cominantem excidium nunc radicibus infructuosae arboris applicamus, confossae ficulneae cophinum stercoris apponentes antequam maledictionis gladio feriatur, et areat, si fructum non fecerit in futurum quem iam diutius expectat. Quo circa universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, et districte praecipimus, quatenus praeteritam negligentiam novo studio redimentes, per sollicitudinem geminatam sic praefati statuta concilii, et illa praesertim quae salutem animarum respiciunt, deinceps conservetis et faciatis a vestris subditis inviolabiliter observari, quod possitis exinde laudem consequi et aeterna praemia promereri, nec quemquam vestrum poenam oporteat formidare, ad quam ex nunc potenter accingimur, contra desides et remissos. Invigiletis autem propensius ad haereticam pravitatem e vestris finibus, si forsan irrepserit, penitus extirpandam: quia serpit ut cancer, capita ut hydra multiplicat, et ut draco stellas de coelo detrahit, et mulieri tendit insidias, cupiens filium, quem concepit, devorare. Ponat etiam unusquisque gladium super femur per medium castrorum transiens de porta in portam, nec parcat fratri, proximo vel amico, qui statutis concilii vilipensis, morum vel vitae abiicit honestatem, vel non observat in ton-

Mala inde exorta deplorat.

De observandis statutis concilii generalis.

sura, vestibus et aliis modestiam clericalem. Praecaventes sollicite ne beneficia conferatis indignis, nec quemquam permittatis habere plures personatus, seu parochiales Ecclesias habitas post concilium generale, quibus cura sit animarum annexa, nisi forsan super hoc habeat indulgentiam Sedis Apostolicae specialem. Abbates vero Nigri ordinis celebrare hoc anno provincialia concilia non omittant, prout existit in praescripto concilio stabilitum, et ut bonorum studium commendare possimus, et punire negligentiam perversorum, super hoc ab illis certiorari volumus et mandamus. Sane cum olim vas aureum manna plenum Christi Corpus, Deitatem continens, praefigurans, in arca foederis auro tecta infra Sancta Sanctorum fuerit collocatum, ut munde in loco venerabili servaretur; dolemus plurimum et tristamur, quod in provinciis sacerdotes sanctiones canonicas, immo divinum iudicium contemnentes, sanctam Eucharistiam incaute custodiunt, et immunde, et indevote contrectant, quasi nec Creatorem timeant, vel Recreatorem diligant, aut Iudicem omnium expavescant: quamquam Apostolus terribiliter comminetur deteriora illum mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, vel sanguinem testamenti pollutum duxerit, aut spiritui gratiae contumeliam fecerit, quam transgressores legis Mosaicae, qui mortis sententia plectebantur. Ne igitur de caetero propter incuriam sacerdotum in indevotos divina indignatio gravius exardescat, districte praecipiendo mandamus, quatenus a sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo etiam et signato, semper honorifice collocata devote ac fideliter conservetur. Sacerdos vero quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebratione missarum elevatur Hostia salutaris, quilibet reverenter se inclinet, idem faciens cum ipsam portat presbyter ad infirmum: quam in decenti habitu, superposito mundo velamine, ferat et referat manifeste et honorifice ante pectus cum omni reverentia et timore, semper tamen lumine procedente, cum sit candor lucis aeternae, ut ex hoc apud omnes fides et devotio augeatur. Praelati autem huiusmodi mandati graviter punire non differant transgressores, si et ipsi divinam et nostram volunt effugere ultionem. Attendat igitur unusquisque, ut sic mandatum nostrum iuxta susceptum officium exequatur, quod nemo coronam eius accipiat, vel de suo loco eius candelabrum amoveri contingat, sed potius coronari gloria et honore mereatur.

Pluralitas beneficiorum vitanda.

Dolet de irreverentia erga SS. Eucharistiam.

De modo Viaticum portandi.

Datum Viterbii 13 kalendas decembris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 19 novembris anno Domini 1219, pontif. anno IV.

XLI.

Concessio ecclesiae Sancti Sixti de Urbe fratribus ordinis Praedicatorum (1).

SUMMARIUM

Ecclesiam S. Sixti de Urbe concedit fratribus ord. Praedicatorum.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis de Prullano, et de Fanoiovis, et de Lamoso fratribus et sororibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiam S. Sixti de Urbe concedit fratribus ord. Praedicatorum.

Ligna pomifera plantare in Ecclesiae paradiso, ac fovere plantata, iuxta quod ex officii nostri tenemur debito, cupientes, dilecto filio fratri Dominico et fratribus sui ordinis ecclesiam Sancti Sixti de Urbe duximus concedendam, sperantes in Domino, quod tam ipse, quam fratres sui poma nova et vetera, quae sponsus legitur sponsae servasse, ministraturi sint esurientibus animabus. Quo circa universitatem vestram monendam duximus et hortandam, quatenus cum ab eodem fratre Dominico fueritis requisiti, ad praedictam Ecclesiam, prout ipse mandaverit,

(1) Ex Regest. Vatic.

accedatis, Domino ibidem in ordine vestro devotum obsequium impensuri.

Datum apud Civitatem Castellanam sexto decimo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 17 decembris 1219, pontif. anno IV.

XLII.

B. Hugo Lincolnien. episcopus sanctorum cathalogo adscribitur; cum decreto, ut die depositionis ipsius, eiusdem festivitas annis singulis celebretur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — B. Hugo Ss. albo adscriptus.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis christifidelibus praesentem paginam inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium Divinae dignatio pietatis, sanctos et electos suos in coelestis regni felicitate locatos adhuc in Terra miraculorum coruscatione clarificat, ut fidelium per hoc excitata devotio, eorum suffragia digna veneratione deposcat. Cum igitur sanctae recordationis Hugonem Lincolnien- B. Hugo Ss. albo adscriptus. sem episcopum, quem sicut nobis plenarie constat, divini muneris largitas tam in vita, quam etiam post vestem mortalitatis exutam, insignium miraculorum multitudine illustrarit, sanctorum cathalogo adscripsimus; universitatem vestram monemus, exhortamur in Domino quatenus eius apud Deum patrocinia devote imploretis. Ad haec statuentes, ut die depositionis ipsius eiusdem festivitas annis singulis devote de caetero celebretur.

Data Viterbii 13 kalendas martii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 18 februarii 1220, pontif. anno IV.

(1) Edidit Parisius, Hist. Aug., pag. 309.

XLIII.

Abolitio quorumdam statutorum per Bononienses contra libertatem Scholarium editorum (1).

SUMMARIUM

Causa sanciendae constitutionis. — Statuta a Bononiensibus edita — Libertati Scholarium contraria — Reprobantur.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis populo Bononien., salutem et apostolicam benedictionem.

Ex relatione venerabilis fratris nostri Ugolini episcopi Hostien. devotione quam ad Romanam Ecclesiam geritis intellecta, tanto ad ea, quae vestram salutem respiciunt et honorem, ferventius aspiramus, quanto vos tamquam obedientiae filios ad eiusdem obediendum mandatis cognoscimus proniores, vos ab iis retrahere satagentes, quae et famam vestram obnubilant, et afferre vobis possent incommodum et iacturam. Sane cum ex studio Causa sanciendae constitutionis. literarum praeter infinita commoda, quae sentitis, ex eo vestra civitas inter alias sit famosa, et in universo mundo nomen annuncietur ipsius, factaque sit altera Bethleem, domus videlicet panis, qui parvulis frangitur, in eadem, ex qua exeunt duces, qui regant populum Domini, quoniam in studio eruditi assumuntur ad regimen animarum, non solum debetis a Scholarium gravaminibus conquiescere, verum etiam illos honoribus praevenire. Attendentes quod ipsi gratuito ad studendum vestram præelegerunt civitatem, quae cum prius esset humilis, per eos ibidem congregatis divitiis fere supergressa est civitates provinciae universas. Verum vos ad haec, sicut ex parte universitatis ipsorum fuit propositum coram nobis, debitum non habentes respectum, gratiam ipsorum in debitum, et libertatem in servitutem molientes reducere, statuistis, ut si quis inventus fuerit sectam, pactionem, vel conspirationem

(1) Ex Regest. Vatic.

Statuta a Bononiensibus edita

pro studio a civitate Bononien. ad locum alium transferendo facere vel fecisse, et si Scholaris quispiam, vel alius quemquam Scholarem astrinxerit modo quolibet, quo praecipere possit ei, ut causa studii eamdem exeat civitatem, perpetuo banniatur, et omnia bona eius, quae Bononiae vel in eius districtu habuerit, publicentur, et eorum tribuatur medietas accusanti. Praeterea societatem vel rectores (1) Scholares non permittantur habere, nisi hoc capitulum in eorum iuramento ponatur, videlicet, quod non dabunt operam, ut studium ad locum alium transferatur, nec cuiquam Scholari praecipient, ut gratia studii abscedat a civitate praedicta, et nunquam huiusmodi mutabunt capitulum cum consilio, vel sine consilio eorundem, ac si aliquis contrafecerit, modo simili banniatur, et bona publicentur ipsius. Potestas quoque infra duos menses ab ingressu sui regiminis teneatur praedictum capitulum iurari facere a rectoribus Scholarium, si qui fuerint, vel infra quindecim dies, ex quo extiterint rectores electi, et in societate Scholarium scriptis poni, nec permittat Bononiensem aliquem vel extraneum, nisi primo iuraverit, quod non leget, alibi extra ordinariam aliquam legere lectionem. Unde ex iis dilectus filius nobilis vir Willelmus de Pusterula potestas vester, occasione assumpta, in eos indebitam iurisdictionem usurpans, libertatem ipsorum infringere nititur, et contra eamdem praetextu ipsorum pro quorum observatione asserit se iurasse, illos in pluribus aggravare. Verum quia statuta huiusmodi proculdubio sunt iniqua, et manifeste obviant scholasticae libertati, et iuramentum super observatione ipsorum praestitum non est, utpote illicitum, observandum, cum nec iudicium habeat, nec iustitiam, eumdem Willelmum monendum duximus et hortandum apostolicis sibi dantes literis in praeceptis, ut Scholares praedictos contra libertatem hactenus habitam occasione statutorum ipsorum, quae velut iniqua duximus reprobanda, de caetero non molestet libertatem eamdem modo quolibet infringendo, ut studium eorum impediri non possit, sed potius floreat ad Dei honorem, ac profectum studentium, necnon ad ipsius gloriam civitatis: ne si secus attentare praesumpserit, nos super hoc cogamur aliud cogitare. Quo circa universitatem vestram monemus et exhortamur attente quatenus consideratis utilitatibus et honore ex Scholaribus vobis et civitati vestrae provenientibus, ipsos charitatis brachiis amplexemini, et praetextu statutorum ipsorum, quae dicenda sunt potius destituta contra libertatem antiquam, et habitam hactenus, ipsos nullatenus molestetis, nec faciatis per potestatem eumdem, remisso sibi iuramento praedicto, de caetero molestari, permittentes eosdem solita libertate gaudere, ut quieto animo possint inhaerere scholasticis disciplinis, et nos devotionem vestram possimus in Domino commendare, ne si secus egeritis, quod non credimus, contra voluntatem nostram, cogamur faciem nostram vobis ostendere duriorem.

Libertati Scholarium contraria.

Reprobantur.

Datum Viterbii octavo idus aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 6 aprilis 1220, pontif. anno IV.

(1) Putamus legendum *lecturas*, aut *lectores*.

XLIV.

Exhortatio ad omnes ordines religiosos, ut pro salute populorum Livoniae ad catholicam fidem noviter conversorum, fratres suos eo destinare procurent (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Paganis in Livoniae partibus ad fidem venientibus, verbi Dei praeconibus opus est. — Hortatur ut aliquos ex religiosis idoneis ad hoc mittant.

(1) Ex Regest. Vatic.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus, praepositis, prioribus tam Cistercien., quam aliorum ordinum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Etsi non sit nostrum nosse tempora vel momenta, quae Pater in sua posuit potestate, verisimiliter tamen a multis coniicitur, quod ecce nunc hostio magno aperto in Domino, ad Christi fidem intret gentium plenitudo, dum ad summi Patris familias coenam, post caecos et claudos, pagani, velut de infidelitatis saepibus compelluntur intrare, ac oves, quae nondum de Christi ovili fuerunt, adducuntur ab ipso ut sit unum ovile, sicut unus est pastor. Unde qui Christi est, gaudere ac cooperari debet, ut augeatur numero et merito populus christianus, et ad convertendas ei barbaras nationes, et conversas in eius fide servandas modis omnibus quibus (1) debet impendere semet ipsum, ut animas Domino lucrifaciens animae suae lucretur gloriam sempiternam. Sane cum sicut venerabiles fratres nostri Livonien., Selonien. et Lealen. episcopi nostris auribus intimarunt in partibus Livoniae duritia cordium paganorum, tamquam terra vastae solitudinis imbre gratiae divinae compluta, et ex parte vomere sanctae praedicationis exculta in eis semen verbi Dei feliciter in segetem pullulet, quin etiam albae sint iam regiones ad messem, quae quidem, Domino dante benignitatem, multa est, operarii vero pauci; expedit, ut alii mittantur illuc metere quod alii seminarunt, quatenus secundum evangelicam veritatem, qui seminant simul gaudeant et qui metunt. Cum igitur per Dei gratiam in ordine vestro sint multi ad huiusmodi opus idonei, charitatem vestram rogamus attentius et hortamur per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus monachos et conversos, quos praedicti episcopi vel missi ab eis a vobis duxerint postulandos, illuc ad opus ministerii huius non solum permittatis accedere, verum etiam transmittatis, ut et ipsi erudientes plurimos ad salutem, mereantur tamquam stellae in perpetua aeternitate lucere, ac vos retributionis eorum, quam sine vobis nequeunt promereri, participium promerentes possitis apud Deum et homines commendari.

Paganis in Livoniae partibus ad fidem venientibus, verbi Dei praeconibus opus est.

Hortatur ut aliquos ex religiosis idoneis ad hoc mittant.

Datum Viterbii quartodecimo kalend. maii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 18 aprilis 1220, pontif. anno IV.

(1) Addendum forsitan *potest*.

XLV.

Exhortatur christifideles omnes Prussiae ad fidem catholicam noviter conversos, ut alios ad eamdem amplexandam excitent, eisque Sedis Apostolicae patrocinium pollicetur (1).

SUMMARIUM

Cum Prussis gratulatur de eorum conversione ad Fidem. — Protectionem eis Apostolicae Sedis pollicetur: — Eamque ut convertendis promittant docet.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis universis christifidelibus noviter baptizatis Prussiae, salutem et apostolicam benedictionem.

Gratias agimus Largitori omnium gratiarum, qui propria gloria et virtute vos de variis errorum tenebris in admirabile lumen fidei advocavit, et in regione habitantibus aliquando umbrae mortis revelavit vobis per Spiritum Sanctum eum, qui est lux mundi, Filium suum Dominum Iesum Christum, ut in agnitione ipsius vias vitae certissime ambulantes, qui aliquando non populus Dei fuistis, nec (2) populus Dei sitis, et qui non consecuti misericordiam, nunc misericordiam consequi possitis in adoptione filiorum Dei merito gloriari, haereditatem incontaminatam in coelis et immarcescibilem adepturi. Quapropter universitatem vestram monemus in Domino, et horta-

Cum Prussis gratulatur de eorum conversione ad Fidem.

(1) Ex Regest. Vatic. (2) Legendum putamus *nunc*.

mur, quatenus vos ipsos dignos divinae vocationi reddentes, cum omni timore Domini stetis in fide viriliter et constanter exercendo fidei opera in virtute, non contristati aliquibus tribulationibus, quae ad tempus sunt, sed laetati potius, quod digni habiti estis pro nomine Iesu contumelias sustinere: fidelis enim Deus non patietur vos tentari, ultra quam sustinere possitis, sed faciet cum tentatione proventum, quia quod momentaneum est et leve tribulationis immensum vobis pondus gloriae operatur. Sic enim clarificabitur Christus in vobis, si vos irreprehensibiles conservantes gentem vestram secundum carnem, ad aemulationem provocaveritis veritatis, ut in eo quod nunc de vobis tamquam de malefactoribus forte detrectat, tandem ex bonis operibus vos considerans ad Dominum convertatur, et vos lucrifacientes animas multas Deo coronam gloriae mereamini potiorem. Nos autem, qui vos tamquam filios benedictos a Domino gerentes in visceribus charitatis confidimus, quia qui caepit in vobis opus bonum, perficiet, usque in diem Domini Iesu Christi, vobis in omnibus, quibus possumus, libentissime assistemus, omne vobis solatium et auxilium impensuri, et cum in libertatem vocati estis adepti gratiam filiorum, vos conversos, et caeteros ad Dominum convertendos in omni conservabimus libertate, aliisque dignis favoribus prosequemur, quia non commodum rerum temporalium, quod cito periret, sed lucrum, quod erit perpetuum, in vobis querimus animarum. Super eo vero, quod non omnes omnino petitiones, quas nuper nobis dilectus filius Henricus frater tuus ex parte tua, venerabilis frater episcope, destinavit, potuimus exaudire, non turbetur cor vestrum, neque formidet, quia cum ad succurrendum Terrae Sanctae de necessitate totaliter nunc intendere compellamur, non expedit, ut crucesignatorum auxilium dividatur, ne divisum inveniretur inutile, quod speratur efficacissimum auctore Domino adunatum: sed quia sicut in Domino confidimus, negotium Terrae Sanctae in proximo finem accipiet gloriosum, tunc tota virtute in vestrum adiutorium intendemus, et vobis, et pro vobis militabit Ecclesia generalis. Ne igitur ii, qui nondum ad agnitionem verae fidei pervenerunt, alicuius dubietatis scrupulo retardentur, quo minus ad agnoscendam veri luminis claritatem corde pariter et animo convertantur, devotionem vestram rogandam duximus et monendam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus universis hominibus vestrae gentis qui vobis consanguinitate, vel quacumque notitia sunt coniuncti, et etiam omnibus tam longe, quam prope positis, prout vobis possibilitas aderit, intimetis, nos firmum habere propositum, tam conversos, quam etiam favente Domino convertendos in omni libertate fovere, et ab iniuriis omnium molestias eisdem inferentium vel gravamen, quantum gratia divina permittet, protectionis apostolicae munimine defensare, et quod eos, quantum in nobis est, nunquam alicuius gravari dominio vel iugo patiemur subiici servitutis.

Protectionem eis Apostolicae Sedis pollicetur:

Eamque ut convertendis promittant docet.

Datum Viterbii octavo idus maii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 8 maii 1220, pontif. anno IV.

XLVI.

Commissio delegatis apostolicis, ut episcopos, qui regni Svetiae invasorem, appellatione ad Sedem Apostolicam non obstante, inunxerant, ad eamdem Sedem accedere compellant (1).

SUMMARIUM

Svetiae regnum Ioannes quidam invadit: — Daniae rex filii regis defuncti nomine ad S. A. appellat: — Invasorem inungunt episcopi. — Diem eis indici iubet Honorius.

(1) Ex Regest. Vatic.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Lubicen., Szerinen. et Raskeburgen. episcopis, salutem et apostolicam benedictionem.

Svetiae regnum Ioannes quidam invadit. Charissimus in Christo filius noster Waldemarus rex Danorum illustris nobis insinuare curavit, quod clarae memoriae Enrico rege Svetiae rebus humanis exempto, nobilis vir Ioannes regnum Svetiae ad defuncti filium dicti regis Danorum nepotem iure haereditario devolvendum, quorumdam magnatum eiusdem regni favore suffultus violenter invasit. Porro Daniae rex filii regis defuncti nomine ad S. A. appellat; idem rex intellecto, quod venerabiles nostri archiepiscopus Upsalen. et suffraganei eius in regem volebant inungere nobilem supradictum, ne id facerent, inhibuit appellando praefatum nepotem suum, et omnia iura eius apostolicae protectioni supponens, ac praefigens terminum, quo per se, vel per nuncios suos in nostra comparerent praesentia, his, qui venirent pro tuenda dicti nepotis sui iustitia responsuri; sed ipsi, legitima Invasorem inungunt episc. eius appellatione contempta, in regem inunxerunt nobilem antedictum in praefati nepotis sui pupilli, ac etiam post patris obitum nati gravissimum praeiudicium et contemptum nostrum, ac Sedis Apostolicae manifestum. Nolentes igitur huiusmodi praesumptionis excessum sub dissimulatione transire, cum debitae poenae remissio audaciam tribuat delinquendi, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus inquisita plenius veritate, si vobis constiterit dictum archiepiscopum et episcopos ad inunctionem huiusmodi post appellationem legitimam Diem eis indici iubet Honorius. processisse, auctoritate nostra firmiter iniungatis ipsi archiepiscopo, et uni episcoporum, qui astiterunt eidem, ut infra competentem terminum sibi praefigendum a vobis cum procuratoribus aliorum apostolico conspectui personaliter se praesentent, de huiusmodi satisfacturi contemptu, ipsos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellentes. Quidquid autem inde feceritis nobis per litteras vestras veraciter intimetis. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur.

Datum Reate, septimo idus augusti, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 7 augusti 1220, pontif. anno iv.

XLVII.

Commissio Apostolicae Sedis delegato, ut nomine eiusdem Sedis terram comitissae Mathildis, quam imperator resignari mandaverat, recipiat, eamque personis ecclesiasticis et Romanae Ecclesiae fidelibus committat (1).

SUMMARIUM

Caussa commissionis. — Mandat delegato Ap. Sedis ut nomine Pontificis terram ab imperatore resignatam recipiat.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Alatrino subdiacono, et cappellano nostro, salutem et apostolicam benedictionem.

Caussa commissionis. Per tuas nobis litteras intimasti charissimum in Christo filium nostrum Fridericum illustrem regem Siciliae in Romanorum imperatorem electum venerabili fratri nostro Meten. episcopo imperialis aulae cancellario iniunxisse, ut tibi terram clarae memoriae comitissae Mathildis faciat resignari. Cum igitur cum ipso Mandat delegato Ap. Sedis ut nomine Pontificis terram ab imperatore resignatam recipiat cancellario venias, sicut eisdem nobis litteris intimasti, praesentium tibi auctoritate mandamus, quatenus nomine nostro recipias terram ipsam, eamque personis ecclesiasticis committas Ecclesiae Romanae fidelibus et devotis Romanae Ecclesiae nomine conservandam, donec super dispositione ipsius mandatum nostrum receperint speciale, ac deinde ad praesentiam nostram dilatione postposita revertaris. Quod si forte contingeret, te huiusmodi occasione moram trahere longiorem, ea quae ante regis adventum ad notitiam nostram expedit pervenire, nobis

(1) Ex Regest. Vatic.

secreto significes per praesentium portitorem.

Datum apud Urbem Veterem secundo idus iunii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 12 iunii 1220, pontif. anno IV.

Sequitur fragmentum descriptionis allatae recuperationis terrarum a comitissa Mathilde Romanae Ecclesiae concessarum (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Comitatus comitissae Mathildis ad Romanam Ecclesiam pertinens. — Eius recuperationi studet Honorius. — Castra Medicinae et Argillatae. — Ducatus Spoletanus. — Castrum Praetense. — Radicofanum et Aquapendens. — Fridericus episc. Metensi mandat comitatum com. Mathildis Papae resignet. — Peracta huiusmodi restitutio. — Marchia Anconitana.

Honorius episcopus servus servorum Dei, universis praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium

Ne rerum gestarum memoria cum tempore labente labatur, et in oblivionem veritas veniens vagetur incerta, si ei fuerit fides adempta, inventum est authenticarum remedium scripturarum, quae factorum perpetuantes memoriam, indubitatam fidem faciant veritati, quae sua luce clarescens non patitur iustitiam falsis calumniis obumbrari. Unde ad universorum volumus notitiam pervenire, quod cum magna pars comitatus comitissae Mathildis, qui totaliter ad Romanam Ecclesiam pertinet pleno iure, a multis et variis personis detineretur indebite occupata, et tam cives Spoletani, quam fere totus ducatus Spoletanus nobis nullatenus responderent, nos in illo spe nostra totaliter posita, qui adest in veritate invocantibus nomen eius, quamquam infinitis et arduis essemus negotiis inevitabiliter occupati, ad recuperanda iura Ecclesiae sollicite intendentes, venerabili fratri nostro...... Hostien. episcopo tunc legationis fungenti officio in partibus Lombardiae direximus scripta nostra, ut duo castra, videlicet Medicinam et Argillatam, quae Bononienses tunc temporis detinebant, ad dominium Sedis Apostolicae revocaret, quod iuxta mandatum nostrum illa recipiens dilecto filio Henrico de Paragrano subdiacono nostro, quamdiu nobis placeret, commisit fiducialiter gubernanda, et homines castrorum ipsorum eidem nomine nostro fidelitatis iuramenta praestantes, ei de rationibus nostris responderunt integre, ac respondent. Deinde cum inter Spoletanos, Narnienses, Cocoionenses, et adiutores eorum ex parte una, et Interamnenses, Tudertinos, Fulginates et adiutores eorum ex altera gravi guerra suborta, ita quod praeter stragem virorum, et multimoda rerum damna, et quod est gravius, animarum pericula, quae utraque pars incurrerat, multi detinerentur hinc inde captivi, nos eis paterno compatientes affectu, licet quidam ex illis viderentur filialem obedientiam abiecisse, dilectum filium Pandulphum subdiaconum et notarium nostrum illuc curavimus destinare, ut omnes ad pacis foedera inienda tam spirituali quam temporali districtione compellens, captivos utrinque faceret liberari, qui mandatum nostrum diligenter adimplens, studuit in manu forti corripere inquietos, et pusillanimes consolari, et quorumdam rebellium pertinacia congrue castigata, et captivis redditis libertati, potestatibus civitatum et castrorum fere omnium de ducatu, quos apud Bevaniam ad suam praesentiam evocarat, sub debito fidelitatis et poena mille librarum iniunxit, ut in octavis apostolorum Petri et Pauli quilibet potestas cum tribus vel quatuor de communitate sua vicem omnium habentibus se apud Urbem Veterem nostro conspectui praesentaret, quibus in praefixo termino in nostra praesentia constitutis, post tractatum diutinum tam super pace inter ipsos plenius reformanda, quam

Comitatus comitissae Mathildis ad Romanam Ecclesiam pertinens.

Eius recuperationi studet Honorius.

Castra Medicinae et Argillatae.

Ducatus Spoletanus.

(1) Ex copia authentica.

super ducatu ad manus Ecclesiae retinendo, quod et cum praedicto subdiacono tractaverant diligenter, tandem Perusini, Assisinates, Fulginates, Nucerini et Interamnenses iuxta mandatum nostrum munitiones, castra et regalia, sicut ea unquam habuit aliquo tempore clarae memoriae dux Conradus, in nostris manibus libere resignarunt, et licet Spoletani super iis, quae de ducatus demanio detinebant, exhibuerint se difficiles, asserentes quod si praedictus dux ea possedit, aliquando possessor fuerat violentus; tandem tamen super iis nostris paruerunt beneplacitis et mandatis, et sic toto ducatu ad manus Sedis Apostolicae revocato, tam ducatui, quam Assisii et Nucerae comitatibus dilectum filium nostrum Raynerium Sanctae Mariae in Cosmedin diaconum cardinalem praefecimus in rectorem, qui omnia quae in iis ad Romanam Ecclesiam pertinent obtinens pacifice ac quiete, cuncta pro voluntate sua disposuit, et iuramentis fidelitatis ab hominibus ducatus et comitatuum sine difficultate receptis. Ad haec cum quidam Theutonicus maresciallus castrum Praeten. detinuisset diutius occupatum, nos missis illuc nunciis nostris, amoto exinde mareschallo praedicto, recuperavimus castrum ipsum universis habitatoribus eius dilecto filio S..... camerario nostro ad hoc a nostro latere destinato, et ab eis honorifice et devote recepto nomine nostro fidelitatis exhibentibus iuramenta. Unde nos tam idem castrum, quam Radicofanum et Aquapendentem dilecto filio Muscae potestati Viterbien. fideli nostro commisimus, quamdiu nobis placuerit gubernanda. Praeterea cum charissimus in Christo filius noster F.... Romanorum imperator tunc rex veniens suscepturus de manibus nostris imperii diadema, venerabilem fratrem nostrum Metensem episcopum imperialis aulae cancellarium in Italiam praemisisset, misimus ad eum dilectum filium Raynaldum Munaldi subdiaconum et cappellanum nostrum, ut ei

Castrum Praetense.

Radicofanum et Aquapendens

Fridericus ep. Metensi mandat comitatum com. Mathildis Papae resignet.

vice nostra comitatum comitissae Mathildis libere resignaret, sicut a rege ipso fuerat sibi iussum. Et licet cancellarius ipse petitionem eiusdem subdiaconi usque ad adventum regis circa partes Bononiae distulisset (1); tandem tamen idem rex tam de castro Gonzagae, quam de aliis castris, scilicet Pepugnano, Bondeno veteri et Bondeno novo, necnon de toto comitatu et podere, ac terris comitissae praedictae, magistrum Alatrinum subdiaconum et cappellanum nostrum, qui erat cum eo, et eumdem Raynaldum Ecclesiae Romanae nomine investivit, et eos constituit possessores; mandans ipsos per venerabilem fratrem nostrum episcopum Taurinensem vicarium suum in corporalem possessionem induci, et praecipiens tam omnibus militibus et habitatoribus castrorum ipsorum, quam aliis vassallis de ipso comitatu, seu terris et poderis, ut omnes ab omni iuramento, quo ipsi tenebantur ratione terrarum ipsarum, penitus absoluti, eisdem cappellanis, vel eorum alteri, seu cuilibet alii ab Ecclesia Romana misso fidelitatis iuramenta praestarent, et abiurarent alia iis contraria iuramenta: quod si non facerent, scirent se ex tunc omnibus bonis comitatus, sive poderis, seu terrarum ab ipsis possessis regia sententia, perpetuo esse privatos. Praeterea iniunxit firmiter, et mandavit potestatibus, consulibus et rectoribus civitatum sub poena mille marcarum, ut omnes possessiones comitatus praedicti detentas ab ipsis sine difficultate ac mora qualibet restituerent et absolverent omnes de comitatu et terris praedictis ab omni iuramento, districtu et obligationibus, quibus ratione alicuius iurisdictionis, quam in eis hactenus exercuerant, tenerentur eisdem, et removerent consules et rectores, baiulos, et si quos officiales ipsis praefecerant et extraherent quoscumque posuerant de terris

Perfecta huiusmodi restitutio.

(1) De Metensi episcopo variis pollicitationibus dilationibusque rem illudente vide quae notat Raynaldus hoc anno, § 17.

eisdem, et de caetero memoratis cappellanis, vel eorum alteri, seu cuilibet alii a Sede Apostolica destinato ad retinendam possessionem quam habent, et recuperandam quam non habent, praestarent consilium, auxilium et favorem. Et sic factum est, quod multi barones, milites et alii terrarum ipsarum eisdem cappellanis nomine nostro fidelitatis iuramenta praestantes, recognoverunt se omnia quae de comitatu praedicto tenebant, per Romanam Ecclesiam possidere. Verum quia nobiles viri filii..... (1).

Marchia Anconitana.

Praeterea licet Marchiam Anconitanam ad manus suas Ecclesia Romana pro maiori parte teneret: nihilominus tamen praedictus imperator...... nobis omnino quietantias et refutationem faciens, prout in ipsius litteris plenius continetur: praecepit omnibus de Marchia, ut nobis tamquam domino suo de caetero plenarie responderent. Cumque nos postmodum dilecto filio nobili viro marchioni Esten. eam in feudum duxerimus concedendam, praesente imperatore investientes eumdem de ipsa Marchia per vexillum, nos praenominatum Pandulphum subdiaconum et notarium nostrum, et imperator venerabilem fratrem nostrum patriarcham Aquileiensem illuc curavimus destinare, ut in possessionem Marchiae eum inducentes, ei facerent de omnibus rationibus suis integre responderi; civitate tamen Anconitana quamdiu nobis placuerit in nostris manibus reservata, et universo patrimonio B. Petri a ponte Ceperani usque Radicofanum possesso et disposito, pacifice ac quiete pro nostrae beneplacito voluntatis..... (2).

(1) Desiderantur hic aliqua in ms. (2) Quamvis argui hinc possit, restitutam hoc anno Romanae Ecclesiae ditionem terrarum com. Mathildis; rem tamen anno sequenti dumtaxat confectam fuisse apparet ex laudato Raynaldo, qui ann. 1221, et quidem § 20, haec refert: Hoc igitur anno Fridericus, solemnibus habitis Capuae comitiis, lataque Pontificis monitis sententia in detinentes iura comitatus Mathildis ad Rom. Ecclesiam pertinentia, illa omnia in eius ditionem revocanda decrevit.

Datum apud Urbemveterem quinto idus iulii, pontificatus nostri an. quarto.

XLVIII.

Confirmatio legum pro immunitate, libertate et iurisdictione ecclesiastica editarum a Friderico secundo Romanorum imperatore.

SUMMARIUM

Leges a Friderico latas validat. — Promulgatio legum. — Damnantur statuta contra ecclesiasticos, eorumve libertatem edita, vel edenda. — Impositiones collectarum, *etc.* super eosdem. — Insordescentes per annum in excommunicatione banno imperiali supponuntur. — Ecclesiastici ad saecularia tribunalia non trahendi. — Damnantur quoque haeretici cum destinatione poenarum eis infligendarum. — Iuramentum super his praestandum a rectoribus civitatum, *etc.* — Poenae contra dominos temporales si haereticos non expulerint: — Et contra eorum receptatores, fautores, *etc.* — Naufragantium bona suis dominis restituenda. — De peregrinis et advenis. — Securitas agricultorum.

Honorius episcopus servus servorum Dei.

Has leges a Friderico Romanorum imperatore filio nostro charissimo pro utilitate omnium christianorum editas, laudamus, et approbamus tamquam in aeternum valituras. Leges a Friderico latas validat.

Et si quis ausu temerario, inimico humani generis suadente, quocumque modo has infringere tentaverit, indignationem Dei omnipotentis, et beatorum Petri et Pauli apostolorum se noverit incursurum *etc.*

Sequitur tenor dictarum legum Federici secundi.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, et semper Augustus, marchionibus, comitibus, cunctisque populis quos clementiae nostrae regit imperium, salutem et gratiam.

Promulgatio legum.

In die, qua de manu sacratissimi patris nostri Summi Pontificis recepimus imperii diadema, curavimus ad Dei, et Ecclesiae suae honorem, edere quasdam leges, quas in praesenti pagina iussimus annotari, per totum nostrum imperium publicandas: per imperialia vobis scripta praecipiendo mandamus, quatenus eas quisque litteras in suo districtu irrefragabiliter et inconcusse servet, et sunt hae leges.

Ad decus et honorem imperii, et laudem Romani Principis, nihil omnino magis videtur accedere, quam ut expurgatis quibusdam erroribus, et iniquis quorumdam statutis penitus destitutis, de caetero Ecclesia Dei plena quiete vigeat, et secura gaudeat libertate. Sane adeo infidelium quorumdam, et iniustorum iniquitas abundavit, ut non dubitent contra apostolicam disciplinam et sacros canones statuta sua confingere contra ecclesiasticas personas, et Ecclesiae libertatem. Cum ergo, dispositione divina favente, nihil velit Ecclesia, quae nihil debet praeter bonum appetere, quod nobis eodem concursu, et eadem non placeat voluntate: nos Fridericus Romanorum imperator, et semper Augustus, hac edictali lege irritamus, et irrita nunciamus omnia statuta et consuetudines, quae civitates, vel loca, potestates, consules, vel quaecumque aliae personae, contra libertatem Ecclesiae, vel ecclesiasticas personas edere, vel servare, adversus canonicas, vel imperiales sanctiones praesumpserint. Et ea de capitularibus suis mandamus infra duos menses post huius publicationem edicti penitus aboleri. Et si de caetero similia attentaverint, ipso iure decernimus esse nulla, et eos sua iurisdictione privatos, superiori protinus applicanda, necnon locum ubi deinceps talia praesumpta fuerint, banno mille marcarum praecipimus subiacere. Potestates vero, consules, rectores, statutarii, et scriptores dictorum statutorum, necnon et consiliarii locorum ipsorum, qui secundum statuta vel consuetudines memoratas iudicaverint, sunt ex tunc ipso iure infames. Quorum sententias et actus alios illegitimos praecipimus aliquatenus non tenere. Quod si per annum huius nostrae constitutionis inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum nostrum imperium mandamus impune ab omnibus occupari. Salvis nihilominus aliis poenis contra tales in generali concilio promulgatis.

Damnantur statuta contra ecclesiasticos, eorumve libertatem edita, vel edenda.

Item nulla potestas, vel persona publica vel privata, collectas, sive exactiones, angarias, vel parangarias, Ecclesiis, vel aliis piis locis aut ecclesiasticis personis imponere, aut invadere bona ecclesiastica praesumat. Quod si fecerint, et requisiti ab Ecclesia, vel ab imperio, emendare contempserint, triplum refundant, et nihilominus banno imperiali subiaceant, quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur.

Impositiones collectarum, etc. super eosdem.

Item quaecumque communitas vel persona per annum in excommunicatione facta propter libertatem Ecclesiae perstiterit, ipso iure imperiali banno subiaceat, a quo nullatenus extrahatur, nisi prius ab Ecclesia absolutus fuerit.

Insordescentes per annum in excommunicatione banno imperiali supponuntur.

Item statuimus, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali quaestione, vel civili, trahere ad iudicium saeculare praesumat, contra constitutiones imperiales et canonicas sanctiones. Quod si fecerit, actor a suo iure cadat, et iudicatum non teneat, et iudex sit ex tunc iudicandi potestate privatus. Statuimus etiam, ut quis clericis vel personis ecclesiasticis iustitiam denegare praesumpserit, tertio requisitus, suam iurisdictionem amittat.

Ecclesiastici ad saecularia tribunalia non trahendi.

Catharos, Patarenos, Leonistas, Speronistas, Arnaldistas, Circumcisos, et omnes haereticos utriusque sexus quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannimus. Praecipientes ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur; ita quod filii eorum ad succes-

Damnantur quoque haeretici cum destinatione poenarum eis infligendarum.

siones pervenire non possint, cum longe gravius sit aeternam, quam temporalem offendere maiestatem. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles (nisi ad mandatum Ecclesiae iuxta considerationem suspicionis, ac qualitatem personae propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint), tanquam infames et banniti ab omnibus habeantur. Ita quod si sic per annum manserint, ex tunc eos sicut haereticos condemnamus.

Iuramentum super his praestandum a rectoribus civitatum, etc.

Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, ut potestates, consules, seu rectores, quibuscumque fungantur officiis, pro defensione fidei praestent publice iuramentum, quod de terris suae iurisdictioni subiectis, universos haereticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt. Ita quodammodo quandocumque fuerit quis in potestatem, sive perpetuam, vel temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare. Alioquin nec pro potestatibus, nec pro consulibus habeantur, et eorum sententias irritas ex tunc decernimus, et inanes.

Poenae contra dominos temporales si haereticos non expulerint,

Si vero dominus temporalis, requisitus et admonitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab haeretica pravitate, post annum a tempore admonitionis elapsum, terram illius ipsis exponimus catholicis occupandam, qui eam, exterminatis haereticis, absque ulla contradictione possideant, et in fidei pietate conservent. Salvo iure domini principalis, dummodo super hoc nullum praestet obstaculum, nec aliquod aliud impedimentum apponat. Eadem nihilominus lege servata contra eos, qui non habent dominos principales.

Et contra eorum receptatores, fautores, etc.

Credentes praeterea receptatores, defensores et fautores haereticorum bannimus, firmiter statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit ab Ecclesia excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum; ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, vel ad eligendum aliquos ad huiusmodi, neque ad testimonium, admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad haereditatis successionem accedat. Nullus praeterea ei super quocumque negocio, is id ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam habeat firmitatem, nec causae aliquae ad eius audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta per eum confecta nullius penitus sint momenti. Navigia quocumque locorum pervenerint, si quo casu contingenti rupta fuerint, vel aliter ad terram pervenerint, tam navigia, quam navigantium bona illis integre reserventur, ad quos spectabant antequam navigium illud periculum incurrisset. Sublata omnium locorum penitus consuetudine, quae huic adversatur sanctioni; nisi talia sint navigia, quae pyraticam exerceant pravitatem, aut sint nobis vel christiano nomini inimica.

Naufragantium bona suis dominis restituenda.

Transgressores vero huius nostrae constitutionis bonorum suorum publicatione mulctentur. Et si res exegerit, eorum audacia iuxta mandatum nostrum modis aliis compescatur.

De peregrinis et advenis.

Omnes peregrini, et advenae, libere hospitentur ubi velint, et hospitati, si testari voluerint de rebus suis, ordinandi liberam habeant facultatem, quorum ordinatio inconcussa servetur. Si qui vero intestati decesserint, ad hospitem nihil perveniat; sed bona ipsorum per manus episcopi loci tradantur haeredibus (si fieri potest), vel in pias causas erogentur. Hospes vero si aliquid de bonis talium contra hanc constitutionem nostram habuerit, triplum episcopo restituat, cui visum fuerit assignandum, non obstante statuto aliquo, seu consuetudine, seu privilegiis, quae hactenus contrarium inducebant. Si qui autem contra praesumpserint, eis de rebus suis testandi interdicimus facultatem, ut in eo punian-

tur, in quo deliquerint, alias, prout culpae qualitas exegerit, puniendi.

Securitas agricultorum. Agricultores, et circa rusticationem occupati, dum villis insident, dum agros colunt, securi sint quacumque parte terrarum; itaut nullus inveniatur tam audax, qui personas, vel boves, agrorum instrumenta, aut si quid aliud sit, quod ad operam rusticalem pertinet, invadere, capere aut violenter auferre praesumat. Si quis autem huiusmodi statutum ausu temerario violare praesumpserit, in quadruplum ablata restituat, infamiam ipso iure incurrat imperiali animadversione nihilominus puniendus.

IL.

Comminatio poenarum contra Daciae regnum invadentes, perturbantes, eiusque iura temere usurpantes (1).

SUMMARIUM

Daciae regnum iuris S. R. E. — Anathematizantur eiusdem perturbatores.

Honorius episcopus servus servorum Dei, charissimis in Christo filiis illustribus regibus, et dilectis filiis principibus, et universis Dei fidelibus regno Daciae circumpositis catholicam servantibus unitatem, salutem et apostolicam benedictionem.

Daciae regnum iuris S. R. E. Quanto specialius regnum Daciae ad Ecclesiae Romanae noscitur iurisdictionem spectare, tanto ad conservationem eius propensiori studio debemus intendere. Quia non immerito multa reprehensione digni existere videremur, si quod est iuris Ecclesiae Romanae pateremur imminui, vel turbari. Inde est quod ad exemplar felicis memoriae Alexandri et Innocentii praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vobis omnibus sub interminatione anathematis arctius inhibemus, ne quis praescriptum regnum invadere vel turbare praesumat, aut iura charissimi filii nostri illustris Danorum regis, vel haeredum suorum minuere audeat, vel sibi quomodolibet usurpare. Siqui autem huius nostrae prohibitionis transgressores extiterint, indignationem nostram et Ecclesiae Romanae se noverint incursuros, et anathematis vinculo feriendos.

Anathematizantur eiusdem perturbatores.

Datum Laterani sextodecimo kalendas decembris, pontificatus nostri an. quinto.

Dat. die 16 novembris 1220, pontif. anno v.

(1) Ex Regest. Vatic.

L.

Infeudatio quorumdam locorum de terra comitissae Mathildis favore comitis de Mangono sub annuo censu unius asturis et duorum braccorum, salvo tamen Ecclesiarum iure (1).

SUMMARIUM

Loca comiti infeudata, pro quibus praestitit iuramentum. — Census.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Alberto comiti de Mangono, salutem et apostolicam benedictionem.

Loca comiti infeudata, pro quibus praestitit iuramentum. Ad communem notitiam volumus pervenire, quod fidelitatis a te iuramento recepto pro Terra Vallese, Rocca Gonfienti, Monticelli, Bargi, Ebrigaza, Pidierla, Casi, Rocca de Vico, Castirola, Limango, Greta, Mocono, Palliano, Monticello, Fossato Torri, Bacti et Savignano cum omnibus earum pertinentiis, quae fuerint de terra clarae memoriae comitissae Mathildis, et quae pater tuus noscitur tenuisse, te de fratrum nostrorum consilio et consensu investivimus de eisdem nobis de imperiali voluntate libere restitutis, ea in feudum tibi, tuisque legitimis haeredibus concedendo, Ecclesiarum omnium iure salvo; singulis autem annis nobis et successoribus nostris dabis unum asturem et duos braccos in feudi recognitionem praedicti, et cum

Census.

(1) Ex Regest. Vatic.

fueris requisitus, semel in anno venies cum quatuor militibus in servitio seu exercitu Ecclesiae per octo dies in tuis moraturus expensis, veniendi ac redeundi tempore minime computato. In huius autem rei memoriam praesentes litteras tibi concessimus bullae nostrae munimine roboratas.

Datum Laterani nonis decembris, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 5 decembris 1220, pontif. anno v.

LI.

Alia similis infeudatio Azzoni de Fregnano sub annuo canone unius asturis et duorum braccorum, Ecclesiarum, iure in omnibus semper salvo (1).

SUMMARIUM

Loca Azzoni infeudata, pro quibus fidelitatis iuramentum praestitit. — Census.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Azzoni de Fregnano, salutem et apostolicam benedictionem.

Loca Azzoni infeudata, pro quibus fidelitatis iuramentum praestitit.

Ad communem notitiam volumus pervenire quod nos fidelitatis a te iuramento recepto, pro castro Rosen. cum plebanatu, et curte, Labanto, Castello Novo, Fusiano, Arimannis, Rodiano, Calvezano, Curte de Pratis, Sancto Petro, Montefe, Montaltu et Monte Torturae cum omnibus earum pertinentiis, quae fuerunt de terra clarae memoriae comitissae Mathildis, et quae pater tuus noscitur tenuisse, te de fratrum nostrorum consilio et consensu investimus de eisdem nobis de imperiali voluntate libere restitutis, ea in feudum tibi tuisque legitimis haeredibus concedendo, Ecclesiarum omnium iure salvo: singulis autem annis nobis et successoribus nostris dabis unum asturem et duos braccos in feudi recognitionem praedicti, et cum fueris requisitus, semel in anno venies cum quatuor militibus in servitio seu exercitu Ecclesiae per octo dies in tuis moraturus expensis, veniendi ac redeundi tempore minime computato. In huius autem rei memoriam praesentes litteras tibi concessimus bullae nostrae munimine roboratas.

Census.

Datum Laterani nonis decembris, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die, annoque eodem.

(1) Ex Regest. Vatic.

LII.

Confirmatio privilegiorum et immunitatum a Bohemiae rege Ecclesiis et ecclesiasticis regni sui concessarum ac restitutarum (1).

SUMMARIUM

Bohemiae rex libertates Ecclesiis sui regni restituit: — Ac firmat privilegia. — Haec omnia validat Honorius. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus, praepositis, decanis, et universis clericis per Bohemiam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quaestione super iurisdictione, decimis, et aliis diversis articulis inter venerabilem fratrem nostrum Pragensem episcopum, et dilectum filium magistrum Ioannem procuratorem illustris regis et baronum Bohemiae coram nobis diutius agitata; idem procurator ipsorum regis et baronum nomine recognovit et dimisit eidem episcopo et Ecclesiae suae omnem libertatem et omnem iurisdictionem, quae sunt Ecclesiae Bohemiae sive de iure, sive per privilegia, sive per approbatam consuetudinem acquisitae, et specialiter illas, quas iste rex per privilegia suae Ecclesiae iam dictae concessit, promittens quod de iurisdictione rusticorum ad Ecclesias suae dioecesis pertinentium, coram dilecto filio nostro Gregorio S. Theodori diacono cardinali, Apostolicae Sedis legato, vel alio, cui hoc committendum duxeri-

Bohemiae rex libertates Ecclesiis sui regni restituit:

(1) Ex Regest. Vatic.

mus, exhibebit iustitiae complementum. Dimisit etiam, et recognovit memorato episcopo et Ecclesiae Bohemiae omnia spiritualia, institutiones, salvo patronis iurepatronatu, et destitutiones, correctiones, et iudicia clericorum, et omnia alia spiritualia, inter quae visitationem intelligimus et volumus comprehendi, eo salvo quod de Boleslavien., Melviven. et Littomiricen. praepositis exhibebitur iustitiae plenitudo coram legato ipso, vel alio cui fuerit ab Apostolica Sede commissum. De decimis vero promittit regis nomine ac baronum quod plene ac integre solvent eas praefato episcopo, et Ecclesiae suae, ac aliis Ecclesiis et personis ecclesiasticis, sicut de iure debentur, iustitia de populi decimis tam praeteritis, quam futuris coram eodem legato, vel alio, cui haec commiserimus facienda. Omnia quoque privilegia tam Romanorum Pontificum, quam imperatorum et regum Bohemiae ac ducum, vel aliorum Ecclesiis concessa Bohemicis, si extant, restituentur eis, quorum fuisse noscuntur, cum possessionibus, quae ad Pragensem et alias Ecclesias et personas ecclesiasticas pertinere et esse ablata noscuntur. Quod si privilegia ipsius regis, vel praedecessorum suorum non extant, vel sunt forte deperdita, rex ante relaxationem sententiarum excommunicationum et interdicti, quae sunt in ipsum et barones ac regnum eius prolatae, eadem restaurabit secundum tenorem, quem dictus episcopus suo expresserit iuramento. Si vero ea, quae non sunt sua, vel praedecessorum suorum, sunt deperdita vel destructa, dabit operam bona fide, ut eadem restaurentur.

Ac firmat privilegia.

Pro iis autem in perpetuum observandis ante relaxationem sententiarum ipsarum praestabitur ex parte regis et baronum sufficiens cautio, secundum mandatum nostrum, quod legato fecimus saepedicto, qua praestita, dictae sententiae relaxentur. Nos autem habentes rata praedicta, ne quid eis desit ad robur plenariae firmitatis, de consilio fratrum nostrorum auctoritatem nostram adiecimus, decernentes ea in perpetuum valitura.

Haec omnia validat Honorius.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani tertio idus ianuarii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 11 ianuarii 1221, pontif. anno v.

LIII.

Quod Ecclesia Sancti Ioannis in Laterano de Urbe centenaria gaudeat praescriptione, sicut Ecclesia Romana.

SUMMARIUM

Exordium. — Privilegium centenariae praescriptionis.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori et conventui Lateranen., salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sedis Apostolicae circumspectio, quae circa omnes Ecclesias suae providentiae consuevit adhibere cautelam, illarum indemnitatibus propensiori debet studio praecavere, quae ipsi tamquam membra capiti cohaerentes, specialis sibi necessitudinis vinculo sunt astrictae.

Privilegium centenariae praescriptionis.

Inde est, quod cum Lateranensis Ecclesia speciale membrum, et Romani Pontificis propria sedes existat; statuimus et sancimus, ut sicuti contra Romanam Ecclesiam non nisi centenaria currit praescriptio, secundum constitutiones canonicas et legitimas sanctiones, ita quoque ipsi Ecclesiae minoris temporis praescriptio non obsistat. Nulli ergo omnino *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Laterani nono kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 23 aprilis 1221, pontif. anno v.

LIV.

Quod iudaei diversitate habitus distinguantur a christianis, illisque ministerium publicum non committatur (1).

SUMMARIUM

Iudaei debent habitu distingui a christianis: — Neque publica officia eis committenda.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Burdegalen., et suffraganeis eius, salutem et apostolicam benedictionem.

Iudaei debent habitu distingui a christianis. Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod iudaei quidam in provinciae Burdegalen. degentes signa, per quae a christianis diversitate habitus distinguantur, prout statutum est in concilio generali, deferre contemnunt. Quare praeter alia enormia, quae inde contingunt, christiani iudaeis mulieribus, et iudaei christianis nefarie commiscentur. Nobiles quoque ipsius provinciae minime attendentes, quod Christi blasphemi libenter, cum possunt, opprimunt christianos, Neque publica officia eis committenda. eis, ut a christianis officiant efficaciter, publica committunt officia exercenda, et ut servi dominis dominentur, ipsos contra concilii praedicti statuta in castris praeficiunt, et in villis. Cum igitur non solum sit impium, verum etiam abusivum, ut iudaei taliter insolescere permittantur, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus circa haec praedicti statuta concilii facientes inconcussa servari, iudaeos, ut a christianis diversitate habitus se distinguant per subtractionem communionis, et nobiles ne illis publica officia exequenda committant, vel alias eos christianis praeficiant, modo praemisso per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis.

Datum Laterani tertio kalendas maii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 29 aprilis 1221, pontif. anno v.

(1) Ex Regest. Vatic.

LV.

Quod nemo ex civitate Beneventana domos alterius occupare praesumat, sub poena confiscationis bonorum; neque ibi collectae imponantur nisi de rectoris, et totius populi consensu (1).

SUMMARIUM

Beneventum iuris S. Petri. — Decretum (*prout in rubrica*). — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis iudicibus, consulibus, et populo Beneventan., salutem et apostolicam benedictionem.

Ad tranquillitatem vestram tanto diligentius intendentes, quanto civitas vestra inter caeteras, quae iuris beati Petri existunt, noscitur praeminere; praesentium auctoritate statuimus, ut si quis de civitate ipsa domos vel turres alterius de caetero per violentiam caeperit, nisi eas ad mandatum nostrum, vel rectoris, qui pro tempore in ipsa fuerit civitate, infra tres dies libere resignaverit, ex tunc universa bona ipsius nostris regalibus applicentur, ita quod de illis satisfactio ei, qui fuerit passus iniuriam, Apostolica Sedes de residuo sicut de caeteris regalibus libere pro sua voluntate disponat: si clericus vero fuerit, officio et beneficio sit privatus. Ad haec districtius inhibemus, ne quis civitatem ipsam praesumat aggravare collectis, nisi cum rector, iudices, consules, et octonarii totius populi accedente consensu, id pro communibus ipsius terrae negotiis viderint expedire.

Beneventum iuris S. Petri.

Decretum (prout in rubrica).

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani secundo idus maii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 14 maii 1221, pontif. anno v.

(1) Ex Regest. Vatic.

LVI.

Confirmatio infeudationis terrae Partuselli, sub annua praestatione duarum marcharum argenti, favore comitis Bertoldi (1).

SUMMARIUM

Terra Partuselli comiti Bertoldo infeudata sub annuo censu duarum marcharum argenti. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio comiti Bertoldo, salutem et apostolicam benedictionem.

Terra Partuselli comiti Bertoldo infeudata sub annuo censu duarum marcharum argenti.

Cum terram, quae dicitur Partuselli, a Romana Ecclesia recognoscens, dilecto filio magistro Bartholomaeo subdiacono et cappellano nostro, Apostolicae Sedis legato, nomine nostro fidelitatis praestiteris iuramentum, obligans te, ac tuos haeredes quod nobis et successoribus nostris duas marchas argenti singulis annis pro terra ipsa persolves; nos tuis precibus inclinati, terram ipsam sicut eam iuste possides et quiete, auctoritate tibi apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Clausulae

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani decimo kalendas octobris, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 22 septembris 1221, pontif. anno VI.

LVII.

Commissio inquisitionis super vita et miraculis Hugonis abbatis Bonae Vallis ordinis Cistercien. (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Hugonis corpus miraculis clarum. — Inquisitio demandatur de his.

(1) Ex Regest. Vatic.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Viennen., et episcopo Gratianopolitan., salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Qui sua incommutabili providentia cuncta disposuit ab aeterno, licet in operibus primae creationis mirabilem se ostenderit, et mirabiliorem in exhibitione redemptionis humanae; adhuc tamen misericordias suas mirificare non desinens, variis miraculorum insignibus Ecclesiam suam ornat, dum electos eius, quos in Ecclesiae fidei veritate renatos provehit in augumentum virtutum, dat miraculis coruscare, ut sic magis et magis fides in Christo credentium roboretur, spes proficiat et charitas accendatur, ut confundantur, et revereantur Ecclesiae inimici, qui vitam eius insaniam aestimantes, eidem detrahere multipliciter moliuntur. Sane gaudemus in Domino, et in eius laudibus gloriamur, quod sicut dilecti filii abbas et conventus Bonae Vallis Cisterciensis ordinis suis nobis nunciis et litteris, adhibitis quoque multorum praelatorum testimoniis, intimarunt, felicis memoriae Hugo quondam eorum abbas pie ac iuste in hoc saeculo vivens, multa obtinuit a Domino miracula fieri manifesta, et nunc anima eius in sanctorum splendoribus habitante, corpus ipsius multis fulget mirabilibus gloriosum.

Hugonis corpus miraculis clarum

Quare nobis supplicarunt instanter, ut cum valde deputetur indignum eum, quem pro suae merito sanctitatis constat a Domino in triumphanti Ecclesia taliter honorari, ab hominibus sine debita veneratione in Ecclesia militanti relinqui, eumdem sanctorum cathalogo ascribi faceremus. Nos igitur, licet supplicationes huiusmodi libentissime amplectamur; ne tamen in hoc aliquid de contingentibus videamur omittere, fraternitatem vestram, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, rogamus et monemus attente per apostolica scripta vobis mandantes, quatenus tam de vita, quam miraculis Sancti praedicti plenissime inquirentes, rescribatis nobis super

Inquisitio demandatur de his

his fideliter veritatem, qua cognita, procedamus exinde prout secundum Deum viderimus procedendum.

Datum Laterani quarto nonas decembris, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 2 decembris 1221, pontif. anno VI.

LVIII.

Confirmatio concordiae inter Cypri reginam et praelatos eiusdem regni, quodque Graeci in locis ritus latini degentes suos episcopos habere minime possint, latinis tamen subesse teneantur episcopis (1).

SUMMARIUM

Amachostanum episcopum reginae commendat. — Compositionem dictam confirmat, servarique mandat. — In eadem dioecesi duo esse non debent episcopi. — Graecos latinis episcopis subiectos fore vult.

Honorius episcopus servus servorum Dei, charissimae in Christo filiae A..... illustri reginae Cypri, salutem et apostolicam benedictionem.

Amachostanum episcopum reginae commendat. Licet diligentiam, quam adhibuit venerabilis frater noster Amachostanus episcopus in tuis negotiis promovendis, non esset necessarium commendare, quia, sicut credimus, expertam habes circumspectionem ipsius commodum et honorem tuum devote ac fideliter procurantis; ut tamen plenius de sua providentia et sinceritate praesumas, eum tibi super hoc reddimus commendatum. Quia vero compositione nuper a te cum regni tui praelatis inita, nobis per eumdem episcopum praesentata, et ipsius tenore diligenter inspecto, perpendimus, quod non solum Ecclesiis debita iura decimarum, quae sunt egentium animarum tributa, restituis; sed tamquam benedictionis filia oves errantes ad Domini caulas studes adducere, devotionem tuam in Domino commendamus, cum in sexu fragili virile robur induas, et amorem, quem erga Deum geris in animo, devotis operibus repraesentes: propter quod tuis, et praedictorum praelatorum precibus inclinati, compositionem ipsam auctoritate apostolica duximus confirmandam, magnificentiam tuam monentes, et per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus compositionem eamdem observes in omnibus, et ab aliis facias quantum in te fuerit observari, ita quod bonum pacis et concordiae inter te, ac praedictos praelatos firmius radicetur, et devotionis affectus, quem ad Deum geris et Ecclesias, clarius agnoscatur. Compositionem dictam confirmat, servarique mandat. Cum autem in praelatorum latinorum dioecesibus regni tui quidam Graeci Romanae inobedientes Ecclesiae et Ecclesiis Latinorum, tamquam pontifices commorentur, pro quibus nobis humiliter supplicasti, ut in dictis dioecesibus, prout sunt, remanere permitteremus eosdem; nos licet tibi et regno tuo deferre quantum cum honestate nostra valemus, et Graecos ad obedientiam Sedis Apostolicae revertentes fovere ac honorare velimus, mores et ritus Graecorum ipsorum, quantum cum Deo possumus, sustinendo; in his tamen quae periculum generant animarum, et ecclesiasticae derogant honestati, apud nos esse non debet acceptio personarum. Quare talia de caetero sustinere nolentes, cum monstruosum esset, sicut in constitutionibus dicitur concilii generalis, unam et eamdem dioecesim diversos habere pontifices: tamquam diversa capita unum corpus haberet, venerabilibus fratribus nostris patriarchae Hierosolymitan., et Tyren. et Caesarien. archiepiscopis nostris damus litteris in mandatis, ut eos morari de caetero, velut praesules, in dictis dioecesibus nullatenus patiantur, sacerdotibus et diaconibus graecis praedicti regni nihilominus firmiter iniungentes, ut praefatis archiepiscopo et episcopis Latinorum, prout sunt et fuerint in eorum dioecesibus constituti, canonicam obedientiam iuxta compositionem faciant supradictam, se tamquam obedientiae filii conformantes sacrosanctae

In eadem dioecesi duo esse non debent episcopi.

Graecos latinis episcopis subiectos fore vult.

(1) Ex Regest. Vatic.

Romanae Ecclesiae matri suae, ut sit de caetero unum ovile, ac etiam unus pastor. Ad quod tamquam devotam Ecclesiae filiam, opem et operam te volumus fideliter impertiri, quia per eos de facili quidem contingeret, quod processu temporis non solum a Romanae Ecclesiae obedientia et magisterio, sed aliis haeredum tuorum, et Latinorum dominio se totum regnum subtraheret memoratum.

Datum Laterani tertio kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 30 decembris 1221, pontif. anno VI.

LIX.

Quod beatus Robertus, cuius corpus multis coruscans miraculis in ecclesia monasterii Molismen. requiescit, tamquam sanctus veneratione per monachos eiusdem coenobii habeatur (1).

SUMMARIUM

Inquisitum prius de vita et miraculis B. Roberti. — A Molismen. tanquam sanctum venerari concedit.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati, et conventui Molismen., salutem et apostolicam benedictionem.

Inquisitum prius de vita et miraculis B. Roberti.

Cum olim nobis per litteras et nuncios vestros supplicassetis instanter adiuti testimoniis, et intercessionibus plurimorum, ut sanctae memoriae beatum Robertum, cuius corpus in vestra requiescens Ecclesia multis et magnis miraculis coruscabat, sanctorum cathalogo ascribere deberemus; nos ne in tanto negotio videremur uti aliqua levitate, tam de vita ipsius, quam de miraculis per venerabiles fratres nostros Lingonen. et Valentinen. episcopos mandavimus diligenter inquiri, cum ad hoc, ut aliquis habeatur sanctus in Ecclesia militanti, necesse sit, ut et verae fidei, quae per dilectionem operatur, sana merita cum perseverantia finali praecedant, et clara miracula subsequantur, nec alia sine aliis plene sufficiant ad indicium sanctitatis, eo quod nonnulli faciunt opera sua, ut videantur ab hominibus, et nonnunquam angelus Sathanae se in lucis angelum transfigurans, hominibus frequenter illudit, sicut de Magis legitur Pharaonis. Cum itaque inquisitores praedicti nobis super his plene rescripserint veritatem, quia licet nobis quaedam miracula, quae post mortem fecerat intimarint, de his tamen, quae in vita fecisse dicitur, fidem plenariam non fecerunt: nos ne precibus vestris videremur omnino deesse, concedimus vobis, ut eum tamquam sanctum in vestra Ecclesia venerantes, etiam apud Dominum suffragia fiducialiter imploretis.

A Molismen. tanquam sanctum venerari concedit.

Datum Laterani, sexto idus ianuarii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 8 ianuarii 1222, pontif. anno VI.

(1) Ex Regest. Vatic.

LX.

Confirmatio indulgentiarum pro die consecrationis basilicae Sanctae Mariae Maioris a Sixto tertio et Clemente etiam tertio concessarum (1).

SUMMARIUM

Confirmantur supradictae indulgentiae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis christifidelibus praesentem paginam inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Devotio, quam habemus ad gloriosissimam Dei Genitricem Mariam semper Virginem, nos inducit, ut ea quae ad honorem statuuntur ipsius, totis viribus amplexemur. Unde ne unius anni et quadraginta dierum a felicis recordationis Sixto tertio in die consecrationis basilicae Sanctae Mariae Maioris, ac unius anni et quadraginta dierum a Clemente

(1) Ex Regest. Vatic.

tertio in solemnitate consecrationis eiusdem, qui lapidem altari maiori superposuit consecratum, ab ipso festo consecrationis usque ad octavas Assumptionis eiusdem Beatae Dei Genitricis Mariae praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, necnon et unius anni et quadraginta dierum a nobis vestigiis inhaerentibus eorumdem ab eodem festo consecrationis usque ad dictas octavas omnibus singulis devote accedentibus ad Ecclesiam memoratam concessae indulgentiae possint ab aliquibus processu temporis in dubium revocari, easdem indulgentias praesenti paginae praecepimus annotari, et eas auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Confirmantur supradictae indulgentiae.

Datum Laterani, quartodecimo kalendas augusti, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 19 iulii 1222, pontif. anno VI.

LXI.

Absolutio ab excommunicationis sententia civitati et populo Lucanis sub certis conditionibus impendenda (1).

SUMMARIUM

Lucani censuris innodati ob ecclesiasticae libertatis violationem, — Resipiscunt, et veniam petunt. — Commissio de eis absolvendis. — Conditiones ab eisdem praestandae. — Nonnulli excommunicati Romam transmittendi.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis priori Sancti Frediani, et magistro Petro canonico Lucanis, salutem et apostolicam benedictionem.

Laesa olim libertas ecclesiastica a Lucanis enormiter, ad iustitiae praesidium lacrymosa confugit, et eam ut suum sibi conferret auxilium imploravit, quae importune apud nos pro eiusdem defensione libertatis insistens, ac necessariis argumentis ostendens se laedi graviter, si praedictae non prosequeremur iniuriam libertatis, de rigore tandem iuris obtinuit, ut eorumdem Lucanorum temeritatem severitate debita puniremus. Coacti ergo a iure processimus contra illos excommunicantes Parentium tunc eorum potestatem, et consilium, necnon omnes, qui eumdem Parentium pro potestate tenerent, et civitatem Lucanam ecclesiastico interdicto supponentes. Ipsi tandem tamquam de sua salute ac honore solliciti attendentes auditum non fuisse a saeculo de Lucanis, quod ecclesiasticam libertatem deprimerent, quam velut devotionis filii prae caeteris circumpositis populis extulerant et servarant, ad cor recedendo ab immutante illud malitia redeuntes, et sano usi consilio recurrere ad misericordiae remedium decreverunt. Ad eam igitur de tribulatione clamantes, ut eos eriperet de suis necessitatibus, in quas ipsos suggestio maligna induxerat, postularunt, obtinendo dumtaxat ipsis, quod eis ad percutientem se redire liceat, et a vulneratore sui opem vulneris implorare. Illa itaque pro Lucanis proponente praefatis, quod cum geramus illius vices in terris, qui praefert sacrificio pietatem, et cum irascitur non obliviscitur misereri, non poteramus poenitentibus veniam denegare, converti nunc ad illos cogimur se ad nos humiliter convertentes, et eis ad nos redeuntibus pietatis gremium aperire. Cum igitur sicut tu, frater episcope, ac clerus Lucanus vestris nobis litteris intimastis, eisdem Lucanis beneplacitis, et mandatis nostris expositis, dilectus filius nobilis

Lucani censuris innodati ob ecclesiasticae libertatis violationem.

Resipiscunt, et veniam petunt

(1) Ex Regest. Vatic.

vir Prudentius potestas eorum, qui de sinceritate devotionis et fidei a te, episcope, ac clero praedicto, unde gaudemus, plurimum commendatur, et nonnulli ex ipsis de stando mandatis nostris praestiterint iuramentum, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus a residuis omnibus simili iuramento recepto, eis, qui excommunicatione tenentur, absolutionis beneficium impendatis, et relaxetis sententiam interdicti. Quia vero dignum est ut iidem Lucani ad exaltationem et conservationem ecclesiasticae libertatis intendant, quam deprimere nitebantur; volumus et mandamus, quod absolutis excommunicatis, et interdicti sententia relaxata sub debito iuramenti, ex parte nostra, salvis aliis mandatis nostris, iniungatis eisdem, ut statuta omnia et consuetudines, quae sunt contra ecclesiasticam libertatem, et quibus canonicis et imperialibus sanctionibus derogatur, penitus revocent, et eis de caetero non utantur, latis post clericorum exitum contra ipsos, et eorum Ecclesias sententiis irritatis, revocatis possessionum, et aliorum bonorum ecclesiasticorum assignationibus, et cassatis confectis contra clericos exilii sui tempore instrumentis, castra, villas, loca, possessiones, ac caetera bona et iura ecclesiastica ab omni datione, turpi onere, publica functione, violenta exactione, angaria et perangaria secundum legalia et imperialia statuta libera perpetuo conservabunt. Non invadent bona ecclesiastica, sed potius pro posse suo eorum invasoribus se opponent libertatis ecclesiasticae, tam apostolica, quam imperialia privilegia inviolabiliter servaturi. Potestati quoque, ac consilio supradicto sub debito iuramenti mandetis, quod et ipsi praedicta observent et faciant inviolabiliter observari ac scribi in constitutionibus civitatis nullo unquam tempore removenda, et successores ipsorum ad eorum observantiam, et ad faciendum ea observari similiter teneantur. Ablata Ecclesiis et personis ecclesiasticis praedicti potestas et populus restituant et restitui faciant universa, neque propter hoc alicui earumdem Ecclesiarum et personarum gravamen aliquod inferent, vel inferri permittent, seu diminuent aut subtrahent iura ecclesiastica, sive diminui vel subtrahi patientur. Licet autem per alias litteras transmissas tibi, episcope, mandaverimus, ut ii, qui auctoritate nostra sunt excommunicationis vinculo innodati, ad nostram mitterentur praesentiam absolvendi; attendentes tamen, quod memorati Lucani semper in devotione Sedis Apostolicae perstiterunt, quamquam nuper ipsos ab ea seducendo subduxerit inimicus, ac volentes mitius agere cum eisdem ipsis gratiam faciendo; volumus, et mandamus, ut tantummodo violatores sacrorum locorum, et altaris praecipue Sanctae Crucis, ac eorum consiliarii, necnon spoliatores clericorum, ac illi etiam qui tempore Parentii officiales erant, cum spoliaverint, nec custodierint ecclesias, ad nostram praesentiam cum vestris litteris personarum et viarum securitate habita, transmittantur. Praeterea cum super satisfactione damnorum facienda nobili viro G.... Lucano civi speciales vobis litteras destinemus, nos, qui tenemur eius exemplo, qui est pacis amator et auctor, pacis consilia cogitare volentes, ut habitae inter eumdem nobilem ac quosdam alios concives suos inimicitiae, quae crevisse huius discordiae occasione dicuntur, ex huiusmodi satisfactione sedentur, nolumus vos in satisfactionis facto procedere, nisi prius nobilis ipse cum eisdem suis concivibus ad firmae pacis redierit unitatem, dum tamen de illatis iniuriis ei congruam satisfactionem impendant: super aliis vero, quae contingunt negotium memoratum, inspectis eiusdem circumstantiis, diligenter agatis, prout secundum Deum animarum tam cleri, quam laicorum civitatis praedictae saluti videritis expedire.

Commissio de eis absolvendis.

Conditiones ab eisdem praestandae.

Nonnulli excommunicati Romam transmittendi.

Datum Laterani, nonis novembris, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 5 novem. 1222, pontif. anno VII.

LXII.

Commissio inquisitionis super vita et miraculis beati Willhelmi archiepiscopi Eboracensis (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Miracula ad sepulchrum B. Villhelmi patrata. — Inquisitio de his facienda demandatur.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Elyen. et dilectis filiis de Fontibus, et de Riavalle abbatibus Cisterciensis ordinis Eboracen. dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Divinae dispensatio pietatis, quae nunc terribilium suorum virtutes ostendens, quasi quibusdam minis et increpationibus ad poenitentiam conterit peccatores, nunc autem suae suavitatis abundantiam exhibens tamquam blanditiis et promissis quoslibet ad Christi allicit charitatem, quae totis est affectibus a cunctis fidelibus veneranda. Nuper namque in pluribus locis Dominus terram tangens, et faciens eam tremere, multos conterruit ad salutem, et in diversis partibus nova miracula suscitans, multis salutis gaudia coelitus irroravit. Ut enim fidem Ecclesiae suae roboret, et confirmet, spem erigat et exaltet, charitatem continuet et accendat, ut confutet pravitatem haereticam, perfidos ad viam advocet veritatis, et ad poenitentiam revocet peccatores, mirificat sanctos suos, qui legitime certantes in hac Ecclesia militanti ad coelestem patriam pervenerunt, ubi animabus glorificatis feliciter stolam primam adepti, confidentes in illum intelligunt veritatem, et fideles in dilectione acquiescunt eidem, secundam stolam felicius adepturi, quando scilicet incinerata nunc corpora glorificanda resurgent fulgida, agilia, subtilia et impassibilia perpetuo cum Domino regnatura. In cuius rei evidentissimum et infallibile argumentum gloriosus Dominus, quorum animas iam glorificavit in coelo, nonnunquam corpora in terra clarificat faciens ea, quasi participantia divinae gloriae, divinis miraculis corruscare, quibus ad venerationem eis debitam exhibendam, eorumque imploranda suffragia, merito invitemur. Unde gaudemus in Domino, et in eius laudibus delectamur; quod sicut venerabilis frater archiepiscopus, et dilecti filii decanus, et capitulum Eboracen., nec non quamplures Ecclesiarum praelati de partibus illis suis nobis litteris intimarunt, felicis recordationis Willhelmus quondam Eboracen. archiepiscopus tanta vivens fulsit gratia meritorum, quod post felicem eius obitum ad ostendendam ipsius gloriam sanctitatis Dominus ad sepulchrum eius multa et magna miracula operatur. Miracula ad sepulchrum B. Villhelmi patrata. Verum licet opportune importune nobis totis affectibus supplicarint, ut cum lucerna non sit ponenda sub modio, sed super candelabrum statuenda; eum, quem Dominus honorat in Ecclesia triumphanti, nos in militanti Ecclesia sanctorum cathalogo ascribere deberemus; nos tamen provide attendentes, quod in tam sancto negotio non est, nisi cum maturitate plurima procedendum, ad maiorem evidentiam veritatis discretioni vestrae, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus habentes prae oculis solum Deum, qui non indiget mendaciis alicuius, tam de vita, quam de miraculis Sancti praedicti perquirentes sollicite veritatem, quae inveneritis per vestras nobis litteras intimetis, ut ex vestra relatione sufficienter instructi, procedamus exinde, prout secundum Deum viderimus procedendum. Inquisitio de his facienda demandatur. Quod si non omnes iis exequendis po-

(1) Ex Regest. Vatic.

tueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur.

Datum Laterani, nonis aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 5 aprilis 1223, pontific. anno VII.

LXIII.

Insularum rex cum omnibus rebus et bonis suis recipitur sub protectione Sedis Apostolicae cum annua responsione duodecim marcharum sterlingorum (1).

SUMMARIUM

Rex Insularum sua donat Romanae Ecclesiae, cui iurat homagium et annuum censum: — Eum recipit Pontifex sub sua protectione. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Reginaldo regi Insularum illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Promptae fidei, et pronae devotionis affectus, quem erga Romanam Ecclesiam studes in effectu laudabiliter exhibere, digne meretur, ut personam tuam sincera benevolentia complectentes, te speciali Sedis Apostolicae gratia prosequamur, tuis supplicationibus favorabiliter annuendo. Sicut enim transmissae nobis tuae litterae protestantur, bonorum, quae fiunt in Ecclesia Romana, particeps esse cupiens, ad exhortationem venerabilis fratris nostri Nortwicensis episcopi tunc electi, et Apostolicae Sedis legati, ei Ecclesiae Romanae nomine, ac nostro, insulam de Man, quae ad te iure haereditario pertinebat, nullumque de ipsa servitium facere tenebaris, donasti liberaliter et irrevocabiliter tradidisti, recipiens eamdem insulam ab Ecclesia Romana in feudum et pro ea nobis fidelitatis et homagii exhibens iuramentum. Ad recognitionem quoque dominii Ecclesiae Romanae, tu et haeredes tui annuatim duodecim marcas sterlingorum in Anglia apud monasterium de Fornis in festo Purificationis Beatae Virginis persolvetis. Quae omnia iurasti te fideliter servaturum. Nos igitur habentes haec rata et grata, tuis supplicationibus inclinati, personam et terram tuam cum omnibus, quae in praesentiarum rationabiliter possides, aut in futurum iustis modis praestante Domino poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

[Margin: Rex Insularum sua donat Romanae Ecclesiae, cui iurat homagium et annuum censum:]

[Margin: Eum recipit Pontifex sub sua protectione.]

[Margin: Clausulae.]

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani, decimo kalendas iunii, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 23 maii 1223, pontific. anno VII.

(1) Ex Regest. Vatic.

LXIV.

Concessio decem et septem librarum usualis monetae hospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe pro pauperum alimonia, ac institutio processionis Sanctissimi Salvatoris in die Stationis eiusdem Ecclesiae cum indulgentiarum elargitione (1).

(Vide in Innocentio III).

SUMMARIUM

Exordium. — Indictio Stationis ad S. Spiritum in Saxia. — Encomium Hospitalis. — Indicitur quoque solemnis processio. — Concessio ei facta ab Honorio Papa. — De observantia huius statuti.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis rectori, et fratribus Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia, salutem et apostolicam benedictionem.

[Margin: Exordium.]

Ad commemorandas nuptias salutares, quae in conversione peccatoris moraliter

(1) Ex Regest. Vatic.

celebrantur inter spiritum hominis, et gratiam Conditoris, ex quibus affectus et actiones tamquam filii ac filiae generantur; dominica prima post octavam Epiphaniae, quando illud legitur Evangelium, quod Iesus cum Discipulis suis in Chana Galileae, ubi Mater ipsius erat, invitatus ad nuptias aquam convertit in vinum, solemnem apud hospitale vestrum instituimus Stationem, in quo vos ex institutione nostra divino estis obsequio mancipati, ea potissimum ratione, quod in illis nuptiis sex hydriae secundum purificationem iudaeorum fuisse narrantur.

Indictio Stationis ad S. Spiritum in Saxia.

Et quidem in hoc hospitali tamquam in Chana Galileae, loco videlicet ubi zelus est transmigrandi de vitiis ad virtutes, positae sunt sex hydriae, idest sex opera misericordiae instituta, quae sunt pascere esurientem, potare sitientem, colligere hospitem, vestire nudum, visitare infirmum, et incarceratum adire. Ad purificationem utique iudaeorum, ut per illa videlicet confitentes a vitiis expientur. Istae vero sex hydriae usque ad summum implentur, quando illa sex opera misericordiae ad perfectum usque geruntur, et ex aqua fit vinum, cum ex merito eleemosynae ius accenditur charitatis.

Encomium Hospitalis.

Quia vero Iesus cum Discipulis suis ad has nuptias in Chana Galileae, ubi Mater eius erat, legitur invitatus, idcirco rationabiliter instituimus, ut effigies Iesu Christi a Beati Petri basilica per eiusdem canonicos ad dictum hospitale, ubi memoria beatissimae Matris eius recolitur, intra capsam ex auro et argento, et lapidibus pretiosis ad hoc specialiter fabrefactam venerabiliter deportetur, fidelibus populis, qui ad has nuptias celebrandas devote convenerint, desiderabiliter ostendenda. Ut autem nos, qui Domino revelante venerandum aliis aperuimus Sacramentum, eo etiam inspirante imitandum aliis praebeamus exemplum; concedimus, statuimus, et iubemus, ut pro mille pauperibus extrinsecus advenientibus, et trecentis personis intus degentibus decem et septem librae usualis monetae, ut singuli accipiant tres denarios, unum pro pane, alterum pro vino, aliumque pro carne, ab eleemosynario Summi Pontificis annuatim vobis in perpetuum tribuantur, et canonicis supradictis, qui praescriptam effigiem Salvatoris processionaliter deportabunt, singulis duodecim nummi, et cereus unius librae, qui deferatur accensus, de oblationibus beati Petri praestentur. Quia vero non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei; debet huic Stationi Romanus Pontifex cum suis cardinalibus interesse, ut et missarum solemnia ibi celebret, et exhortatorium faciat de hac celebritate sermonem. Neve fidelis populus famelicus ab iis nuptiis revertatur, praeter materialem et doctrinalem, spiritualem quoque sibi cibum impendat, remissionem unius anni de iniunctis sibi poenitentiis indulgendo.

Inditur quoque solemnis processio.

Concessio ei facta ab Honorio Papa.

Monemus igitur, et obsecramus successores nostros per Iesum Christum, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, ut hanc institutionem, quae ipso teste de pietatis fonte processit, faciant inviolabiliter observari, sub obtestatione divini iudicii prohibentes, ut nulli omnino hominum liceat paginam nostrae concessionis, constitutionis et iussionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

De observantia huius statuti.

Datum Signiae, tertio nonas iulii, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 5 iulii 1223, pont. anno VII.

LXV.

Animadversio contra illos, qui falsas praeferentes reliquias et litteras, nomine Sancti Antonii eleemosynas dolose a fidelibus extorquent (1).

SUMMARIUM

Fraudes huiusmodi reliquias adsportantium. — De his arcendis monendae gentes.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis aliis Ecclesiarum praelatis ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Grave gerimus et indignum quod, sicut nobis relatum est, multoties a multis, imo, sicut iam pene universalis Ecclesia non ignorat, praetextu simulatae religionis, quin potius damnandae cupiditatis obtentu, quidam nomine Sancti Antonii quasdam regiones percurrunt, qui mendicantes ad opus pauperum eleemosynas, seu verius ad luxum proprium extorquentes, praevaricando graviter quod oblata suscipiunt, sed gravius offendendo per causas, quibus simplices ad offerendum inducunt, dum falsa confingendo miracula, et ignota ossa pro sanctis reliquiis ostendendo, cum falsis litteris non solummodo magnatum et regum, verum etiam apostolicis, et aliorum Ecclesiae praelatorum, sese in stratis publicis obiiciunt peregrinis, et locum in quo sanctum Antonium asserunt requiescere inaccessibilem pro latronum insidiis esse dicentes, praeripiunt oblationes eorum, quos deceptoria suffragiorum, et orationum promissione solantur. Saepe vero mensam linteo coopertam exponunt, et impositis super ea luridis manibus seu pedibus crematorum, ad offerendum in ea, tamquam in re aliqua venerabili, devotionem credulorum alliciunt, misericordias Dei multas ex hoc ipso testantes, quod consumpti non sunt, et patientiam eius magnam esse probantes, quod de crematis huiusmodi divinae illudendo virtuti, ipsi ultionis eius divino iudicio non cremantur, ut de aliis abhominationibus taceatur, quas circa praescriptam materiam committere referuntur. Quia igitur abusionis tantae flagitium et tantorum flagitiorum abusum nec volumus, nec debemus ulterius sustinere; universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, et districte praecipimus, quatenus per parochias vestras denunciare solemniter procuretis, ne quaestoribus huiuscemodi, qui proponunt talia, vel ostendunt, vel impertiantur auditum, vel beneficium largiantur, quin potius eos sicut fures et deceptores sacrilegos et blasphemos confundant et humilient universi. Proviso prudenter, ne dum viri sic pestiferi repelluntur, veris quaestoribus pietatis viscera praecludantur. Quia sic volumus eis auditum, vel beneficium denegari, ne viris misericordiae fidelium eleemosynas ad opus pauperum Beati Antonii cum humilitate ac veritate petentibus, pius favor et charitativa propter hoc subsidia subtrahantur. Ea vero, quae nomine B. Antonii noveritis esse collata, consignari eius Ecclesiae, prout convenit, faciatis, contradictores per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compescentes.

Fraudes huiusmodi reliquias adsportantium.

De his arcendis monendae gentes.

Datum Signiae, secundo idus iulii, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 14 iulii 1223, pont. an. VII.

(1) Ex Regest. Vatic.

LXVI.

Approbatio compositionis initae inter N. V. Gaufridum de Villa Arduini principem Achaiae, et clericos, ac capitula Ecclesiarum eiusdem principatus (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Abusus in Romaniam invectus res Ecclesiae usui principum applicandi. — Guillelmus ea propter excommunicatus

(1) Ex Cod. Biblioth. Colbertinae edidit Baluz. lib. XVI, pag. 835, Epistol. Innocent. III.

resipiscit. — De mandato PP. conventionem iniit cum ecclesiasticis. — Conventionis articuli. — Eam confirmat Pontifex. — Instrumentum resignationis factae a Guillelmo principe. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis capitulis eorumdem in terra nobilis viri Gaufridi de Villa Arduini principis Achaiae citra passum Megarae Corinthiensis constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sedis Apostolicae circumspectio constituta super gentes et regna, ut evellat et destruat, aedificet atque plantet, ubique retinens moderamen, interdum rigore, interdum mansuetudine utitur, interdum consideratis circumstantiis temporum et locorum, medium faciens ex utroque, aspera in vias planas et prava dirigit in directa, et lite confusionis implicita explicans et dirimens, litem ipsam ad certas imaginem et rectitudinis normam provida distinctione reducit, ut quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo congrua dispensatione reddantur.

Abusus in Romaniam invectus res Ecclesiae usui principum applicandi.

Sane cum ex principum imperii Romaniae insolentia confutanda, huiusmodi confusionis inoleverit corruptela, ut nunc iidem bona conferrent Ecclesiis, et nunc ea ipsis auferrent pro suae libito voluntatis, et collata praecipue abbatiis iuxta beneplacitum suum propriis usibus applicarent, ac graeci praelati receptis muneribus indifferenter quoslibet ad sacerdotium promoverent, et dilectus filius nobilis vir G. de Villa Arduini princeps Achaiae innisus huiusmodi corruptelae abbatias et possessiones ecclesiasticas in suis manibus retinens, et fructus earum propriis usibus applicans, et quibus volebat pro libito tribuens, papates (1) tamquam rusticos retineret, quia monitus ab abolenda corruptela praedicta nolebat desistere, ipsum contingit excommunicationis laqueo innodari; sed tactus ab eo qui tangit montes et fumigant, se mandatis Ecclesiae obtulit saniori usus consilio pariturum.

Guillelmus ea propter excommunicatus resipiscit.

Et quia humiliter redeuntibus non est Ecclesiae aditus praecludendus, iuxta formam Ecclesiae intra castra ipsius obtinuit per humilitatem reduci, a quibus eiectus fuerat per contumaciam et contemptum. Nos ergo non minus ipsius principis saluti, quam Ecclesiarum utilitatibus providere volentes, sibi praecepimus, ut vel resignationem Ravenicae auctoritate Sedis Apostolicae ampliatam reciperet, vel pacem, quam ecclesiastici inierunt, Constantinopolitani barones, qui erga Romanam Ecclesiam maiorem devotionem habentes in servitiis defensionis imperii potius sunt gravati. Verum licet resignationem praedictam, quae gravior videbatur, dictus princeps se dixerit recepisse, quia tamen eam nullatenus effectui mancipavit, sed vobiscum compositionem iniit valde illicitam et penitus inhonestam, nos de ipsius salute solliciti, ipsumque de confusione consilii Achitofel volentes eruere, et ad devotionem Ecclesiae revocare, duximus concedendum, ut per venerabilem fratrem Pelagium Albanensem episcopum, et dilectos filios nostros Thomam tituli Sanctae Sabinae, et Ioannem tituli Sanctae Praxedis presbyteros cardinales cum dilectis filiis clericis Ecclesiarum vestrarum apud Sedem Apostolicam existentibus, necnon P. de Altomagno milite, ac nuntio principis memorati, inter principem ipsum ac clericos memoratos pax tractaretur honesta, et eisdem episcopo et cardinalibus mediantibus, post tractatum diutius habitum, in pacem huiusmodi convenerunt, ampliata resignatione Ravenicae de assensu vestro, deducta terra nobilis viri Oddonis de Roccha domini Athenarum taliter moderata, ut videlicet omnes Ecclesiae vestrae, omnes possessiones suas, quas obtinent in praesenti, vel habuisse aliquando dignoscuntur a tempore coronationis Alexii Bambacoratii, ab omni exactione ac iurisdictione libe-

De mandato PP. conventionem iniit cum ecclesiasticis.

Conventionis articuli.

(1) *Papas*, clericus vel sacerdos.

ras habeant laicali, salvis iustis et debitis acrosticis secundum moderationem inferius adnotatam, non obstantibus compositionibus si quae reperiantur factae perpetuo, ne illis super quibus non apparent aliqua instrumenta nisi a vobis et subditis vestris eorum aliquae merito acceptentur; ita tamen quod super possessionibus quas in praesenti eædem tenent Ecclesiae, nulla eis prorsus a quoquam quaestio moveatur. In casali vero xxv et ultra usque ad LXX lares habente, duo erunt papates cum uxoribus, filiis et familiis suis, nisi forte filii manserint extra domos paternas sub Ecclesiarum dominio a laicali iurisdictione omnino liberi et immunes. Quilibet vero papas unum ennicarium in scatia sua liberum habeat, si illum nunc habet vel habuerit a tempore supradicto. Quod si larium numerus septuagenarium excesserit, in casali quatuor papates erunt in illo liberi et immunes cum singulis ennicariis, sicut superius est expressum. Quod si ultra centenarium et vigesimum quintum excesserit, numerus papatum excrescet in sextum. Et sic deinceps papates addentur cum libertate praescripta. At si casalis xxv lares non habeat, de vicinioribus casalibus seu locis tot adiungantùr eidem, quod praefatus xxv numerus impleatur; et sic erunt duo papates in illo praescripta libertate gaudentes. Caeterum reliqui rurales papates cuncta servitia et auxilia consueta et praestita hactenus laicis exhibebunt; eo tamen salvo, quod ipsorum dominus temporalis et sui in personas eorum manus mittere non audebunt, nec permittent quod in terra contra latinorum clericorum celebretur voluntatem. Papates vero seu clerici graeci Ecclesiarum cathedralium viventes a tempore, quo mandatum apostolicum emanavit, ad quod resignationem Ravenicae dictus princeps dicitur recepisse, erunt omnino liberi, ut de aliis superius est expressum. Sed et circa reliquos papates civitatum illud idem servetur quod est de ruralibus ordinatum. Praelati quoque de laicorum hominibus contra voluntatem ipsorum tam in Ecclesiis cathedralibus, quam in aliis civitatum seu casalium de caetero aliquem non instituent, nec ad ordines promovebunt ultra papatum numerum praetaxatum. Sed et papates a iurisdictione liberi laicorum, debitum, et antiquum acrosticum, si quod debent pro terris, quas nunc tenent, ex illis, quas a praedicto tempore tenuerunt, laicis sine difficultate persolvent. Saepedictus vero princeps et Latini sibi subiecti decimas integre solvent, et facient a Graecis sibi subditis et non rebellantibus simili modo persolvi. Porro vos eidem principi et suis Ecclesiarum thesauros, et alia mobilia vestra, necnon et iniurias irrogatas, praeter personales, remittetis omnino. Verumtamen de personalibus fructibusque perceptis et damnis datis tempore, quo princeps ipse fuit a dilecto filio nostro Ioanne tituli Sanctae Praxedis presbytero cardinale, nunc Apostolicae Sedis legato, excommunicationis sententia innodatus, necnon de perceptis fructibus ex possessionibus et bonis ecclesiasticis, et damnis illatis a tempore, quo mandatum emanavit praedictum, princeps ipse ac sui vobis competentem satisfactionem impendent et dimittent vobis, si in aliquo reputant se offensos, ac in recompensationem omnium praedictorum vestris cathedralibus Ecclesiis, deducta Argolicensi Ecclesia pro parte nobilis memorati, mille hyperperorum (1) annuum redditum assignare curabunt; ita quod cuilibet cathedrali Ecclesiae sors, quae ipsam contingit, videlicet centum septuaginta Ecclesiae Patracensi, Corinthiensi totidem, necnon centum quinquaginta Lacadamonensi et Amiclensi Ecclesiis, Coronensi quoque centum quinquaginta, et totidem Mothonensi, necnon Olenensi Ecclesiae totidem; et Argoli-

(1) *Hyperperum*, moneta imper. Bizantin. aurea, sic dicta, quasi ex auro eximie rutilo et recocto confecta.

censi Ecclesiae sexaginta octo certo loco et congruo in eius dioecesi assignetur, nisi forte eadem Ecclesia in acrostico teneatur, quod pro quantitate ipsius eadem sibi reputabit in sortem; si quid ex ipsa defuerit, loco idoneo de aliis suppleturi. Quod si saepefatus princeps ac sui ab Ecclesiis acrosticum duxerit exigendum, de ipso et quantitate ipsius, nisi iam sit remissum, erit prius veritas inquirenda. Et cum constiterit de illo et quantitate ipsius, inquiri debet nihilominus, utrum possessiones et bona pro quibus illud debetur acrosticum (1), deteriorata sint propter malitiam temporis seu etiam imminuta, et iuxta quantitatem deteriorationis vel diminutionis illorum acrosticum pro illis debitum minuatur; reliquis in suo robore remanentibus in praedicta resignatione Ravenicae ac praedicto mandato apostolico comprehensis, necnon et privilegio, quod super Ecclesiarum et clericorum libertatibus voluntarie princeps ipse concessit. Ipse quoque, ac sui et illi, quibus de novo terra dabitur vel baliva, pacem praescriptam servare bona fide iurabunt, ac contra ipsam penitus non venire. Quod si eidem principi vel suis quisquam subiectus contravenire praesumpserit, et ob hoc laqueo excommunicationis ligatus super eo non satisfecerit infra annum, dictus princeps vel ille, cui noscitur immediate subesse, compellet ad satisfactionem competentem et debitam exhibendam, quem tamquam excommunicatum ipse et sui in omnibus evitabunt, praeterquam in perceptione servitii, quod sibi vel illis exhibere tenetur. Cum igitur vos ex parte una, necnon et memoratus princeps ac sui ex altera, praescriptam pacem sponte duxeritis acceptandam, et tam ex parte vestra, quam sua fuerit nobis humiliter supplicatum, ut eamdem dignaremur apostolico munimine roborare, nos vestris et ipsius precibus inclinati, ne negotium possit iterato in labyrintum confusionis

(1) Census qui pro agris et praediis solvebatur.

immergi, pacem ipsam sive concordiam praedictis episcopo et cardinalibus mediantibus auctoritate nostra provide factam, et ultro receptam, gratam et ratam habentes auctoritate apostolica confirmamus et praecipimus firmiter observari. Ad maiorem autem evidentiam saepedictam resignationem Ravenicae, prout exinde confecto authentico continetur, huic nostrae paginae de verbo ad verbum fecimus adnotari. *Eam confirmat Pontifex.*

In nomine Domini. Amen.

Ad honorem Dei et Sanctae Matris Ecclesiae et domini Papae Innocentii III.

Hoc est pactum, sive conventio super universis Ecclesiis positis, sive sitis, vel fundatis in Thessalonica usque Corinthum, quod intervenit inter dominum Thomam Dei gratia Constantinopolitanae Ecclesiae patriarcham, et archiepiscopos Athenien-sem, Larisensem, Neopatrensem et episcopos infraponendos, et barones inferius propriis nominibus declarandos. Renuntiaverunt quidem domini Nameus Roffredus comestabulus regni Thessalonici, Otto de Roccha dominus Athenarum, Guido marchio, Ravanus dominus insulae Nigripontis, Raynerius de Traval, Albertinus de Canosa, Thomas de Stromomort, comes Bertuldus, Nicolaus de Sancto Omer, Guillelmus de Blanel, Guillelmus de Arsa pro se et hominibus suis et fidelibus et vassallis, in manibus supradicti domini patriarchae recipientis pro Ecclesia nomine domini Papae et suo et archiepiscoporum et episcoporum infra dictos terminos positorum, et Ecclesiarum cunctarum, omnes ecclesias et monasteria, possessiones, redditus, mobilia et immobilia bona, et universa iura Ecclesiae Dei, volentes et firmissime promittentes dictas Ecclesias et monasteria cum omnibus rebus suis habitis et habendis, et personas in eis positas et ponendas, et claustra Ecclesiarum et servientes et servos et ancillas et homines et universa suppellectilia et bona libera *Instrumentum resignationis factae a Guillelmo principe*

et absoluta per se successoresque suos, homines, milites, vassallos, fideles, servientes et servos in perpetuum permanere ab omnibus angariis et parangariis, taliis, servitiis et servitutibus universis, excepto acrostico tantum, quod eis debent cuncti sive Latini sive Graeci, tam in dignitatibus, quam in minoribus officiis et ordinibus constituti propter terras, quas tenent ab ipsis, si quas tenent vel tenuerunt, quod tempore captionis civitatis regiae Constantinopolitanae solvebatur a Graecis, et nihil aliud debent, et nihil aliud praefati barones per se, successores suos, vassallos, homines, fideles, servientes et servos, sibi in praedictis Ecclesiis sive monasteriis vendicare, nihilque in posterum usurpare; sed si qui ex praedictis clericis tam praelatis, quam caeteris ecclesias vel monasteria destruere voluerint, debent quantum eis licuerit repugnare decenter, et turbare ne compleant quod nequiter conceperunt. Si qui vero fuerint de clericis latinis vel graecis, sive monachis, papatibus, vel calogeris, in dignitatibus, vel minoribus ordinibus, vel officiis constituti, qui dictorum baronum terras detineant, et laborent, et acrosticum solvere noluerint, termino inter eos statuto, nisi sòlverint quod tenentur, potestatem habeant nominati barones accipiendi de bonis eorum tantum, quod eorum debitum et nihil amplius persolvatur; sed in cunctis absoluti et liberi, quantum ad personas et res ipsorum et Ecclesiarum, quae superabundant debitum, perpetuo inposterum perseverent. Haeredes quoque, sive filios clericorum, sive papatum, et uxores eorum non capiant, vel detineant, vel faciant detineri, vel capi, quamdiu ad mobilia eorum suas poterint extendere manus, sive de eorum mobilibus eis poterit super debiti quantitate satisfieri competenter: filii quoque laicorum graecorum, sive clericorum seu papatum in baronum servitio iuxta morem solitum perseverent, nisi per archiepiscopos, vel episcopos, vel de eorum licentia fuerint ordinati. Post ordinationem vero eodem privilegio gaudeant, quo fruuntur clerici in obedientia Romanae Ecclesiae constituti. Si qui vero papatum, vel monachorum graecorum baronum detinuerint et laboraverint terras, quae ad Ecclesiarum vel monasteriorum non pertineant iura, eodem modo praedictis respondeant dominis, quo fecerint laici, qui eorum terras detinent et laborant. Alioquin si praefati barones contra iam dicta venerint vel aliquod praemissorum, post admonitionem per suos excommunicentur praelatos, et tamdiu in excommunicatione persistant, quamdiu de damnis et iniuriis canonice satisfecerint irrogatis. Ut autem praemissis fides plenior habeatur, de voluntate et consensu et auctoritate dominorum Thomae patriarchae, et imperatoris Henrici Constantinopolitan. et archiepiscoporum, et omnium baronum in praesenti chartula positorum appensa sigilla consistunt. Salvis in omnibus domini Papae auctoritate, reverentia et honore; acta sunt haec apud Ravenicam, anno Domini MCCX, indictione XIII, praesentibus archiepiscopis et episcopis et electis et clericis et militibus, videlicet Heracliensi, Atheniensi, Larissensi, Neopatrensi archiepiscopis, Avallonensi, Fermopilensi, Davaliensi, Zaratoriensi, Castoriensi, Sidoniensi, episcopis, Nazariensi, Citrensi electis, de quorum consensu et voluntate et auctoritate sunt praemissa peracta, et praesentibus cantore Leonardo, Iacobo presbytero, Henrico, magistro Bonifacio canonico Ecclesiae S. Sophiae de Constantinopoli, et priore cruciferorum Bononiae, archidiacono Thebano, decano Davaliensi, domino Arduino et Arnuldo capellanis imperatoris praefati, et praesentibus Guiffredo marescalco totius imperii Romaniae, et Rolandino de Canosa, et Raynerio de Gumbulla, et Guillelmo de Sarz, et Bonuz de Sancto Sepulchro, et Gerandino de Gummula, et Iacobo de Assesso, et Hu-

gone de Settenguen, Albuin de Plunges, et Philippo de Mombis et aliis pluribus. Haec autem completa sunt mense maii die secundo intrante.

Clausulae

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis et iussionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Signiae, secundo nonas septembris, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 4 septem. 1223, pont. an. VIII.

LXVII.

Approbatio regulae et ordinis fratrum minorum S. Francisci.

SUMMARIUM

Exordium. — Approbatur d. regula. — De recipiendis in ordine. — Prohibetur fratribus solicitudo de bonis novitiorum. — Habitus novitiorum. — Professus retrocedere nequaquam possit. — Habitus professorum. — Non despiciendi divites. — De divino officio, et ieiunio, et quomodo fratres ire debeant per mundum. — Quae itinerantibus servanda. — Quod fratres non recipiant pecuniam. — De modo laborandi. — Quid pro labore recipiendum. — Quod nihil sibi approprient fratres, et de eleemosyna petenda, et de fratribus infirmis. — De poenitentia peccantibus imponenda. — De electione generalis ministri. — Ineptus ministerio deponendus. — Praedicatores eum beneplacito episcopi praedicent. — De admonitione et correctione fratrum. — Non curandum nimium de literis. — Quod fratres non ingrediantur monasteria monacharum. — Idoneis concedenda licentia eundi in terras infidelium. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratri Francisco, et aliis fratribus de ordine fratrum Minorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium desideriis favorem benevolum impartiri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris piis precibus inclinati, ordinis vestri regulam a bonae memoriae Innocentio Papa praedecessore nostro approbatam, annotatam praesentibus, auctoritate vobis apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Quae talis est.

Approbatur d. regula.

In nomine Domini.

Incipit regula et vita fratrum Minorum.

Cap. I.

Regula et vita fratrum Minorum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam domino Papae Honorio ac successoribus eius canonice intrantibus, et Ecclesiae Romanae. Et alii fratres teneantur fratri Francisco et eius successoribus obedire.

Cap. II.

De recipiendis in ordine.

Si qui voluerint hanc vitam accipere, et venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos ministros provinciales, quibus solummodo, et non aliis, fratres recipiendi licentia concedatur. Ministri vero diligenter examinent eos de fide catholica, et ecclesiasticis sacramentis. Et si haec omnia credant, et velint ea fideliter confiteri, et usque in finem firmiter observare, et uxores non habeant, vel si habent, et monasterium iam intraverint uxores, vel licentiam eis dederint, auctoritate dioecesani episcopi voto continentiae iam emisso, et illius sint aetatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio, dicant illis verbum sancti Evangelii, quod vadant et vendant omnia sua bona, et ea studeant pauperibus erogare. Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant fratres, et eorum ministri, ne soliciti sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciant de rebus

Prohibetur fratribus solicitudo de bonis

suis quicquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine capucio, et cingulum, et brachas, et caparonem usque ad cingulum, nisi eisdem ministris aliud secundum Deum aliquando videatur. Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam; promittentes vitam istam, et regulam semper observare. Et nullo modo licebit eis de ista religione exire iuxta mandatum domini Papae. Quia secundum sanctum Evangelium nemo mittens manum ad aratrum, et aspiciens retro aptus est regno Dei. Et qui iam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum capucio, et aliam sine capucio, qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possint portare calciamenta. Et fratres omnes vestimentis vilibus induantur, et possint ea repetiare de saccis et aliis petiis cum benedictione Dei. Quos moneo et exhortor, ne despiciant, neque iudicent homines, quos mollibus viderint vestimentis et coloratis indutos, uti cibis et potibus delicatis; sed magis unusquisque iudicet et despiciat semetipsum.

Habitus noviciorum.

Professus retrocedere nequaquam possit.

Habitus professorum

Non despiciendi divites.

CAP. III.

Clerici faciant divinum Officium secundum ordinem Sanctae Romanae Ecclesiae, excepto psalterio, ex quo habere poterunt breviaria. Laici vero dicant vigintiquatuor *Pater noster* pro matutino, pro laudibus quinque, pro prima, tertia, sexta, nona, pro qualibet istarum septem, pro vesperis autem duodecim, pro completorio septem, et orent pro defunctis. Et ieiunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini; sanctam vero quadragesimam, quae incipit ab Epiphania Domini usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto ieiunio consecravit, qui voluntarie eam ieiunant, benedicti sint a Domino, et qui nolunt, non sunt adstricti, sed aliam usque ad Resurrectionem Domini ieiunent. Aliis autem temporibus non teneantur fratres nisi feria sexta ieiunare; tempore vero manifestae necessitatis non teneantur fratres ieiunio corporali. Consulo vero, moneo et exhortor fratres meos in Domino Iesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent. Sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intraverint, primum dicant: Pax huic domui. Et secundum sanctum Evangelium de omnibus cibis qui apponuntur eis liceat manducare.

De divino officio, et ieiunio, et quomodo fratres ire debeant per mundum.

Quae itinerantibus servanda.

CAP. IV.

Praecipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, per se vel per interpositam personam. Tamen pro necessitatibus infirmorum, et aliis fratribus induendis, per amicos spirituales, ministri tantum, et custodes sollicitam curam gerant secundum loca, et tempora, et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire. Eo semper salvo, ut, sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.

Quod fratres non recipiant pecuniam

CAP. V.

Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod, excluso ocio animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent caetera temporalia deservire. De mercede vero laboris pro se et suis fratribus necessaria corporis recipiant, praeter denarios, vel pecuniam, et hoc humiliter, sicut decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores.

De modo laborandi

Quid pro labore recipiendum

Cap. VI.

Quod nihil sibi approprient fratres, et de eleemosyna petenda, et de fratribus infirmis.

Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrini et advenae in hoc saeculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos carissimos fratres meos, haeredes et reges regni coelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium, cui, dilectissimi fratres, totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub coelo habere velitis. Et ubicumque sunt, et se invenerint fratres, ostendant se domesticos invicem inter se, et secure manifestet unus alteri necessitatem suam. Quia si mater diligit et nutrit filium suum carnalem, quanto diligentius quis debet diligere et nutrire fratrem suum spiritualem? Et si quis eorum in infirmitate ceciderit, alii fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri.

Cap. VII.

De poenitentia peccantibus imponenda.

Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad ministros provinciales, teneantur praedicti fratres ad eos recurrere quam citius poterunt sine mora. Ipsi vero ministri si presbyteri sunt, cum misericordia iniungant illis poenitentiam. Si vero presbyteri non sunt, iniungi faciant per alios sacerdotes ordinis, sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire. Et cavere debent, ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt charitatem.

Cap. VIII.

De electione generalis ministri.

Universi fratres unum de fratribus istius religionis teneantur semper habere generalem ministrum, et servum totius fraternitatis, et ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio successoris fiat a ministris provincialibus et custodibus in capitulo Pentecostes, in quo provinciales ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a generali ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem vel minorem, sicut a praedicto ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret universitati ministrorum provincialium et custodum, praedictum ministrum non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem fratrum, teneantur praedicti fratres quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in custodem. Post capitulum vero Pentecostes ministri, et custodes possint, si voluerint, et eis expedire videbitur, eodem anno in suis custodiis semel fratres suos ad capitulum convocare.

Ineptus ministerio deponendus.

IX.

Praedicatores cum beneplacito episcopi praedicent.

Fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitus audeat praedicare, nisi a ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus et approbatus, et ab eo officium praedicationis sibi concessum. Moneo quoque, et eosdem fratres, ut in praedicatione, quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et aedificationem populi, annunciando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam, cum brevitate sermonis, quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.

Cap. X.

De admonitione et correctione fratrum

Fratres, qui sunt ministri et servi aliorum fratrum, visitent, et moneant fratres suos, et humiliter et caritative corrigant eos, non praecipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam, et regulam nostram. Fratres vero qui sunt subditi, recordentur, quod propter Deum abne-

gaverunt proprias voluntates. Unde firmiter praecipio eis, ut obediant suis ministris in omnibus, quae promiserunt Domino observare, et non sint contraria animae et regulae nostrae. Et ubicumque sunt fratres, qui scirent et cognoscerent se non posse regulam spiritualiter observare, ad suos ministros debeant et possint recurrere. Ministri vero caritative et benigne eos recipiant, et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis, et facere sicut domini servis suis; nam ita debet esse, quod ministri sint servi omnium fratrum. Moneo quoque, et exhortor in Domino Iesu Christo, ut caveant fratres ab omni superbia, vanagloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine huius saeculi, detractione et murmuratione. Et non curent nescientes litteras discere, sed attendant, quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini et sanctam eius operationem, orare semper ad Deum puro corde, et habere humilitatem, patientiam in persecutione et in infirmitate, et diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt et arguunt, quia dicit Dominus: Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos; Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum; Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Non curandum nimium de litteris.

Cap XI.

Praecipio firmiter fratribus universis ne habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum. Et ne ingrediantur monasteria monacharum, praeter illos quibus a Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione, inter fratres, vel de fratribus scandalum oriatur.

Quod fratres non ingrediantur monasteria monacharum.

Cap. XII.

Quicumque fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos et alios infideles, petant inde licentiam a suis ministris provincialibus. Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint idoneos ad mittendum.

Idoneis concedenda licentia eundi in terras infidelium.

Ad haec, per obedientiam iniungo ministris, ut petant a domino Papa unum de sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, qui sit gubernator, et protector et corrector illius fraternitatis, ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem S. Ecclesiae stabiles in fide catholica paupertatem et humilitatem, et sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.*

Clausulae.

Datum Laterani tertio kalendas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 29 novem. 1223, pont. an. VIII.

Sequitur hic testamentum B. Francisci.

SUMMARIUM

1. S. Francisci conversionis initium. — 2. Modus orandi. — 3. Reverentia erga sacerdotes — 4. Et erga mysteria divina. — 7. Vita secundum Evangelium. — 10. Fugari vult otiositatem: — 13. Servari paupertatem in aedificiis. — 15. Commendat obedientiam erga praelatos, — 18. Et observantiam huius testamenti. — 19. Observanda regula sine glossa.

§ 1. Dominus dedit mihi fratri Francisco ita incipere facere poenitentiam, quia cum essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos; sed ipse Dominus conduxit me inter ipsos, et fecit misericordiam cum ipsis; et recedente me ab ipsis, id quod videbatur mihi amarum, conversum fuit mihi in dulcedinem animae et corporis. Et postea parum steti, et exivi de saeculo.

S. Francisci conversionis initium

§ 2. Et Dominus dedit mihi talem fidem in Ecclesiis, ut ita simpliciter adorarem et dicerem: Adoramus te, sanctis-

Modus orandi

sime Domine Iesu Christe, et ad omnes Ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

Reverentia erga sacerdotes

§ 3. Postea dedit mihi Dominus, et dat tantam fidem in sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sanctae Romanae Ecclesiae propter ordinem ipsorum, quod si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos sacerdotes huius saeculi in Ecclesiis in quibus morantur, nolo praedicare ultra voluntatem ipsorum. Et ipsos, et omnes alios volo timere, amare et honorare sicut meos dominos, et nolo in ipsos considerare peccatum, quia filium Dei discerno in eis, et domini mei sunt, et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc saeculo de ipso altissimo Filio Dei, nisi sanctissimum Corpus, et sanctissimum Sanguinem suum, quem ipsi recipiunt, et ipsi soli aliis administrant.

Et erga mysteria divina.

§ 4. Et haec sanctissima mysteria super omnia volo honorare et venerari, et in locis preciosis collocare.

§ 5. Sanctissima nomina et verba ipsius ubicumque invenero in locis illicitis volo colligere, et rogo quod colligantur, et in locis honestis collocentur.

§ 6. Necnon omnes theologos, qui ministrant nobis verba divina, debemus honorare et venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum et vitam.

Vita secundum Evangelium.

§ 7. Et postquam dedit mihi Dominus de fratribus, nemo ostendebat mihi quid deberem facere, sed ipse Dominus revelavit mihi, quod deberem vivere secundum formam sancti Evangelii, et ego paucis verbis et simplicibus feci scribi.

§ 8. Et dominus Papa confirmavit mihi. Et illi, qui veniebant ad recipiendum vitam istam, omnia quae habere poterant, dabant pauperibus. Et eramus contenti tunica una, intus et foris repeciata, qui volebant, et cingulo et brachis.

§ 9. Officium dicebamus nos clerici secundum alios clericos, laici dicebant *Pater noster*, et satis libenter manebamus in ecclesiis, et eramus idiotae, et subditi omnes.

Fugari vult otiositatem.

§ 10. Et ego manibus meis laborabam, et volo laborare, et omnes alii fratres mei firmiter volo quod laborent de laboritio quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt discant, non propter cupiditatem recipiendi precium laboris, sed propter bonum exemplum, et ad repellendam ociositatem.

§ 11. Et quando non daretur nobis precium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynas ostiatim.

§ 12. Salutationem mihi Dominus revelavit, ut diceremus Dominus det tibi pacem.

Servari paupertatem in aedificiis.

§ 13. Caveant sibi fratres, ut ecclesias et habitacula, quae pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent sicut decet sanctam paupertatem, quam in regula promisimus observare, semper ibi habitantes sicut peregrini et advenae.

§ 14. Praecipio firmiter per obedientiam fratribus universis, quod ubicumque sunt, non audeant petere aliquam literam in Curia Romana, per se, vel per interpositam personam, neque pro Ecclesia, neque pro aliquo loco, neque sub spem praedicationis, neque pro persecutione suorum corporum; sed ubicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendam poenitentiam cum benedictione Dei.

Commendat obedientiam erga praelatos.

§ 15. Et firmiter volo obedire ministro generali huius fraternitatis, et illi guardiano quem sibi placuerit mihi dare, et ita volo esse captus in manibus eius, ut non possim ire vel facere contra voluntatem suam, quia dominus meus est.

§ 16. Et quamvis sim simplex et infirmus, tamen volo semper habere clericum, qui mihi faciat officium sicut in regula continetur. Et omnes alii fratres teneantur per obedientiam obedire guar-

dianis suis, et facere officium secundum regulam.

§ 17. Et qui inventi essent, quod non facerent officium secundum regulam, et vellent alio modo variare, aut non essent catholici, omnes fratres ubicumque sunt teneantur per obedientiam, quod ubicumque invenerint aliquem ipsorum, proximiori custodi illius loci, ubi ipsum invenerint, debeant praesentare, et custos teneatur per obedientiam ipsum custodire fortiter, sicut hominem in vinculis, die noctuque, ita quod non possit eripi de manibus suis, donec repraesentet eum in manibus sui ministri. Minister vero teneatur per obedientiam mittere eum, per tales fratres, qui die noctuque custodiant eum sicut hominem in vinculis, donec repraesentet eum coram domino Hostiense, qui est dominus protector, et corrector istius fraternitatis.

Et observantiam huius testamenti

§ 18. Et non dicant fratres, haec est alia regula, quia haec est recordatio, admonitio et exhortatio, et meum testamentum, quod ego frater Franciscus parvulus vester facio vobis fratribus meis benedictis, propter quod, regulam quam Domino promisimus, catholice observemus.

Observanda regula sine glossa

§ 19. Et generalis minister, et omnes alii ministri et custodes teneantur per obedientiam in istis verbis non addere, vel minuere; sed hoc scriptum semper habeant iuxta regulam, et in omnibus capitulis quae faciunt, quando legunt regulam, legant et ista verba. Et omnibus fratribus meis clericis et laicis praecipio firmiter per obedientiam, ut non mittant glossas in regula, nec istis verbis dicendo, ita volunt intelligi, sed sicut dedit mihi Dominus simpliciter et pure dicere et scribere regulam, et ista verba, ita simpliciter et pure sine glossa intelligatis, et cum sancta operatione observetis usque in finem.

§ 20. Et quicumque haec observaverit, in coelo repleatur benedictione altissimi Patris coelestis, et in terra repleatur benedictione Filii sui, cum sanctissimo Spiritu Paraclito, et omnibus virtutibus coelorum et omnibus sanctis.

Et ego frater Franciscus parvulus vester, et servus, quantumcumque possum confirmo vobis intus et foris istam sanctissimam benedictionem. Amen.

LXVIII.

Sanctorum confessorum canoni adscribitur B. Willhelmus canonicus regularis congregationis Sancti Victoris Parisien. et abbas Roschildensis in Dania (1).

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Petitio Pontifici facta de B. Villhelmo Ss. albo adscribendo. — 2. Inquisitio de eius vita et miraculis facta. — Eum canonizat Honorius. — 4. Cultus illi a Danis dandus.

Honorius episcopus servus servorum Dei, universis christifidelibus per regnum Daciae (2) constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium

Sacrosancta Ecclesia divina luce perfusa per orbem terrarum longe lateque radios suae illustrationis emittit, dum in sanctis suis mirabilis Dominus vitam sanctam eorum, qui seminaverunt in lacrymis, miraculorum virtute confirmat, signisque sequentibus indicat, quod eis splendorem pro meritis tribuit sempiternum, ostendens thesauri sui divitias in vasa misericordiae, iustificando praedestinatos, et glorificando iustos, quos in gloriam praeparavit.

Petitio Pontifici facta de B Villhelmo Ss albo adscribendo.

§ 1. Cum ergo iamdudum sanctae recordationis Willhelmus abbas monasterii S. Thomae, quod dicitur in Paraclito, et quod quodam felici praesagio, huiusmodi videtur sortitum vocabulum ex eventu, cum vere Spiritus Paracliti donum fuerit, quo idem Domini famulus stola beatitudinis est indutus, post mortem cuius

(1) Ex Regest. Vatic. edidit Fontanin., Codex Canoniz., pag. 53. (2) Legendum putamus *Daniae* hic et passim in bulla.

dispendium fides devota non patitur, domo lutea in coeleste habitaculum commutata. Quis esset apparuit, et in praemium meriti praecedentis, quia lumen in tenebris latere non poterat, neque civitas posita supra montem abscondi, multis coepit coruscare miraculis, ut sanctus ab omnibus haberetur. Expositis nobis vitae et conversationis ipsius, et quae Dominus operabatur per eum, miraculorum insigniis, cum debita fuit a venerabilibus fratribus quondam Lundensi archiepiscopo, et Absolensi et Scariensi episcopis, instantia publicatum, ut quia non erat, quod tanto nunciabatur indicio negligendum, et canonizaremus eumdem et sanctorum annumerari cathalogo faceremus.

Inquisitio de eius vita et miraculis facta.

§ 2. Quia vero aliquando vita sub specie virtutum occulte subintrat, et angelus Sathanae saepe se in lucis Angelum simulate transformat, de praedicti famuli Domini vita, fama et miraculis per praedictum quondam Lundensem archiepiscopum, approbatae vitae virum, timoratum et iustum, cui merito erat super hoc adhibenda fides, ac per venerabilem fratrem nostrum R. Rosquildensem episcopum, et dilectum filium abbatem de Ervado Cisterciensis ordinis, inquiri mandavimus diligenter, qui de vita et fama certi, ac ipsis tam per se, quam per alios et de miraculis tam per eos, in quibus facta fuerant, quam per testes fide dignos, iuratos, veritate cognita, certos nos reddere curaverunt, eis inter alia exponentibus, quod tanta in isto gratia divinae benedictionis effulsit, ut eius suffragiis leprosi mundentur, sanentur aegroti, liberentur daemoniaci, aperiatur lingua mutorum, et quod est mirabilius, iam idem sit plurium mortuorum almificus suscitator.

§ 3. Gaudeat itaque Mater Ecclesia, quod coelestis fabricatur Ierusalem, superni aedificii structura consurgit, nova in templo Dei columna erigitur, novumque produxit misericordia Domini florem, quem coelesti rore uberius irrigatum, mira et suavi ubertate fructuum faecundavit. Laetari quoque patria vestra debet, et cum iucunditate in laudes assurgere Creatoris, quod tanto est exaltata patrono, talemque apud Deum meruit intercessorem habere per quem nominis sui fama fit celebris, latiusque diffunditur, et per cuius suffragium, quo vicinius, habitatores sui possunt facilius veniam promereri. Cantet propterea novum Domino canticum Ecclesia Sancti Thomae de Paraclito, quae splendore novi luminis confessoris ipsius, requiescentis ibidem, pulchra facta est, et apparuit speciosa. Decet etiam matrem Ecclesiam, ab illius laudibus, quem vitae beatitudine, signisque ac miraculis beatificum adeo esse constat in gloria, non vacare, sed ei potius debitum honorem exsolvere, ac votis impendere sacramenta. Quare nos, quibus licet immeritis a Domino est Ecclesia gubernanda commissa, super vita, fama et miraculis praefati viri Domini, per dilectum nostrum G. Sancti Theodori diaconum cardinalem, qui legationis officium in partibus illis exercuit, certiores effecti, ne velle videremur quod lateret lucerna sub modio, quae supra candelabrum esse debet, sicque inutiliter Christi essemus vicarii, si non faceremus, ut venerarentur fideles illum, quem sanctorum splendor Dominus tot et tantis fulgentem miraculis ineffabili disposuit providentia venerandum, ipsum de fratrum nostrorum, et multorum praelatorum apud Sedem Apostolicam consistentium, canonizavimus consilio, et sanctorum statuimus cathalogo adscribendum.

Eum canonizat Honorius.

§ 4. Quocirca universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus scilicet attendentes, quantum terram vestram Dominus honoravit, et speciali quadam praerogativa decoris regnum Daciae insignivit, dum mundo posito in maligno, et malitia hominum excrescente, virum sibi exinde sanctum, qui pro peccatis omnium intercessor fieret, prælegit,

Cultus illi a Danis dandus.

vos, in quorum partibus tam sacri muneris thesaurus habetur, cum ex hoc tota patria nostra, tamquam sibi peculiaris, eius sit suffragiis specialius commendata, praenominatum Sanctum Domini confessorem tota devotione, totoque studio venerari curetis, eum dignis tanto confessore laudum praeconiis extollentes; ita quod ipse devoti sibi populi se gaudeat esse patronum, et vos eius mereamini apud Deum intercessionibus adiuvari, docentes alios per exemplum, quantum esse debeat celebris apud illos confessoris memoria gloriosa, et quidem si diligenter attenditis hunc honorem, gratiarum exsolvetis assiduas Largitori bonorum omnium actiones, uti ex impensa patriae vestrae tantae benedictionis gratia potestis merito, et debetis vos cognoscere debitores.

Datum Laterani duodecimo kalendas februarii, anno octavo.

Dat. die 21 ianuarii 1224, pontific. anno VIII.

LXIX.

Concessio locorum utriusque Bundeni ad triginta annos episcopo Reginen. facta sub annuo censu triginta librarum (1).

SUMMARIUM

Concedit bona (de quibus in rubrica) episc. Reginen. sub annuo censu solvendo Romanis Pontificibus. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Reginen., salutem et apostolicam benedictionem.

Cum Bundenum de Runculis, et Bundenum de Arduino, quae ex donatione comitissae Mathildis ad Romanam spectant Ecclesiam, in tua sint dioecesi constituta: nos de communi fratrum nostrorum assensu, ea cum pertinentiis tibi et successoribus tuis usque ad triginta annos tenenda concedimus, sub triginta librarum provenientium censu Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, persolvendo pro investitura locorum ipsorum a te nobis, et eisdem fratribus nostris, trecentis libris provenientibus persolutis. Termino autem veniente praedicto, quod inter Romanam Ecclesiam super hoc, et te, et successores tuos convenerit, observetur, quod si nihil convenerit, loca eadem, solutis primo Ecclesiae Reginen. expensis utilibus, et necessariis, libere ad Sedem Apostolicam revertantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Concedit bona, de quibus in rubrica, episc. Regien. sub annuo censu solvendo Romanis Pontificibus.

Clausulae.

Datum Laterani septimo kalendas martii, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 24 feb. 1224, pontif. anno VIII.

(1) Ex Regest. Vatic.

LXX.

Confirmatio privilegiorum, bonorum et iurium Ecclesiae Ravennaten. (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Ecclesiam Ravennaten. sub apostolica suscipit protectione: — Bonaque omnia ei confirmat: — Pallium quoque archiepiscopo: — Et antiqua privilegia. — Pravas abolet consuetudines: — Bonas firmat. — Contractus sine testibus factos invalidat. — Clausulae.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Simeoni Ravennati archiepiscopo, eiusque successoribus canonice substituendis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Etsi universis Sanctae Ecclesiae filiis debitores ex collato nobis a Deo apostolatus officio existamus, illis tamen personis et locis providere nos convenit diligentiori sollicitudine, ac propensiori

(1) Ex Regest. Vatic.

studio charitatis, quae ad Sedem Apostolicam noscuntur specialius pertinere. Quocirca, venerabilis in Christo frater archiepiscope, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, et nobilem ac famosam Ravennatensem Ecclesiam, cui auctore Deo præesse dignosceris, ad exemplar felicis recordationis Calixti, Gregorii, Honorii, Gelasii Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti privilegio communimus;

Ecclesiam Ravennaten. sub apostolica suscipit protectione:

statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione imperatorum, regum, aut principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis parante Domino poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, et illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis.

Bonaque omnia ei confirmat.

Locum ipsum, in quo praefata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, Parmen., Regien., Mutinen., Bononien., Imolen., Faventin., Forolivien., Foropopulien., Caesenaten., Bobien., Cervien., Comaclen. et Adrien. episcopatus, monasterium Galiaten., monasterium Sancti Apollinaris in Classe, monasterium Sancti Severi, monasterium Sancti Laurentii foris murum, monasterium Sanctae Mariae Rotundae, monasterium Sanctae Mamae, monasterium Sancti Appollinaris Novi, monasterium Sancti Ioannis Evangelistae, monasterium Sanctae Mariae in Cosmedin, monasterium Sancti Mercurialis, monasterium Sancti Vitalis, et monasterium Sancti Andreæ et canonicam Sanctae Mariae in Portu, salva compositione, quae in praesentia nostra inter te ac ipsam Ecclesiam intercessit, et ius, quod habes in monasterio Sanctae Mariae de Urano, et in canonica Sancti Clementis, canonicam Sancti Georgii in Tabula non longe a muris urbis Ravennae sitam, ecclesiam Sancti Bartholomaei de Mauriano, plebem Sanctae Mariae, quae vocatur in Portu, plebem Materii, plebem Sancti Viti, plebem Sancti Venantii de Capite Canneti, plebem Sancti Appollinaris de comitatu Rodigii cum cappellis suis, monasterium Sancti Petri in Maon. In comitatu Pensaurien. castrum Gazolae, castrum Ligabizzi et castrum Granarolae cum curtibus, iurisdictione et pertinentiis suis. In comitatu Ariminen. castrum Montis Columbi cum iurisdictione temporali et aliis pertinentiis suis. Castrum Montis Crucis cum curtibus, iurisdictione temporali et pertinentiis suis. Districtum Ravennat. urbis, Ripam integram, monetam, teloneum, muros et omnes portas civitatis, Comaclensem comitatum cum honoribus et pertinentiis suis. In civitate Ariminen. monasterium Sancti Thomae apostoli et Sanctae Euphemiae virginis, montem Castri Ubaldi, montem Cerni, castrum Offaniae et castrum Montis Boddi et alias possessiones, quas Ecclesia tua habet in Marchia per diversos comitatus. In comitatu Ariminen. montem Genianum, Marazanum, villam Corlianam, castrum Savignani, castrum Montiliani, castrum Montis Novi. In episcopatu Caesenaten. castrum Subrivolae, castrum Montiscucchi, castrum Salliani, castrum montis Gerardi, castrum Serzani et Flarbani, castrum Deuleguardi, et castrum Casalecchi et Rudiliani, et castrum Stagnani, villam Rotae et castrum Rivarsani, castrum de Monte, et castrum Ronchi cum curtibus, iurisdictione et pertinentiis suis. In episcopatu Populien. castrum Novum, castrum Tuderani, castrum Quilliani, castrum Bagnoli, castrum Molini Veteris et castrum Montis Bovarii cum curtibus, iurisdictione et pertinentiis suis. In episcopatu Faventin. castrum Aurioli, castrum Taibani et villam Sancti Pontii. In comitatu Imolen. villam Lucii cum curtibus, iurisdictione et pertinentiis suis. In territorio Ravennae Rovendulam, villam Sancti Pancratii et villam Sancti Archangeli, villam Ruffi et Caboy, et castrum Ca-

semurate cum curtibus, iurisdictione et pertinentiis suis, et comitatum Argentae, idest ipsam Argentam cum Pado, ripis, paludibus et piscariis suis, stratis, viis, pascuis, sylvis, et publicariis universis et cum integro comitatu Argentae, videlicet villam Portus et totum plebanatum eius, scilicet Caput Sandalis, Grasalum, Ripam Persici, Vergundinum, Portum Verterariae, Sandalum, Materium, Cavallum et curtem de Podio cum placito, districtu, et omni iurisdictione a principio comitatus Argentae usque Ravennam. Usum quoque pallei, plenitudinem videlicet pontificalis officii tuae fraternitati Apostolicae Sedis liberalitate largimur, quo infra Ecclesiam tuam utaris diebus inferius annotatis, videlicet in Nativitate Domini, festivitate prothomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epyphania, Ypapanti, dominica in Ramis Palmarum, Coena Domini, Sabbatho Sancto, feria secunda post Pascha, Ascensione, Pentecosten, tribus festivitatibus Beatae Mariae, Natali Beati Ioannis Baptistae, solemnitatibus omnium apostolorum, commemoratione omnium Sanctorum, dedicationibus Ecclesiarum, anniversario tuae consecrationis die, Ecclesiae tuae principalibus festivitatibus, consecrationibus episcoporum et ordinationibus clericorum. Ad haec adiicientes arctius inhibemus, ne quis cimiteria Ecclesiarum et ecclesiastica beneficia haereditario iure possideat, quod si quis facere forte praesumpserit, censura canonica compescatur. Praeterea quod communi assensu capituli tui, vel partis consilii sanioris in tua dioecesi per te, vel successores tuos fuerit canonice institutum, ratum et firmum volumus permanere. Prohibemus insuper, ne excommunicatos, vel interdictos tuos ad officium, vel communionem ecclesiasticam sine conscientia et consensu tuo quisquam admittat, aut contra sententiam tuam canonice promulgatam aliquis venire praesumat; nisi forte periculum mortis immineat, aut dum praesentiam tuam habere nequiverint, per alium secundum formam Ecclesiae, satisfactione praemissa, oporteat ligatum absolvi. Sacrorum quoque canonum auctoritatem sequentes, statuimus, ut nullus archiepiscopus vel episcopus absque tuo, vel successorum tuorum assensu conventus celebrare, causas etiam, vel ecclesiastica negotia in Ravennaten. dioecesi, nisi per Romanum Pontificem, vel eius legatum fuerit eidem iniunctum, tractare praesumat. Illam quoque abusivam consuetudinem, vel potius abhominabilem corruptelam, qua cives Ravennates, archiepiscopo decedente, bona mobilia archiepiscopatus tamquam ad eos iure successionis pertineant, rapiunt et asportant, inhibentes electo ne ingrediatur archiepiscopale palatium, nisi prius iuret se illorum consuetudines servaturum, penitus abolemus sub interminatione anathematis prohibentes ne talia de caetero attententur. Porro consuetudinem, quam in portanda cruce et tintinnabulo cum praedecessoribus tuis usque ad haec tempora servavisti, videlicet ut quocumque iveritis, excepta urbe, et tribus milliariis prope, et tribus milliariis a loco ubi fuerit Romanus Pontifex, crucem et tintinnabulum sine contradictione qualibet de Sedis Apostolicae licentia deferatis, et signare, ac signando benedicere, ubicumque cum praedictis insignibus fueritis, sine praesumptionis nota possitis, auctoritate apostolica confirmamus; salva tamen moderatione concilii generalis. Libertates quoque, et rationabiles ac approbatas consuetudines Ecclesiae tuae in civitate, dioecesi, vel metropoli eius tam circa spiritualia, quam temporalia, sicut eas iuste ac pacifice obtinet, confirmamus. Ad haec districtius inhibemus, ne quis terras aut homines ipsius Ecclesiae ubicumque consistant, indebitis et insolitis servitiis vel exactionibus aggravare praesumat. Praeterea quia Ecclesia tua gravia frequenter dicitur incurrisse dispendia, ex eo, quod prae-

Pallium quoque archiepiscopo:

Et antiqua privilegia.

Pravas abolet consuetudines:

Bonas firmat

Contractus sine testibus factos invalidat.

decessores tui, non adhibitis testibus, consueverunt suos celebrare contractus; volentes indemnitati eius imposterum praecavere, districtius inhibemus, ne contractus ipsius Ecclesiae sine adhibitione testium de caetero celebrentur, et si qui amodo facti fuerint, viribus careant tamquam contra inhibitionem apostolicam attentati. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac substentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei, ac Domini Redemptoris Nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Clausulae.

Datum Laterani per manum magistri Guidonis domini Papae notarii, secundo idus maii, indictione duodecima, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo vigesimoquarto, pontificatus vero domini Honorii Papae tertii anno octavo.

Dat. die 14 maii 1224, pontif. anno VIII.

LXXI.

Quod abbates, seu priores ordinis Camaldulen. a monasteriorum regimine amovendi, seu de excessibus eorum corrigendi, ad appellationes interponendas minime admittantur (1).

SUMMARIUM

Inhibet ne abbates et priores Ord. Camald. a regimine amovendi, seu de excessibus corrigendi, appellationis obstaculum interponant.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori, et conventui Camaldulen., salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod frequenter accidit, quod cum aliquos vultis abbates, seu priores ordini vestro subiectos amovere a monasteriorum regimine, vel de suis excessibus castigare, sicut eiusdem exigunt ordinis instituta, iidem ut canonicam correctionem eludant in vocem appellationis frivole mox prorumpunt, occasione huiusmodi vos et monasteria, quae a vobis tenentur, multis expensis et laboribus fatigantes. Quare humiliter supplicastis, ut cum illi ad defensionem iniquitatis usurpent, quod ad praesidium innocentum dignoscitur institutum, eis appellandi taliter aditum praecludere dignaremur; quia ergo sicut nec praelati valent sine causa gravare subiectos, sic nec subditi pro sola voluntate sub appellationis obtentu correctionem possint eludere praelatorum, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate praesentium districte inhibemus, ne contra vos a regulari correctione praedicti abbates et priores appellationis obstaculum temere interponant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum

Inhibet ne abbates et priores Ord. Camald. a regimine amovendi, seu de excessibus corrigendi, appellationis obstaculum interponant.

(1) Ex Regest. Vatic.

Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani idibus maii, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 15 maii 1224, pontif. anno VIII.

LXXII.

Confirmatio bonorum omnium, ac limitum Forosemproniensis Ecclesiae, ac cuiusdam sententiae eiusdem favore ab Alexan. PP. III latae (1).

SUMMARIUM

Proœmium. — Ecclesiam hanc sub tutela S. A. recipit: — Eique bona omnia confirmat. — Fines eiusdem designat. — Sententia Alexandri II PP. de plebe de Sorbitulo. — Honorii PP. et S. R. E. card. subscriptiones.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Monaldo Forosemp. episcopo, eiusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Proœmium. In eminenti Apostolicae Sedis specula disponente Domino constituti, fratres nostros episcopos tam propinquos, quam longe positos fraterna debemus charitate diligere, et commissas eorum gubernationi Ecclesias patrocinio Apostolicae Sedis communire, quo ex suscepti executione officii tanto vigilantiores possint semper existere, quanto a pravorum incursibus securiores se viderint permanere.

Ecclesiam hanc sub tutela S. A. recipit: Ea propter, venerabilis in Christo episcope, tuis iustis postulationibus clementer annuimus, et Forosemproniensem Ecclesiam, cui auctore Deo præesse dignosceris, ad exemplar praecessorum nostrorum felicis memoriae Victoris, Alexandri secundi, Gregorii septimi, Paschalis, Innocentii, Eugenii, Anastasii, Adriani, Alexandri III, Lucii et Innocentii Romanorum Pontificum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus; statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, et illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis. Civitatem ipsam Forosemproniensem cum aliis, et omnibus suis pertinentiis, plebem Sancti Martini cum cappellis et aliis pertinentiis suis, plebem Sancti Hippolyti, cum ipso castro, quod dicitur castrum Sancti Hippolyti, cum cappellis et aliis pertinentiis suis, plebem Sancti Floriani cum castro ipsius plebis, et cappellis, et aliis pertinentiis suis, plebem Sancti Petri in Caruco, cum cappellis et aliis pertinentiis suis, castrum, quod dicitur Sancti Andreæ cum omnibus pertinentiis suis, castrum Montis Blondi, cum pertineniiis suis, castrum Montis Cerasoli, cum pertinentiis suis, castrum Parasacchi cum pertinentiis suis, castrum Scarleni cum curte et aliis pertinentiis suis, Montem Felcinum cum pertinentiis suis, Montem Orasi cum castro Montis Conversorum, et omnibus aliis suis pertinentiis, montem, qui olim dicebatur Castrum Salvatoris, cum pertinentiis suis, castrum Vallis cum omnibus pertinentiis, castrum Carpineti cum pertinentiis suis, castrum Levissi Torquati cum curte, et omnibus suis pertinentiis, castrum Serbilungi cum omnibus suis pertinentiis, castrum Caspissae cum curte et aliis suis pertinentis, castellarium, quod dicitur Rossundum cum omnibus suis pertinentiis, mansum unum, quem tenet haeres Raynerii de Girardo in curte de Nubilaria, cum omnibus pertinentiis, monasterium Sancti Christophori de Castellaro cum castro et omnibus suis pertinentiis, monasterium Sanctae Faustinae cum omnibus suis pertinentiis, monaste- (Eique bona omnia confirmat:)

(1) Ex authographo in archivio Ecclesiae huius edidit Ughell., Ital. Sac., tom. II.

rium Sancti Laurentii, monasterium de Astreto, monasterium Sancti Terentii cum omnibus pertinentiis. Insuper in comitatu Fani montem, qui dicitur Mons Calvus cum suis pertinentiis, et montem qui dicitur Mons Fani, cum pertinentiis suis, cappellam Sancti Petri cum toto ipso castro de Plano, cum tota ipsa massa de Plano, cum vivorum ac defunctorum redditibus universis, et aliis pertinentiis suis. In comitatu Forosemproniensi terram in integrum, quanta iuris nostri palatii fuit, necnon et totum publicum, qui sacrae Romanae Ecclesiae pertinuit. In comitatu Calliensi castrum quod dicitur Mons Catulus, cum aquis, molendinis, suisque aliis pertinentiis, plebem Sancti Ioannis in Sorbitulo cum cappellis et castellis omnibus, quae sunt in tota massa de Sorbitulo cum decimis et oblationibus vivorum et defunctorum, redditibus et consecrationibus universis, cum silvis, aquis, molendinis, pratis, vineis, terris cultis et incultis, et aliis omnibus eorum pertinentiis, cappellam Sancti Andreæ de Loreto, cum castro, et aliis suis pertinentiis. Monasterium Sanctae Mariae in Portuno, cum omnibus suis pertinentiis, castrum Montis Aldani, cum omnibus ad se pertinentibus, de quibus supradictis annis singulis sacrosanctae Romanae Ecclesiae bisantium unum census nomine Semproniensis Ecclesia teneatur exsolvere. Ut autem maiori parte gaudere possis, in posterum fines episcopatus Forosemproniensis tibi, tuisque successoribus confirmamus; sicut finibus ipsis idem episcopatus distinguitur et praedecessores tui eos usque ad haec tempora rationabiliter possedisse noscuntur; utique fines tales sunt: incipiunt ex parte Fani a Rivo Maiori, ubi intrat in Metaurum sub ponte Sancti Cipriani, et ascendit per ipsum rivum usque ad Trivium Suffanariae, et descendit in rivum Putridum, ascenditque per eumdem rivum usque ad alium rivum, qui vocatur Dulce, et per ipsum rivum usque ad Montem Aldi, et sic ascendit per Thesanum usque ad terram Urbinatam, descendentes per pontem Maurum Veterem, ascenduntque usque ad rivum Candiliani, et sic durat per ipsum rivum usque in focem Petrae Pertusae, et transilientes per Montem Ferri transeunt usque ad Spongiam, et vadunt usque ad rivum Montis Casuli, et transeunt per castrum Noricle ad Sanctum Blasium, et hinc ascendunt ad Sanctum Petrum, et Campum, et descendunt ad apicem Albelli, ascenduntque per fossam Sancti Marci, usque ad crucem S. Martini, inde descendunt per fossam Dulionis et Farasti, ascendunt ad fossam Varangulae, et sic durans ascenden. usque ad terram Salatam, emergunt ad Senum Censuae, et ascendunt in Neulam Brungalensem, et hinc usque ad Susannum fluvium, transeuntes per Camaiorem ascendunt in terram Boccabelli, et sic durans usque in montem Bilii, et transeunt per Trovetum in Forratum Longi usque ad trivium Poeffi, et ascendunt ad crucem Sancti Bartoli, et sic per terram Morellam descendunt in rivum Callii, sic usque in Metaurum, qui primus finis est. Ius autem episcopale in ecclesiis, et cappellis, sive in monasteriis, castris et villis, quae infra hos fines continentur, tibi et successoribus tuis duximus confirmandum, sicut iustum antecessores tui iuste percipere consueverunt. Praeterea sententiam quam piae recordationis praedecessor noster Alexander secundus de plebe Sancti Ioannis, quae dicitur de Sorbitulo, cum caeteris ecclesiis de massa Sorbituli inter bonae memoriae Benedictum praedecessorem tuum Forosemproniensem, et Guillelmum Senogalliensem episcopos protulit, et eam privilegii munimine roboravit ratam habentes, eamdem plebem cum praefatis ecclesiis, decimis, oblationibus vivorum ac defunctorum, et consecrationibus universis, tibi, et Ecclesiae tuae apostolica auctoritate confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus; ad maiorem autem Eccle-

Fines eiusdem designat.

Sententia Alexandri II PP. de plebe de Sorbitulo

siae tuae cautelam ipsius sententiae formam sicut in eius authentico continetur (1), cuius tenor talis est. Cum in Dei omnipotentis nomine, et reverentia in sacrosancto Lateranensi palatio dominus Papa Alexander cum quamplurimis resideret episcopis, quorum hic sunt nomina, quae sequuntur. In primis dominus Ildebrandus sanctae Romanae Ecclesiae archidiaconus, necnon et dominus Petrus Damianus Ostiensis Ecclesiae episcopus, et D. Bonifacius Albanensis episcopus, et dominus Mainardus Sutriensis, et D. Hugo Eugubinensis Ecclesiae episcopus, et dominus Mainardus Urbinaten., et dominus Arduinus Fanensis episcopus, et D. Guillelmus Humanensis episcopus, et dominus Hugo Calliensis episcopus, et dominus Dominicus Pisaurensis episcopus, et D. Lotharius Auximanensis Ecclesiae episcopus, et alii quamplures, in quorum omnium praesentia surgens Guillelmus Senogalliensis episcopus inquit: Domine pater reverende, vestrae sanctissimae conqueror pietati super fratre nostro Benedicto Forosemproniensi episcopo, qui quandam Ecclesiam nostrae dioecesis, cuius vocabulum est Ioannis, quae dicitur in Sorbitulo, cum suis ecclesiis, eidem massae, quam nobis, nostrae Ecclesiae sacra contendit, et sibi temere usurpare praesumpsit, unde vestram deprecor pietatem, ut nostrae Ecclesiae iustitiam facere dignemini. Tunc dominus Petrus Damianus coepit exponere quatenus dominus Victor sanctae Romanae Ecclesiae antistes Forosemproniensi Ecclesiae, motus pietate paupertatis eiusdem, cum decimis et oblationibus universis miserando concesserit, suoque dominio mancipaverit eiusdem massae ecclesias universas iisdem redditibus praelibatis, quo referente idem caeteri protestati sunt, quod haec vera esset assertio. Quod audiens dominus Papa Alexander, cunctis audientibus, placido ore inquit: Quod a praedecessore nostro bonae mem.

(1) Deest fortasse *hic referimus*.

domino Victore nobis referentibus statutum agnovimus, firmum, et ratum esse censemus, et praecipimus, ut deinceps D. Guillelmus Senogalliensis episcopus, nec illius successores inquietare audeant Benedictum Forosemproniensem episcopum, vel eius successores in perpetuum. Quod si amplius inquietare tentaverit, sit in poena ducentorum solidorum aureorum, medietatem Ecclesiae supradictae (1). Actum est hoc mense maii, die vero decima, indictione decimatertia.

Ego Sergius sanctae Romanae Ecclesiae scrinarius, haec acta scripsi.

Decernimus ergo *etc.* Si qua igitur *etc.* Cunctis autem *etc.* Amen.

Ego Honorius catholicae Ecclesiae episcopus. Honorii PP.

Ego Hugo Hostien. et Veliternen. episcopus. et S. R. E. card. subscriptiones.

Ego Pelagius Albanensis episcopus.

Ego Nicolaus Tusculanensis episcopus.

Ego Leo tit. S. Crucis in Hierusalem presbyter card.

Ego Guala Sancti Martini presbyter cardinalis.

Ego Stephanus basilicae Duodecim Apostolorum presbyter cardinalis.

Ego Gregorius tituli Sanctae Anastasiae presbyter cardinalis.

Ego Thomas S. Sabinae presbyter cardinalis.

Ego Ioannes Sanctae Praxedis presbyter cardinalis,

Ego Dec. Ss. Sergii et Bacchi diaconus cardinalis.

Ego Gregorius Sancti Theodori diaconus cardinalis.

Ego Romanus Sancti Angeli diaconus cardinalis.

Ego Stephanus Sancti Adriani diaconus cardinalis.

Ego Petrus S. Georgii ad Velum Aureum presbyter cardinalis.

Datum Laterani per manum magistri Guidonis domini Papae notarii, XIV kalen. iunii, indictione XII, incarnationis

(1) Deest fortasse *aliquid*.

dominicae anno millesimo ducentesimo vigesimo quarto, pontificatus vero domini Honorii Papae tertii anno octavo.

Dat. die 19 maii 1224, pontif. anno VIII.

LXXIII.

Exemptio ordinis Cisterciensis monachorum S. Benedicti a solutione decimarum.

SUMMARIUM

Cistercienses ad monita Innocentii III componunt cum Ecclesiarum praelatis de decimis. — Inquietantur ab eisdem. — Ideoque a novalium solutione liberi declarantur.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, officialibus, et aliis Ecclesiarum praelatis, ad quos istae litterae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cistercienses ad monita Innocentii componunt cum Ecclesiarum praelatis de decimis.

Cum abbates Cistercien. ordinis tempore concilii generalis, ad commonitionem felicis mem. Innocentii Papae praedecessoris nostri statuerint, ut de caetero fratres ipsius ordinis, ne occasione privilegiorum suorum Ecclesiae ulterius gravarentur, de alienis terris, et ab eo tempore acquirendis, si eas propriis manibus aut sumptibus colerent, decimas persolverent Ecclesiis, quibus ratione praediorum antea solvebantur, nisi cum eisdem Ecclesiis aliter ducerent componendum; idem praedecessor noster, quia sperabat, ut Ecclesiarum praelati proniores et efficaciores existerent ad exhibendum eis de suis malefactoribus iustitiae complementum huiusmodi, ratum habens, et gratum, hoc ipsum ad alios regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi voluit et mandavit.

Inquietantur ab eisdem

§ 1. Sed quod dolentes referimus, in contrarium res est versa, quia sicut ex allata querela abbatum ipsius ordinis frequenter audivimus, nonnulli Ecclesiarum praelati, et alii clerici, eorum privilegia temere contemnentes, et contendentes maliliose ipsorum pervertere intellectum, eos multipliciter inquietant. Nam cum sit ipsis indultum, ut de novalibus, quae propriis manibus, aut sumptibus excolunt, sive de hortis, virgultis et piscationibus suis, vel de suorum animalium nutrimentis, nullus ab eis decimas exigere vel extorquere praesumat; quidam perverso intellectu conficto, dicentes quod non possunt intelligi, nisi de his, quae sunt ante dictum concilium acquisita, ipsos super his multiplici exactione fatigant.

Ideoque a novalium solutione liberi declarantur.

§ 2. Nos igitur eorum quieti paterna sollicitudine providere volentes, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus abbates et fratres eiusdem ordinis, a praestatione decimarum, tam de possessionibus habitis ante concilium memoratum, et de novalibus, sive ante, sive post idem concilium acquisitis quae propriis manibus ac sumptibus excolunt, quam de hortis, virgultis, piscationibus suis, ac de suorum animalium nutrimentis, singuli vestrum omnino serventur immunes.

Datum Laterani quinto idus novembris, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 9 novembris anno Domini 1224, pontif. anno IX.

LXXIV.

Alia consimilis exemptionis concessio.

SUMMARIUM

Ordo Cisterc. a solutione decimarum declaratur immunis.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus, et fratribus Cistercien. ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum aliquando cogente necessitate, vel utilitate propria requirente, terras vestras ante generale concilium acquisitas, concesseritis aliis excolendas, ne pro eo quod de possessionibus post idem concilium acquisitis, decimas solvitis, si ad

manus vestras taliter concessae redierint, a quoquam vexari possitis, ut nullus a vobis de huiusmodi terris, quae ad vos taliter redierint, si eas manibus propriis aut sumptibus colitis, occasione concilii memorati, decimas exigere vel extorquere praesumat, auctoritate praesentium inhibemus.

Nulli ergo *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Lateran. septimo kalend. decembris, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 25 novembris 1224, pontif. anno IX.

LXXV.

Unam praebendam in singulis Franciae Ecclesiis reservat pro necessitatibus Ecclesiae Romanae (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — Nonnullorum murmurationes propter expensas Curiae Romanae — Refelluntur. — Unam praebendam in singulis Ecclesiis reservat pro S. R. E. necessitatibus. — Omnia vero gratis datum iri spondet. — Superiora rationibus et monitis urget. — Adhortatio ad Franciae episcopos.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis universis Ecclesiarum praelatis per regnum Franciae constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Super muros Hierusalem custodes positi, quanto eminentiorem speculum dignitatis attendimus, tanto in eminentiori debito sollicitamur officii, ut vigilanti custodia nobis quoque per meritum, aliis per exemplum, quatenus in conspectu Altissimi conscientiae puritas conservetur, et in facie propriae famae integritas non laedatur. Multum enim cedit ad commodum, ut et conscientiam fama non deferat, et famam conscientia contemni non exponat, sed potius mutuis promoveantur suffragiis, et mutuis sibi promotionibus suffragentur, propter quod in vestibus Aron mala punica cum tintinnabulis dependebant. Porro dum attendimus, quid onus honoris exposcat, quid sarcina dignitatum desideret, multa nos cura sollicitat, multae nos sollicitudinis urgemur instantia, qualiter Deo satisfaciamus, et homini, etsi non ut volumus et debemus, saltem prout permittimur et valemus. Sane multos multotiens, et audivimus, et vidimus murmurantes propter expensas, quas venientes ad Sedem Apostolicam faciebant. (Nonnullorum murmurationes propter expensas Curiae Romanae) Scimus autem quid ex talibus inferebat praesumptio detractorum, quid labia dolosa, quid lingua magniloqua praesumebant, cum nonnulli sermones in publico monstrantes, et mittentes periculosius iacula in occulto, Romanam niterentur mordere Ecclesiam, parati non solum ea, quae vigor iustitiae, sed etiam quae iudicium aequitatis, necnon benignitatis gratia consumabat suis loquutionibus depravare, praesertim apud eos, qui aures prurientes habebant, et graves et erectas ad malum. Illos quoque in talibus frequenter experti sumus ostendere, qui missi procurare negotia, (Refelluntur.) dum ea quae illis ad necessarias deputabantur expensas, suis voluptatibus applicabant, ad miserabile subsidium mendacii recurrentes, alienis moribus impingebant, quod proprie defraudaverant. Quia vero in iis contra Sedem Apostolicam detractis obrepebat occasio, et Ecclesiis et Ecclesiarum praelatis, necnon et aliis videbatur imminuere gravamen; cum fratribus nostris diligenter curavimus habere tractatum, quo studio, qua cautela, secundum Deum et hominem inveniremus in talibus salubrem provisionis effectum, et tandem, prout Domino placuit, communi et unanimi deliberatione consilii rem non novam, nec inexcogitatam a praedecessoribus nostris sumus aggressi, volentes quod illi salubri consilio providerent efficaci opere consumare, (Unam praebendam in singulis Ecclesiis reservat pro S. R. E. necessitatibus.) videlicet, ut ad opus Sedis Apostolicae in singulis cathedralibus Ecclesiis et aliis praebendalibus singulae prae-

(1) Ex Martene, Anecdot., tom. I, col. 929.

bendae reserventur, et interim donec id fiat, competentes in eis redditus assignentur. In monasteriis vero, et caeteris domibus regularibus ac aliis collegiatis Ecclesiis, necnon de bonis episcoporum secundum facultates suas, constituantur certi redditus praebendas aequantes, quorum proventus in commune recepti, tam in nostras, quam fratrum nostrorum necessitates, cappellanorum, necnon cancellariae ostiariorum, aliorumque Sedis Apostolicae officialium convertantur, ut sic et provideantur nostris in vita necessariis, et gratis omnibus omnia pro quibuscumque venientibus negotiis ministrentur, nec sit, qui per se, vel per alium, expresse vel tacite aliquid exigat, vel etiam sponte oblata recipiat, praeter villae redditum consuetum. Quod si Gieziacus tantae cupiditati animam audebit exponere, tantae poenae duritiae subiacebit, quod praeter publicae confessionis opprobrium, culpam in poena cognoscet. Quis igitur frater gratiae, quis devotionis filius, quis sponsi et sponsae dilectus ad huiusmodi fratrum Ecclesiae consilium et auxilium non assurget? An non licet, non decet, non expedit, ut sic filiae dextram porrigant ad subsidia matris, quae occupationibus multis et magnis involvitur pro necessitatibus filiorum? Nonne ad id quamplures Ecclesiarum praelati, magnique testimonii veri tempore generalis concilii sua dabant? Nonne ad id toto videbantur desiderio aspirare? Tunc tamen Sedes Apostolica distulit, ne videretur ad hoc concilium evocasse. Ne igitur tam pii, tam sancti propositi consummatio retardetur, per quod crescere poterit decor Ecclesiae Dei, multaque subtrahi occasio detrahendi: universitatem vestram monemus, rogamus et exhortamur in Domino per apostolica scripta vobis mandantes: quatenus ad executionem provisionis huiusmodi, tam in cathedralibus quam in aliis ecclesiis, ut dictum est, impendentes sic opere, ut operam efficacem, quod interprete facto monstretur quantum Domus Dei vos decor alliciat, quantum multorum relevatio moneat, quantumque utilitas generalis inducat. Caeterum cum ad relevanda Ecclesiarum onera et gravamina praelatorum, prout possumus, intendamus, de praebendis clericis romanis, vel aliis a Sede Apostolica concessis duximus providendum; ut postquam fuerint supradicta completa, cum eos vacare contigerit, ad proprias Ecclesias revertantur, ne si successive conferantur extraneis, sicut aliquando consuevit, filiis Ecclesiarum, qui nisi continuo servitio resideant, redderentur inutiles, et voluntate quodammodo fierent alienae.

Omnia vero gratis datum iri spondet.

Superiora rationibus et monitis urget.

Adhortatio ad Franciae episcopos.

Datum Laterani quinto kalendas februarii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 28 ianuarii 1225, pontif. an. IX.

LXXVI.

Publicatio processuum, aliarumque poenarum constitutio contra S. R. E. cardinales invadentes, seu eos alias quomodolibet iniuria afficientes (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — S. R. E. cardinales percutientes, eorumque fautores, consiliarii etc. banno puniendi, ac beneficio testandi privantur. — Aliae poenae. — Declarantur excommunicati ipso facto. — Poenitentia iniungenda resipiscentibus. — Varia poena secundum delicti qualitatem. — Poena contra eosdem cardinales occidentem. — Excommunicantur quoque iudices has poenas delinquentibus non infligentes.

Honorius episcopus servus servorum Dei, universis praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Summi providentia Principis peculiarem populum, quem praetulerat aliis gratiae privilegio, specialis fovebat manna misericordiae, ac rigoris virga regebat beneficiis affluens ultionibus non remissus: amicus etiam domini Moyses pro

(1) Ex Regest. Vatic.

eodem populo vitulum obtulit labiorum, et manuum sacrificium non omisit post supplicationis hostiam, holocausto satisfactionis oblato, causam populi coram Domino precibus, et Dei causam in populo gladiis prosequutus. Sane in maligno positi mundi malitia, dum impunitis excessibus per campum licentiae discurrit effraenis, claustra iuris infringit, aditum pandit iniuriis, legem damnat honesti, privilegium promittit errori, et dum spem impunitatis ad alios prorogat, ad culpam nonnullos invitat, sicque fit poenalis impunitas, cum poenis reservet maioribus puniendos, et per impunitae transgressionis exemplar blandiatur aliis ad offensam. Unde interdum utcumque tirannice parcitur, et misericorditer deficitur, cum publicae utilitatis intersit, ut excessus vindicta coerceat, et poena sit limes offensae. Hinc est, quod propter praesumptam in quosdam de fratribus nostris temeritatis audaciam; nos, ne coelestis Regis contumeliam, qui honoratur et spernitur in ministris, dissimulationi relinquere, ac christianae religionis opprobrium, dum Christos Domini, quos ad christianorum omnium salubre servitium Apostolica Sedes assumit, crudeliter impetunt, dare negligentiae locum videamur, non tanquam iniuriarum ultores nostrarum, sed honoris Sponsae Christi, et immunitatis Domus Domini zelatores, de communi fratrum nostrorum consilio hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut si quis in hoc sacrilegii genus irrepserit, quod sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem hostiliter fuerit insequutus, vel percusserit, aut caeperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit, vel favorem, aut postea receptaverit, vel defensaverit scienter eumdem, sicut reus laesae criminis maiestatis perpetuo sit infamis, diffidatus nihilominus et bannitus sit intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad alicuius bona ex testamento, vel

S. R. E. cardinales percutientes, eorumque fautores, consiliarii etc. banno puniendi, ac beneficio testandi privantur.

ab intestato vocetur, quatenus ab omni successione repulsus, publicaque repulsa confusus minus inveniat suae malitiae successorem. Fiant omnes habitationes eius desertae, ut non sit qui eas inhabitet, dentur cuncta ipsius aedificia in ruinam, et ut perpetuae notam infamiae perpetua ruina testetur, nullo tempore reparentur. Nullus ei debita reddere, nullus respondere in iudicio teneatur: quidquid etiam in bonis invenietur ipsius, fisci, vel reipublicae dominio applicetur, ut ex illis nil transmittatur ad posteros, sed potius cum ipso quodammodo damnentur et sua. Si qua vero feuda, locationes, officium, vel beneficium spirituale vel temporale ab aliquibus Ecclesiis obtinet, sit eis ipso iure privatus, quae sic libere ad Ecclesias revertantur, quod Ecclesiarum rectores de ipsis pro sua voluntate disponant: quod si filium habet clericum non praelatum ecclesiasticum beneficium obtinentem, illo privetur, spe collationis alterius omnino sublata. Nulli praeterea talium filiorum atque nepotum ex virili sexu descendentium ab eisdem alicuius aperiatur ianua dignitatis, aut honoris ecclesiastici, vel mundani: ad alicuius loci regimen non adeat: sit ei postulandi negata facultas: sit notorie iudicatus, et quodlibet aliud officium seu ministerium publicum interdictum. In iudiciis eius assertio contra quemquam nihil fidei, nihil credulitatis inveniat, ut ad testimonium prorsus reddatur indignus: sit ei ad Ordines ascensus inhibitus: sit ad beneficium vel officium ecclesiasticum negatus accessus, et ut magis famosa sit eius infamia, ad actus legitimos nullus ei pateat aditus, nulla porta pandatur eidem, super aliquo praemissorum omni spe dispensationis adempta. Praesenti nihilominus adiicimus sanctioni, ut ex insequutione praedicta, sicut ex iniectione manuum violenta, ipso facto excommunicationis sententiam quis incurrat, et tam insequtor, quam alii supradicti tanti mali

Aliae poenae.

Declarantur excommunicati ipso facto.

participes, quamdiu in sua contumacia perduraverint, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, per omnes illius loci Ecclesias, in quo tantum fuerit facinus attentatum, necnon civitatum et dioecesum vicinarum, excommunicati publice nuncientur, nec ab alio, quam a Romano Pontifice cum fratrum suorum et iniuriam passi consensu possint absolutionis beneficium obtinere, nisi dumtaxat in mortis articulo constituti. Cum autem fuerint absolvendi, primo sufficienter et idonee caveant, quod inferendae poenae parebunt, et auxiliante Domino poenitentiam peragent iniungendam. Deinde per omnes illius loci Ecclesias principales, vicinorumque locorum diebus dominicis et solemnibus incedant nudi coram populo femoralia tantum habentes, et virgas ferentes in manibus, cum quibus per easdem Ecclesias publice fustigentur: ituri postmodum ultra mare, et ibidem acturi poenitentiam per tres annos ad minus, nec exinde postmodum reversuri absque Sedis Apostolicae licentia speciali. Verum cum tales gratiam reconciliationis meruerint, beneficio absolutionis obtento, indulgeatur eis licentia, ut sua, et suorum iniuriam prosequantur, et debitorum illorum, quae contracta fuerint de postmodum acquisitis, repetitio non negetur.

Poenitentia iniungenda resipiscentibus.

Illud autem non duximus omittendum, quod si quis fuerit in praemissis nudo consilio, vel simplici favore culpabilis, iudex in talem poenam metiatur ex culpa, ut secundum quod excessus exegerit, vindicta procedat. Praemissis etiam dignum censuimus annectendum, ut si quisquam aliquo praedictorum excessuum quemquam de clericis vel religiosis nostrae familiae, vel cardinalium afficere forte praesumpserit, proportionetur poena delicto, ita quod vindicta ex aequo excessui respondente, ab offensa nostrorum cohibeantur deinceps manus temerarie formidine ultionis quas Dei, vel nostra, seu fratrum nostrorum reverentia non cohercet.

Varia poena secundum delicti qualitatem.

Si quis vero per se, vel per alium, quod absit, occiderit cardinalem, vel evidentem dederit causam mortis, ultra quam praemissa contineant, sic in eum potestas iurisdictionis insurgat, sic rigor ultionis insiliat, quod contra vitae subsidium mortis solatium invocet, vivens poenae non culpae, vindictae speculum non offensae. Per haec quoque saecularibus potestatibus non adimimus facultatem utendi legibus contra tales, quas adversus sacrilegos catholici principes ediderunt. Quis enim locus regiminis poterit esse tutus? Quis rector securitate gaudebit, si Romana Ecclesia, quae omnium Ecclesiarum disponente Domino caput est et magistra, casibus istis subiicitur? si eius filii speciales huiusmodi periculis exponuntur, quem Ecclesiae filium, quem fidei zelatorem contumelia tanta non tangeret, et confusio tam aspera non moveret? Porro, qui filius est dolebit, qui fidelis matre fidei laesa sedetur?

Poena contra eosdem cardinales occidentem.

Quapropter si princeps, senator, consul, potestas, vel alius dominus seu rector, quocum quenomine censeatur, contra praesumptores praedictos praesentis constitutionis tenorem non fecerit observari, tam ipse, quam officiales ipsius infra mensem, postquam res ad notitiam eorum pervenerit, excommunicatione notentur. Quod si populus fuerit circa ista remissus, et ad satisfaciendum rectores et officiales eius non compulerit, Romanus Pontifex cum suis fratribus omnibus infra mensem exeat locum illum, si eum ibidem contigerit tunc morari, et antequam plenarie satisfiat, minime revertatur, nisi forsan inevitabilis Ecclesiae necessitas immineret, propter quam exitus eius et fratrum periculosus proculdubio redderetur. Praeterea si populus rectorem sic excommunicatum tertio monitus sicut poterit commoneri, a regimine amovere contempserit, subiiciatur civitas interdicto usquequo congrue satisfiat.

Excommunicantur quoque iudices has poenas delinquentibus non infligentes.

Datum Reate, duodecimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 20 novembris 1225, pontif. an. x.

LXXVII.

Canonizatio S. Laurentii archiepiscopi Dublinensis, regis ac reginae Hiberniae filii, eiusque relatio in numerum sanctorum confessorum, et festivitatis eiusdem praefinitio pro die decimaquarta mensis novembris quotannis celebrandae.

SUMMARIUM

Principio Ecclesiam Deus miraculis clarificavit: — 1. Sed propter christianorum peccata, miraculis intermissis, suscitavit doctores: — 2. Sed interdum signa innovat. — 3. Patratis a Deo per intercessionem B. Laurentii miraculis, petitur eius canonizatio. — 4. Commissa de his, et de eius vita inquisitio. — 5. Hinc adhibitae perquisitiones, serioque investigatum. — 6. Beati Laurentii genus et primordia. — 7. Eius virtutes. — 8. Miracula. — 9. Mortui suscitati. — 10. Ss. cathalogo adscribitur. — 11. Eius celebranda festivitas. — 12. Concessio indulgentiarum.

Honorius episcopus servus servorum Dei, universis christifidelibus in Rothomagen. provincia constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Principio Ecclesiam Deus miraculis clarificavit:

Ineffabilis providentia Dei, congruentia singulis quibusque temporibus ordinate dispensans, in splendoribus sanctorum Ecclesiam suam quasi ex utero genuit, dum eos in exordio ipsius nascentis Ecclesiae crebra miraculorum coruscatione mirificans, et in ipsorum miraculorum fulgore obstupefaciens gentes, ac praedestinatos in fide generans Iesu Christi, in cuius haec fieri nomine ac virtute videbant, ipsos filiorum adoptionis numero aggregavit.

Sed propter christianorum peccata, miraculis intermissis, suscitavit doctores:

§ 1. Deinde crescente fidelium numero et multitudine, populi vocati de tenebris, ambulantes iuxta ipsius vaticinium in lumine Domini Dei sui, mirabilis dispensator in pluviam fulgura sua fecit, dum signis, sive miraculis, quae non erant iam fidelibus necessaria, intermissis, super novos populos, pastores, qui eos pascerent scientia et doctrina, sicut per eos Hieremiae promiserat, suscitavit. Doctores Ecclesiae scilicet, qui terram cordis fidelium imbre doctrinae compleverant, et extirpatis sentibus vitiorum, eam ad proferendum virtutum germen, et fructum boni operis foecundarent.

Sed interdum signa innovat.

§ 2. Caeterum quia charitate frigescente ab exercitio huiusmodi boni operis torpet catholicus, errore devio abducente delirat haereticus, caecutit velamine adhuc super cor permanente iudaeus, et in tenebris ambulat sidere lucis nondum sibi oriente paganus; misericors Dominus, qui neminem vult perire, signa interdum innovat, et mirabilia miseratus immutat, ex numero illorum, quos in Ecclesia triumphante glorificat, aliquorum fidem et merita in militante miraculis declarando. Ut per ea catholici, mentis torpore discusso, ad boni operis excitentur instantiam; haeretici, errore dimisso, ab invio reducantur ad viam; iudaei atque pagani, vero lumine cognito, de tenebris et umbra mortis currant ad Christum, lucem, viam, veritatem et vitam.

Patratis a Deo per intercessionem B. Laurentii miraculis, petitur eius canonizatio.

§ 3. Sanctae igitur mem. Laurentio Dublinen. archiepiscopo apud Ecclesiam S. Mariae de Augo Rothomagen. dioeces., ubi corpus eius feliciter requiescit, claris divino munere coruscante miraculis, ven. frater noster archiepiscopus, et dilecti filii capitulum Rothomagen., una cum abbate et conventu Ecclesiae supradictae, multisque aliis archiepiscopis et episcopis, abbatibus et religiosis viris, eius venerabilis vitae insignia et coruscantia miracula suis nobis litteris intimantes, humiliter supplicarunt, ut ipsum sanctorum cathalogo adscribere curaremus, quatenus auctoritate apostolica

dignus honor illi exhiberetur in terris, qui sic claris signis et evidentibus argumentis apparet honoratus in coelis.

Commissa de his, et de eius vita inquisitio.

§ 4. Licet igitur quos divina honorat dignatio, humana devotio prompto affectu debeat honorare; volentes tamen in huiusmodi negocio, secundum consuetudinem Apostolicae Sedis cum digna maturitate procedere, praefato archiepiscopo, et N. decano, et N. thesaurario Rothomagen. dedimus in mandatis, ut super dicti viri vita et miraculis inquirerent diligentissime veritatem, et eam nobis fideliter intimarent; ut ea plene comperta, pio supplicantium desiderio securius annuere valeremus.

Hinc adhibitae perquisitiones, serioque investigatum.

§ 5. Ipsi autem mandatum nostrum cum diligentia exequentes, quia de praefati viri conversatione ac vita, per homines de partibus illis certificari nequibant, eo quod per partes illas transitum faciens in Ecclesia praedicta correptus infirmitate decubuit, et infra octavum diem ab hac luce migravit, scripsere venerabili fratri nostro archiepiscopo Dublinen., ut veritatem super hoc inquisitam, eis per suas litteras intimaret. Qui citra mare Hibernicum illustris regis Anglorum negociis occupatus, non valens inquirere id per se ipsum, venerabilibus fratribus nostris Daren. episcopo suffraganeo suo, ac priori Sanctae Trinitatis Dublinen. commisit in huiusmodi negocio vices suas. Ac demum eorum litteras, sanctitatem vitae et conversationis, saepe dicti viri plenius continentes, suo et ipsorum sigillis munitas destinavit eisdem. Quas una cum depositionibus testium super miraculis receptorum, nobis sub sigillis propriis transmisere.

Beati Laurentii genus et primordia

§ 6. Collegimus autem ex ipsarum serie litterarum, quod saepedictus vir, regis et reginae Hiberniae filius extitit, et ab infantia sacris litteris eruditus, senilem gessit in iuventute gravitatem, et mundanarum illecebras vanitatum, a se ultra quam aetas illa solebat, abdicavit.

Eius virtutes.

§ 7. Deinde in archiepiscopum Dublinen. assumptus, sic in virtutem de virtute profecit, ut in oratione assiduus, austerus in maceratione proprii corporis, ac in eleemosynarum largitione profusus, se totaliter Domino dedicarit.

Miracula.

§ 8. Per depositiones vero testium praedictorum constitit evidenter, sanctam vitam eiusdem esse tot sequentibus miraculis comprobatam; quot non parvam texet historiam, qui volet ea singula scribere seriatim. Sed ut praetereamus, quod claudi gressum, caeci visum, surdi auditum, muti loquelam, leprosi mundationem, et variis afflicti languoribus sanitatem ad invocationem eius nominis receperunt, et haec sola, quae inter caetera emicuere miracula.

Mortui suscitati.

§ 9. Idem Sanctus, immo Dominus ob ipsius merita gloriosa, septem mortuos, quorum unus triduanus erat, mirifice suscitavit.

Si. cathalogo adscribitur.

§ 10. De ipsius igitur sanctitate tantis certificati miraculis, divinumque secuti iudicium, per quod eius glorificatio nobis tam evidentibus innotuit argumentis, eumdem beatum virum cathalogo sanctorum adscripsimus, et annumerandum decrevimus sanctorum collegio confessorum, ac inter eos a christifidelibus venerandum.

Eius celebranda festivitas.

§ 11. Statuentes, ut eius veneranda festivitas de caetero annis singulis octavo decimo kalendas decembris solemniter celebretur. Monemus autem universitatem vestram, et hortamur in Domino, quatenus Deum devotis mentibus collaudantes, et studentes proficere tantae virtutis exemplo, eiusdem gloriosissimi confessoris apud Dominum suffragia humiliter imploretis.

Concessio indulgentiarum.

§ 12. Nos autem de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus, et confessis, qui ad praefatam Ecclesiam in die solemnitatis eiusdem gloriosissimi confessoris, vel infra octavas cum devotione accesserint eius orationum

suffragia petituri, viginti dies de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxamus.

Datum Reate, tertio idus decembris anno decimo.

Dat. die 11 decembris 1225, pontif. an. x.

LXXVIII.

Approbatio regulae ordinis fratrum Eremitarum Beatae Mariae de Monte Carmelo.

SUMMARIUM

Approbatam regulam servari mandat.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus Eremitis de Monte Carmelo, salutem et apostolicam benedictionem.

Approbatam regulam servari mandat.

Ut vivendi normam, regulariter a bonae memoriae Hierosolymitano patriarcha editam, quam ante generale concilium vos dicitis humiliter suscepisse, in posterum vos et successores vestri, quantum cum Dei adiutorio poteritis, observetis, in remissionem vobis iniungimus peccatorum.

Datum Reate, tertio kalendas februarii, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 30 ianuarii 1226, pontif. an. x.

Regulae praedictae tenor subsequitur.

SUMMARIUM

Prologus regulae: — De priore: — Cellulis: — Mutatione eorum: — Cellula prioris: — Mansione in cellulis: — Oratione: — Proprietate: — Oratorio et missa: — Capitulis, et correctione: — Ieiunio: — Esu carnium: — Armis spiritualibus: — Assiduitate in opere: — Silentio: — Humilitate prioris: — Et veneratione erga illum.

Prologus regulae.

Albertus Dei gratia Hierosolymitanae Ecclesiae vocatus patriarcha, dilectis in Christo filiis Brocardo et caeteris Eremitis, qui sub eius obedientia iuxta fontem in Monte Carmeli morantur, salutem in Domino, et Sancti Spiritus benedictionem. Multifarie, multisque modis Sancti Patres instituerunt, qualiter quisque in quocumque ordine fuerit, vel quemcumque modum religiosae vitae elegerit, in obsequio Iesu Christi vivere debeat, et eidem fideliter de corde puro et bona conscientia deservire. Verum quia requiritis a nobis, ut iuxta propositum vestrum, tradamus vobis vitae formulam, quam tenere in posterum debeatis:

Cap. I.

De priore:

Illud in primis statuimus, ut unum ex vobis habeatis priorem: qui ex unanimi omnium assensu, vel maioris et sanioris partis, ad hoc officium eligatur, cui obedientiam promittat quilibet aliorum, et promissam studeat operis veritate servare.

Cap. II.

Cellulis:

Praeterea iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrum singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem prioris ipsius, et de assensu aliorum fratrum, vel sanioris partis, eædem cellulae cuique fuerint assignatae.

Cap. III.

Mutatione earum:

Nec liceat alicui fratrum, nisi de licentia prioris, qui pro tempore fuerit deputatus, sibi locum mutare, vel cum alio permutare.

Cap. IV.

Cellula prioris:

Cellula prioris sit iuxta introitum loci, ut venientibus ad eumdem locum primus occurrat: et de arbitrio et dispositione ipsius, postmodum quae agenda sunt, cuncta procedant.

Cap. V.

Mansione in cellulis:

Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, et orationibus suis vigilantes, nisi aliis iustis occasionibus occupentur.

Cap. VI.

Orationes: Hi, qui litteras noverunt, et legere Psalmos, per singulas horas eos dicant, qui ex institutione Sanctorum Patrum, et Ecclesiae approbata consuetudine ad horas singulas sunt deputati. Qui vero litteras non noverunt, vigintiquinque vicibus dicant *Pater*, in nocturnis vigiliis. Exceptis dominicis, et solemnibus diebus, in quorum vigiliis praedictum numerum statuimus duplicari, ut dicatur *Pater noster* vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur oratio in laudibus matutinis. In aliis quoque horis septies similiter eadem sigillatim dicatur oratio: praeter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.

Cap. VII.

Proprietate: Nullus fratrum sibi dicat aliquid esse proprium: sed sint vobis omnia communia. Et ex his, quae vobis Dominus dederit, distribuatur unicuique per manum prioris, id est, per hominem ab eo ad idem officium deputatum, prout unicuique opus fuerit, inspectis aetatibus et necessitatibus singulorum. Ita tamen, ut sicut praemissum est, in deputatis cellulis singuli maneant, et ex his, quae sibi distributa fuerint, singulariter vivant.

Cap. VIII.

Oratorio et missa: Oratorium, prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum, ubi mane per singulos dies ad audienda missarum solemnia convenire debeatis, ubi hoc commode fieri poterit.

Cap. IX.

Capitulis, et correctione: Dominicis quoque diebus, vel aliis, ubi opus fuerit, de custodia ordinis tractetis. Ubi etiam excessus, et culpae fratrum, si qui de aliquo deprehensi fuerint, charitate media corrigantur.

Cap. X.

Ieiunio: Ieiunium singulis diebus, exceptis dominicis, observetis, a festo Exaltationis S. Crucis usque ad diem Dominicae Resurrectionis: nisi infirmitas vel debilitas corporis, aut alia iusta causa ieiunium solvi suadeat, quia necessitas non habet legem.

Cap. XI.

Esu carnium: Ab esu carnium semper abstineatis, nisi pro infirmitatis, aut nimiae debilitatis remedio sint sumendae.

Cap. XII.

Armis spiritualibus: Quia vero militia est vita hominis, et omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur; adversarius quoque vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret; omni sollicitudine studeatis indui armatura Dei, ut possitis stare adversus insidias inimici.

Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis. Muniendum est pectus cogitationibus sanctis. Scriptum est enim: Cogitatio sancta servabit te.

Induenda est lorica iustitiae: ut Dominum Deum vestrum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute diligatis, et proximum vestrum tamquam vosmetipsos.

Sumendum est in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Et haec est victoria, quae vincit mundum, fides vestra.

Galea quoque salutis imponenda est capiti, ut de solo Salvatore speretis salutem, qui salvum facit populum suum a peccatis eorum.

Gladius autem spiritus, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore et in cordibus vestris. Et quaecumque vobis agenda sunt, in verbo Domini fiant.

Cap. XIII.

Assiduitate in opere: Faciendum est vobis aliquod operis, ut semper vos diabolus inveniat occupatos, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum ad animas vestras valeat invenire. Habetis ad hoc beati Pauli apo-

stoli magisterium pariter et exemplum, in cuius ore Christus loquebatur: Qui positus est, et datus a Deo praedicator et doctor gentium in fide et veritate: quem si secuti fueritis, non poteritis aberrare: in labore (inquit) et fatigatione fuimus inter vos nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi nos non habeamus potestatem; sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam cum essemus apud vos, haec denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, non manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes in quiete, nihil operantes. His autem, qui eiusmodi sunt, denunciamus, et obsecramus in Domino Iesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. Haec via sancta et bona: ambulate in ea.

CAP. XIV.

De silentio:

Commendat vobis Apostolus silentium, cum in eo praecipit operandum. Et quemadmodum Propheta testatur: Cultus iustitiae, silentium est. Et rursum: In silentio et spe erit fortitudo vestra. Ideoque statuimus, ut ab hora vespertina, usque ad horam tertiam sequentis diei silentium teneatis; nisi forte necessitas vel causa rationabilis, aut licentia prioris silentium interrumpat. Alio vero tempore, licet silentii non habeatur observatio tanta, diligentius tamen a multiloquio caveatur. Quoniam scriptum est, et non minus experientia docet: In multiloquio non deerit peccatum; et: Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Item: Qui multis utitur verbis, laedit animam suam. Et Dominus in Evangelio: De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. Faciat ergo unusquisque stateram verbis suis, et fraenos rectos ori suo, ne forte labatur, et cadat in lingua sua, et insanabilis sit casus eius ad mortem. Custodiens cum Propheta vias suas, non delinquat in lingua sua. Et silentium, in quo cultus iustitiae est, diligenter et caute studeat observare.

CAP. XV.

De humilitate prioris.

Tu autem, Brocarde, et quicumque post te institutus fuerit prior, illud semper habeatis in mente, et servetis in opere, quod Dominus ait in Evangelio: Quicumque voluerit inter vos maior esse frater, erit vester minister: et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

CAP. XVI.

De veneratione erga illum

Vos quoque, caeteri fratres, priorem vestrum honorate humiliter: Christum potius cogitantes, quam ipsum, qui posuit illum super capita vestra. Et Ecclesiarum praepositis etiam ait: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit, ut non veniatis in iudicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitae aeternae mercedem.

Haec breviter scripsimus, vobis conversationis vestrae formulam statuentes, secundum quam vivere debeatis. Si quis autem supererogaverit, ipse Dominus cum redierit, reddet ei. Utatur tamen discretione, quae virtutum est moderatrix.

Ex Achon, idus ianuarii, anno Domini MCLXXI.

LXXIX.

Ordinis Praedicatorum, et Sancti Francisci fratribus apud infideles degentibus, ut habitum mutare, barbam et comam nutrire, ac pecunias tractare valeant, indulgetur (1).

SUMMARIUM

Causae concessionis huius. — Dispensatio.

(1) Ex Regest. Vatic.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, fratribus Praedicatoribus, fratribusque Minoribus in regno Marochitano de mandato Sedis Apostolicae commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae concessionis huius. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod cum ad mandatum Sedis Apostolicae voluntarie vos discrimini obtuleritis ob multorum salutem, provido usi consilio, interdum mutatis habitum, barbam nutritis et comam, non tam ad declinandum ad tempus gentis barbarae feritatem, quae in christianis crudelius debacchatur, quam etiam ut prodesse pluribus et liberius visitare christianos in carceribus et locis aliis valeatis ad iniungendum eis poenitentiam, dandum salutis monita, exhibendum ecclesiastica sacramenta. Cumque in terra illa gratis non possitis victualia invenire, pro eo quod non panis, sed pecunia consuevit ibidem pauperibus in subsidium erogari, urgens necessitas vos compellit charitative recipere, sed parce denarios expendere, et tantummodo propter cibum et vestes; unde cum haec sint contra vestri ordinis instituta, licet videatur vos ab iis excusare inevitabilis necessitas, ac grandis et evidens utilitas aliorum, quia tamen cum Iob veremini omnia vestra opera, districti examen Iudicis recolentes, humiliter postulastis vestrae super his per Sedem Apostolicam subveniri conscientiae atque famae. Cum igitur ex causa David coram Abimelech legatur habitum commutasse, ac Dominum se iunxisse in specie peregrini discipulis in Emmaus in fractione panis eis postmodum revelatum: qui etiam tam dictos pueros super eo, quod in necessitate comederant Panes sanctos, quos eos contingere non licebat, quam Apostolos excusavit, dum ipsos Pharisaei arguerent, quod esurientes alienas non lotis fricantes spicas manibus comedebant. Nos laudabile opus vestrum, piumque propositum attendentes, vestris supplicationibus inclinati, super praedictis vobiscum in illis regionibus, quamdiu praescripta vos arctat necessitas, et invitat utilitas, misericorditer dispensamus, dummodo tamen fraus non interveniat, sive dolus, vel sinceritatem vestram cupiditas non seducat.

Dispensatio

Datum Laterani sextodecimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 17 martii 1226, pontif. an. x.

LXXX.

In Sanctorum Confessorum Pontificum numerum refertur B. Willhelmus Eboracen. in Anglia archiepiscopus (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — Petitio de B. Villhelmo canonizando. — Inquisitio de eius vita et miraculis facta. — Ss. albo adscribitur. — Eius colenda celebritas.

Honorius episcopus servus servorum Dei, universis archiepiscopis, et episcopis, et aliis Ecclesiae praelatis, et clericis ac laicis per Angliam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Qui statuit terminos gentium secundum numerum angelorum, ut ruinam praevaricatorum spirituum rectorum hominum suppletione restauraret, volens diversitatem gentium in confessione sui nominis adunare, coaeternum scilicet et consubstantialem Filium in uterum immaculatae Virginis caelitus irroravit: qui siquidem ex ea humana carne dignanter assumpta, Fons Dei, et hominum Mediator, Ecclesiam de omnibus gentibus aggregans, et qui de latere suo formans eam in Sanguine suo redemit et lavit, ipsamque, ut sororem diligens, et ut sponsam, eamdem sibi iunxit invincibili charitate: quae utique nova semper prole foecunda, donec impleatur numerus electorum, partim in terra contra hostes multiplices Prooemium.

(1) Edidit Fontanin., Codex Canoniz., pag. 57.

militans, partim in coelo cum Christo triumphans, hic gratia Redemptoris adiuta meretur, unde ibi feliciter coronatur; hic contemplatur per speculum in enigmate, quidquid facie ad faciem ibi cernit; et quia tanto ibi flagrant ardentius charitate, qui divinae fruuntur dulcedine visionis, quanto Eum, qui charitas est, vicinius intuentur, etiam hi certantes non solum suis orationibus adiuvant apud Deum, verum et miraculorum signis obtinent confortari, quibus ipsi magnifice coruscantes, divinae gloriae participes ineffabiliter se ostendunt, et dum de fide ad spem et de spe ad rem, charitate nullatenus decedente, sed potius augumentata, exhibent se feliciter pervenisse, datur promissi praemii certantibus certitudo, et sic finalem in bono perseverantiam efficaciter suadent. Quis enim videns electos Ecclesiae post finem huius vitae felicem, novis coruscare miraculis, capiti eius, Christo videlicet, non cupiat inseparabiliter adhaerere, ut unus spiritus sit cum eo? aut quomodo ei obsequium denegabit, qui sibi obsequentibus dans virtutes, tanta praemia elargitur, ut haeredes quidem Domini, cohaeredes autem Christi effecti gloriae regni coelestis, insignia quaeque feliciter obtinentes, miraculose revelentur in terris, et quidquid petierint, fiat eis? Confundantur ergo iudaei, confutentur haeretici, erubescant pagani, et peccatores ad poenitentiam convertantur, dum fidem in Christo credentium tanta remunerari donorum conspiciunt largitione.

Petitio de B. Villhelmo canonizando.

Sane venerabilis frater noster archiepiscopus, et dilecti filii decanus et capitulum Eboracense apud nos per litteras, et per magistros G. poenitentiarium et Heliam Bernardi Eboracensem et Laurentium Aquileiensem canonicos opportune, importune pluries insistere, ut sanctae memoriae Willhelmum, quondam archiepiscopum, sicut ex multorum fide dignorum testimoniis apparebat, tanta fulsit gratia meritorum, quod multa per eum Dominus dignatus est gloriosa miracula operari, et post decessum ipsius corpus eius multo pluribus dedit mirabilibus coruscare, cathalogo sanctorum adscriberemus in Ecclesia militanti, cum non esset dubium, ipsum in triumphanti a Domino multipliciter honorari. Verum licet fidem testimoniis adhibentes, et famae iugiter de ipso crescenti credulitatem minime denegantes, libenter vellemus annuere precibus supplicantium, quia tamen in tam sancto et divino negotio non erat nisi cum maturitate plurima procedendum, pluries per viros electos, tam super vitam, quam super miraculis Sancti praedicti inquisitionem fieri fecimus diligentem, cum etsi ad sanctitatis existentiam sufficiat perfectio charitatis, ad ostensionem tamen ipsius miraculorum exhibitio exigatur, eo quod et nonnulli iustitiam suam faciunt coram hominibus, ut videantur ab eis, et nonnunquam diabolus se in lucis Angelum transfigurans illudat hominibus fraudulenter; unde cum inquisitores praedicti, receptis super his quampluribus testibus fide dignis, et examinatis, sicut oportuit, diligenter, nobis ipsius Sancti sanctissimae vitae ordinem, et multa et magna miracula, quibus post decessum eius, ipsum Dominus magnifice illustravit, plene ac plane fideliter retulissent, nos provide attendentes, quod non erat tanta lucerna ponenda sub modio, sed super candelabrum statuenda, cum praeter alia miracula, quae longum esset per singula enarrare, sepulchrum eius olei ubertate pinguescat, quo aegri quamplures inuncti a suis infirmitatibus sunt sanati, et quod non est praetereundum silentio, quod tres mortuos mirifice suscitarit, et quinque caecos illuminans, uni ex eis qui in duello devictus..... damnatus, cum ad sepulchrum ipsius Sancti clamaret instanter, et peteret confidenter, ut ei oculos restitueret, quibus iniuste ipsum sciebat orbatum, alios oculos novos reddiderit mirabili novitate, ipsum de communi fra-

Inquisitio de eius vita et miraculis facta

Ss. albo adscribitur.

trum nostrorum et aliorum praelatorum, qui praesentes erant concilio, adscripsimus, vel potius adscriptum denunciavimus sanctorum cathalogo confessorum, statuentes, ut in anniversario eius annuatim festum solemniter celebretur.

Eius colenda celebritas.

Igitur, ut tantae gratiae gratos, sicut convenit, vos reddatis, universitatem vestram monemus, et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eiusdem Sancti festum et memoriam veneratione debita recolentes, ipsius apud Deum virtutum suffragia pro vobis et aliis christifidelibus fiducialiter imploretis. Nos enim de gratia divina, et praedicti Sancti meritis confidentes, omnibus ad Ecclesiam Eboracensem in festo eius devote convenientibus quadraginta dies de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus.

Datum Laterani, decimo quinto kalendas aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 18 martii 1226, pontif. an. x.

GREGORIUS IX

PAPA CLXXVIII

Anno Domini MCCXXVII.

Altera ab Honorii obitu die, decimanona scilicet martii anno 1227, electus est in Romanum Pontificem Ugo S. R. E. cardinalis, episcopus Ostiensis, natione Campanus, patria Signinus, patre ex comitibus Signiae, et Gregorii nomen sumpsit; dominica autem sequenti, die 21 nimirum eiusdem mensis, intronizatus est. Sedit in pontificatu annos XIV, menses V, dies III (1), imperantibus in Oriente Roberto, mox Balduino II, in Occidente vero Friderico II imperatoribus. Obiit senio curisque gravioribus confectus die 21 augusti 1241, et sepultus est ad S. Petrum: vacavit Sedes fere ad duos menses.

(1) Inclusis extremis.

I.

Quod Cremonensis Ecclesia de caetero suffraganea sit et esse intelligatur archiepiscopalis Ecclesiae Mediolanensis, cui reverentiam et obedientiam consuetas exhibere debeat (1).

SUMMARIUM

Quibus de causis Cremonen. Ecclesia a Mediolanensis subiectione se subtraxerit: — Eidem ab Honorio restituta. — Cremonensis episcopus inobediens — Mediolanen. archiepiscopo subiicitur. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo, et dilectis filiis capitulo Mediolanen., salutem et apostolicam benedictionem.

Quibus de causis Cremonen. Ecclesia a Mediolanensis subiectione se subtraxerit:

Licet Mediolanensis Ecclesia semper, quantum est in memoria hominum, Apostolicae Sedi fuerit obediens et devota; felicis tamen memoriae Innocentius Papa praedecessor noster ob culpam civium Mediolanensium civitatem eorum subiiciens interdicto, mandavit suffraganeis ipsius Ecclesiae, ut eidem nequaquam intenderent, quamdiu dicti cives in sua contumacia perdurarent. Super quo venerabilis frater noster Cremonensis episcopus, qui fuit apud Sedem Apostolicam consecratus, speciale mandatum dicitur recepisse. Processu vero temporis dictis civibus ad mandatum Ecclesiae cum humilitate reversis, bonae memoriae Honorius Papa praedecessor noster de communi fratrum suorum consilio, tibi, frater archiepiscope, tunc electo mandavit, ut ad eius venisses praesentiam sine mora consecrationis munus cum restitutione suffraganeorum Mediolanensis Ecclesiae recepturus, ac demum tibi munere consecrationis impenso, suffraganeis ipsius Ecclesiae absolute sine qualibet districtione mandavit, ut eidem Ecclesiae tamquam metropoli suae intenderent et obedirent humiliter ac devote, illam reverentiam tibi et Ecclesiae sine detractione aliqua

Eidem ab Honorio restituta.

(1) Ex Regest. Vatic.

exhibentes, quam ipsi, seu praedecessores ipsorum consueverant vobis antiquitus exhibere. Innovavit etiam ipsius Ecclesiae privilegium in quo inter caeteras ipsius Ecclesiae suffraganeas Cremonensem Ecclesiam numeravit. Nuper autem venerabiles fratres nostri Ipporegien. et Brixien. episcopi, ac dilectus filius Fulco Mediolanensis canonicus a vobis ad Sedem Apostolicam destinati proposuerunt, quod cum dictus episcopus a te, frater archiepiscope, pluries ob rationabiles causas, ac demum ad synodum evocatus venire penitus contempsisset, tu in eum sententiam excommunicationis promulgasti; quare petierunt humiliter et instanter eamdem sententiam per Sedem Apostolicam confirmari, et eidem episcopo nihilominus praecipi, ne tibi, frater archiepiscope, vel Mediolanensi Ecclesiae se contumacem exhiberet de caetero, vel rebellem. Caeterum dilectus filius Rogerius canonicus Cremonensis procurator eiusdem episcopi exadverso proponens, quod dicta excommunicationis sententia in supradictum episcopum, qui de non obediendo, tibi frater archiepiscope, dicti praedecessoris nostri mandatum speciale receperat, post appellationem ad Apostolicam Sedem legitime interpositam fuerat promulgata, illam petiit irritam nunciari, et praenotatum praeceptum ad praesens de gratia pro scandalo evitando differri. Cumque huiusmodi gratiam multis supplicationibus postulatam obtinere non posset, eo quod non videbatur gratiae locus esse, ubi petebatur instantius iustitia; exadverso demum asseruit Cremonensem Ecclesiam esse a iurisdictione Mediolanen. exemptam, ac propter hoc praeceptum non debere fieri supradictum, nec iamdictam confirmari sententiam; sed irritari prorsus, vel potius irritam nuntiari. Licet ergo id falsum prima facie videretur, eo quod non erat verisimile exemptionem huiusmodi, si facta forte fuisset, nostram et fratrum nostrorum memoriam effugisse; volentes tamen sic per semitas ambulare iustitiae, ut nulli daremus occasionem aliquam murmurandi, deliberavimus certum eidem episcopo terminum assignare, quo se nostro conspectui praesentaret, allegatam exemptionem si posset per Apostolicae Sedis privilegium probaturus, ipsi procuratori eius publice protestantes, quod si in huiusmodi probatione deficeret, saepedictum episcopum parti alteri, cum per præassignatas rationes fundata esset eius intentio, in legitimis condemnaremus expensis. Interim autem idem procurator sicut vir fidelis et providus videns, quod eidem episcopo tutum non erat subire onus probationis huiusmodi ab eo, quod proposuerat de exemptione probanda, spontanea, et proculdubio provida voluntate recessit, et rediit ad postulandum gratiam saepius postulatam; nihilominus humiliter postulando, ut super praedicta excommunicationis sententia memorato episcopo dignaremur salubriter providere. Nos igitur attendentes quod cum iactura iuris alieni non est gratia facienda, petitionem procuratoris eiusdem super iam dicti dilatione mandati, quantumcumque civitatem Cremonen. tamquam unam de nobilibus et magnis civitatibus mundi sincero diligamus affectu, non duximus admittendam; sed de communi consilio fratrum nostrorum statuimus, ut saepedictus episcopus et successores ipsius et Ecclesia Cremonen. tibi, frater archiepiscope, et successoribus tuis, ac Mediolanensi Ecclesiae illam reverentiam et obedientiam curent exhibere de caetero, quam alii eiusdem Ecclesiae suffraganei vobis exhibent, et exhibere sunt soliti ab antiquo.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Cremonensis episcopus inobediens

Mediolanen. archiepisc. subiicitur.

Clausulae

Ss. alibo adscribitur.

trum nostrorum et aliorum praelatorum, qui praesentes erant concilio, adscripsimus, vel potius adscriptum denunciavimus sanctorum cathalogo confessorum, statuentes, ut in anniversario eius annuatim festum solemniter celebretur.

Eius colenda celebritas.

Igitur, ut tantae gratiae gratos, sicut convenit, vos reddatis, universitatem vestram monemus, et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eiusdem Sancti festum et memoriam veneratione debita recolentes, ipsius apud Deum virtutum suffragia pro vobis et aliis christifidelibus fiducialiter imploretis. Nos enim de gratia divina, et praedicti Sancti meritis confidentes, omnibus ad Ecclesiam Eboracensem in festo eius devote convenientibus quadraginta dies de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus.

Datum Laterani, decimo quinto kalendas aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 18 martii 1226, pontif. an. x.

GREGORIUS IX

PAPA CLXXVIII

Anno Domini MCCXXVII.

Altera ab Honorii obitu die, decimanona scilicet martii anno 1227, electus est in Romanum Pontificem Ugo S. R. E. cardinalis, episcopus Ostiensis, natione Campanus, patria Signinus, patre ex comitibus Signiae, et Gregorii nomen sumpsit; dominica autem sequenti, die 21 nimirum eiusdem mensis, intronizatus est. Sedit in pontificatu annos XIV, menses V, dies III (1), imperantibus in Oriente Roberto, mox Balduino II, in Occidente vero Friderico II imperatoribus. Obiit senio curisque gravioribus confectus die 21 augusti 1241, et sepultus est ad S. Petrum: vacavit Sedes fere ad duos menses.

(1) Inclusis extremis.

I.

Quod Cremonensis Ecclesia de caetero suffraganea sit et esse intelligatur archiepiscopalis Ecclesiae Mediolanensis, cui reverentiam et obedientiam consuetas exhibere debeat (1).

SUMMARIUM

Quibus de causis Cremonen. Ecclesia a Mediolanensis subiectione se subtraxerit: — Eidem ab Honorio restituta. — Cremonensis episcopus inobediens — Mediolanen. archiepiscopo subiicitur. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo, et dilectis filiis capitulo Mediolanen., salutem et apostolicam benedictionem.

Quibus de causis Cremonen. Ecclesia a Mediolanensis subiectione se subtraxerit:

Licet Mediolanensis Ecclesia semper, quantum est in memoria hominum, Apostolicae Sedi fuerit obediens et devota; felicis tamen memoriae Innocentius Papa praedecessor noster ob culpam civium Mediolanensium civitatem eorum subiiciens interdicto, mandavit suffraganeis ipsius Ecclesiae, ut eidem nequaquam intenderent, quamdiu dicti cives in sua contumacia perdurarent. Super quo venerabilis frater noster Cremonensis episcopus, qui fuit apud Sedem Apostolicam consecratus, speciale mandatum dicitur recepisse. Processu vero temporis dictis civibus ad mandatum Ecclesiae cum humilitate reversis, bonae memoriae Honorius Papa praedecessor noster de communi fratrum suorum consilio, tibi, frater archiepiscope, tunc electo mandavit, ut ad eius venisses praesentiam sine mora consecrationis munus cum restitutione suffraganeorum Mediolanensis Ecclesiae recepturus, ac demum tibi munere consecrationis impenso, suffraganeis ipsius Ecclesiae absolute sine qualibet districtione mandavit, ut eidem Ecclesiae tamquam metropoli suae intenderent et obedirent humiliter ac devote, illam reverentiam tibi et Ecclesiae sine detractione aliqua

Eidem ab Honorio restituta.

(1) Ex Regest. Vatic.

exhibentes, quam ipsi, seu praedecessores ipsorum consueverant vobis antiquitus exhibere. Innovavit etiam ipsius Ecclesiae privilegium in quo inter caeteras ipsius Ecclesiae suffraganeas Cremonensem Ecclesiam numeravit. Nuper autem venerabiles fratres nostri Ipporegien. et Brixien. episcopi, ac dilectus filius Fulco Mediolanensis canonicus a vobis ad Sedem Apostolicam destinati proposuerunt, quod cum dictus episcopus a te, frater archiepiscope, pluries ob rationabiles causas, ac demum ad synodum evocatus venire penitus contempsisset, tu in eum sententiam excommunicationis promulgasti; quare petierunt humiliter et instanter eamdem sententiam per Sedem Apostolicam confirmari, et eidem episcopo nihilominus praecipi, ne tibi, frater archiepiscope, vel Mediolanensi Ecclesiae se contumacem exhiberet de caetero, vel rebellem. Caeterum dilectus filius Rogerius canonicus Cremonensis procurator eiusdem episcopi exadverso proponens, quod dicta excommunicationis sententia in supradictum episcopum, qui de non obediendo, tibi frater archiepiscope, dicti praedecessoris nostri mandatum speciale receperat, post appellationem ad Apostolicam Sedem legitime interpositam fuerat promulgata, illam petiit irritam nunciari, et praenotatum praeceptum ad praesens de gratia pro scandalo evitando differri. Cumque huiusmodi gratiam multis supplicationibus postulatam obtinere non posset, eo quod non videbatur gratiae locus esse, ubi petebatur instantius iustitia; exadverso demum asseruit Cremonensem Ecclesiam esse a iurisdictione Mediolanen. exemptam, ac propter hoc praeceptum non debere fieri supradictum, nec iamdictam confirmari sententiam; sed irritari prorsus, vel potius irritam nuntiari. Licet ergo id falsum prima facie videretur, eo quod non erat verisimile exemptionem huiusmodi, si facta forte fuisset, nostram et fratrum nostrorum memoriam effugisse; volentes tamen

Cremonensis episcopus inobediens

sic per semitas ambulare iustitiae, ut nulli daremus occasionem aliquam murmurandi, deliberavimus certum eidem episcopo terminum assignare, quo se nostro conspectui praesentaret, allegatam exemptionem si posset per Apostolicae Sedis privilegium probaturus, ipsi procuratori eius publice protestantes, quod si in huiusmodi probatione deficeret, saepedictum episcopum parti alteri, cum per præassignatas rationes fundata esset eius intentio, in legitimis condemnaremus expensis. Interim autem idem procurator sicut vir fidelis et providus videns, quod eidem episcopo tutum non erat subire onus probationis huiusmodi ab eo, quod proposuerat de exemptione probanda, spontanea, et proculdubio provida voluntate recessit, et rediit ad postulandum gratiam saepius postulatam; nihilominus humiliter postulando, ut super praedicta excommunicationis sententia memorato episcopo dignaremur salubriter providere. Nos igitur attendentes quod cum iactura iuris alieni non est gratia facienda, petitionem procuratoris eiusdem super iam dicti dilatione mandati, quantumcumque civitatem Cremonen. tamquam unam de nobilibus et magnis civitatibus mundi sincero diligamus affectu, non duximus admittendam; sed de communi consilio fratrum nostrorum statuimus, ut saepedictus episcopus et successores ipsius et Ecclesia Cremonen. tibi, frater archiepiscope, et successoribus tuis, ac Mediolanensi Ecclesiae illam reverentiam et obedientiam curent exhibere de caetero, quam alii eiusdem Ecclesiae suffraganei vobis exhibent, et exhibere sunt soliti ab antiquo.

Mediolanen. archiepisc. subiicitur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae

Datum Laterani, nono kalendas maii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 23 aprilis 1227, pontif. an. I.

II.

Quod populi noviter ad fidem catholicam conversi nulli, nisi Romanae Ecclesiae, subiecti esse intelligantur, sub cuius protectione recipiuntur (1).

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis conversis ad fidem christianam, salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesia Romana, quae vos in Christo Iesu per Evangelium noscitur genuisse, pro peculiari populo sibi vos proposuit retinere, gaudens et exultans, quod vos, qui sicut adolescentior filius, peregre in regionem profecti longinquam, eratis peccati mortui, revixistis, et estis, qui perieratis, inventi transformati secundum misericordiae divitias in vasa gratiae, qui vasa irae apta in interitum fueratis. Cum ergo vocati sitis in libertatem filiorum Dei, et ex aqua, et Spiritu Sancto renati, et ubi Spiritus est, debet esse libertas, ac valde indignum existeret, ut deterioris conditionis haberemini conversi ad fidem, quam infideles essetis, cum potius secundum Apostolum diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum, personas vestras, et aliorum, quos ex vestra, seu alia quacumque gente in partibus illis converti ex gratia divina contigerit, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, statuentes, ut in libertate vestra manentes nulli alii sitis, quam soli Christo cuius efficimini acquisitionis populus, et obedientiae Ecclesiae Romanae subiecti.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani tertio nonas maii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 5 maii 1227, pontif. an. I.

(1) Ex Regest. Vatic.

III.

Confirmatio concessionis castrorum Carpi et Montis Baronzon per fel. record. Honorium Papam tertium alias civitati Mutinen. factae sub annuo censu sexaginta librarum (1).

SUMMARIUM

Procemium. — Infeudatio per Honorium III PP. facta. — Confirmatur sub iisdem conditionibus. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis potestati, et populo Mutinen., salutem et apostolicam benedictionem.

Sedis Apostolicae providentia provide pensans causas locorum et temporum, et diligenter attendens merita singulorum, iis, qui firmius consueverunt in eius devotione persistere, uberius consuevit gratiam exhibere, ut et devotos sibi beneficiis reddat magis obnoxios, et illorum exemplo ad devotionem suam provocet indevotos. Procemium.

Hinc est quod bonae memoriae Honorius Papa praedecessor noster recolens sincerae devotionis affectum, quem hactenus habuit ad Ecclesiam Romanam civitas Mutinen., et attendens obsequia, quae sibi exhibere poterit in futurum, Carpi et Montis Baronzon castra, quae fuerunt clarae memoriae comitissae Mathildis, cum curtibus et aliis pertinentiis suis vobis tempore suo custodienda sub certa forma commisit. Infeudatio per Honorium III PP. facta. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, similiter custodienda vobis committimus castra praedicta, ita videlicet quod ex illis ad mandatum nostrum guerram facietis et pacem, et Apostolicae Sedis legatos recipietis honori-

(1) Ex Regest. Vatic.

Confirmatur sub iisdem conditionibus. fice ac honeste tractabitis in eisdem, et antiquas consuetudines, quibus homines ipsorum locorum usque ad haec tempora sunt gavisi, servabitis illibatas. Domos autem non cogetis eos in civitate facere, quos etiamsi ad hoc obligastis, eosdem ab obligatione huiusmodi absolvetis: quod si contra praedicta, vel aliquod eorum feceritis, incurretis tercentarum marcharum poenam, ad quam vos nobis, et Sedi Apostolicae obligastis. Insuper camerae nostrae sexaginta libras provenien. senatus in festo beati Michaelis mensis septembris solvetis census nomine annuatim.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani idibus maii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 15 maii 1227, pontif. an. I.

IV.

Quod quicumque religiosi ad eremum ordinis Camaldulen. transire possint.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Concessio.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio priori Camaldulensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Fervor et integritas religionis, quae in domo tua, et praesertim in eremo per beneplacitum Conditoris vigere cognoscitur, inducit nos propensius, et hortatur, ut petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, prompto velimus animo exaudire.

Concessio. § 1. Hac itaque ratione inducti, tibi et fratribus tuis auctoritate apostolica indulgemus, eos qui de aliis congregationibus venientes in eremo vestro, dummodo elegerint et promiserint sub ordine et habitu vestro in eremo perpetuo deservire, libere sine cuiusque contradictione retinere possitis, ita tamen quod non permittantur in sacris ordinibus, nisi de ipsorum ordinatione certi fueritis, ministrare. Nulli ergo omnino hominum *etc.* Si quis autem hoc attentare *etc.*

Datum Anagniae nono kalendas iulii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 23 iunii 1227, pontif. an. I.

V.

Confirmatio statutorum et libertatum ordinis Sanctae Mariae Theutonicorum, eiusdemque ordinis susceptio sub Apostolicae Sedis protectione (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Hospitale cum bonis omnibus sub apostolica tutela suscipit. — Ei paganorum spolia applicat. — Fratribus obedientia et paupertas iniungitur. — Domus Hierosolymitana ordinis caput. — De electione magistri, — Eiusque fratrum libertate. — Facta professione, ab ordine discedere non licet. — Exemptionum et privilegiorum concessio. — Ordinationes aliaque sacramenta ab ordinario recipienda. — Facultas acceptandi donationes. — Donantibus privilegia concessa. — De fraternitatum et collectarum receptoribus. — Quid agendum tempore generalis interdicti. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Hermanno magistro religiosae fraternitatis Hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum Hierosolymitan., eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi neque qui plantat, neque qui rigat sit aliquid, sed qui incrementum dat Deus; humana tamen diligentia impensioris curae sollicitudinem debet impen- Exordium

(1) Ex Registro Vatic.

dere circa plantas, quae adhuc novellae fructus uberes afferunt, et uberiores suo tempore repromittunt. Cum igitur vestrae religionis novella plantatio flores et fructus odoris et honestatis tempestiva foecunditate produxerit, et Deo incrementum dante, sic inceperit expandere ramos suos, ut copiam promittere videatur; nos qui custodes in dominica vinea positi, et cultores, circa virtutum plantaria debemus diligentioris culturae ac curae studium adhibere novellam plantationem vestram, rore apostolicae gratiae irrigare proponimus, et foecunditatem bonorum operum, quo viget ad praesens, et vigebit divina favente gratia in futurum, vigilantis curae impendio adiuvare. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et domum vestram, seu hospitale in quo estis ad Dei laudem et gloriam atque defensionem suorum fidelium, et liberandam Christi Ecclesiam congregati, cum omnibus possessionibus, et bonis suis, quae in praesentiarum legitime habere cognoscitur, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, ad exemplar felicis memoriae Honorii Papae praedecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut perpetuis futuris temporibus sub Apostolicae Sedis tutela et defensione consistant. Statuimus etiam, ut ordo fratrum hospitalis Hierosolymitan. circa pauperes et infirmos; ordo vero militiae Templi circa clericos et milites, ac alios fratres perpetuis ibidem temporibus observetur. Ad haec statuimus, ut cum pro tuenda catholica Ecclesia, et ea, quae est sub paganorum tyrannide, de ipsorum spurcitia eruenda intrepide laboretis, liceat vobis libere in usus vestros convertere ea, quae de spoliis ipsorum caeperitis paganorum, et ne de iis contra velle vestrum portionem alicui dare cogamini prohibemus. Praesenti quoque decreto sancimus, ut fratres in domo vestra Domino servientes, caste, et sine proprio vivant, et possessionem suam dictis et moribus comprobantes, magistro suo, aut quibus ipse praeceperit subiecti et obedientes existant. Praeterea quemadmodum domus ipsa vestrae sanctae institutionis, et ordinis fons, et origo esse promeruit; ita omnium locorum ad eam pertinentium caput et magistra in perpetuum habeatur. Ad haec adiicentes praecipimus, ut obeunte te, dilecte in Domino fili Hermanne, domus iam dictae magister, vel tuorum quolibet successorum nullus eiusdem domus fratribus praeponatur nisi militaris et religiosa persona, quae vestram religionem et habitum sit professa, nec ab aliis nisi ab omnibus fratribus insimul, vel a maiori et saniori parte eorum, qui praeponendus fuerit eligatur. Porro nulli ecclesiasticae, saecularive personae infringere vel minuere liceat consuetudines ad vestrae religionis et officii observantiam a magistro et fratribus salubriter institutas. Easdem quoque consuetudines a vobis aliquanto tempore observatas, et scripto firmatas, nisi ab eo, qui magister extiterit, consentiente tamen saniori parte capituli, non liceat immutari. Probibemus insuper, et omnimodo interdicimus, ne ulla ecclesiastica saecularisve persona a magistro et fratribus eiusdem domus exigere audeat fidelitates, hominia, iuramenta, seu securitates reliquas, quae a saecularibus frequentantur: fratribus quoque vestris post factam in domo vestra professionem, et habitum religionis assumptum revertendi ad saeculum omnem interdicimus facultatem, nec alicui eorum fas sit post factam professionem, et semel assumptam Crucem habitum vestrae professionis abiicere, vel ad alium locum maioris, sive minoris religionis obtentu, invitis, sive inconsultis fratribus, aut eo qui magister extiterit, transmigrare. Nullique ecclesiasticae saecularive personae ipsos susci-

Hospitale cum bonis omnibus sub apostolica tutela suscipit.

E. paganorum spolia applicat.

Fratribus obedientia et paupertas iniungitur.

Domus Hierosolymitana ordinis caput.

De electione magistri,

Eiusque fratrum libertate.

Facta professione, ab ordine discedere non licet.

pere liceat, vel tenere. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis de possessionibus habitis ante concilium generale, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat. Ad haec decimas quas consilio vel assensu episcoporum de manu clericorum vel laicorum habere poteritis, quasve consentientibus episcopis et eorum clericis acquiretis, auctoritate vobis apostolica confirmamus. Ut autem vobis ad curam animarum vestrarum, et salutis plenitudinem nihil desit, atque sacramenta ecclesiastica et divina officia vestro sacro collegio valeant commodius exhiberi, sancimus, ut liceat vobis honestos clericos sacerdotes secundum Deum, quantum ad vestram scientiam, ordinatos undecumque ad vos venientes suscipere, et tam in principali domo vestra, quam etiam in obedientiis et locis sibi subditis vobiscum habere, dummodo si e vicino sint, eos a propriis episcopis expetatis, iidemque nulli alii professioni vel ordini obnoxii teneantur. Quod si episcopi vobis concedere forte noluerint, nihilominus tamen eosdem suscipiendi et retinendi auctoritate sanctae Romanae Ecclesae licentiam habeatis. Si vero aliqui horum post factam professionem turbatores vestrae religionis aut domus fuerint fortasse inventi, liceat vobis eos cum saniori parte capituli amovere, ipsisque transeundi ad alium ordinem, ubi secundum Deum vivere velint, et valeant, dare licentiam, et loco ipsorum alios idoneos subrogare, qui etiam unius anni spatio in vestra societate probentur, eoque peracto, si mores eorum exegerint, et utiles fuerint ad servitium domus vestrae inventi, tum demum professionem faciant regularem promittentes se regulariter vivere, ac magistro proprio obedire; ita tamen, quod eumdem vobiscum victum habeant, et vestitum, necnon lectisternia, hoc excepto, quod clausa vestimenta portabunt, sed nec ipsis liceat de capitulo, vel cura domus vestrae se temere intromittere, nisi quantum fuerit eis a vobis iniunctum. Praeterea nulli personae extra vestrum capitulum sint subiecti, tibique, dilecte in Domino fili magister, tuisque successoribus tamquam magistro et praelato suo deferant secundum vestri ordinis instituta. Consecrationes vero altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, et caetera ecclesiastica sacramenta a dioecesanis suscipietis episcopis, siquidem catholici fuerint, et gratiam atque communionem Apostolicae Sedis habuerint, et ea gratis et absque pravitate aliqua vobis voluerint exhibere. Alioquin liceat vobis catholicum quemcumque malueritis adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate, quod postulatur impendat. Si quando vero loca deserta fuerint eidem venerabili domui ab aliquo pia devotione collata, liceat vobis ibidem aedificare villas, ecclesias, et caemeteria ad opus hominum ibidem manentium fabricare, ita tamen, ut in vicinia illa abbatia vel religiosorum virorum collegium non existat, quae ob hoc valeat perturbari. Cum autem terrae cultae vobis quolibet iusto titulo conferentur, facultatem et licentiam habeatis ibidem ad opus transeuntium, et eorum tantum, qui de mensa vestra fuerint, construendi oratoria et caemeteria faciendi. Est enim indecens, et periculo proximum animarum, religiosos fratres occasione adeundae Ecclesiae se virorum turbis, et mulierum frequentiae immiscere. Quicumque sane in vestro collegio suscipientur, stabilitatem loci, conversionem morum, seque militaturos Domino diebus vitae suae sub obedientia magistri vestri, posito scripto super altare, in quo contineantur ista, promittant.

Decernimus ergo, ut receptores vestrarum fraternitatum sive collectarum, salvo iure dominorum suorum, in B. Petri et nostra protectione consistant, et pace in terris, quibus fuerint, potiantur: simili quoque modo sancimus, ut iis, qui fue-

Exemptionum et privilegiorum concessio.

Ordinationes aliaque sacramenta ab ordinario recipienda.

Facultas acceptandi donationes.

[illegible] privilegia concessa.

rint in vestra fraternitate recepti, ita quod ordini vestro adhuc manentes in saeculo sint oblati, mutato habitu saeculari, vel vobis inter vivos dederint bona sua, retento sibi quamdiu in saeculo vixerint usufructu, si forsan Ecclesiae ad quas pertinent a divino fuerint officio interdictae, ipsosque mori contigerit, sepultura ecclesiastica non negetur apud vestras, vel aliorum non interdictas Ecclesias, quibus elegerint sepeliri, nisi excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti. Tales quoque confratres, si eos Ecclesiarum praelati non permiserint apud suas Ecclesias sepeliri, apud vestras deferre possitis Ecclesias tumulandos. Praeterea si qui fratrum vestrorum ad recipiendas easdem fraternitates vel collectas a vobis missi fuerint in quamlibet civitatem, castrum vel villam, in eadem civitate, castro vel villa una tantum Ecclesia ipsius ordinis fratribus, in eorum iucundo adventu, semel aperiatur in anno, ut exclusis excommunicatis, et nominatim interdictis, divina ibidem officia celebrentur. Statuimus etiam, ut nulli episcopo in Ecclesiis vobis utroque iure subiectis interdicti vel excommunicationis sententiam liceat promulgare. Veruntamen si generale interdictum terrae fuerit in locis illis prolatum, exclusis excommunicatis, et nominatim interdictis, clausis ianuis, absque signorum pulsatione vos divina officia celebretis.

De fraternitatum et collectarum receptoribus.

Quid agendum tempore generalis interdicti.

Decernimus insuper auctoritate apostolica, ut apud quemcumque locum vos venire contigerit, ab honestis atque catholicis sacerdotibus Poenitentiam, Unctionem, seu alia quaelibet ecclesiastica sacramenta vobis suscipere liceat, ne forte ad perceptionem spiritualium bonorum aliquid vobis desit. Quia vero omnes unum sumus in Christo, et non est personarum differentia apud Deum, tam remissionis peccatorum, quam alterius beneficentia, atque apostolicae benedictionis, quae vobis indulta est, tam familiam vestram, quam vestros participes esse volumus servientes.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat praedictum locum temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur vestris, atque aliorum Dei fidelium usibus omnimodis profutura, salva in omnibus Apostolicae Sedis auctoritate. Si quis igitur, huius nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Conservantes autem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius benedictionem et gratiam consequantur. Amen. Amen. Amen.

Datum Anagniae per manum magistri Sinibaldi sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarii, quinto kalendas augusti, indictione quintadecima, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo vigesimoseptimo, pontificatus vero domini Gregorii Papae nono anno primo.

Dat. die 28 iulii 1227, pontif. an. I.

VI.

Ecclesia Sancti Theodori de Trebis, cum aliis tam loci eiusdem, quam castrorum Filectini et Vallispetrarum Ecclesiis, omni contradictione cessante, Anagnini episcopi iurisdictioni subiecta declaratur (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — Anagninus episcopus ius supra hasce Ecclesias portendit. — Respondetur

(1) Ex Regest. Vatic.

ex adverso. — Ecclesiae supradictae Anagnino episcopo subiiciuntur. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Alberto episcopo Anagnino, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Licet generalis sollicitudinis nostrae labor debeat ad omnes extendi, quia sapientibus sumus et insipientibus debitores, pro quiete tamen Ecclesiarum, quae de patrimonio Apostolicae Sedis existunt, quo viciniores ei sunt, et specialius ad ipsam pertinent, sollicitius laborare debemus, ut tranquillitate habita in spiritualibus et temporalibus, suscipiant incrementum, cum parvae res crescant concordia, et magnae discordia dilabantur. Dudum siquidem tempore felicis recordationis Innocentii Papae praedecessoris nostri, venerabilis frater noster episcopus quondam Anagninus praedecessor tuus, contra Ecclesiam Sancti Theodori de Trebis, super subiectione ipsius, et aliarum Ecclesiarum tam loci eiusdem, quam castrorum Filectini et Vallispetrarum moverat quaestionem, quae cum remanserit indecisa, tempore tandem bonae memoriae Honorii Papae praedecessoris nostri extitit suscitata, repetente omnia iura episcopalia in Ecclesiis supradictis, et respondente parte contraria quod non recognoscebat dioecesanum suum fore Anagninum episcopum, et si suus esset, legitima erat praescriptione munita. Cumque multipliciter nisus fueris tuam intentionem fundare, ac pars adversa in defensionem suam, inter caetera proposuerit, quod Ecclesia Sancti Theodori olim fuerat cathedralis, et ad ipsam aliae praedictae Ecclesiae pertinebant, multi testes hinc inde producti fuerunt, plura instrumenta exhibita, et diversae rationes, et variae introductae. Porro cum partes, quae longo tempore laboribus et expensis fuerant fatigatae, adhuc coram nobis super hoc ducerent contendendum, demum ad commonitionem nostram saniori usi consilio, se provisioni nostrae, posito in manibus nostris toto negotio, submiserunt. Nos itaque utrique parti volentes dare quietem, attendentes quoque, quod a tempore, cuius non extat memoria, Anagnina Ecclesia, semper in Ecclesiae Romanae devotione permansit, a qua nulla eam potuit adversitas separare, et quod praedicta Ecclesia Sancti Theodori, licet forte aliquando cathedrali honore praefulserit, propter paupertatem reddituum et raritatem populi episcopali non convenit dignitati, dignum insuper reputantes si praedecessores nostros Romanos Pontifices non solum imitemur, sed etiam superemus in gratia, quam fecerunt eidem Ecclesiae Anagninae pro eo quod de civitate Anagnina ortum trahimus, et olim fuimus eiusdem Ecclesiae filius, licet modo simus pater ipsius; de fratrum nostrorum consilio praefatam Ecclesiam S. Theodori, et omnes alias supradictas Ecclesias tibi et successoribus tuis, tamquam dioecesanis episcopis, de providentia constituimus, quoad correctionem, reformationem, institutionem, et destitutionem, et ad omnia alia iura episcopalia perpetuo esse subiectas, quarta parte decimarum excepta, quam abbas Sancti Theodori quiete percipiat in Ecclesiis praenotatis; Anagninus tamen episcopus apud Ecclesiam eamdem Sancti Theodori in expensis eiusdem Ecclesiae, sicut consuevit hactenus, commoretur, et ut etiam idem abbas habeat ampliorem honorem, inter alios Ecclesiarum dioecesis Anagninae praelatos, cum ad Ecclesiam Anagninam venerit, honoretur, prout consueverat honorari, et in Sancti Laurentii et Sancti Nicolai Treben. institutionem obtineat de episcopi Anagnini, qui pro tempore fuerit, generali mandato, aliis omnibus iuribus episcopalibus, praeter quartam decimarum, eidem episcopo reservatis. Caeterum tam in Sancti Theodori, quam in aliis dictorum locorum collegiatis Ecclesiis praelatorum electio

Marginalia: Anagninus episcopus ius supra hasce Ecclesiae portendit. — Respondetur ex adverso. — Ecclesiae supradictae Anagnino episcopo subiiciuntur.

ad collegia, examinatio vero, et confirmatio ad te ac tuos pertineat successores.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae provisionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Anagniae idibus augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 13 augusti 1227, pontif. an. I.

VII.

Quod appellatione ad Sedem Apostolicam interposita non obstante, episcopi procedant ad ulteriora in correctione ecclesiasticorum fornicationi addictorum, nisi in literis eiusdem facti series specialiter habeatur (1).

SUMMARIUM

Causae dandi decreti. — Decretum. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis universis ad quos literae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae dandi decreti. Desiderantes plurimum, ut mundentur qui ferunt vasa Domini, cum per fornicationis contagium honestas Ecclesiae nimium inquinetur, pro correctione clericorum maxime super incontinentiae vitio vobis sub certa forma direximus scripta nostra. Quia vero iacentium in fornicatione sunt aliqui, qui tamquam iumenta computrescentes in stercore suo, correctionem nullo modo recipiunt, eligendo perire potius, quam parere; quorum quidam, ut hoc effugiant, interponentes ad Sedem Apostolicam appellationis obstaculum, aliqui autem citra appellationem in forma communi literas obtinent ab eadem, per quas eos, a quibus corriguntur, de huiusmodi vitio indebite inquietant; nos ne vel tales correctionem super hoc eludere valeant, vel vos hac occasione vexari possitis providere volentes, cum ad peccatorum defensionem trahi non debeat, quod ad innocentum et oppressorum praesidium est statutum, nec deceat inde defendi crimina, unde consueverunt gravamina relevari, auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut per huiusmodi litteras nequaquam conveniri possitis, nec etiam teneamini a correctione cessare, nisi seriem facti contineant, et plenam de ipso fecerint mentionem. Decretum

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Anagniae quinto kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 28 augusti 1227, pontif. an. I.

(1) Ex Regest. Vatic.

VIII.

Litterae processus contra ***Fridericum II Romanorum imperatorem publicatae die Coenae Domini, ac absolutio subditorum eius a iuramento fidelitatis, nisi resipuerit*** (1).

SUMMARIUM

Fridericus excommunicatus sub conditione. — Non resipiscit, votaque frustratur: — Potius indurescit, flagitiaque addit flagitiis. — Quanto studio eius salutem curaverit Sedes Apostolica: — Sed frustra: — Excommunicatus declaratur a Gregorio in die C. D. — Causae excommunicationis latae. — Sacris interdicitur, eique ea ministrantes excommunicantur. — Si permanserit contumax, absolvendi a iuramento fidelitatis subditi: — Ipseque regno privandus.

(1) Ex Regest. Vatic. — Vide Raynaldum, an. 1228, n. I.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis aliis Ecclesiarum praelatis et clericis per Apuliam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto nobilius membrum in Ecclesiae corpore laeditur, tanto acrioribus doloribus cruciamur, qui Cephae locum licet insufficientibus meritis obtinemus. Verum quia tectum vulnus, si dimittatur intactum, solet in scandalum corporis latius evagari; nos olim viso, quod Fridericus Romanorum imperator salutem propriam negligebat, dum salubre votum, quod Domino Deo voverat additis iuramentis detrectabat exolvere non sine detrimento fidei, et gravi scandalo totius populi christiani, quia iuxta sapientis edictum: Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris, medicinalem Petri gladium in eum exeruimus in spiritu lenitatis excommunicationis sententiam publicando, quam ipse in se voluntarius fecerat promulgari, nisi statuto termino transfretaret in Terrae Sanctae subsidium, et alia promissa fideliter adimpleret, sperantes, ut percussus dolens ad percutientem se in humilitate rediret, Dominum exercituum requirendo; sed quod dolentes referimus, indurato corde medicinam exhorrens, et increpationem abhominans disciplinae, immo malleum velut stipulam reputans, non solum nulla poenitudine se correxit, verum etiam adiiciens peccata peccatis, contra se Dominum audacter irritat, ultra quam recensere nos deceat, ne videamur in eius convitiis delectari, qui conversionem desiderabiliter expectamus. Inter alia namque claves contemnens Ecclesiae, quibus Dominus beato Petro et successoribus eius ligandi et solvendi contulit potestatem, sibi facit celebrari, vel potius, quantum in ipso est, prophanari divina in enormius animae suae periculum, et enervationem totius ecclesiasticae disciplinae. Unde timentes ne plaga eius fieret penitus desperabilis, si male permitteremus obduci neglecti vulneris cicatricem, et eo insanabile, quo insensibile redderetur, malagma studuimus apponere sanativum, utinam studium nostrum optatum habuisset effectum. Cum enim piae recordationis Honorius Papa praedecessor noster per bonae memoriae Tusculanum et Sabinensem episcopos, et dilectum filium magistrum Gualterum notarium nostrum, et Roffridum clericum camerae nostrae, et abbatem Sancti Martini Viterbien. Cistercien. ordinis eumdem imperatorem diversis temporibus, super diversis articulis, in quibus Deum et Ecclesiam graviter offendebat, diligenter commoneri fecisset; nos adhuc humiliantes vim auctoritatis Ecclesiae ad praesentiam eius dilectos filios Thomam tituli Sanctae Sabinae presbyterum, et Othonem Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum, cardinales, curavimus destinare, ut eum super praemissis et subsequentibus vice nostra salubriter commonerent. Qui licet de contingentibus nil omiserint; nequaquam tamen eum potuerunt ad poenitentiam revocare, utinam ad nequiora nequaquam manus illicitas extendisset. Quare ne videremur deferre homini contra Deum, ecce iustitiam in iudicium convertentes in proxime praeterito festo Coenae Dominicae in praedictum imperatorem excommunicationis sententiam solemniter duximus promulgandam, tum pro eo quod, ut praemissum est, non transfretavit in subsidium Terrae Sanctae, nec promissum numerum militum in expensis suis tenuit, vel transmisit, nec pecuniam, quam promiserat destinavit, tum quia venerabilem fratrem nostrum Tarentinum archiepiscopum ad sedem propriam accedere non permittens, cum populum suum non patitur visitare, tum etiam quia Templarios et Hospitalarios bonis mobilibus et immobilibus, quae habebant in regno, temere spoliavit, et quia compositionem factam inter ipsum, et comites Celanen. et Raynaldum de Aversa pro cuius observatione Romana

Fridericus excommunicatus sub conditione:

Non resipiscit, votaque frustratur

Potius induruit, flagitiaque addit flagitiis.

Quanto studio eius salutem curaverit Sedes Apostolica:

Sed frustra.

Excommunicatus declaratur a Gregorio in die C. D.

Causae excommunicationis latae.

Ecclesia ad precum eius instantiam fideiussit, servare contemnit: et quia comitem Rogerium crucesignatum sub Apostolicae Sedis protectione receptum, comitatu, et aliis terris indebite spoliavit, et filium eius in captivitate detentum ad mandatum apostolicum saepius iteratum reddere denegavit. Adiecimus quoque, ut loca quaelibet, ad quae ipse pervenerit, ecclesiastico subiaceant interdicto, ut quamdiu praesens fuerit ibidem, nulla divina officia celebrentur, officio; beneficioque privantes omnes cuiusque professionis, vel ordinis, qui ei postquam denunciatus fuit excommunicatus a nobis, divina sibi ausu temerario celebrarunt, et antequam ad mandatum Ecclesiae redeat de caetero celebrabunt. Illud etiam non duximus omittendum, quod si de caetero se officiis divinis ingesserit, contra eum, tamquam contra haereticum, et clavium Ecclesiae contemptorem severitate debita procedemus, et si ab Ecclesiarum, et ecclesiasticarum personarum oppressionibus non destiterit, aut non cessaverit a conculcatione ecclesiasticae libertatis, vel excommunicatione contempta, redire non curaverit ad mandatum Ecclesiae, omnes qui sunt ei iuramento fidelitatis astricti, et specialiter homines regni a iuramento, quo sibi tenentur, absolvemus, et denunciabimus absolutos, quia iuxta decretum felicis recordationis Urbani Papae secundi praedecessoris nostri, fidelitatem, quam homines christiano principi iuraverint, Deo, eiusque sanctis adversanti, et eorum praecepta calcanti, nulla auctoritate persolvere cohibentur. Et si non cessaverit ab oppressione pupillorum orphanorum et viduarum seu nubilium, et aliorum hominum regni, vel eius destructione, quod ad Romanam Ecclesiam specialiter noscitur pertinere, pro quo etiam praedecessoribus nostris, et Ecclesiae Romanae iuramentum fidelitatis exhibuit et homagium praestitit, merito poterit formidare se iure feudi privandum.

Sacris interdicitur, eique ea ministrantes excommunicantur.

Si permanserit contumax, absolvendi a iuramento fidelitatis subditi:

Ipseque regno privandus.

Ideoque universitatem vestram monemus attente, per apostolica vobis scripta praecipiendo mandantes, quatenus singuli praedictam sententiam solemniter publicantes denuncietis eam singulis diebus dominicis et festivis.

Datum Laterani, duodecimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno primo (1).

Dat. die 21 martii 1228, pontif. an. I.

IX.

Castrum Avillani a comite Sabaudiae Sedi Apostolicae donatum eidem comiti conceditur in feudum (2).

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro comiti Sabaudiae, salutem et apostolicam benedictionem.

Sinceritatem tuam in Domino commendamus, quod semper fuisti Apostolicae Sedis devotus, et in devotione huiusmodi continuo crescere studuisti. Nunc etiam te devotiorem exhibens, ex devoto Romanam Ecclesiam matrem et dominam desideras specialem habere, paratus fidelis, et vassallus ipsius fieri, et dare sibi castrum Avillani, quod iuris tui et proprietatis existit, et illud in feudum recipere ab eadem. Quare vestris (3) desideriis annuentes, dilecto filio nostro Georgeo tituli Sancti Marci presbytero cardinali, Apostolicae Sedis legato, nostris damus literis in mandatis, ut Ecclesiae Romanae nomine a te, tam iuramentum fidelitatis, quam dictum castrum, sine praeiudicio iuris alieni recipiat, et illud tibi vice nostra concedat in feudum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, quarto idus aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 10 aprilis 1228, pontif. an. II.

(1) Patet hinc computatos a Gregorio pontificatus sui annos a die intronizationis, non autem electionis. (2) Ex Regest. Vatic. (3) Lege *tuis*.

X.

Commissio episcopo, et duobus canonicis capituli Cenomanen., ut confirment sententiam excommunicationis in ducem Britanniae, et interdicti in terras eius latam: et si non resipuerit, vassallos eius ab obedientia illi debita absolvant (1).

SUMMARIUM

Deplorat flagitia comitis Britanniae. — Corripitur a praelatis: — Sed indignatur: — Alios impellit ad flagitia. — Excommunicatur cum suis ab episcopis. — De mandato Sedis Apost. monitus ut ad cor rediret: — Sed nova patrat scelera. — Delegatis apostolicis committitur, ut sententias excommunicationis in eum et fautores latas publicent, et servari faciant.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri M. episcopo, et magistris De la Valle, et R. de Danfront canonicis Cenomanensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Deplorat flagitia comitis Britanniae. Si nobilis vir comes Britanniae potentiam recognosceret a Domino saeculorum, studeret utique ipsam in eius beneplacitis exercere diligendo, quae diligit diligentes se, et sectando quae ad omnia valet pietatem; sed dolentes referimus, gratiae gratis ingratus, quasi de industria recessit a Deo, nec attendens, quod sit malum et amarum Dominum reliquisse, nec eius apud ipsum esse timorem, cor suum contra ipsum pertinaciter elevavit, et spiritu ad superbiam obfirmato, se contra Omnipotentem patenter erexit, eique manifeste rebellans, non solum tetendit contra eum damnabiliter manum suam, verum etiam alios ad rebellandum iniquis coniurationibus sibi colligans animavit. Cum enim sciat, vel scire debeat, quod unica Christi sponsa cum sponso unum est corpus, nec alteri sine altero iniuria vel molestia valeat irrogari: dictus comes ut sponsam provocet Ecclesiam liberam utique, utpote Sanguine Christi redemptam nititur de terra sua damnabiliter ancillare, non attendens, quod non est dignus cum filiis liberae testamento patris haeres adscribi, qui matrem gestit subiicere servituti, alias quasi filius degenerans in privignum, matrem multipliciter tribulat et affligit. Praecisos siquidem ab Ecclesiae corpore per excommunicationis sententiam sibi quasi gratanter incorporans, non solum eis gratanter communicat, sed alios communicare compellit, quia in curia sua illos ad agendum admittit, nec patitur, ut eis excommunicationis sententia opponatur. Quin etiam quemcumque in excommunicatione perdurantem, monitum ab Ecclesia, redire ad unitatem Ecclesiae compellere parvipendit, nec a baillivis, vel subditis suis, compelli permittit. Et sic contemptis Ecclesiae clavibus, enervatur in partibus illis vigor ecclesiasticae disciplinae, in enorme dispendium fidei, et grave scandalum Ecclesiae generalis; cum autem venerabiles fratres nostri, Rhedonensis, Macloviensis, Dolensis, Corripitur praelatis Briocensis et Trecorensis episcopi proinde attendentes, quod si non annuntiarent impietatem suam impio, ille quidem in impietate sua moreretur, sanguis autem eius requireretur de manu eorumdem; ipsum monuerunt diligenter, ut ad Ecclesiae suae rediens unitatem, ab huiusmodi eius praesumptionibus abstineret: ille renuens accipere disciplinam, eligensque perire potius quam parere, non solum monitis nullatenus acquievit, sed exinde gravius indignatus novas nocendi maneries (1) adinvenit. Sed indignatur. Ut enim alios in errorem suum alliceret multos complices, cum baronibus et aliis militibus apud Rothonense monasterium colloquium celebravit, multis inique suggessit, quod Ecclesia gravabat eumdem, excommunicans fere ne faveat prohibendo, astruens quoque fallaciter omnes laicos ab Ecclesia multipliciter aggravari, et specialiter in tertia parte iudicii defunctorum, necnon in decimis subtrahendis de ma-

(1) Ex Martene, Thesaur. Anecdot., tom. 1, col. 947.

(1) *Maneries*, modus vel ratio aliquid agendi.

nibus laicorum, sophisticum, impium, et nequissimum iuramentum praestitit et recepit ab eis, quod servabunt sessivas suas, nec de caetero ecclesiasticorum soprisas (1) tolerabunt; ut sic sub velamento iustitiae, quod de bonis ecclesiasticorum habent, inique retinerent, et qui tenentur reddere, non persolvant. Coniuratores autem huiusmodi se reputant obligatos ad excommunicatos minime devitandos, nec compellendos quantocumque tempore in excommunicatione perstiterint indurati, et ad tertiam partem iudicii defunctorum Ecclesiis parochialibus non reddendam, laudabilem consuetudinem pietate fidelium nequiter infringendo, et ad alia multa teneri se credunt, quae vergunt in periculum animarum. Baillivi vero et senescalli comitis supradicti iuramentum praenotatum a militibus et aliis hominibus eius, qui apud Rothonense monasterium non convenerant extorquentes, eos expresse ad praedictos articulos obligarunt.

Alios impellit ad flagitia.

Excommunicatur cum suis ab episcopis.

Quare praedicti episcopi nolentes, sicut nec debebant tantam nequitiam contra Deum et Ecclesiam concinnatam aequanimiter comportare, in omnes illos qui praestiterant vel praestarent huiusmodi sacramentum, seu praestitum in Ecclesiarum praeiudicium observarent, generalem excommunicationis sententiam pertulerunt, excommunicantes nihilominus comitem nominatum, pro eo quod quasi contemnens claves Ecclesiae, excommunicatos non solum non vitat, sed nec vitare permittit, eos passim ad agendum, et ad alios actus.... admittendo compellit, ut tenetur, vel compelli permittit redire ad Ecclesiae unitatem. Licet praedictus Redonensis episcopus in personam eiusdem comitis excommunicationis et interdicti in terram, quam tenet de demanio in dioecesi Redonensi, sententias promulgasset pro damnis et iniustitiis, quas sibi, et capitulo Redonensi super hominibus et possessionibus suis temere irrogaret; proter quod etiam idem episcopus ad vos nostras litteras impetravit, ut easdem sententias facientes firmitus observari, illos qui eidem comiti faverent in crimine censura percellatis eadem, nec permitterentur praedictos episcopum et capitulum ab eodem comite vel fautoribus suis temere molestari, molestatores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo: contestaturi nihilominus, quod nisi comes ad cor rediens mala attentata celeriter revocaret, et Deo, et hominibus satisfaceret competenter, nos absolveremus a fidelitate vassallos ipsius. Caeterum quamvis mandatum apostolicum fideliter exequentes, saepedictum comitem super iis monueritis diligenter, ipse tamen nolens intelligere, ut bene agat, non solum memoratis episcopis et capitulo satisfacere, et alia revocare, quae contra Ecclesiam egerat, non curavit: verum etiam factus de protervo protervior, eosdem Redonensem, Briocensem, Trecorensem episcopos suis redditibus spoliatos ab Ecclesiis suis exulare compellit, propter quod exules ipsi in praedictum comitem excommunicationis sententiam promulgantes, singuli dioeceses suas supposuerunt ecclesiastico interdicto; at dictus comes percussus non dolens, imo malleum velut stipulam reputans, Ecclesias et ecclesiasticas personas odio prosequitur nequiori, quia si qui de terra sua iniuriantur eisdem, quod frequentius et tutius faciunt, scientes se illi placere, non solum iniuriam passis defensionis auxilium denegat requisitus: verum etiam favens iniuriantibus non patitur decimas trahi de manibus laicorum, nec permittit eos in foro ecclesiastico super decimis conveniri: et pietatis invisor terrarum eleemosynas Ecclesiis non sustinet fieri consuetas: Ecclesias modis omnibus quibus potest evacuat et enervat: clericorum autem parentes et alios consanguineos, seu laicos super aliquibus iuribus auctoritate apostolica, seu metropolitica extra suam dioecesim tra-

De mandato Sedis Apostolicae monitus ut ad cor rediret:

Sed nova patrat scelera.

(1) *Sessiva*, possessio, ius. — *Soprisa*, iniusta captio vel exactio.

hunt in causam comes, et baillivi eius, capi faciunt, et a subditis eius capi permittunt, et tam diu detineri captivos, donec renuntient quaestioni: alias Ecclesias breviter intolerabilibus cruciat iniuriis et iacturis, sicut nobis praedictorum episcoporum lacrymosa querela, et aliorum praelatorum fide dignorum solemnis insinuatio patefecit. Cum igitur tanta saevitia vel perfidia non sit ulterius toleranda, cum etsi ex se minus sit enormis, multo tamen propter exempli perniciem existens enormior, facile posset in subversionem fidei, et ecclesiasticae libertatis exterminium redundare: discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus praedictas excommunicationis, et interdicti sententias solemniter publicantes, et facientes per partes publicari vicinas renovetis easdem singulis dominicis diebus et festivis, et faciatis auctoritate nostra, submoto appellationis obstaculo, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, totamque terram eius, necnon loca ad quae idem comes pervenerit superponentes ecclesiastico interdicto; ita quod ibi nullum divinum officium celebretur praeter poenitentiam morientium et baptismata parvulorum, donec idem comes super praemissis omnibus satisfaciat competenter. Praenotatum autem iuramentum apud Rothonense monasterium celebratum quod praesumptum illicite servari non potest, mutantes iuratores, ut id abiurent, appellatione remota, per censuram ecclesiasticam compellatis. Clericos quoque in eius servitio familiariter commorantes, ut ab ipso recedant, monitione praemissa, per subtractionem beneficiorum, et excommunicationis sententiam appellatione remota cogatis. Alios quoque complices et fautores, nisi moniti resipuerint, sententia simili percellatis. Quod si forte dictus comes, nec sic ad cor redierit, ut Deo, et Ecclesiae, et iniuriam passis super praemissis omnibus intra quatuor menses, postquam a vobis monitus fuerit, satisfactionem exhibeat competentem, vassallos et confederatos eius a fidelitatis et confederationis ipsius iuramentis penitus absolvatis. Quod si non omnes iis exequendis potestis interesse: tu ea, frater episcope, cum eorum altero nihilominus exequaris. Verum quia medicinalem Petri gladium non formidantes, saeculari sunt gladio comprimendi, ne de sua malitia glorientur, serenitatem regiam rogamus, monemus, et exhortamur attente, quatenus prudenter attendens, quod nisi praefatus comes in huiusmodi protervia confundatur, gravia inde pericula possent formidari, fidei zelo succensus, et parentum suorum exemplis inhaerens, illum, ut ad Ecclesiae redeat unitatem, tradita tibi caelitus potestate compellas, ita prosecuturus Com. . . Christi, quod exinde propitiationem divinam uberius merearis, et nos sinceritatem tuam debeamus merito commendare.

Delegatis apostolicis committitur, ut sententias excommunicationis in eum et fautores latas publicent, et servari faciant.

Datum Assisii, quarto kalend. iunii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 29 maii 1228, pontif. an. II.

XI.

Approbatio statutorum abbatum ordinis Sancti Benedicti in provincia Narbonen. ad restaurandam regularem disciplinam (1).

SUMMARIUM

De capitulis provincialibus a regularibus quotannis cogendis. — Statuta a delegatis apost. lata pro ordine Cistercien. provinciae Narbonen. — Gregorio supplicatum ut ea approbaret, quod praestat: — Eorumque praecipit observantiam. — Statuta. — Abbates, priores *etc.* reddant rationem suae administrationis in capitulo generali cuiusque monasterii. — Quales eligi debeant priores claustrales. — Lectio regulae in capitulo. — Silentium quibus in locis praesertim tenendum. — Iter facientes Breviarium habeant. — Sine licentia superio-

(1) Ex Dacherii Spicileg., tom VI, pag. 30.

ris de monast. non exeant monachi. — Quid observandum in recipiendis tum infantibus, tum aliis, et quando professionem emittere debeant. — Non minus quam tres monachi in quolibet prioratu. — Nullus aliquid recipere, vel proprium habere praesumat sine superioris permissu. — Quas artes, et quibus conditionibus exercere monachi possint. — De mutuo accipiendo, et de donationibus. — Visitatores audiant computa monasteriorum. — Hospites cum maxima charitate recipiantur. — Qui cibi hospitibus apponendi sint. — Monachi carnibus prorsus abstineant, quae tamen infirmis permittantur. — Vestes quales esse debeant. — Conspiratores et fures a monaster. expellantur. — Tertio correctus, si non emendaverit, ab administratione deiiciatur. — De sigillo conventus. — Officiales pecuniam non retineant ad usus privatos. — Professis tantum prioratus committendi. — Necessaria monachis provideant abbates et priores. — Qui non adfuerint capitulo generali qua poena mulctandi. — Collectae fiant ad subventionem monasteriorum. — De restauranda disciplina monasteriorum. — Defunctorum nomina ad capitulum deferenda.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus tam exemptis, quam non exemptis provinciae Narbonensis, salutem et apostolicam benedictionem.

De capitulis provincialibus a regularibus quotannis cogendis.

Cum pro reformatione regularis ordinis fuerit a felicis recordationis Innocentio Papa praedecessore nostro in concilio generali statutum, ut in singulis regnis, sive provinciis deberent regularium capitula celebrari, et ex eo quod ii, qui praesidere debeant capitulis, cogendi rebelles non videbantur habere aliquam potestatem, nonnulli abbates et priores despiciebant ad huiusmodi capitula convenire, bonae memoriae H. Papa praedecessor noster eis, qui praesiderent capitulis potestatem coactionis indulsit. Et capitula eadem annis singulis celebrari constituit, cum hoc crederet plurimum expedire. Propter quod dilectis filiis B... Grassensi, et A.... Sancti Hilarii, et G... Santi Pontii de Tomeriis abbatibus praesidentibus capitulo provinciae Narbonensis super celebrando in ea capitulo super certa forma suas litteras destinavit, qui iuxta directum sibi mandatum, advocatis duobus Cisterciensis ordinis vicinis abbatibus, quaedam edidere statuta, quae nostro fuerunt examini destinata, et suppliciter extitit postulatum, ut dignaremur ea corrigere, ac correcta salubriter approbare, quatenus eorum devotio concepta ex iis, quae praedicti praedecessores nostri super ordinis reformatione studiosius nutriatur, et nostris salubribus exortationibus irrigata fructum proferat salutarem. Cum itaque dictus abbas Crassensis, qui propter hoc ad praesentiam nostram venit, prudenter ac diligenter nobis exposuerit statuta praedicta, et etiam quaedam alia, quae reformationem vestri ordinis impediunt, vel retardant; necnon etiam difficultates quas quidam vestrum esse in quibusdam statutorum ipsorum articulis asserebant, super reddenda videlicet plenissime ratione de administrationibus, et spontanea resignatione administrationum ipsarum annis singulis facienda, et residentia trium monachorum in administrationibus extra monasteria constitutis, et abstinentia carnium tam districta; nos statuta eadem diligenter examinari, et corrigi fecimus, et correcta ac approbata a nobis, vobis sub Bulla nostra duximus remittenda, et ea inviolabiliter observari mandamus: volentes atque praecipiendo mandantes, ut praesidentes vestro capitulo, et visitatores monasteriorum iam dictae provinciae, omni contradictione, excusatione, ac appellatione remotis, ipsa faciant in singulis eiusdem provinciae monasteriis, et prioratibus monachorum et monialium et vestri ordinis irrefragabiliter observari, secundum statutum praedicti concilii, vice nostra visitantes, corrigentes et reformantes, quae correctionis et reformationis officio viderint indigere.

Statuta a delegatis apostol. lata pro ordine Cistercien. provinciae Narbonensis.

Gregorio supplicatum, ut ea approbaret; quod praestat;

Eorumque praecipit observantiam.

Monemus itaque charitatem vestram, et hortamur in Domino, quatenus sollicite, sicut convenit, attendentes, quod

suave est iugum Domini, et onus ipsius leve, servituti divinae fiducialiter colla subdatis, quia licet incipientibus angustae viae Domini videantur, paulatim tamen assueti currunt hilariter in mandatorum suorum semitis servi eius. Tenor autem statutorum ipsorum talis est:

Statuta.

In nomine Domini. Amen.

Anno gratiae millesimo ducentesimo vigesimo sexto, septimo idus decembris.

Cum universi abbates monachorum Nigrorum provinciae Narbonensis apud monasterium Sancti Tiberii Agatensis dioecesis secundum mandatum apostolicum pro reformatione ordinis ad celebrandum provinciale capitulum convenissent; nos frater B., Dei permissione dictus abbas Crahae, et A. Sancti Hilarii abbas de assensu venerabilis fratris G. Dei gratia abbatis Sancti Pontii de Thomeriis, qui in gravi infirmitate positus nobis vices suas commiserat in hac parte, advocatis nobiscum venerabilibus patribus B. Fontisgridi, et R. Vallismagnae abbatibus ordinis Cisterciensis, auctoritate apostolica qua fungimur in hac parte, habito diligenti tractatu, et ipso capitulo approbante, invocata Spiritus Sancti gratia, ad correctionem et reformationem ordinis processimus in hunc modum.

Abbates, priores etc. reddant rationem suae administrationis in capitulo generali cuiusque monasterii.

I. Statuimus, ut in singulis abbatiis et prioratibus conventualibus, certa dies generalis capituli assignetur, in qua tam ipse abbas, quam omnes obedientiarii et priores reddant in scriptis de suis administrationibus plenissimam rationem; ita quod omnes, qui administrationes aliquas tenuerint, reddant computum tam de receptis, quam de expensis anni praecedentis, et renuncient absolute, omni excusatione, dilatione, ac contradictione remotis, etiam non requisiti, in manu sui abbatis administrationibus suis, nihil penes se, vel alium penitus retinentes. Abbates tamen eos restituant, quos invenerint, fideliter et humiliter ministrasse, ut sic servetur, et devota humilitas in subiectis, et utilis providentia in praelatis. Si quis huius statuti transgressor fuerit, de proprio monasterio expellatur et in alio monasterio detrudatur; nec aliqua ratione in proprio monasterio recipiatur usque ad nutum capituli generalis.

Quales eligi debeant priores claustrales.

II. Statuimus, ut priores claustrales instituantur providi et discreti; secundum quod in congregatione inveniri poterunt aptiores. Quod si forte in suis monasteriis non inveniuntur. . . . assumantur.

Lectio regulae in capitulo

III. Item statuimus, ut quotiens sententia regulae pronunciatur in capitulo a praesidente, vel ab eo, cui iusserit ille, qui praesidet, exponatur.

Silentium quibus in locis praesertim tenendum

IV. Item statuimus, ut silentium teneatur semper in oratorio monasterii, refectorio et dormitorio, et in claustro nisi horis ad loquendum statutis. In monasteriis vero, in quibus vota fidelium concurrunt, loquendi licentia cum moderamine personis necessariis sit permissa.

Iter facientes Breviarium habeant.

V. Item statuimus, ut monachi in sacris ordinibus constituti in longo itinere profecturi sine breviario vel psalterio non mittantur.

Sine licentia superioris de monast. non exeant monachi.

VI. Item, quod monachi non exeant claustrum aliquo modo, vel aliqua occasione, sine licentia abbatis, vel prioris, et nisi expresserint causam itineris. Quod si praesumpserint, redeuntes sine satisfactione non admittantur. Eaque poena infligatur iis, qui de obedientiis ad monasterium redierint sine licentia superioris, et suarum testimonio litterarum: ac per hoc abbates non sint faciles in concedenda licentia claustralibus exire de monasterio, nec in paternis domibus, vel laicorum quorumlibet diutius immorari, ne inter saeculares habeant materiam evagandi.

Quid observandum in recipiendis tum infantibus, tum aliis, et quando professionem emittere debeant.

VII. Item statuimus, quod infantes, qui recipiuntur in monasteriis, et quotidie audiant regulam exponi, et scholam non exeant, donec legitimae sint aetatis, et tunc professionem faciant et benedictionem accipiant secundum formam regulae. Illi vero, qui in perfecta aetate

intrant monasterium, sive sint laici, sive clerici post annum professionem faciant et benedictionem accipiant. Qui vero profiteri, vel benedici noluerint, tunc recedant. Abbates vero, qui circa hoc extiterint negligentes, sint in pane et aqua septem feriis sextis continuis. Si vero in praedicta poenitentia fuerint negligentes, in sequenti capitulo gravius puniantur.

Non minus quam tres monachi in quolibet prioratu.

VIII. Item statuimus et firmiter volumus observari, ut minus quam tres monachi non sint residentiam facientes in aliquo prioratu, vel aliqua obedientia, seu qualibet administratione extra monasterium constitutis. Et si redditus alicuius Ecclesiae non sufficiunt ad sustentationem ipsorum, aliae Ecclesiae in qua residerint adiungantur, ita quod sint eidem Ecclesiae annexae, et sint sub cura et administratione illius, cui per abbatem cura et administratio eiusdem concessa fuerit prioratus.

Nullus aliquid recipere, vel proprium habere praesumat sine superioris permissu.

IX. Item statuimus, ut nullus monachorum seu conversorum utriusque sexus de caetero proprium habere praesumat per se, vel per alium nomine doni, vel commandae, seu exenii, vel aeulogii, vel alio aliquo modo, nisi quod iusserit vel permiserit abbas, et si quis forte aliquid proprii habet, vel alius pro eo, sine contradictione incontinenti resignet abbati seu priori abbatem proprium non habenti: nec aliquid praesumat aliquo modo dare, vel accipere, neque etiam litteras sine iussione seu permissione abbatis. Si autem monitus retinere praesumpserit aliquid, a domo propria penitus expellatur, et in alio monasterio retrudatur, nec aliqua ratione in proprio monasterio recipiatur usque ad nutum capituli generalis. Apud quem vero proprietas in morte inventa fuerit, in signum suae perditionis in sterquilinio subterretur: sub eadem poena expresse iniungimus, ut obedientiarii cedentes administrationibus nihil de ipsa administratione retineant, sed omnia integre restituantur abbati.

Quas artes, et quibus conditionibus exercere monachi possint.

X. Item statuimus, ne monachi fiant in causis aliquibus advocati, nisi in causis sui monasterii et sui ordinis et cum licentia superioris. Transgressores vero animadversione congrua puniantur. Medici vero, scriptores, vel alii artifices monasterii cum omni humilitate et reverentia faciant, si abbas permiserit ipsas artes. Quod si aliquis ex eis pro scientia artis suae superbierit, eo quod aliquid conferre monasterio videatur; hic talis secundum regulam ab artis suae officio donec humiliatus fuerit evellatur.

De mutuo accipiendo, et de donationibus.

XI. Item statuimus, quod abbates et priores abstineant ab immoderatis et illicitis donationibus. Monachi autem, sive simplices fuerint, sive officiales, ab omni prorsus abstineant donatione sine licentia abbatis proprii, nec pecuniam mutuo accipiant, nec aliquod depositum sine consensu abbatis vel prioris. Si autem officiales fuerint, non possint ultra centum solidos sive integraliter, sive particulariter accipere mutuo sine consensu speciali sui superioris.

Visitatores audiant computa monasteriorum.

XII. Item statuimus, ut visitatores audiant computum ab abbatibus et abbatissis et a prioribus abbates proprios non habentibus super debitis et statu domus.

Hospites cum maxima charitate recipiantur.

XIII. Item statuimus, ut hospitibus et religiosis, praecipue ab his, qui praesunt, congruus honor et humanitas in hospitalitate exhibeatur. Alioquin, qui circa hospitalitatem contemptor aut negligens inventus fuerit, et maxime si supervenientes non admiserit, is cuius culpa hoc evenerit, tribus diebus in pane et aqua abstineat, et expensas illius diei restituat hospitibus non receptis.

Qui cibi hospitibus apponendi sint.

XIV. Item statuimus, quod hospitibus in monasteriis et prioratibus carnes nullatenus praebeantur nisi die dominica, et tertia et quinta feria: tamen circa episcopos, et excellentiores personas et supervenientes infirmos dispensare liceat secundum arbitrium praesidentis.

XV. Item statuimus, ut omnes mona-

Monachi carnibus prorsus abstineant, quae tamen infirmis permittantur.

chi ab esu carnium abstineant, nisi fuerint debiles vel aegroti, et hoc diligentia abbatis vel prioris si abbas defuerit. At ubi meliorati fuerint, a carnibus abstineant. Illas vero carnium refectiones, quae sanis in quibusdam monasteriis certis temporibus in infirmariis exhiberi consueverant, penitus amputamus; mandantes, ut redditus, qui ad hoc fuerant deputati, in necessitatibus fratrum atque debilium misericorditer expendantur; abbates vero infirmitatis, vel debilitatis causa in suis cameris, ut secretius et honestius poterunt, carnibus uti possint, advocatis secum aliquibus de conventu debilibus vel infirmis. Sane abbas vel monachus in itinere constitutus ad vicina divertat monasteria, si debilitate, vel infirmitate fuerit occupatus; si vero non poterit, ut secretius et honestius poterit, carnibus uti possit. Idem in prioratibus, et obedientiis et administrationibus extrinsecis de abstinentia et esu carnium decernimus observandum. Transgressores vero huius constitutionis tam favorabilis pro qualibet comestione carnium in pane et aqua abstineant una die. Si autem correcti noluerint emendare, secundum qualitatem et quantitatem transgressionis gravius puniantur. Abbates vero si circa correctionem et observationem huiusmodi fuerint negligentes, poena simili percellantur.

Vestes quales esse debeant.

XVI. Item statuimus, ut indumenta monachorum clausa sint, et non sint in colore et scissura, nec in mensura reprehensibilia, nec sumptuosa, et recipientes nova, vetera semper reddant vestiario, pauperibus eroganda. Illas quidem vestes, quae vulgo balandrava, et super toti vocantur, et sellas rubeas et fraena et calcaria deargentata penitus amputamus. Transgressoribus autem vestimenta et ornamenta huiusmodi inordinata per abbates suos, vel visitatores, qui haec compererint, auferantur, et si incorrigibiles fuerint, obedientiarii suis obedientiis priventur, et claustrales regulariter puniantur. Illud autem duximus prohibendum, ne monachis detur pro victu pecunia, vel vestitu vel occasione huiusmodi assignentur redditus alicui, et si forte hucusque fuerant assignati, ab eo penitus auferantur. Si qua vero fuerint legata, vel relicta pietatis intuitu sive communiter, sive personaliter, illud totum in communes usus cedat, ne alicui detur occasio proprium retinendi.

Conspiratores et fures a monaster. expellantur

XVII. Item statuimus, ne aliquis praesumat aliquem defendere conspirando. Conspiratores vero manifesti, fures, et enormiter percussores a suis monasteriis penitus excludantur, ac in aliis detrudantur, nec in suis monasteriis admittantur, nisi communicato consilio capituli generalis.

Tertio correctus, si non emendaverit, ab administratione deiiciatur.

XVIII. Item statuimus, quod si quis ex obedientiariis monasterii, quocumque nomine censeatur, quandocumque repertus fuerit, si tertio correctus non emendaverit, deiiciatur ab administratione, et alter in loco eius, qui dignus fuerit, subrogetur.

De sigillo conventus.

XIX. Item statuimus sub eadem poena quod nullus monachus occasione cuiuscumque administrationis vel officii sigillum habeat nisi tantummodo abbas et prior conventualis.

Officiales pecuniam non retineant ad usus privatos.

XX. Item statuimus, ut cellerarii, vestiarii, et caeteri officiales domus, qui aliquibus administrationibus praesunt infra monasterium, vel extra, quod fuerit residuum, computatis redditibus et expensis, refundant in communem utilitatem monasterii, prout abbas decreverit refundendum.

Professis tantum prioratus committendi.

XXI. Item statuimus, ut prioratus, decanatus, praepositura, sacristia, cameraria, infirmaria non committantur de caetero monachis, nisi professis solemniter, et si qui non professi hucusque administrationes huiusmodi tenuerint, si commoniti profiteri noluerint, vel ad sacros ordines promoveri, secundum superioris providentiam administrationes amittant.

Necessaria monachis provideant abbates et priores.

XXII. Item statuimus, ut abbates et priores conventuales et alii sufficienter necessaria suis monachis administrent in victu pariter, et vestitu, considerata facultate loci, et temporis qualitate. Tam ipse abbas, quam fratres in viam redigendi benedictionem accipiant in eundo et redeundo.

Qui non adfuerint capitulo generali qua poena mulctandi.

XXIII. Item statuimus, ut abbates et priores, qui ad primam diem capituli non venerint, et excusationem canonicam non miserint, sint in pane et aqua omni sexta feria extra stallum suum semper suspensi, donec veniant apud monasterium, ubi extiterit provinciale capitulum celebratum cum propriis expensis, ibi moram faciendo sine onere, et sine expensis illius monasterii, et ponant ibi partem suam communium expensarum in quadruplo, ad arbitrium abbatis eiusdem loci in necessitatibus capituli distribuendum. Illi vero qui miserint, et non sufficienter se excusaverint, ad dictum locum veniant infra spatium sibi a praesidentibus capitulo assignatum, antequam inde recedant in expensis communibus posituri in duplo.

Collectae fiant ad subventionem monasteriorum.

XXIV. Item statuimus pro necessitatibus et utilitatibus monasteriorum promovendis, et gravaminibus et oppressionibus evitandis, abbates et priores ad arbitrium praesidentium capitulo, prout necesse fuerit, collectas faciant, cum quibus visitatores de consilio praesidentium possint dirigere nuncios ad Apostolicae Sedis examen, vel ad principes seu praelatos secundum quod viderint expedire, quae collectae a visitatoribus colligantur.

De restauranda disciplina monasteriorum

XXV. Item statuimus, ut visitatores plenariam habeant potestatem de monasteriis religiosis ubi melior fuerit disciplina, monachos religiosos assumere de assensu tamen abbatum suorum, eosque in monasteriis minus religiosis ponere, ut ibi ordinem doceant, et reforment, sed postea ad proprii abbatis arbitrium revocentur. Quos vero rebelles vel nocivos in monasteriis invenerint, ad alia monasteria hos transmittant, et hoc visitatores facere non omittant, si voluerint gravissimam poenam evitare.

Defunctorum nomina ad capitulum deferenda.

XXVI. Qui sola misericordia comes est defunctorum, statuimus quatenus annis singulis breves ad provinciale capitulum apportentur, in quibus contineantur dies et nomina fratrum inter duo capitula defunctorum, ut ibi absolvantur, et eis sua debita persolvantur. Tenor autem brevium est talis: Die tali obiit in tali loco ille nostrae congregationis monachus, levita, vel sacerdos vel etiam conversus.

Datum Perusii kalendis iulii, pontificatus nostri, anno secundo.

Dat. die 1 iulii 1228, pontif. an. II.

XII.

Canonizatio sancti Francisci de Assisio, eiusque relatio in numerum sanctorum confessorum, cum suae festivitatis institutione pro die quarta octobris.

SUMMARIUM

Procemium. — 1. B. Franciscus a Deo suscitatus ad conversionem multorum. — 2. Simplici sua praedicatione multos ad viam salutis reduxit. — 3. Pauperem vitam egit, ieiuniis, vigiliis, et nuditate carnem maceravit, multisque virtutibus emicuit: — 4. Religionemque fratrum Minorum, Monialium et Tertiariorum instituit: — 5. Et tandem obdormivit in Domino: — 6. Miraculisque pluribus claruit. — 7. Cathalogo Ss. confessorum adscribitur. — 8. Eius celebranda festivitas. — 9. Omnes ad eius venerationem solicitantur.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archipresbyteris, archidiaconis, decanis, et aliis Ecclesiarum praelatis, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium

Mira circa nos divinae pietatis dignatio, et inaestimabilis dilectio charitatis,

qua filium pro servo tradidit redimendo, dona suae miserationis non deferens, et vineam dextera eius plantatam continua protectione conservans, in illam qui salubriter ipsam excolant, evellentes sarculo ac vomere, quo Samgar sexcentos Philistaeos percussit, spinas et tribulos ex eadem, operarios etiam in undecima hora transmittit, ut superfluitate palmitum resecata, et vitulaminibus spuriis radices altas non dantibus necnon sentibus extirpatis, fructum suavem afferat, et iucundum, qui praelo patientiae defaecatus, in aeternitatis cellarium transferatur, impietate profecto velut igne succensa, et frigescente charitate multorum, in eiusdem maceriam diruendam, irruentibus Philistaeis potione terrenae cadentibus voluptatis.

B. Franciscus a Deo suscitatus ad conversionem multorum.

§ 1. Ecce in hora undecima Dominus qui cum diluvii aqua terram deleret, iustum per lignum contemptibilem gubernavit, super sortem iustorum virgam peccantium non relinquens, excitavit servum suum beatum Franciscum, virum utique secundum cor suum, apud cogitationes divitum lampadem quidem contemptam, sed paratam ad tempus statutum, illam in vineam suam mittens, ut ex ipsa spinas et vepres evelleret, prostratis illam impugnantibus Philistaeis, illuminando patriam, et reconciliari Deo, exhortatione sedula commonendo.

Simplici sua praedicatione multos ad viam salutis reduxit.

§ 2. Qui audita interius voce invitantis amici, impiger surgens, mundi vincula blandientis, quasi alter Samson, gratia divina praeventus dirupit, et spiritu fervoris concepto, asinique arrepta mandibula, praedicatione siquidem simplici, nullis verborum persuasibilium humanae sapientiae coloribus adornata, sed tamen Dei virtute potenti, qui infirma mundi eligit, ut fortia quaecumque confundat, non tantum mille, sed multa millia Philistinorum, eo qui tangit montes et fumigant faciente, prostravit et in spiritus servitutem redegit carnis illecebris antea servientes. Quibus vitiis mortuis, et Deo viventibus, iam non ipsis, quorum pars pessima periit, ex mandibula ipsa egressa copiosa est aqua, reficiens, abluens, et foecundans lapsos, sordidos et arentes, quae in vitam aeternam saliens absque argento et commutatione aliqua potest emi, cuius rivuli longe, lateque diffusi, vineam irrigant, usque ad mare palmites, et usque ad flumen propagines extendentem.

Pauperem vitam egit, ieiuniis, vigiliis, et nuditate carnem maceravit, multisque virtutibus emicuit.

§ 3. Hic denique patris nostri Abrahae imitatus vestigia, mente de terra et cognatione sua, necnon domo patris eius egrediens, iturus in terram, quam sibi Dominus divina inspiratione monstrarat, ut expeditius curreret ad bravium vocationis coelestis, et per angustam portam posset facilius introire, sarcinam terrenae substantiae deposuit, se illi conformans, qui cum dives esset, pro nobis factus est pauper, eamque dispersit, dedit pauperibus, ut sic eius iustitia in saeculum saeculi permaneret. Et in terram visionis accedens, super unum sibi montium demonstratum, videlicet excellentiam fidei, carnem suam, quasi filiam unigenitam, quae ipsum interdum deceperat, cum Iephte Domino in holocaustum obtulit, igne supposito charitatis, illam fame, siti, frigore, ac nuditate, vigiliis multis et ieiuniis, macerando, qua cum vitiis et concupiscentiis crucifixa, dicere poterat cum Apostolo: Vivo ego, iam non ego, vivit autem in me Christus: quoniam iam non sibi vixerat, sed Christo potius, qui pro peccatis nostris mortuus est, et resurrexit propter iustificationem nostram, ut nullatenus peccato ulterius serviamus. Vitia quoque supplantans, et contra mundum, carnem et potestates aerias luctamen assumens viriliter, uxore, villa, bobus, a coena magna retrahentibus invitatos, penitus abdicatis, cum Iacob Domino iubente surrexit, et gratia spiritus septiformis accepta, octoque sibi assistentibus beatitudinibus evangelicis, Bethel domum Dei, quam seipsum praeparavit eidem, per quinde-

cim gradus virtutum, qui mystice in Psalterio continentur, ascendit. Et ibidem altare cordis Domino construens, aromata devotarum orationum obtulit super eo, per manus angelicas in conspectu Domini deferenda, concivis angelicus mox futurus.

Religionemque fratrum Minorum, Monialium et Tertiariorum instituit:

§ 4. Ne vero sibi soli proficeret in monte, tantummodo Rachel amplexibus inhaerendo, contemplationi pulchrae quidem, sed sterili, ad Liae interdictum descendit cubiculum, minaturus gregem gemellis foetibus foecundatum ad interiora deserti, pro vitae pascuis perquirendis, ut illic ubi manna coelestis dulcedinis reficit, a saecularium strepitu segregatos, cum lacrymarum effusione semina sua mittens, cum exultatione manipulos, ad aeternitatis horrea reportaret, cum populi sui principibus collocandus, corona iustitiae coronatus. Qui nimirum non quae sua sunt quaerens, sed potius quae sunt Christi, et eidem velut apis argumentosa deserviens, necnon quasi stella matutina in medio nebulae, ac quasi luna plena in diebus suis, et sicut sol in Ecclesia Dei fulgens, lampadem et tubam in manus assumpsit, ut lucentium operum documentis humiles attraheret ad gratiam, et protervos a noxiis retraheret excessibus, dura increpatione terrendo. Ac sic virtute charitatis afflatus, in castra Madianitarum, Ecclesiae iudicium declinantium, per contemptum, eo iuvante, qui dum virginali utero clauderetur, mundum suo circuibat imperio universum, intrepidus irruit et abstulit arma, in quibus confidebat fortis armatus, atrium suum custodiens, et distribuit spolia, quae tenebat, eiusque captivitatem captivam reduxit in obsequium Iesu Christi.

Et tandem obdormivit in Domino

§ 5. Hoste itaque triplici in terra positus superato, regno coelorum vim intulit, et illud rapuit violenter, et post huius vitae quamplura gloriosa certamina, mundum triumphans, feliciter migravit ad Dominum, multos praeveniens scientia praeditos scienter nescius et sapienter indoctus.

Miraculisque pluribus claruit

§ 6. Sane licet eius vita tam sancta, tam strenua et praeclara sibi sufficeret ad obtinendum consortium Ecclesiae triumphantis; quia tamen militans, quae solummodo videt in facie, non praesumit de his, qui de suo foro non sunt, auctoritate propria iudicare, ut illos pro vita tantum venerandos assumat, praesertim quia nonnumquam Angelus Sathanae in lucis Angelum se transformat; omnipotens et misericors Deus, de cuius munere venit, quod praedictus famulus Christi, digne sibi et laudabiliter deservivit, tantam lucernam absconditam sub modio remanere non patiens, sed eam volens super candelabrum collocari, his qui sunt in domo luminis solatium praebituram, vitam eius sibi fuisse acceptam, et ipsius memoriam esse a militanti Ecclesia venerandam, multis et praeclaris miraculis declaravit.

Cathalago Ss. confessorum adscribitur.

§ 7. Cum igitur gloriosae vitae ipsius insignia ex multa familiaritate, quam nobiscum habuit in minori officio constitutis, plene cognita nobis essent, et de miraculorum coruscatione multiplici, per testes idoneos nobis facta fuerit plena fides, confidentes per Dei misericordiam, nos et gregem nobis commissum, eius suffragiis adiuvari, et quem familiarem habuimus in terris, habere patronum in Coelis; habito fratrum nostrorum consilio, et assensu, ipsum adscribi decrevimus sanctorum cathalogo venerandum.

§ 8. Statuentes, ut quarto nonas octobris, die videlicet quo a carnis ergastulo absolutus, ad aetherea regna pervenit, ab universali Ecclesia natalitia eius devote ac solemniter celebrentur.

Eius celebranda festivitas.

§ 9. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus die praedicto in commemoratione ipsius, divinis laudibus alacriter insistentes, eiusdem patrocinia humiliter imploretis, ut ipsius interce-

dentibus meritis, ad eius mereamini consortium pervenire: illo praestante, qui est benedictus, in saecula saeculorum. Amen.

Datum Perusii, decimoquarto kalendas augusti, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 19 iulii 1228, pontif. an. II.

XIII.

Innovatio indulgentiarum pro certantibus contra haereticos Albigenses cum aliarum gratiarum et indultorum elargitione (1).

SUMMARIUM

Indulgentias innovat: — Et legatum apostol. designat. — Distributio indulgentiarum, ac distinctio. — Concedit quoque privilegia nonnulla. — Haec populis significanda.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Remen., Senonen., Rothomagen., Turonen., Bituricen., Burdegalen., Auxitan., Narbonen., Lugdunen., Ebredunen., Taranthasien., Bisuntin., Aquen., Arelaten. et Viennen. archiepiscopis, et eorum suffraganeis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, capitulis, et aliis Ecclesiarum praelatis in eorumdem dioecesibus constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Indulgentias innovat. Ardenti desiderio aspirantes ad purgandum terram Albigen. ab haeretica foeditate, indulgentias olim ab apostolica Sede concessas crucesignatis, vel signandis fidelibus ad hoc laborantibus innovamus, et dilectum filium nostrum Ricardum Sancti Angeli diaconum cardinalem, Apostolicae Sedis legatum, scientem huiusmodi naturam negotii, et circumstantias, utpote qui alia vice in eo efficaciter laboravit, virum consilio et discretione conspicuum, diligentem, honorem regni Francorum, et in negotio ipso ferventem, qui quantumcumque nobis pernecessarius esset apud Sedem Apostolicam, et eius praesentia opportuna, quia res ipsa propter sui arduitatem talis et tanti viri diligentiam exigebat, ad partes vestras propter dictum negotium et alia, quae ibi habet Sedes Apostolica, pertractare de nostro latere duximus destinandum. De omnipotentis itaque Dei misericordia, et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa, quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque solvendi contulit potestatem, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus, et in retributione iustorum salutis aeternae pollicemur augumentum. Eis autem, quod non in propriis personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem et qualitatem suam viros idoneos destinarint, et illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem eiusdem negotii de bonis suis congrue ministrabunt, aut circa praedicta consilium et auxilium impenderint opportunum. Sane quia iusto iudicio coelestis Imperatoris obsequiis inhaerentes, speciali debent praerogativa gaudere, volumus et mandamus; ut si qui illuc proficiscentium ad praestandas usuras iuramento tenentur astricti, creditores eorum, ut remittant eis praestitum iuramentum, et ab usurarum exactione desistant, ecclesiastica districtione cogatis. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, ad earum restitutionem simili censura compellatis eosdem. Praeterea Iudaeos ad remittendum usuras per saecularem faciatis potestatem compelli, et donec eas remiserint, communionem sibi fidelium denegari. Porro si qui crucesignatorum Iudaeis solvere debita ne-

Et legatum apost designat. (margin, beside "huiusmodi naturam negotii")

Distributio indulgentiarum ac distinctio. (margin, beside "De omnipotentis itaque")

Concedit quoque privilegia nonnulla. (margin, beside "Sane quia iusto")

(1) Ex Regest. Vatic.

queunt, in praesenti laborare curetis, ut iudices saeculares sic eis de utili dilatione provideant, quod post iter peregrinationis arreptum, quousque de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, usurarum incommoda non incurrant, compellendis nihilominus Iudaeis proventus pignorum, quos interim ipsi perceperint, in sortem, expensis deductis necessariis, computare. Debitores quoque crucesignatorum ad ea, in quibus tenentur, eisdem cogatis usuris cessantibus persolvenda, creditores ipsorum ad prorogandum terminos solutioni debitorum praefixos, prout necesse fuerit, inducentes. Quia vero nonnulli assumptam Crucem contra dictos haereticos auctoritate propria deposuisse dicuntur, illos eam resumere compellatis. Monemus igitur discretionem vestram, et hortamur in Domino Iesu Christo, praesentium vobis auctoritate mandantes, quatenus populis vobis subditis diligenter exponentes omnia supradicta, eisque ad impendendum praefato negotio in rebus, personisque succursum sedulis exhortationibus animantes, in singulis articulis supradictis exequamini singuli, quod ad sollicitudinem vestram noscitur pertinere, ita vos exhibentes sollicitos et attentos, quod proximos ipse ardor vestrae charitatis accendat, vosque in praesenti a nobis gratiam, et in futurum possitis a Deo praemium expectare.

Haec populis significanda.

Datum Perusii, duodecimo kalendas novembris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 21 octob. 1228, pontif. an. II.

XIV.

Archiepiscopo Colocen. conceditur facultas erigendi monasterium de Cuchet in sedem episcopalem attenta vastitate suae dioecesis, cum assignatione congrua et opportuna pro episcopo eligendo (1).

(1) Ex Regest. Vatic.

SUMMARIUM

Vastitas Colocen. dioecesis. — Qua diligentia ad erectionem processum. — Conceditur Colocen. facultas episcopalem sedem construendi. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Colocen. salutem et apostolicam benedictionem.

Vastitas Colocen. dioecesis.

Iamdudum provide cogitans, quod Colocensis dioecesis adeo est diffusa, quod ipsam non vales iuxta officii tui debitum commode visitare, ne gregi Dominico deesset cura pastoris, nobis humiliter supplicasti, ut in monasterio de Cuchet tuae dioecesis episcopalem sedem noviter crearemus, cum paratus esses, creando ibidem episcopo, tum de propriis tuis, tum de ipsius monasterii proventibus trecentas, et de bonis Ecclesiae tuae triginta marcas in annuo redditu assignare. Unde licet nobis tuae intentionis propositum non immerito placuisset, ne tamen in tanto negotio subito procedere videremur, nequaquam mox tuis supplicationibus duximus annuendum, sed venerabilibus fratribus nostris Cenadien. et Ultrasilvan. episcopis nostris dedimus litteris in mandatis, ut super re huiusmodi, et eius circumstantiis inquirentes plenius veritatem, quae invenirent nobis fideliter intimarent, ut ex eorum relatione sufficienter instructi, procederemus exinde iuxta divinae beneplacitum voluntatis. Qui mandatum apostolicum exequuti, propositum tuum multipliciter commendantes, ut illud optato prosequeremur effectu, nos suppliciter exorarunt. Tu quoque in nostra praesentia constitutus, illud idem multiplicatis intercessionibus instantius postulasti. Nos igitur attendentes pii propositi puritatem, cum nonnulli soleant potius ad non habita minus licite inhiare, quam licite habita taliter dispertiri, ne contra te dici valeat: Messis quidem multa, operarii vero pauci: tuis supplicationibus annuentes, et sperantes, quod non solum praemissa promissa comple-

Qua diligentia ad erectionem processum.

Concedit Co-locen. facultas episcopalem sedem construendi.

bis; verum etiam alia studebis adiicere opportuna, novam sedem episcopalem in praedicto monasterio statuendi auctoritate tibi praesentium concedimus facultatem. Quo circa fraternitatem tuam monemus attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus prudenter attendens, quod episcopalis dignitas facile quidem ex tenuitate vilescit, ne operis tanti defectus imputetur opifici, episcopalem sedem ita studeas rebus necessariis congrue stabilire, quod exinde tibi cumulus aeternae retributionis accrescat, et nos providam munificentiam, et munificam providentiam tuam debeamus merito commendare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae

Datum Perusii tertiodecimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 20 ianuarii 1229, pontif. an. II.

XV.

Quod hospitale Sancti Spiritus in Saxia de Urbe super omnes alias totius ordinis domus præeminentiae ac magisterii locum obtineat, confirmatur (1).

SUMMARIUM

Hospitale hoc ab Innoc. III fundatum, totiusque ordinis caput constitutum. — Quod confirmat Gregorius.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Iohanni magistro, et fratribus hospitalis Sancti Spiritus, salutem et apostolicam benedictionem.

Hospitale hoc ab Innoc. III fundatum, totiusque ordinis caput constitutum.

Felicis recordationis Innocentium Papam praedecessorem nostrum pietatis affectus, et charitatis debitum induxerunt, quod hospitale vestrum, in quo pietatis opera iugiter exercentur, construxit Ecclesiae Romanae sumptibus, et dotavit, et ei privilegia gratiae specialis indulsit, statuendo inter alia, ut ibi caput et magisterium totius ordinis vestri perpetuo perseveret, ita quod magister hospitalis ipsius praesit universis fratribus tam praesentibus, quam futuris ordinis memorati, omnesque sibi teneantur impendere obedientiam et reverentiam regularem. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, statutum huiusmodi auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Quod confirmat Gregorius.

Datum Perusii idibus martii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 15 martii 1229, pontif. an. II.

XVI.

Confirmatio libertatum Suessanae civitatis ad Romanae Ecclesiae fidelitatem reversae, quae sub Apostolicae Sedis protectione suscipitur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Svessani per Sedem Apost. calamitatibus liberati. — Eos sub apostolica protectione suscipit. — Privilegia eis concedit, antiquasque confirmat consuetudines. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis civibus Suessanis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sedes Apostolica, veluti pia mater, quae filiorum uteri sui oblivisci non potest, intrante saepe in conspectu suo gemitu tribulationum multarum, quarum tempestas vos, et alios homines Regni

(1) Ex Regest. Vatic.

(1) Ex Regest. Vatic.

graviter huc usque depresserat, et pene demerserat in profundum, materno affectu compatiens afflictionibus filiorum, qui quasi in luto et latere coacti fuerant deservire, desiderio desideravit, ut iugo ab eorum cervicibus tam durae servitutis excusso, finem his dare Dominus dignaretur. In effectu quoque producens, quod in affectu gerebat, in se suscepit negotium, et submisit humeros ad portandum, pro quo quidem exposuit se laboribus, et expensis innumeris, et personis etiam suorum fidelium non pepercit, languores per hoc ferens, et portans dolores hominum praedictorum. Cum igitur reducti sitis ad fidelitatem et dominium Romanae Ecclesiae, ad quam non erat dubium vos spectare, adhaerentes, sicut subiecti et fideles eidem, cuius suave iugum, et onus eius est leve, ac per hoc non illius, quae in servitute generat, sed liberae filii existatis, dignum est, ut ab uberibus consolationis Sedis Apostolicae matris et dominae vestrae amodo retrahemini gaudentes cum laetitia, qui in tristitia extitistis. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris commodis providere volentes, cum Romana Ecclesia clementer prospicere consueverit utilitatibus subiectorum, vestris supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum assensu, vos, et civitatem vestram cum omnibus bonis, quae in praesentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, seu aliis iustis modis praestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; statuentes auctoritate praesentium civitatem praedictam in fidelitate Sedis Apostolicae persistentem, in eius demanio, sicut Anagniam, et alias civitates Campaniae, salvis servitiis et redditibus curiae debitis, perpetuo retinendam. Insuper concedimus vobis, ut in praeficiendis vobis rectoribus, et in contractibus venditionis, emptionis, ac aliis habeatis ad instar praedictarum civitatum Campaniae libertatem. Laudabiles praeterea consuetudines vestras, et hactenus approbatas, necnon et alia, quae venerabilis frater noster episcopus Albanen. Apostolicae Sedis legatus provide vobis indulsit, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, salvo in omnibus Apostolicae Sedis mandato. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis, constitutionis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Gravessani per Sedem Apostolicam calamitatibus liberati.

Eos sub apostolica protectione suscipit.

Privilegia eis concedit, antiquasque confirmat consuetudines.

Clausulae

Datum Perusii quartodecimo kalendas iunii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 19 maii 1229, pontif. an. III.

XVII.

Similis concessio civitati Caietanae (1).

SUMMARIUM

Caietanis ius cudendi monetam conceditur. — Antiqua eorum confirmantur privilegia. — Conditiones appositae. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis civibus Caietanis fidelibus nostris, salutem et apostolicam benedictionem.

Sedes Apostolica *etc.*, *prout in praecedenti*, Dilectis filiis civibus Suessanis, *usque ad verbum* extitistis. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris commodis providere volentes, cum Romana Ecclesia prospicere consueverit utilitatibus subiectorum, vestris supplicationibus inclinati, de communi fratrum nostrorum consilio et assensu concedimus in praeficiendo potestates, consules et rectores, et in omnibus aliis libertatem quam habet a Sede Apostolica civitas Anagnina. Immunitatem quoque per totum regnum a praestatione passagii, pedagii, falangatici ac dationis, quae directus vulgariter dicitur, ad curiam pertinentium, et medietatem eorum,

(1) Ex Regest. Vatic.

quae pro offensis debentur, cum magistratu protentiatus galearum a Policastro usque Caietam. De gratia vobis concedimus liberali cudendi etiam monetam argenteam, ubi ex una parte imago capitis beati Petri cum subscriptione civitatis vestrae, ex alia vero in medio Papae, et in circulo superscriptio nostri nominis habeantur, et ampliandi civitatem vestram vel aedificandi novam in monte Sancti Martini prope posito, liberam vobis tribuimus facultatem; ita quod pro moneta quolibet anno cum eam cudi contigerit quinquaginta tarenos auri nobis et nostris successoribus persolvetis. Insuper omnes libertates, omnesque laudabiles consuetudines, quas habuistis tempore clarae memoriae Guillelmi regis in creandis consulibus, iudicibus, et aliis officialibus annuis ac notariis in cognitione ac terminatione causarum, necnon et in duana salis, in portubus quoque, scilicet in Patria, et ab ea usque Cannetum, in vendendo scilicet in eis salem, et emendo, et extrahendo inde victualia, et in deferendo libere Caietam labores haereditatum, quas vos, et Ecclesiae civitatis vestrae habetis in comitatu Fundano, ac in defendendo vos ab inimicis vestris extra regnum, et pacem faciendo cum ipsis, Pontianam etiam insulam, Palmariam, Sennonem, Pantateram, et Sanctum Martinum cum piscariis et tenimentis suis, sicut tempore memorati regis habuistis easdem, et generaliter omnes bonas consuetudines vestras, salvis omnibus iustitiis et redditibus curiae debitis, pro quibus recipiendis aliquis de terra vestra ponetur, per Sedem Apostolicam idem vel alius annuatim, vobis auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Ubique per regnum salvi sint cives vestri, quos naufragium pati contigerit, et ne offendantur in personis vel rebus districtius prohibemus; interdicimus etiam ne in civitate vestra, vel extra in tenimentis ipsius castrum seu munitio aliqua construatur. Quandocumque autem Romana Ecclesia stolium (1) facere voluerit, civitas vestra ei tenebitur pro una galea sufficientem dare numerum armatorum. Corpus vero galeae cum apparatu ipsius, mercedem, et alia necessaria hominum Sedes Apostolica iuxta regum consuetudinem exhibebit. Salva in omnibus Sedis Apostolicae auctoritate, ac salvis Ecclesiarum libertatibus et iuribus earumdem.

Caietanis ius cudendi monetam conceditur. — *Antiqua eorum confirmantur privilegia.* — *Conditiones appositae.*

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis, constitutionis, concessionis, confirmationis, et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. *Clausulae.*

Datum Perusii undecimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 21 iunii 1229, pontif. an. III.

XVIII.

Innovatio privilegiorum et immunitatum concessio pro civitate Sorana de iure Sedis Apostolicae, sub cuius patrocinio recipitur (2).

SUMMARIUM

Exordium. — Sorani sub protectione S. Ap. suscipiuntur. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis populo Sorano fidelibus nostris, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum reducti sitis per Dei gratiam ad fidelitatem et dominium Romanae Ecclesiae matris vestrae, ad quam non erat dubium vos spectare, per quod iam non illius, quae in servitutem generat, sed liberae filii existatis; dignum est et conveniens, ut commodis vestris Apostolica Sedes provideat, quae clementer consuevit prospicere utilitatibus filiorum. *Exordium.*

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris supplicationibus inclinati, de fra- *Sorani sub protectione S. Ap. suscipiuntur.*

(1) *Stolium*, classis, navis, a στόλος; hic pro expeditione navali. (2) Ex Regest. Vatic.

trum nostrorum consilio vos, et civitatem vestram cum omnibus bonis, quae in praesentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis praestante Domino poteritis adipisci, sub protectione Apostolicae Sedis et nostra suscipimus, et praesentis scripti patrocinio communimus; civitatem quoque praedictam in fidelitate Romanae Ecclesiae persistentem providimus in eius demanio de caetero retinendam. Concedentes vobis eam, quam habent civitates Campaniae libertatem, medietate servitiorum in frumento, videlicet vino, annona, ferris, clavis et calceis, ac omnibus exeniis, quae salutes vulgariter nuncupantur, ac aliis iustitiis curiae debitis, et mandato Apostolicae Sedis salvis.

Privilegia eis conceduntur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis, provisionis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae

Datum Perusii, quarto kalendas septembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 29 augusti 1229, pontif. an. III.

XIX.

Cives Massilienses recipiuntur sub tutela Sedis Apostolicae cum annua praestatione centum obulorum aureorum, ab ipsis sponte oblatorum (1).

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis civibus Massiliensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Gaudentes in Domino quod eo inspirante reversi estis ad devotionem Ecclesiae, a qua seducti fallaciis tentatoris fuistis aversi, et ut crescat vestrae devotionis affectus; volentes vos Apostolicae Sedis beneficiis provocare, vestris supplicationibus inclinati civitatem Massiliensem cum personis, et bonis ipsius, sub beati Petri, et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti patrocinio communimus. Auctoritate praesentium vobis nihilominus indulgendo, ut universitas vestra sine manifesta et rationabili causa non valeat excommunicationis, vel interdicti sententia innodari. Ad indicium autem huiusmodi protectionis ab Apostolica Sede perceptae centum obulos aureos sponte oblatos nobis et successoribus nostris annis singulis census nomine persolvetis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani, x kalendas aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 23 martii 1230, pontif. an. IV.

(1) Ex Regest. Vatic.

XX.

Lucanis, ob Garfagnani occupationem de iure Sedis Apostolicae excommunicationis vinculo iam innodatis, praefigitur terminus ad resipiscendum, quo elapso, nisi resipuerint, sedis episcopalis amotio aliaeque graviores decernuntur poenae (1).

SUMMARIUM

Lucanorum obstinatio. — Quare excommunicati. — Corruunt in peiora. — Minatur eis Gregor. suppressionem dignitatum et honorum. — Pisano archiepisc. mandat, ut eosdem admoneat de excessibus.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Pisano, salutem et apostolicam benedictionem.

Veremur, ne cives Lucani, qui opere deberent alludere nomini lucendo per

(1) Ex Regest. Vatic.

Lucanorum obstinatio

devotionis et fidei puritatem, vera sint luce privati, in quibus alligare, quod factum erat, pastorali diligentia nisi sumus, et reducere, quod abiectum, sed in eorum plaga, quae longo tempore iam duravit, obfirmatum invenimus firmamentum, ita quod non inconvenienter de ipsis possumus conqueri cum Propheta dicentes: Curavimus Babilonem, et non est sanata; quinimo instigante illo, qui malorum omnium est incentor, sic in suis iniquitatibus duruerunt, quod contriti nôn dolent, et percussi non recipiunt disciplinam. Sane dicti cives spiritu furoris, et stimulis superbiae concitati, Sedis Apostolicae patrimonium, terram videlicet Garfagnani contra monita, obsecrationes, et inhibitiones nostras multiplices invadere praesumpserunt, eam ancillare volentes, et suae subiicere servituti, propter quod eos ab iniuria nostra, et a futura confusione sua revocare curantes, ipsos excommunicavimus, et terram eorum ecclesiastico supposuimus interdicto. Iidem vero contemptis excommunicationis et interdicti sententiis, proterviores effecti, prolapsi semper in deterius, peiora de die in diem prioribus commiserunt. Unde contra eos, manus Sedis Apostolicae aggravantes, in maiorem confusionem ipsorum praefatam terram Garfagnani a ditione Lucani episcopi duximus subducendam, quod ipsi parvipendentes, sicut et censuram ecclesiasticae disciplinae, noluerunt a via sua mala reverti; sed eis fortius obstinatis et indurantibus faciem supra petram, incredibiliter nunc creverunt iniquitates eorum, quibus multiplicatis, sanguis videtur sanguinem tetigisse, propter quod ad illam necessitatem suis nos operibus induxerunt, ut etiamsi velimus, eisdem impoenitentibus parcere non possimus, ac impietas videatur super impietatibus suis pietatem habere. Nuper namque terram praedictam hostiliter destruentes, et crudelitatem nimiam exercentes, inter alia nefanda, quae commiserunt ibidem, impie prophanatis Dei sanctuariis, diruerunt et in cinerem et favillam redegerunt Ecclesias, et altaria etiam suffoderunt. Quare digno iudicio agitur, ut illorum crescente contemptu crescat et poena, et quoniam apostolicae gratiae se reddunt prorsus ingratos, quasi eius beneficium aspernantes, non remaneat gratia cum ingratis, ut eam, quam non cognoverunt habendo, saltem amittendo cognoscant, illamque se doleant amisisse. Asperiori ergo medicamento periti medici more utentes, qui ferrum vulneribus adhibet cum fomentorum non sentiunt medicinam. Attendentes etiam quod nihil est iustius, quam quod in eo quis puniatur, in quo noscitur deliquisse, de consilio fratrum nostrorum statuimus, nisi praefati cives ad mandatum nostrum usque ad proxime venturum festum Assumptionis Beatae Virginis revertantur super iis, pro quibus excommunicati sunt, et interdicti satisfactionem plenariam impensuri, eos episcopali honore, quo se reddiderunt indignos, et Ecclesiae cathedralis canonicos dignitate, si quam habeant ab Apostolica Sede, privandos, ut sic demum doleant datum alienis honorem ipsorum, et in labores suos extraneos introisse, nobis tunc cum Sapiente dicturis: Vocavi, et renuerunt, extendi manus meas, et non fuit qui aspiceret, despexerunt omne consilium meum, et increpationes meas penitus neglexerunt. Quo circa fraternitati tuae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, quatenus statutum huiusmodi non differas publicare. Et si memorati cives usque ad praetaxatum terminum non redierint, tamquam prae magnitudine culpae divino iudicio reprobati sententias prolatas tam in cives praedictos, quam in fautores eorum innovare procures, totamque terram ipsorum arctissimo supponere interdicto, ita quod praeter poenitentias morientium, et baptismata parvulorum nulla ibi sacramenta ecclesiastica conferantur. Praeterea populis cir-

Quare excommunicati.

Corruunt in peiora.

Minatur eis Gregor. suppressionem dignitatum et honorum.

Pisano archiepisc. mandat, ut eosdem admoneat de excessibus.

compositis sub poena excommunicationis, quam ipso iure contemptores incurrant, districtius interdicas, ne aliqua commercia exerceant cum eisdem, vel ad potestariam, aut aliquod aliud officium quemquam assumant de civitate Lucana, nec quisquam ipsorum quodcumque officium recipiat in eadem; statuta quoque, quae potestas Lucana suique officiales ediderint, et sententias quas tulerint iudices, ac instrumenta, quae conficient tabelliones post terminum praenotatum nullius esse momenti auctoritate nostra decernas; paratus nihilominus partem quam tibi, et Ecclesiae Pisanae concesserimus, de praedicta dioecesi inter vicinos episcopos dividenda cum a nobis fueris requisitus recipere, ac receptam sicut alia iura Pisanae dioecesis defensare.

Datum Laterani, quinto nonas iulii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 3 iulii 1230, pontif. an. IV.

XXI.

Reconciliatio Friderici II Romanorum imperatoris cum Romana Ecclesia, quibusdam positis conditionibus pro eiusdem Ecclesiae debita satisfactione (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Laetitiam Ecclesiae exponit de poenitentia Friderici. — Legatos apostol. ut a captivitate solvat Fridericum hortatur Pontifex.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Friderico Romanorum imperatori semper Augusto, et regi Siciliae, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Si Anna discessum Tobiae filii sui non sustinens patienter mox lacrymis effluebat, si morae impatiens, exiliens quotidie circuibat vias omnes, per quas remeandi fiducia videbatur, redditum anxie praestolando, et tandem in supercilio montis sedens, viso de longinquo filio redeunte, inexplicabili gaudio exultavit; quanto nunc tripudio hilarescat mater Ecclesia, quae filium excelsum prae regibus terrae de regione dissimilitudinis, ad se recipit redeuntem? quis valeat verbis, vel litteris explicare, cum non sit hominis etiam affectus proprios perfecte posse depromere per affatus? Magnificat siquidem anima nostra Dominum, et exultat spiritus noster in Domino salutari, qui deprecationem nostram, et misericordias suas a nobis non amovens, cordi tuo misericorditer inspiravit, ut animae tuae saluti, dignitatis honori, et multorum quieti provide consulens, ad piae matris gremium devote redires, quae in expectatione tui maternis affectibus et cruciatibus cruciata saepe pro tua conversione thus orationis Domino suppliciter adolevit, et immolavit lacrymabiliter vitulos labiorum multorum filiorum periculum perhorrescens. Nunc autem quia maius gaudium est angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, quam supra nonaginta novem iustis, qui se authumant poenitentia non egere, iubilat Ecclesia generalis, eo quod tenebrosus turbo, qui pene involverat omnem terram, luci cedit optatae, fragorque horridae tempestatis, quae multis excidium minabatur, arridente serenitatis gratia subsilescit. Nos etiam salutis et honoris tui profectum sinceris affectibus cupientes, Altissimi misericordiam humiliter imploramus; ut qui te revocavit ad vitam det virtutis constantiam revocato, quatenus ubi abundavit delictum, abundet et gratia, et praecedens lapsus te reddat in omnibus cautiorem, quia procul dubio non est amor, qui possit aequari materno, nec ullus efficacior erga te, quam Ecclesiae affectus gratiae valeat inveniri. Ipse quoque, fili charissime, parti tuae adesto sollicitus, ne de caetero patiaris te abduci, vel seduci pravis consiliis perversorum, qui non quae tua, sed quae sua sunt inique quaerentes, fascinare, te

Laetitiam Ecclesiae exponit de poenitentia Friderici.

(1) Ex Regest. Vatic.

gestiunt, ut exasperes matrem tuam; caeterum cum in solemnitate tam celebri, tam solemni, quando te quasi in novum hominem reformato gloriatur coelestis curia, et saeculum iucundatur, magnificentiam tuam munificis deceat affluere beneficiis pietatis, eo quod non solum christiani principes, sed etiam pagani, qui veram Dei notitiam non habebant, in suis solemnitatibus tenebantur liberare captivos; nos qui pro captivis et afflictis orare tenemur, precum nostrarum primitias affectione plenissimas imperiali mansuetudini duximus destinandas pro speciali munere postulantes, et adiurantes per illum Angelum, quem Dominus ad animae ac corporis tui custodiam deputavit, ne, quod absit, contristes eumdem, qui praecipue de tua conversione laetatur, quatenus in hac solemnitate, quae specialis est festivitas Angelorum, comitis Thomae, et quondam Raynaldi de Aversa filios nobis liberaliter largiaris, eos ad nostram praesentiam remittendo; quia licet secundum formam pacis, a principibus acceptatam, de ipsorum liberatione non fuerit dubitatum, si numquam tamen tractatum fuisset, nequaquam eos Ecclesiae negare te decet, qui tibi potest in longe maioribus respondere. Ut quid enim illi affligantur ulterius, cum te iam non oporteat in aliquo dubitare, qui habens manum Ecclesiae adiutricem, ubique ac undique secura potes gaudere quiete? Nobis siquidem principaliter atrocem irrogari reputaremus iniuriam, si contra te, quod absit, contingeret aliquid attentari.

Legatos apost. ut a captivate solvat Fridericum hortatur Pontifex.

Datum Anagniae, quinto kalendas septembris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 28 augusti 1230, pontif. an. IV.

XXII.

Declaratio regulae fratrum Minorum, eisdem a Sancto Francisco, institutore traditae, cum responsionibus dubiis per eosdem fratres alligatis (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — Missi a Minoritis nuncii ad Pontificem. — Quaedam dubia in regula S. Francisci. — An teneantur fratres ad eius observantiam: — An ad evangelica consilia. — Quomodo gerere se debeant in receptione pecuniarum. — An rei cuiusquam maneat penes Ordinem proprietas. — Qualiter recurrere debeant peccantes ad ministros. — Quomodo examinandi, et instituendi praedicatores. — Qui possint fratres recipere, et eiicere. — Qui concurrant ad electionem generalis ministri. — Quid intelligendum circa ingressum in monasteria monialium.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis generali, et provincialibus ministris, ac custodibus, caeterisque fratribus ordinis Minorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Quo elongati a saeculo, ut columbae pennis assumptis in secessum contemplationis super vos ipsos altius evolastis, et conspectius peccatorum iacula praevidetis, et plura, per quae conspicitis salutis impediri profectum, cordis vestri oculus perscrutatur. Unde quae tecta sunt aliis, in conscientiis vestris quandoque spiritus manifestat, sed splendore intelligentiae spiritalis caligine humanae infirmitatis, obducto scrupulus interdum dubitationis inducitur, et difficultates quasi inextricabiles ingeruntur. Sane constitutis nuper in praesentia nostra nunciis, quos vos filii provinciales misistis, qui eratis in generali capitulo congregati, et te, fili generalis minister, personaliter comparente, fuit nobis expositum, quod in regula vestra quaedam dubia et obscura, et quaedam intellectu difficilia continentur, sed sanctae memoriae beatus con-

Prooemium.

Missi a Minoritis nuncii ad Pontificem.

(1) Ex Regest. Vatic.

fessor Christi Franciscus nolens regulam suam per alicuius fratris interpretationes exponi, mandavit circa ultimum vitae suae, cuius mandatum ipsius dicitur testamentum, ut verba ipsius regulae non glossentur, et ut verbis utamur eiusdem, quod sic, vel sic intelligi debeant non dicatur. Adiiciens quod fratres nullo modo aliquas litteras ab Apostolica Sede petant, et alia quaedam interferens, quae non possent sine multa difficultate servari. Propter quod haesitantes an teneamini ad observantiam testamenti praedicti, dubietatem huiusmodi de conscientiis vestris, et fratrum vestrorum per nos amoveri petistis, et cum ex longa familiaritate, quam idem confessor nobiscum habuit, plenius noverimus intentionem ipsius, et in condendo praedictam regulam et obtinendo confirmationem ipsius per Sedem Apostolicam sibi astiterimus, dum adhuc essemus in minori officio constituti, declarari similiter postulatis dubia, et obscura regulae supradictae, necnon super quibusdam difficilibus responderi.

Quaedam dubia in regula S. Francisci.

An teneantur fratres ad eius observantiam.

Sane quamvis praedictum Christi confessorem piam intentionem in praefato mandato habuisse credamus, et vos iustis votis eius, et desideriis sanctis affectetis omnimode conformari. Nos tamen attendentes animarum periculum, et difficultates quas propter hoc possetis incurrere, dubietatem de vestris cordibus amovendo, ad mandatum illud vos dicimus non teneri, quod sine consensu fratrum, et maxime ministrorum quos universos tangebat, obligare nequivit, nec successorem suum quomodolibet obligavit, cum non habeat imperium par imperare. Ad haec, sicut per praedictos nuncios intelleximus, dubitatur ab aliquibus fratrum vestrorum, ne tam ad consilia, quam ad praecepta Evangelii teneantur, tum quia in regulae vestrae habetur principio: Regula, et vita Minorum fratrum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare vivendo in obedientia sine proprio, et in castitate; tum quia in fine ipsius regulae continentur haec verba: Paupertatem et humilitatem, et sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus. Unde scire desiderant, an ad alia Evangelii teneantur consilia, quam ad ea, quae in ipsa regula praeceptorie, vel inhibitorie sunt expressa: praesertim, cum ipsi ad alia non se obligare intenderint, et vix vel nunquam omnia possint ad litteram observari. Nos autem breviter respondemus, vos ad alia consilia Evangelii non teneri per regulam, nisi ad ea, ad quae vos obligastis in ipsa. Ad caetera non tenemini, sicuti caeteri christiani, et eo magis de bono, et aequo, quo vos obtulistis holocaustum Domino medullatum per contemptum omnium mundanorum. Item cum in eadem Regula sit inhibitum, ne fratres recipiant per se vel per alios denarium, vel pecuniam ullo modo, et ipsi hoc in perpetuum observare desiderent, certiorari requirunt, si aliquibus timentibus Dominum fideles aliquos per quos ipsi subveniant necessitatibus eorumdem, sine offensione regulae audeant praesentare, ac ad fideles eosdem pro necessitatibus ipsis secura recurrere conscientia, cum denarios, aut pecuniam eos noverint accepisse. Quos tamen denarios, vel pecuniam auctoritate propria non intendunt facere conservari, nec nomine depositi exigere ab eisdem. Super quo duximus respondendum: quod si rem sibi necessariam velint fratres emere, vel solutionem facere pro iam empta, possunt, vel nuncium eius a quo res emitur, vel aliquem alium volentibus sibi eleemosynas facere, nisi idem per se, vel per proprios nuncios solvere maluerint, praesentare, qui taliter praesentatus a fratribus non est eorum nuncius, licet praesentetur ab ipsis, sed illius potius, cuius mandato solutionem facit, seu recipientis eamdem. Idem tamen nuncius solvere statim debet, ita quod de pecunia nihil remaneat penes eum. Si vero pro aliis imminentibus ne-

An ad evangelica consilia.

Quomodo gerere se debeant in receptione pecuniarum.

cessitatibus praesentetur, eleemosynam sibi commissam potest, sicut et dominus apud spiritualem, vel familiarem amicum fratrum deponere, per ipsum loco et tempore pro ipsorum necessitatibus, sicut expedire viderit, dispensandam. Ad quem etiam fratres pro huiusmodi necessitatibus poterunt habere recursum, maxime si negligens fuerit, vel necessitates ignoraverit eorumdem. Praeterea cum in ipsa regula contineatur expresse, quod fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec rem aliquam, ac ipsi processu temporis contaminari timeant ordinis paupertatem, praesertim cum iam dixerint aliqui proprietatem mobilium pertinere ad totum Ordinem in communi: nobis fuit humiliter supplicatum, ut in hoc animarum dignaremur providere periculis, et totius Ordinis puritati. Dicimus itaque, quod nec in communi, nec in speciali debent proprietatem habere, sed utensilium, et librorum, et eorum mobilium, quae licet habere, Ordo usum habeat, et fratres secundum quod generalis minister, vel provinciales disponendum duxerint, iis utantur, salvo locorum, et domorum dominio illis, ad quos noscitur pertinere: nec vendi debent mobilia, vel extra ordinem commutari, aut alienari quoquomodo, nisi Ecclesiae Romanae cardinalis, qui fuerit Ordinis gubernator, generali, seu provincialibus ministris auctoritatem super hoc praebuerit, vel assensum. Quia vero in quodam eiusdem regulae capitulo continetur, ut si qui fratrum, instigante humani generis inimico, mortaliter peccaverit, pro illis peccatis de quibus ordinatum fuerit, ut recurratur ad solos ministros provinciales, teneantur fratres ad eos recurrere quamcitius poterunt, sine mora: ipsi pie dubitant, utrum hoc de peccatis publicis tantum intelligi debeat, an de publicis pariter et privatis. Respondemus igitur praedictum capitulum ad manifesta tantum et publica pertinere volentes, ut generalis minister constituat, vel constitui

An rei cuiusquam maneat penes ordinem proprietas.

Qualiter recurrere debeant peccantes ad ministros.

faciat tot per provincias, quot earum ministri viderint expedire, de maturioribus, et discretioribus sacerdotibus, qui super privatis audiant poenitentes, nisi fratres ministris, aut custodibus suis ad loca eorum declinantibus maluerint confiteri. Caeterum cum prohibente regula nulli fratrum liceat populo praedicare, nisi a ministro generali fuerit examinatus, et approbatus, et sibi officium praedicationis ab ipso concessum; certificari petistis utrum pro laboribus fratrum, et periculosis discursibus evitandis generalis minister dictam examinationem, approbationem, et commissionem officii praedicationis discretis aliquibus committere valeat pro examinandis generaliter illis, qui in provinciis sunt statuti, vel specialiter pro quibusdam. Ad quod damus tale responsum, quod haec generalis minister nulli potest absenti committere; sed qui examinatione indigere creduntur, mittantur ad ipsum, vel cum ministris provincialibus conveniant propter hoc in capitulo generali; si qui vero examinari non egent pro eo quod in theologica facultate, et praedicationis officio sunt instructi, si aetatis maturitas, et alia, quae requiruntur in talibus, conveniant in eisdem, possunt, nisi quibus minister generalis contradixerit, et modo quo dictum est, populo praedicare. Super eo autem, quod dubitant fratres, ac vicarii provincialium ministrorum, quos ipsi sibi substituunt, cum ad capitulum veniunt generale, possint ad ordinem recipere venientes, vel eiicere iam receptos, dicimus, quod non possunt, quia nec hoc ministris ipsis permittitur, nisi eis specialis super hoc licentia concedatur, quibus etiam generalis minister, sicut concedere, sic negare potest licentiam supradictam; et cum iuxta eamdem regulam, aliis quam ministris provincialibus fratrum receptio committi non valeat; multo minus potestatem habeant provinciales ministri hoc aliis committendi, quibus id, et non aliis est commissum

Quomodo examinandi, et instituendi praedicatores.

Qui possint fratres recipere et eiicere.

Qui concurrant ad electionem generalis ministri.

Insuper dubitantibus vobis, an pro eo quod in regula dicitur, ut decedente generali ministro, a provincialibus ministris et custodibus in capitulo Pentecostes fiat electio successoris, omnium custodum multitudinem oporteat ad generale capitulum convenire, an ut omnia cum maiori tranquillitate tractentur, sufficere possit, ut aliqui de singulis provinciis, qui vocem habeant aliorum intersint; taliter respondemus, ut singularum provinciarum custodes unum ex se constituant, quem cum suo provinciali ministro pro ipsis ad capitulum dirigant, voces suas committentes eidem. Quod etiam cum statueritis per vos ipsos, statutum huiusmodi duximus approbandum.

Quid intelligendum circa ingressum in monasteria monialium.

Denique quia continetur in regula supradicta, quod fratres non ingrediantur monasteria monialium, praeter illos quibus a Sede Apostolica concessa fuerit licentia specialis, quamquam hoc de monasteriis pauperum monialium inclusarum fratres hactenus intelligendum esse crediderint, cum earum Sedes Apostolica curam habeat specialem, et intellectus huiusmodi per constitutionem quamdam tempore datae regulae, vivente adhuc beato Francisco, per provinciales ministros fuisse credatur in generali capitulo declaratus; certificari nihilominus postulastis, an hoc de omnibus generaliter, cum regula nullum excipiat; an de solis monasteriis intelligi debeat monialium praedictarum. Nos utique, generaliter, id esse prohibitum de quarumlibet coenobiis monialium respondemus, et nomine monasterii volumus claustrum, domos, et officinas interiores intelligi pro eo, quod ad alia loca, ubi etiam homines saeculares conveniunt, possunt fratres illi causa praedicationis, vel eleemosynae petendae accedere, quibus id a superioribus suis pro sua fuerit maturitate vel idoneitate concessum, exceptis semper praedictarum monasteriis inclusarum, ad quae nulli datur accedendi facultas sine licentia Sedis Apostolicae speciali.

Datum Anagniae, sextodecimo kalendas novembris, pontificatus nostri anno IV.

Dat. die 17 octobris 1230, pontif. an. IV.

XXIII.

Quod tyrones infra tempus probationis habitum dimittere, et ad saecularia vota remeare absque apostasiae nota libere et licite possint et valeant (1).

SUMMARIUM

Causa dandae constitutionis. — Tyrones infra tempus probationis habitum dimittentes non sunt apostatae. — Dubia nonnulla super hoc explicantur. — Novitii itaque libertatem habent ad pristinum statum redeundi. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Causa dandae constitutionis.

Quia nonnullos loca religiosa absque protestatione intrare contingit, et infra tempus probationis exire, ad saeculum redeuntes apostasiae criminis arguuntur: super quo fuit hactenus a pluribus dubitatum, quia cum tempus probationis concessum continere in se videatur liberam optionem eligendi alterum e duobus, vel in monasterio tales remaneant, aut abscedant liberi, etiam post promissam de stabilitate perseverantiam, sicut in beati Benedicti regula continetur.

Tyrones infra tempus probationis habitum dimittentes non sunt apostatae.

Varia quoque probationis tempora ex diversitate personarum, causarum et conditionum fuerunt instituta, quibus quandoque triennium in habitu saeculari, quandoque biennium fuit statutis canonicis, ac sanctione legalis provisionis indultum, et tandem ex praefata regula, et beati Gregorii Papae prohibitione nihilominus interdictum, ne ante unius anni probationem aliquis in monachum admittatur; personae huiusmodi apostatae non videntur, praesertim cum a praedecessoribus nostris pluries dicatur esse responsum;

(1) Ex Regest. Vatic.

novitios ante susceptum religionis habitum in probatione positos ne ad statum pristinum redire valeant prohiberi. Licet autem praedecessores nostros super hoc diversa sensisse aliquibus videatur; credendum tamen non est, quod iniicere voluerint laqueum animabus, quae a diversis et variis irruentibus mortis occasionibus sunt potius eruendae, cum ex imperitia, seu negligentia in hoc simpliciores maxime facile caperentur. Et quod de protestatione facienda scriptum est, consilii esse potius creditur quam praecepti, quia etsi videatur alicubi ommisssa protestatio praesumptionem conversionis inducere, ne liceat ommittenti illam ad saeculum postmodum remeare, non tam protestationis ommissio, quam assumptio habitus religionis, qui datur professis, de quo mentio specialiter habetur ibidem, facultatem adimit ad saeculum redeundi. Nos autem animarum saluti providere volentes, et amovere materiam scandalorum, de consilio fratrum nostrorum praesenti decreto statuimus, novitios in probatione positos ante susceptum religionis habitum, qui dari profitentibus consuevit, vel ante professionem emissam, ad priorem statum redire posse libere infra annum, nisi evidenter appareat quod tales absolute voluerint vitam mutare, et in religione perpetuo Domino deservire, cum quilibet renunciare valeat ei, quod pro se noscitur introductum. Ad ambiguitatem omnem penitus amputandam, nihilominus statuentes, ut cum in quibusdam locis religiosis novitiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes, quae profitentibus conceduntur, ut novitiorum a professorum habitu discernatur.

Dubia nonnulla super hoc explicantur.

Novitii itaque libertatem habent ad pristinum statum redeundi.

Clausulae

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani, quintodecimo kalen. aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 18 martii 1231, pontif. an. IV.

XXIV.

Confirmatio concordiae inter Sanctorum Laurentii in Damaso, et Eustachii de Urbe capitula initae super nonnullarum Ecclesiarum iurisdictione (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Status quaestionis. — Compositio facta tempore Alexandri III PP. — Confirmatoriae super hoc eiusdem Alexandri litterae. — Quae fuerit concordia. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis archipresbytero, et clericis Ecclesiae Sancti Eustachii de Urbe, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Ea quae iudicio vel concordia terminantur, firma debent, et illibata consistere; et ne in recidivae contentionis scrupulum relabantur, apostolico convenit praesidio communiri.

Status quaestionis.

Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris devotis precibus inclinati, compositionem, quae inter vos ex parte una, et priorem, et clericos Ecclesiae Sancti Laurentii in Damaso de Urbe, ex altera, super investitura sacerdotum, scrutinio, baptismate et capitulo quatuor cappellarum, Sancti Pantaleonis videlicet, Sancti Sebastiani, Sancti Benedicti et Sancti Silvestri amicabiliter intervenit, ad instar felicis recordationis Alexandri Papae praedecessoris nostri, sicut sine pravitate provide facta est, et ab utraque parte sponte recepta, et in eius litteris super hoc confectis prospeximus contineri; auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Compositio facta tempore Alexandri III PP.

(1) Ex Regest. Vatic.

Confirmatoriae super hoc eiusdem Alexandri litterae.

Ad maiorem vero cauthelam tenorem litterarum ipsarum praesentibus duximus inserendum, qui talis est: Alexander episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Petro archipresbytero, et clericis Sancti Eustachii, salutem et apostolicam benedictionem. Cum inter Ecclesiam vestram et Ecclesiam Sancti Laurentii in Damaso de investitura sacerdotum, scrutinio, baptismate, et capitulo quatuor cappellarum, Sancti Pantaleonis videlicet, Sancti Sebastiani, Sancti Benedicti, et Sancti Silvestri, controversia sit aliquandiu agitata, tandem inter vos, et clericos Sancti Laurentii in Damaso de consensu et auctoritate dilectorum filiorum nostrorum Petri tituli eiusdem Ecclesiae Sancti Laurentii presbyteri, et Ugolini Ecclesiae vestrae diaconi cardinalium super his amicabiliter compositio intercessit, quam ut futuris temporibus inviolabiliter observetur, praesentibus litteris duximus annotandam.

Quae fuerit concordia.

Sane sacerdotes praescriptarum cappellarum ad Ecclesiam vestram pertinentium scrutinium, solemnem Baptismum, qui fit in Sabbatho Sancto, capitulum in maiori hebdomada, et duo alia capitula, ad quae infra annum vocati fuerint, eidem Ecclesiae Sancti Laurentii sine contradictione exhibebunt. Ita quidem quod singuli, qui in aliqua praedictarum cappellarum pro tempore fuerint ordinati, haec dumtaxat Ecclesiae Sancti Laurentii, sicut diximus, exhibebunt. Crisma vero et Oleum Sanctum supradictae cappellae ab Ecclesia Sancti Laurentii tantum recipient si gratis et absque omni pravitate dare voluerit. Si quis autem praedictorum presbyterorum haec, ut statutum est, et nominatim expressum, Ecclesiae Sancti Laurentii noluerit exhibere, clerici Sancti Laurentii denunciabunt vobis, ut eum quae dicta sunt eidem Ecclesiae Sancti Laurentii exhibere compellatis, et si contemptor extiterit, et tribus vicibus vocatus non satisfecerit, spatio viginti dierum elapso, Ecclesia Sancti Laurentii ipsum interdicendi, et postmodum excommunicandi liberam habeat potestatem. In hoc siquidem Ecclesia vestra sine fraude iuvabit Ecclesiam Sancti Laurentii. Et si populus interdicto vel excommunicato favorem praestare voluerit, Ecclesia Sancti Laurentii sine fraude iuvabit Ecclesiam vestram; vel ad removendum contumacem ab Ecclesia, vel ad cogendum ipsum ad satisfactionem, prout Ecclesia vestra elegerit: Ecclesia autem Sancti Laurentii nihil ultra in praenominatis cappellis, seu a cappellanis earum de caetero postulabit, vel sibi vindicare praesumet, per quod ius, et consuetudines Ecclesiae vestrae, quas in eisdem cappellis habet, in aliquo minuantur. Praeterea praedicti cappellani ea, quae in ipsis capitulis ad honorem Ecclesiae Sancti Laurentii tractabuntur, observabunt: ita tamen quod si quid fuerit in ipsis capitulis ad diminutionem iuris et consuetudinum Ecclesiae vestrae vel cappellarum ipsarum tractatum, observare nullo modo cogantur. Verumtamen nulla earumdem cappellarum interdictum, vel excommunicatum ab Ecclesia Sancti Laurentii recipiet, imo pro excommunicato et interdicto ipsum tenebit. Omnem autem ordinationem et dispositionem super iamdictis cappellis libere ac pacifice absque alicuius contradictione Ecclesia vestra de caetero habeat, salvo tenore conventionis. Insuper etiam pro bono pacis interdictum aut excommunicatum in sua iurisdictione a capitulo Ecclesiae vestrae Ecclesia Sancti Laurentii non recipiet; imo eum pro interdicto et excommunicato tenebit. Et hoc idem faciet Ecclesia vestra de interdicto et excommunicato ab Ecclesia Sancti Laurentii. Ne igitur controversia, quae amicabilem finem suscepit, iterum suscitetur, praescriptam conventionem ratam habemus, et firmam, eamque ad petitionem utriusque partis, auctoritate apostolica confirmantes, praesentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae

confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Anagniae quartodecimo kalendas augusti.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani quinto idus aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 9 aprilis 1231, pontif. an. v.

XXV.

Innovatio privilegiorum, aliorumque indultorum a Zacharia Papa sacro Cassinensi coenobio concessorum (1).

SUMMARIUM

Zacharias Cassinatibus concedit diploma. — Confirmatur. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati, et conventui monasterii Cassinen., salutem et apostolicam benedictionem.

Zacharias Cassinatibus concedit diploma. Cum multa precum instantia devote ac humiliter nuper postulastis a nobis, ut bonae memoriae Zachariae Papae praedecessoris nostri privilegium monasterio vestro concessum propter vetustatem ipsius, maxime cum filum cui bulla adhaerebat pro maiori esset parte confractum, et alterius formae foret eiusdem littera quam moderna, mandaremus sub bulla nostra litteris annotari. Nos igitur eodem privilegio diligenter inspecto, ne ius posset (Confirmatur.) eiusdem monasterii deperire, privilegium illud praesentibus de verbo ad verbum annotari fecimus ad cauthelam apostolici favoris ei praesidium impendendo; ita quod per hoc nihil plus iuris accrescat eidem monasterio, quam ei per dictum privilegium fuisset indultum; cum per id conservare ius antiquum, non novum ei concedere intendamus. Tenor autem eiusdem privilegii talis est.

Zacharias episcopus servus servorum Dei *etc.*

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae annotationis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani quarto idus aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 10 aprilis 1231, pontif. an. v.

(1) Ex Regest. Vatic.

XXVI.

Praescribuntur nonnulla statuta et ordinationes pro bono regimine universitatis Studii generalis Parisien. a magistris, eiusdemque scholaribus servanda (1).

SUMMARIUM

Encomium Studii Parisiensis. — Iuramentum a cancellario praestandum de licentiandis. — Inquisitio de iis facienda ante licentiam dandam. — Privilegia nonnulla conceduntur magistris. — Episcopi Parisien. ius in scholares delinquentes. — Exemptiones eisdem concessae. — De vacationibus aestivis. — De magistris artium. — De magistris theologiae. — De bonis scholarium obeuntium. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis magistris, et scholaribus Parisien., salutem et apostolicam benedictionem.

Parens scientiarum Parisii, velut altera Cariathsepher civitas litterarum cara claret, magna quidem, sed de se maiora facit optari docentibus et discentibus gratiosa, in qua utique, tamquam in officina sapientiae speciali, habet argentum (Encomium Studii Parisiensis.)

(1) Ex Regest. Vatic.

venarum suarum principia, et auro locus est, in quo rite conflatur, ex quibus prudentes eloquii mystici, murenulas aureas vermiculatas argento cudentes, et fabricantes monilia ornata lapidibus pretiosis, imo nullo pretio comparandis, Sponsam Christi decorant et decorant; ibi ferrum de terra tollitur, quia dum terrena fragilitas fortitudine solidatur, lorica fidei, gladius, spiritus, et caetera, inde fit christianae militiae armatura potens adversus aereas potestates, et lapis calore solutus in aes vertitur, quia corda lapidea Sancti Spiritus afflata fervore, dum ardent, incendunt, et fiunt praedicatione sonora praeconantia laudes Christi. Quare non est dubium, quin Deo, et hominibus graviter displiceret, quisquis in civitate praedicta gratiam tam insignem niteretur ullatenus disturbare, vel disturbantibus se pro viribus potenter non opponeret, et patenter. Unde cum super dissensione ibi diabolo instigante suborta, studium enormiter disturbante, quaestiones ad nos delatas audiverimus diligenter, eas potius provisionis moderamine, quam iudiciali sententia de fratrum nostrorum consilio duximus sopiendas; circa statum itaque scholarium et scholarum haec statuimus observanda, videlicet quod quilibet cancellarius Parisien., vocatis ad hoc, et praesentibus pro universitate scholarium duobus magistris, in sua institutione iurabit, quod ad regimen theologiae, ac decretorum bona fide secundum conscientiam suam loco et tempore secundum statum civitatis, et honorem ac honestatem facultatum ipsarum, nonnisi dignis licentiam largietur, nec admittet indignos, personarum, et nationum acceptione submota. Ante vero quam quemquam licentiet infra tres menses a tempore petitae licentiae, tam ab omnibus magistris theologiae in civitate praesentibus, quam aliis viris honestis et litteratis, per quos veritas sciri possit, de vita, scientia et facundia, nec non proposito, et spe proficiendi, ac aliis, quae sunt in talibus requirenda, diligenter inquirat, et inquisitione sic facta quid deceat, et quid expediat bona fide det, vel neget secundum conscientiam suam petenti licentiam postulatam. Magistri vero theologiae ac decretorum quando incipient legere, praestabunt publice iuramentum, quod super praemissis fidele testimonium perhibebunt. Cancellarius quoque iurabit, quod consilia magistrorum in malum eorum nullatenus revelabit Parisien. canonicis, libertate ac iure in incipiendo habitis in sua manentibus firmitate. De phisicis autem, et artistis, ac aliis cancellariis bona fide promittet examinare magistros, et nonnisi dignos admittens repellet indignos. Caeterum quia ubi non est ordo, facile repit horror, constitutiones seu ordinationes providas faciendi de modo et hora legendi et disputandi, de habitu ordinato, de mortuorum exequiis, necnon de bachellariis, qui, et qua hora, et quid legere debeant, ac hospitorum taxatione, seu etiam interdicto, et rebelles ipsis constitutionibus vel ordinationibus per subtractionem societatis congrue castigandi vobis concedimus facultatem. Et si forte vobis subtrahatur hospitiorum taxatio, aut quod absit vobis vel alicui vestrum iniuria vel excessus inferatur enormis, utpote mortis vel membri mutilationis, nisi, congrua monitione praemissa, infra quindecim dies fuerit satisfactum, liceat vobis usque ad satisfactionem condignam suspendere lectiones, et si aliquem vestrum indebite incarcerari contigerit, fas sit vobis, nisi monitione praehabita cesset iniuria, statim a lectione cessare, si tamen id videbitis expedire. Praecipimus autem, ut Parisiensis episcopus sic delinquentium castiget excessus, quod scholarium servetur honestas, et maleficia non remaneant impunita, sed occasione delinquentium non capiantur ullatenus innocentes, imo si contra quemquam suspicio fuerit orta probabilis, honeste detentus, idonea cautione praestita, cessantibus carcerariorum

Iuramentum a cancellario praestandum de licentiandis.

Inquisitio de iis facienda ante Licentiam dandam.

Privilegia nonnulla conceduntur magistris.

Episcopi Parisien. ius in scholares delinquentes.

exactionibus dimittatur: quod si forte tale crimen commiserit, quod incarceratione sit opus, episcopus in carcere culpabilem detinebit, cancellario habere proprium carcerem penitus interdicto. Prohibemus insuper ne scholaris pro contracto debito de caetero capiatur, cum hoc sit canonicis et legitimis sanctionibus interdictum, sed nec episcopus, vel officiales eius, seu cancellarius poenam pecuniarum pro excommunicationis amenda, vel alia qualibet censura requiret, nec cancellarius a licentiandis magistris iuramentum, vel obedientiam, seu aliam exiget cautionem, nec aliquod emolumentum, seu promissionem recipiet pro licentia concedenda, iuramento superius nominato contentus. Porro vacationes aestivae non extendantur de caetero ultra mensem, sed vacationum tempore bachellarii, si voluerint, suas continuent lectiones. Inhibemus autem expressius, ut scholares per civitatem armati non vadant, et turbatores pacis et studii Universitas non defendat, et illi, qui simulant se scholares, nec tamen scholas frequentant, nec magistrum aliquem profitentur, nequaquam scholarium gaudeant libertate. Ad haec iubemus, ut, magistri artium unam lectionem de Prisciano, et unus post alium ordinarie semper legant, et libris illis naturalibus, qui in concilio provinciali ex certa causa prohibiti fuere, Parisiis non utantur, quousque examinati fuerint, et ab omni errorum suspicione purgati. Magistri vero et scholares theologiae, in facultate, quam profitentur, se studeant laudabiliter exercere, nec philosophos se ostentent, sed satagant fieri theodocti, nec loquantur in lingua populi, et populi linguam hebræam cum azotica confundentes, sed de illis tantum in scholis quaestionibus disputent, quae per libros theologicos, et sanctorum Patrum tractatus valeant terminari. Praeterea de bonis scholarium, qui intestati decedunt, vel rerum suarum ordinationem aliis non committunt, sic duximus providendum, videlicet ut episcopus et unus de magistris, quem ad hoc Universitas ordinaverit, recipientes omnia bona defuncti, et in loco tuto et idoneo deponentes, statuent certum diem, quo illius obitus in patria sua valeat nunciari, et illi, ad quos bonorum eius est successio devoluta, possint Parisiis accedere, vel idoneum nuncium destinare, et si venerint, vel miserint, restituentur eis bona cum cauthela, quae fuerit adhibenda. Si vero non comparuerit aliquis, ex tunc episcopus et magister bona ipsa pro anima defuncti, prout expedire viderint, erogabunt; nisi forsan ex aliqua iusta causa venire nequiverint successores, et tunc erogatio in tempus congruum differatur. Verum quia magistri et scholares, qui damnis et iniuriis lacessiti, iuramento invicem sibi præstito, a civitate Parisien. dissipato studio discesserunt, visi sunt causam agere non tam propriam, quam communem, nos generalis Ecclesiae necessitate ac utilitate pensata, volumus et mandamus, ut postquam a charissimo in Christo filio nostro illustri rege Francorum magistris et scholaribus privilegia exhibita fuerint, et de ipsorum malefactoribus amendae taxatae, Parisiis licite studeant, nulla prorsus de mora, vel reditu, infamia vel irregularitate notandi.

Exemptiones eisdem concessae. — De vacationibus aestivis. — De magistris artium. — De magistris Theologiae. — De bonis scholarium obeuntium.

Clausulae

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae provisionis, concessionis, prohibitionis et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani idibus aprilis, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 13 aprilis 1231, pontif. an. v.

XXVII.

***Quod a clero in Ecclesiis Urbis servetur ordo, videlicet ut presbyteri diaconis praeferantur, isti vero subdiaconis praecedant* (1).**

SUMMARIUM

Exordium. — Gradus in Ecclesia diversi. — Locus cuilibet assignatus.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis rectoribus Fraternitatis, et universo clero Urbis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Ut universalis Ecclesiae pulchritudo membris effigiata distinctis, quae non eumdem actum habentia, invicem sibi unanimi charitate ministrant, non solum servetur integrius, verum etiam officiosius operetur, instar curiae regni coelestis ordinum varietate distinguitur et insignitur titulis dignitatum, quibus viri digni decorati (Gradus in Ecclesia diversi.) decenter secundum differentes datas a Domino gratias in ea, qua vocantur vocatione, digne studeant famulari. Unde ne membrum in corpore scandalum facere videatur, expedit, ut qui minores sunt ordine, nequaquam postponi maioribus dedignentur, cum alias ridiculum videretur, si provecti ad ordines altiores in locis inferioribus remanerent. Ut igitur in Ecclesiis Urbis singula quaeque locum teneant sortita decenter, volentes ut Apostolicae Sedi, cuius sunt membra, sicut convenit, conformentur, de fratrum nostrorum consilio praesenti decreto statuimus, (Locus cuilibet assignatus.) ut de caetero in qualibet Ecclesia presbyteri primum locum, diaconi secundum, subdiaconi tertium, et sic de reliquis obtineant ordinatim, etiamsi posterius admittantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani, quarto idus maii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 12 maii 1231, pontif. an. v.

(1) Ex Regest. Vatic

XXVIII.

Confirmatio regulae ordinis S. Marci Mantuan., cuius prioribus indulgetur, ut laicos, qui apud eos regularem habitum receperint, ad primam tonsuram promovere valeant (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Regulam ab eis emendatam confirmat. — Regulae tenor. — De concordia servanda, — Observandaque regula. — De silentio: — Proprietate: — Ieiunio: — Cum quibus dispensandum: — Cibis: — Vestibus, et lectulo: — Usu cottarum: — Labore manuum: — De admittendis ad professionem: — De advocatis, vice dominis *etc.* — De colloquio cum sororibus *etc.* — De observantia reformationum a visitatoribus faciendarum. — Confirmata regula, non nulla priori Pontifex concedit privilegia. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis prioribus, et collegiis Ecclesiarum ordinis Sancti Marci Mantuan. tam praesentibus, quam futuris hanc regulam professis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Piae postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut et devotionis sinceritas enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. (Exordium.)

Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus inclinati, regulam, (Regulam ab eis emendatam confirmat.) quam deliberatione provida statuentes communiter approbastis, a felicis recordationis Innocentio Papa praedecessore nostro vobis fratribus Sancti Marci dudum roboratam ante concilium generale, ac de mandato bonae memoriae Honorii Papae praedecessoris nostri in quibus-

(1) Ex Regest. Vatic.

dam correctam, secundum quod vobis magis expedire prospeximus, ad petitionem vestram fecimus emendari, eamque vobis, et omnibus eamdem regulam profiteri volentibus, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, cuius tenorem praesentibus litteris annotari fecimus, qui est talis:

Quoniam favente Deo, nos priores, et conventus Ecclesiarum ordinis Sancti Marci de Mantua uni Domino servire, unique regi disponimus militare, volentibus nobis sanctorum Patrum imitari vestigia, unum praecipue necessarium est, ut omnibus nobis sit cor unum, et anima una in Domino, et unius moris habitemus in Domo Domini militanti, ut sic pervenire mereamur ad illam unam, quam Propheta in triumphanti Domo Domini postulat possidere. Quod quidem, ut possimus facilius obtinere, ad honorem Dei, ac Virginis gloriosae, aliorumque sanctorum regulam canonicam, prout inferius descripta est, ordinavimus a nobis nostrisque successoribus secundum infirmitatem nostram perpetuo observandam. Fratres et sorores intra canonicas suas silentium teneant ab ultimo signo Completorii usque ad constitutum signum post laudes matutinas. In choro quoque, dormitorio, claustro et refectorio continuum silentium teneatur, nisi forte pro necessitate, vel utilitate, loquendi licentia concessa fuerit a priore. Licet tamen priori dum ad mensam steterit, vel eo absente tenenti locum eius aliquid pro utilitate cum aliquo leniter dicere. Si quid autem opus fuerit alicui, signo petatur non verbo: officialibus quoque in ordine designatis, et etiam aliis fratribus et sororibus, quibus prior duxerit concedendum, silentii tempore cum gravitate ac moderatione loqui liceat in locis, quae in capitulo determinata fuerint ab eodem. Ubique etiam loqui liceat universis, si videatur imminere periculum incendii vel latronum: infirmi etiam in infirmitorio commorantes sub hac lege silentii minime astringantur. Ipsi tamen sibi sint, lex et timeant oculos Dei offendere, qui bonos et malos in locis omnibus contemplantur. Nemo nostri ordinis ex quo professionem fecerit proprium aliquid habeat, vel suum esse aliquid etiam dicat, nihilque liceat ei dare absque prioris sui licentia, aut accipere aliquid quod, quam citius commode poterit, non exponat voluntati prioris; cum nec propria corpora, nec voluntates etiam habere debeant in propria potestate. Ab octavis Paschae usque ad Exaltationem Sanctae Crucis, secunda, quarta et sexta feria canonici et sorores ieiunent. Conversi vero teneantur tantum in sextis feriis et ieiuniis solemnibus ieiunare. Ab Exaltatione autem Sanctae Crucis, usque ad Pascha, exceptis diebus dominicis, continuum ieiunium observetur. Conversi tamen, qui gravioribus occupantur laboribus, quartis et sextis feriis, et in solemnibus ieiuniis, et per totum Adventum teneantur similiter ieiunare, sed cum agunt opera leviora omni tempore, sicut canonici, secundum prioris arbitrium ieiunare similiter teneantur. Liceat tamen priori ab octavis Paschae usque ad kalendas octobris relaxare ieiunia, cum id viderit expedire. Debilibus quoque, et senibus, et adolescentibus omni tempore, cum priori expedire videbitur, rigor ieiunii relaxetur. Minutis etiam liceat bis se reficere, prima, secunda et tertia die minutionis, nisi praecipuum ieiunium tunc occurrat. Qui eques eundo de consensu prioris fuerint in itinere constituti, ab octavis Paschae usque ad Exaltationem Sanctae Crucis, nisi in sexta feria et in praecipuis ieiuniis, ieiunare minime teneantur. Illis autem, qui pedes vadunt, omni tempore liceat bis se reficere, excepto in Adventu, et in praecipuis ieiuniis, et dum in aliquo loco moram pertraxerint, si fieri poterit sine gravamine sociorum. Infirmi autem, qui talem infirmitatem habent, quae appetitum non multum turbet, nec eos multum

Regulae tenor.

De concordia servanda:

Observandaque regula.

De silentio:

De proprietate:

De ieiunio:

Cum quibus dispensandum:

XXVII.

Quod a clero in Ecclesiis Urbis servetur ordo, videlicet ut presbyteri diaconis praeferantur, isti vero subdiaconis praecedant (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Gradus in Ecclesia diversi. — Locus cuilibet assignatus.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis rectoribus Fraternitatis, et universo clero Urbis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Ut universalis Ecclesiae pulchritudo membris effigiata distinctis, quae non eumdem actum habentia, invicem sibi unanimi charitate ministrant, non solum servetur integrius, verum etiam officiosius operetur, instar curiae regni coelestis ordinum varietate distinguitur et insignitur titulis dignitatum, quibus viri digni decorati decenter secundum differentes datas a Domino gratias in ea, qua vocantur vocatione, digne studeant famulari. Unde ne membrum in corpore scandalum facere videatur, expedit, ut qui minores sunt ordine, nequaquam postponi maioribus dedignentur, cum alias ridiculum videretur, si provecti ad ordines altiores in locis inferioribus remanerent. Ut igitur in Ecclesiis Urbis singula quaeque locum teneant sortita decenter, volentes ut Apostolicae Sedi, cuius sunt membra, sicut convenit, conformentur, de fratrum nostrorum consilio praesenti decreto statuimus, ut de caetero in qualibet Ecclesia presbyteri primum locum, diaconi secundum, subdiaconi tertium, et sic de reliquis obtineant ordinatim, etiamsi posterius admittantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Gradus in Ecclesia diversi. Locus cuilibet assignatus.

Datum Laterani, quarto idus maii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 12 maii 1231, pontif. an. v.

(1) Ex Regest. Vatic

XXVIII.

Confirmatio regulae ordinis S. Marci Mantuan., cuius prioribus indulgetur, ut laicos, qui apud eos regularem habitum receperint, ad primam tonsuram promovere valeant (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Regulam ab eis emendatam confirmat. — Regulae tenor. — De concordia servanda, — Observandaque regula. — De silentio: — Proprietate: — Ieiunio: — Cum quibus dispensandum: — Cibis: — Vestibus, et lectulo: — Usu cottarum: — Labore manuum: — De admittendis ad professionem: — De advocatis, vice dominis *etc.* — De colloquio cum sororibus *etc.* — De observantia reformationum a visitatoribus faciendarum. — Confirmata regula, non nulla priori Pontifex concedit privilegia. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis prioribus, et collegiis Ecclesiarum ordinis Sancti Marci Mantuan. tam praesentibus, quam futuris hanc regulam professis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Piae postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut et devotionis sinceritas enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Exordium.

Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus inclinati, regulam, quam deliberatione provida statuentes communiter approbastis, a felicis recordationis Innocentio Papa praedecessore nostro vobis fratribus Sancti Marci dudum roboratam ante concilium generale, ac de mandato bonae memoriae Honorii Papae praedecessoris nostri in quibus– Regulam ab eis emendatam confirmat.

(1) Ex Regest. Vatic.

dam correctam, secundum quod vobis magis expedire prospeximus, ad petitionem vestram fecimus emendari, eamque vobis, et omnibus eamdem regulam profiteri volentibus, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, cuius tenorem praesentibus litteris annotari fecimus, qui est talis:

Regulae tenor. Quoniam favente Deo, nos priores, et conventus Ecclesiarum ordinis Sancti Marci de Mantua uni Domino servire, unique regi disponimus militare, volentibus nobis sanctorum Patrum imitari vestigia, unum praecipue necessarium est, ut omnibus nobis sit cor unum, et anima una in Domino, et unius moris habitemus in Domo Domini militanti, ut sic pervenire mereamur ad illam unam, quam Propheta in triumphanti Domo Domini postulat possidere. Quod quidem, ut possimus facilius obtinere, ad honorem Dei, ac Virginis gloriosae, aliorumque sanctorum regulam canonicam, prout inferius descripta est, ordinavimus a nobis nostrisque successoribus secundum infirmitatem nostram perpetuo observandam.

De concordia servanda: Observandaque regula.

De silentio. Fratres et sorores intra canonicas suas silentium teneant ab ultimo signo Completorii usque ad constitutum signum post laudes matutinas. In choro quoque, dormitorio, claustro et refectorio continuum silentium teneatur, nisi forte pro necessitate, vel utilitate, loquendi licentia concessa fuerit a priore. Licet tamen priori dum ad mensam steterit, vel eo absente tenenti locum eius aliquid pro utilitate cum aliquo leniter dicere. Si quid autem opus fuerit alicui, signo petatur non verbo: officialibus quoque in ordine designatis, et etiam aliis fratribus et sororibus, quibus prior duxerit concedendum, silentii tempore cum gravitate ac moderatione loqui liceat in locis, quae in capitulo determinata fuerint ab eodem. Ubique etiam loqui liceat universis, si videatur imminere periculum incendii vel latronum: infirmi etiam in infirmitorio commorantes sub hac lege silentii minime astringantur. Ipsi tamen sibi sint, lex et timeant oculos Dei offendere, qui bonos et malos in locis omnibus contemplantur.

De proprietate: Nemo nostri ordinis ex quo professionem fecerit proprium aliquid habeat, vel suum esse aliquid etiam dicat, nihilque liceat ei dare absque prioris sui licentia, aut accipere aliquid quod, quam citius commode poterit, non exponat voluntati prioris; cum nec propria corpora, nec voluntates etiam habere debeant in propria potestate.

De ieiunio: Ab octavis Paschae usque ad Exaltationem Sanctae Crucis, secunda, quarta et sexta feria canonici et sorores ieiunent. Conversi vero teneantur tantum in sextis feriis et ieiuniis solemnibus ieiunare. Ab Exaltatione autem Sanctae Crucis, usque ad Pascha, exceptis diebus dominicis, continuum ieiunium observetur. Conversi tamen, qui gravioribus occupantur laboribus, quartis et sextis feriis, et in solemnibus ieiuniis, et per totum Adventum teneantur similiter ieiunare, sed cum agunt opera leviora omni tempore, sicut canonici, secundum prioris arbitrium ieiunare similiter teneantur.

Cum quibus dispensandum: Liceat tamen priori ab octavis Paschae usque ad kalendas octobris relaxare ieiunia, cum id viderit expedire. Debilibus quoque, et senibus, et adolescentibus omni tempore, cum priori expedire videbitur, rigor ieiunii relaxetur. Minutis etiam liceat bis se reficere, prima, secunda et tertia die minutionis, nisi praecipuum ieiunium tunc occurrat. Qui eques eundo de consensu prioris fuerint in itinere constituti, ab octavis Paschae usque ad Exaltationem Sanctae Crucis, nisi in sexta feria et in praecipuis ieiuniis, ieiunare minime teneantur. Illis autem, qui pedes vadunt, omni tempore liceat bis se reficere, excepto in Adventu, et in praecipuis ieiuniis, et dum in aliquo loco moram pertraxerint, si fieri poterit sine gravamine sociorum. Infirmi autem, qui talem infirmitatem habent, quae appetitum non multum turbet, nec eos multum

debilitet, lectum et cibaria conventus, et ieiunia non immutent. Si tamen in aliquo cum talibus priori videbitur dispensandum, indulgeat moderate. Alii autem infirmi, qui aegritudine gravi et grandi debilitate minime molestantur, in praecipuis ieiuniis, et per totum Adventum secundum considerationem prioris ieiunent. A carnibus et sagimine omni tempore fratres omnes et sorores abstineant, praeter omnino debiles, et aegrotos, quibus usus eorum ex infirmitate, ac pro reparatione concedi poterit in infirmitorio a priore, vel etiam alibi, ubi ipse cum deliberatione capituli pro evidenti necessitate, vel rationabili causa viderit expedire; sed cum ita convaluerint, quod convenienter aliis poterunt uti cibis, cessent ad voluntatem prioris, et sciant licentiam eamdem sibi ulterius interdictam. Usus autem casei et ovorum omnibus ubique conceditur, excepto quod fratribus et sororibus Sancti Marci praedicti intra districtum Mantuae denegatur, nisi ex dispensatione, sicut de carnibus est expressum, ne violetur favorabilis consuetudo per Sedem Apostolicam approbata, quam hactenus servaverunt. In omnibus autem sextis feriis, et praecipuis ieiuniis, et per totum Adventum omnes ubique ab ovis et caseo debeant abstinere, nisi ex dispensatione, sicut de carnibus superius continetur. Sane conventui duo cocta pulmenta in die sufficiant, sive una sit refectio, sive duae. Si quid autem addendum videbitur, moderate fiat, servata in omnibus parcitate. A Pascha, usque ad Exaltationem Sanctae Crucis clerici pausent in lectis suis post prandium, vel post sextam, quando ieiunant usque ad nonam, nisi forte a priore, vel tenenti vicem eius aliquando absolvantur; eodem etiam ordine quiescant in lectis suis sorores. Sufficiat cuilibet clericorum una cappa, una cotta linea, duo scapularia lanea, duae tunicae, unum scapulare pelliceum, sive una pellis, et unum pelliceum sine iuppa. Verumtamen in arbitrio sit prioris pro iuppa tertiam tunicam fratribus providere, et nulla vestis pellicea habeatur, nisi ovina, vel agnina mediocriter grossa. Item duae stamineæ: poterit tamen prior pro stamineis camisias de panno stuppeo grosso concedere, quibus viderit expedire. Item duo femoralia, duae caligae laneae, et quatuor laneae sine pedulibus, quatuor scuffones, et duo subtelares, et duae bottae filtratae, et duo pilei lanei, vel pellicei. Sufficiant autem cuilibet unus saccus, et unum capitale de plumis, qui duorum pedum longitudinem non excedat, duo linteamina lanea, coopertorium ovinum, seu lena, sive cultra non curiosa, sed simpliciter operata. Conversis praedicta sufficiant vestimenta, et eisdem stramentis lectorum, et calciamentis, et pileis sint contenti; cottam tamen et bottas non habeant, nisi pro aliqua rationabili causa bottae concedantur alicui a priore; singulis tamen eorum pro bottis par unum conceditur cappellorum. Sufficiant etiam cuilibet sororum una clamis, duae bindae, tunica una superior cum caputio, et duae inferiores, unum scapulare laneum, una guarnacia pellicea; camisias vero, vel stamineas, et lectisternia, atque calciamenta, et pileos, ita eis habere liceat, sicut clericis licitum est habere. Omnia vero lanea indumenta sint naturalis coloris, et non tincta: de colore vero, vel grossitudine vestium, nullus murmuret, vel causetur, nec interdicimus vestimenta de panno, lana, linoque contexta. Infirmis autem in infirmitorio iacentibus, et etiam iter agentibus linteaminibus laneis, et lectis plumeis uti licebit. Liceat etiam priori superaddere aliquid de vestibus, vel lectisterniis, sive capitum operimentis, seu etiam calciamentis, non iuxta curiosorum voluntatem, sed secundum honestatem, vel necessitatem etiam evidentem. In hac tamen, seu alia qualibet dispensatione non attendat prior malam voluntatem invidentium, sed paterno affectu necessitatibus

De cibis.

De vestibus et ecinto.

indigentium condescendat, quia secundum exemplum apostolicum dividendum est omnibus cum timore Domini, prout cuique opus erit. Canonicis vero non liceat uti cottis, nisi tantum in capitulo, et in choro in divinis officiis, et in obsequiis circa altaria exhibendis, et cum ad opus Dei in Ecclesiam vadunt, seu inde redeunt, et in afferendo ignem et aquam, et alia quae necessaria sunt divinis officiis. Et si egrediatur quisquam cum cotta, non cogatur eam deponere, quamdiu agitur opus Dei. Cottas nimis subtiles, vel etiam sumptuosas nullus faciat, nec ab aliis recipiat etiam gratis datas. Priori etiam, et aliis omnibus omnino interdicitur, ut nusquam sedeant cotta induti sine cappa cum mulieribus ad loquendum. Caeterum quia otiositas est animae inimica, ordinamus, ut canonici certis temporibus in labore manuum occupentur, certis item horis in lectione divina. Ideoque statuimus, ut postquam de capitulo egressi fuerint usque ad signum horae tertiae, aut post nonam usque ad signum vespertinae horae, secundum considerationem prioris in labore manuum occupentur; plus etiam laborare teneantur ad voluntatem prioris, si evidens necessitas vel utilitas hoc exposcat. Ipse autem prior sic laborem disponere, ac moderare procuret, ut et animarum saluti videatur intendere, et fratribus tollatur iusta occasio murmurandi. Si quis vero talis fuerit, ut non velit, aut non possit meditari, vel legere, iniungatur ei opus quod faciat, ut non vacet. Fratribus vero infirmis, debilibus, et etiam delicatis talis opera iniungatur cum debuerint laborare, ut nec otiosi sint, nec laboris violentia opprimantur, quorum consideranda erit imbecillitas a priore. Conversi autem et sorores quotidie laborent, exceptis diebus dominicis, et solemnitatibus, in quibus non teneantur secundum ordinem laborare. In quibus tamen diebus sive solemnitatibus, si quidpiam operis pro rationabili causa eis iniunctum fuerit, non negligant obedire: excipimus autem ab hac lege laboris eos, quos pro utilitate temporali vel spirituali, vel alia rationabili causa prior duxerit eximendos. Si quis autem cum vacaverit a labore in proferendis fabulis, et scurrilitatibus, et otiosis sermonibus repertus fuerit vitiosus, et saepe correctus, se neglexerit emendare, ad prioris arbitrium dignae subiaceat ultioni. Nullus usurarius, vel suspectus de haeresi, vel detentor alienarum rerum recipiatur ad professionem, aut etiam ad sepulturam, nisi congrue satisfecerit, iuxta posse. Hoc autem de illis intelligatur, de quibus ad notitiam fratrum pervenerit, sollicita prius diligentia et inquisitione praemissa. Frater, aut soror noviter ad religionem veniens ad minus sit quatuor, aut tribus diebus, ut hospes, et ei conversationis qualitas exponatur: praedicentur ei dura, et aspera, per quae itur ad Deum, et si dixerit se velle stare ibidem, ducatur in capitulum, ubi veniam petat, et misericordiam postulet, ut recipiatur. Surgens autem, si ad interrogationem prioris dixerit se velle probare ordinem, et usque ad finem vitae suae stare ibidem, recipiatur in congregatione, et probetur in patientia et doctrina. Completo autem tempore probationis illius, si velle stare se dixerit, legantur, vel exponantur ei capitula regulae, quae servare debet, quibus perlectis vel expositis, dicatur ei: Ecce regula quam tenere debebis: si vis eam servare, ingredere: si non vis, liber discede. Quam si se velle servare dixerit, veniat in capitulum; et sicut prius misericordiam postulet, et coram altari faciat professionem in manibus prioris, Deo et illi Ecclesiae offerens semetipsum, et promittens illius loci stabilitatem, et perpetuam castitatem, et vivere sine proprio, et obedientiam secundum Deum et regulam istam priori praesenti et successoribus suis fideliter servaturum. Veruntamen si quis res temporales habuerit, prius de illis, quod sibi placuerit, ordi-

De usu cottarum: De labore manuum: De admittendis ad professionem:

net, vel disponat, quando professionem emittat nihil sibi omnino reservans. Nullus autem ad professionem recipiatur ante annum probationis impletum, nisi esset regularis persona, vel nisi transacto dimidio anno de aliqua certa persona pro aliqua evidenti utilitate visum fuerit priori et capitulo dispensandum. Nullus tamen ad professionem prius recipiatur, quam perlectis, ut dictum est, capitulis regulae, interrogetur secundum ordinem supradictum. Si qua tamen persona minus secura et idonea collegio videretur, et completo anno probationis ipsius prior cum deliberatione capituli illius emendationem misericorditer adhuc expectare voluerit, et sine laesione domus fieri poterit, minime prohibemus. Hoc etiam de persona idonea fieri concedimus, non tamen ad ipsius voluntatem, nisi evidens necessitas et utilitas exposcere videatur.

De advocatis, vice dominis etc.

Nullus masculus infra sextumdecimum annum, vel foemina infra quartumdecimum ad probationem aliquatenus assumatur, nisi prius specialiter de licentia duorum priorum nostri ordinis fuerit hoc concessum. Vassallos, vel advocatos, aut vice-dominos, vel patronos non habeamus sine Sedis Apostolicae, ac capituli generalis ordinis nostri licentia speciali, quia plurimi violenter bona Ecclesiarum diripiunt, et moliuntur cum tyrannide usurpare. Si vero alicui Ecclesiae nostri ordinis quavis occasione ius devenerit vassallorum, prior, et capitulum illius, quam citius commode poterit, se, et Ecclesiam ipsam de ipsis expedire procurent. Prior, vel sacerdos, cui licentiam ipse praestiterit, audiat confessiones sororum ad fenestram ferream, et non alibi, nisi in praesentia septem sororum ad minus, vel nisi soror confitens aegrotaret.

De colloquio cum sororibus etc.

Si prior, vel praedictus sacerdos pro qualibet utilitate vel occasione debebit ingredi portam sororum, nisi cum viris pluribus introiret, sint ad minus tres sorores bonae opinionis, quae eum ingredientem, stantem et exeuntem semper et ubique videre possint, nisi forte, et alii intrarent de licentia prioris pro aliquo necessario labore, vel opere faciendo, vel nisi latronum, aut incendii videretur periculum imminere, vel nisi etiam prior, aut dictus sacerdos intraret loquutorium cum aliqua persona, quae vellet aliquam de sororibus visitare. Si, quod absit, frater aliquis, aut soror in manifestum fornicationis vitium lapsus fuerit, etiam, quod Deus avertat, si ipse prior fuerit, a domo sine spe reversionis sententialiter a conventu privetur, nec ultra ei obediatur, nec ab aliquo cum eo participetur, donec manserit in eadem domo. Nulla foemina praegnans, vel de conceptu suspecta sororum collegio societur, et si sociata fuerit, excludatur. Nullus fratrum vel sororum suscipiat personam aliquam ad docendum in aliqua arte, seu in scientia litterarum, nisi sui sexus sit persona, quae doceri debet, et nisi sit de collegio, seu ordine nostro.

De observantia reformationum a visitatoribus faciendarum.

Ut autem ea, quae in praesenti regula conscripta sunt intemerata et incorrupta consistant, statuimus, ut praecepta et correctiones, quae per visitatores ordinis nostri secundum formam visitationis a nobis provide institutam facta fuerint, tam a priore, quam a fratribus et sororibus universis rata habeantur, et inviolabiliter observentur. Et quia omnia, quae necessaria sunt, non possunt in praesenti regula comprehendi, ordinamus, ut ea, quae per priorem et capitulum cuiuslibet Ecclesiae nostri ordinis fuerint rationabiliter instituta, tam ab ipso priore, quam a fratribus et sororibus eiusdem Ecclesiae universis, salva correctione Sedis Apostolicae, observentur.

Confirmata regula, nonnulla priori Pontifex concedit privilegia

Nos itaque praescriptam regulam approbantes prioribus vestri ordinis apostolica auctoritate concedimus, ut laicos litteratos, qui apud eos habitum receperint regularem, in clericos valeant tonsurare; et tam ipsis, quam fratribus quos idoneos noverint, liceat fidelibus advenientibus verbum Domini praedicare. Si episcopus quoque dioecesanus ordina-

tionem celebraverit, fratres recipiant ordines ab eo, qui fuerint ordinandi; si autem non celebraverit, liceat eis de mandato prioris sui ad quemcumque maluerint pro assumendis ordinibus catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicae Sedi habentem, qui nostra fretus auctoritate, ipsis quod postulatur impendat. Haec autem regula semel in mense coram fratribus perlegatur.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae emendationis, confirmationis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Reate, kalendis septembris, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 1 septembris 1231, pontif. an. v.

XXIX.

Oblati ordinis Carthusiensis gaudent omnibus eiusdem ordinis praerogativis et indultis.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Concessio. — 2. Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori, et capitulo Carthusien., salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Quoties a nobis petitur, quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et iustis petentium desideriis favorem benevolum impertiri.

Concessio. § 1. Cum igitur, sicut vestra petitio nobis exhibita continebat, septem oblatos, qui redditi vulgariter appellantur, in qualibet domo vestri ordinis habeatis agriculturae vestrae operi deputatos, et ipsi, relicto saeculo, continentiae voto adstricti, promissa loci stabilitate, sub obedientia sine proprio vivere teneantur: nos vestris precibus inclinati, eosdem sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, auctoritate vobis praesentium indulgentes, ut ipsi eisdem libertatibus et immunitatibus gaudeant, quibus gaudent fratres ordinis antedicti.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Clausulae.

Datum Reate, tertio nonas februarii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 3 februarii 1232, pontif. an. v.

XXX.

Quod praelati Ecclesias suas, quibus praesunt, alienis debitis gravare minime possint (1).

SUMMARIUM

Causae decreti. — Decretum. — Poenae inobedientium.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, aliisque Ecclesiarum praelatis praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Si quorumdam praelatorum praesumptionem inolitam Deo et hominibus exhorrendam iuste pensare vellemus, pene non esset adhibenda dilatio, sed in transgressores celeris vindictae severitas exercenda. Sicut enim ad nos valido et stupendo clamore pervenit, quidam non contenti, quod, propriis commodis inhaerentes et quaerentes potius quae sua sunt quam quae Christi, commissas sibi Ecclesias enormiter dilapidant et consumunt, dum novo alienationis et dilapi- Causae decreti.

(1) Ex Regest. Vatic.

dationis genere adinvento eas praesumunt alienis debitis onerare: sigilla sua, seu litteras sigillatas de contrahendo mutuo quibusdam amicis suis clericis et laicis concedendo, quarum occasione praedictae Ecclesiae in tanta obligarunt pecuniae quantitate, ad cuius solutionem postea compelluntur, quod vix, aut numquam liberari possunt ab onere debitorum. Volentes igitur Ecclesiarum indemnitatibus paterna sollicitudine providere, praesentium auctoritate firmiter inhibemus, ne quis praesumat de caetero Ecclesiam sibi commissam, ut praemissum est, pro alienis gravare debitis, aut litteras alicui, seu sigilla concedere, quibus possint Ecclesiae obligari. Decernentes si secus, quod non credimus, fuerit attentatum; ad solutionem talium debitorum Ecclesias non teneri. Si quis enim (1) contra praemissa de caetero venire praesumpserit, ab administratione spiritualium et temporalium noverit se suspensum.

Decretum.

Poenae inobedientium.

Datum Reate, tertio idus februarii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 11 februarii 1232, pontif. an. v.

XXXI.

Canonizatio Sancti Antonii de Padua nuncupati, professoris ordinis fratrum Minorum conventualium Sancti Francisci, eiusque relatio in numerum Ss. confessorum, cum institutione eius festivitatis pro die 13 mensis iunii.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. B. Antonius de Padua virtutibus et miraculis clarus. — 2. Paduani instant Pontifici pro eius canonizatione. — 3. Data commissio pro examine testium. — 4. Cathalogo sanctorum adscribitur. — 5. Eius festivitas die 13 iunii celebranda. — 6. Indulgentia eius sepulchrum visitantibus concessa.

(1) Legendum forsitan *autem*.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, et aliis Ecclesiarum praelatis, praesentem paginam inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Cum dicat Dominus per Prophetam: Dabo vos cunctis populis in laudem et gloriam et honorem; et per se polliceatur, quod iusti sicut sol in conspectu Dei fulgebunt, pium et iustum est, ut quos Dominus merito sanctitatis coronat, et honorat in coelis, nos venerationis officio laudemus et glorificemus in terris; cum ipse potius laudetur et glorificetur in illis, qui est laudabilis et gloriosus in saecula, et in sanctis. Ut cum suae virtutis potentiam mirabiliter manifestet, et nostrae salutis causam misericorditer operetur, fideles suos, quos semper coronat in coelo, frequenter et honorat in saeculo, ad eorum memorias signa faciens et prodigia, per quae pravitas confundatur haeretica, et fides catholica confirmetur, fideles, mentis torpore discusso, ad boni operis excitentur instantiam; haeretici, depulsa in qua iacent caecitatis caligine, ab invio reducantur ad viam, et iudaei atque pagani, vero lumine cognito, currant ad Christum, lucem, viam, veritatem et vitam.

B. Antonius de Padua virtutibus et miraculis clarus.

§ 1. Unde nos, charissimi, etsi non quantas debemus, quantas tamen possumus gratias agimus gratiarum omnium Largitori, quod diebus nostris ad confirmationem catholicae fidei, et ad confusionem haereticae pravitatis evidenter innovat signa, et mirabilia potenter immutat, faciens illos coruscare miraculis, qui fidem catholicam tam corde, quam ore, necnon et opere roborarunt. De quorum numero sanctae memoriae beatus Antonius de ordine fratrum Minorum, qui olim degens in saeculo, magnis pollebat meritis, nunc vivens in coelo multis coruscat miraculis, ut eius sanctitas certis indiciis comprobetur.

Paduani instant Pontifici pro eius canonizatione.

§ 2. Cum enim dudum venerabilis frater noster episcopus, et dilectus filius N. potestas et communitas Paduana nobis per nuncios suos et litteras humiliter supplicassent, ut cum Dominus eidem Sancto tantam contulit gloriam, ut ad dandam scientiam primae stolae immortalitatis ipsius, et experimentum evidens de secunda, sepulchrum eius tot et tantis daret coruscare miraculis, quod eius inter alios sanctos non invocari suffragia est indignum, de ipsius miraculis testes recipi mandaremus.

Data commissio pro examine testium.

§ 3. Non attendentes, quod licet ad hoc, ut aliquis sanctus sit apud Dominum, in Ecclesia triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia, iuxta illud: Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae: ad hoc tamen ut sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria; virtus morum et veritas signorum, merita videlicet et miracula, ut haec et illa sibi ad invicem contestentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis. Sed dum merita sana praecedunt, et clara succedunt miracula, certum praebeant indicium sanctitatis, ut nos ad ipsius venerationem inducant, quem Deus ex meritis praecedentibus, et signis subsequentibus exhibet venerandum. Quae duo ex verbis Evangelistae plenius colliguntur: Illi autem profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis; eidem episcopo, et dilecto filio fratri Iordano Sancti Benedicti, et I. Sancti Augustini, prioribus ordinis fratrum Praedicatorum Paduan. receptionem testium de miraculis eiusdem Sancti duximus committendam.

§ 4. Nuper autem tam per relationem praedictorum episcopi et priorum, quam per depositiones testium super hoc receptorum, de ipsius virtutibus et miraculorum insigniis certiores effecti, et experti aliquando per nos ipsos sanctitatem vitae, et admirabilem conversationem ipsius, utpote qui apud nos fuit aliquandiu laudabiliter conversatus, eisdem episcopo, et potestate et communitate praedictis, per solemnes nuncios suos, et litteras, nobis cum instantia denuo supplicantibus, quod eumdem fratrem sanctorum cathalogo adscribere curaremus, ut auctoritate sicut convenit apostolica dignus honor illi exhiberetur in terris, qui, sicut claris signis et evidentibus argumentis apparet, honoratur in coelis; ipsum, qui corporaliter dissolutus cum Christo esse meruit in coelestibus, ne illius honori debito, et gloriae detrahere quodammodo videremur, si glorificatum a Domino permitteremus ulterius humana devotione privari; de fratrum nostrorum consilio, et praelatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium, cathalogo Sanctorum duximus adscribendum.

Cathalogo sanctorum adscribitur.

Eius festivitas die 13 iunii celebranda.

§ 5. Cum igitur secundum evangelicam veritatem, nemo accendat lucernam, et ponat eam sub modio, sed super candelabrum, ut omnes, qui in domo sunt, lumen videant, et praedicti Sancti lucerna sic arserit hactenus in hoc mundo, quod per Dei gratiam iam non sub modio sed super candelabrum meruerit collocari, universitatem vestram rogamus, monemus attentius et hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus devotionem fidelium ad venerationem eius salubriter excitantes, festivitatem ipsius idibus iunii annis singulis celebretis, et faciatis eadem die solemniter celebrari: ut eiusdem precibus Dominus exoratus gratiam in praesenti, et gloriam nobis tribuat in futuro.

Indulgentia eius sepulchrum visitantibus concessa.

§ 6. Nos autem cupientes sepulchrum tanti confessoris, qui miraculorum fulgoribus illustrat Ecclesiam generalem, congruis honoribus frequentari, omnibus vere poenitentibus, et confessis, illud in festivitate ipsius, usque ad octavum diem, annis singulis cum reverentia debita vi-

sitantibus, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, annum unum de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus.

Datum Spoleti tertio nonas iunii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 3 iunii 1232, pontif. an. VI.

XXXII.

Praemonstratensium canonicorum ordinis reformatio (1).

SUMMARIUM

Collapsa in Praemonstratensibus disciplina. — De definitoribus et visitatoribus. — Eorum ius in puniendis abbatis generalis excessibus. — De cibis — Et vestibus. — De vita communi — Et paupertate: — Equitaturis: — Hospitalitate, et eleemosynis: — De non alienandis bonis mobilibus vel immobilibus: — De recipiendis in ordine: — Colloquio cum sororibus, vel aliis mulieribus: — Ratione de administrationibus reddenda: — Uniformitate in omnibus: — Silentio, et regularibus institutis. — Commissio delegatis apostol. super huiusmodi reformatione adimplenda.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Sancti Alexii de Urbe, et de Antuergia, et de Midelburgo abbatibus Praemonstraten. ordinis Traiecten., et Cameracen. dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Collapsa in Praemonstratensibus disciplina.

Audivimus, et audientes non potuimus non dolere, quod illam vineam Domini Sabaoth, quae a mari usque ad mare palmites suos extendit, adeo ille ferus singularis suis est venenatis morsibus demolitus, quod nec canum latratu, nec speculatoris custodia vigilantis potuerunt hactenus ipsius spuria vitulamina radicitus extirpari. Ecce, quod Deo teste libenter subticere vellemus, doloris vehementia dicere nos compellit: videlicet quod dudum novella plantatio Praemonstratensis ordinis, quae in universas mundi partes quasi forma disciplinae regularis consueverat derivari, iniquo homine superseminante zizania, quasi sentina facta dicitur vitiorum. Proh dolor! ubi est illa religionis honestas, discretionis virtus, puritas veritatis, et talaris Ioseph tunica haedi sanguine a fratribus vestris minime cruentata, quae claris late titulis de personis eiusdem ordinis solebant hactenus praedicari? Mutatus est color optimus, vinum mixtum est aqua, et argentum in scoriam est conversum, quinimo veremur ne simulationis amictu, et perizomate foliorum, quae ad modicum solis radium desiccantur, pudenda velaverint, quae sunt, consumpto momentaneo velamine, denudata. Omnes quidem declinaverunt a regularibus disciplinis; subditi videlicet et praelati, omnesque simul inutiles sunt effecti, ita quod vix inveniatur in eis, qui bonum faciat, et quod omne caput sit languidum, et omne cor moerens, et a planta pedis usque ad verticem in eis sanitas non existat. Licet igitur plaga huiusmodi facta pene desperabilis videatur, quia tamen non est abbreviata manus Domini, ut salvare non possit compatientes ex intimo cordis super contritione Ioseph; curationi eius ex animo insistentes, ad reformationem eiusdem ordinis et observantiam regularem de fratrum nostrorum consilio duximus statuendum; ut cum per incuriam seu negligentiam diffinitorum et visitatorum ipsius ordinis excessus excedentium remaneant incorrecti, quolibet anno in generali capitulo diffinitores et visitatores supradicti mutentur, novis, qui religione ac discretione praemineant, veteribus subrogatis, ita quod visitatores ipsi de una circaria ad aliam circariam assumantur, illa cauthela adhibita, ut nesciatur a quo visitandus in sequenti anno debeat visitari: dicti autem visitatores ad Ecclesiam visitandam personaliter accedentes, et habentes prae oculis solum Deum non summatim et

De definitoribus et visitatoribus.

(1) Ex Regest. Vatic.

in publico, sicut hactenus fieri consuevit; sed secreto et singillatim inquirant quae correctione digna noverint indigere corrigendo per eos, quae corrigenda fuerint, et referendo fideliter, quae ad generale capitulum fuerint referenda. Proviso ut, cum abbates illos praecipue persequantur, et interdum faciant exulare, qui in visitationibus, vel alias pro utilitate domus et ordinis honestate loquuntur, praefati visitatores cum ad aliquam Ecclesiam visitandam accesserint, diligenter inquirant, si quis canonicorum vel conversorum eodem anno, et ob quam causam ad aliquam Ecclesiam sit emissus, ut si causam minus rationabilem forsan invenerint, ipsum ad Ecclesiam, de qua emissus fuerat, faciant revocari, abbati pro excessu huiusmodi poena imposita competenti. Ad haec quia in quibusdam locis abbatum electiones minus canonice celebrantur, quod ex eo contigit, ut dicitur, quod abbas pater interdum carnem sequens et sanguinem, nonnunquam etiam mundano favore seu familiaritate devictus, electis a capitulis magis idoneis reprobatis, promovet minus dignos; volumus et mandamus, ut super hoc per visitatores eosdem, inquisita diligentius veritate, si praedictus pater abbas in hoc fuerit repertus culpabilis, in sequenti generali capitulo deponatur. Quia vero nonnulli abbatum sani carnes, et ipsi comedunt, et sanis canonicis, et conversis comedendas concedunt contra eiusdem ordinis instituta; abbas qui de hoc confessus vel convictus fuerit, deponatur canonicis, et conversis gravi culpae subdendis. Cum enim secundum eadem instituta pulmenta intra septa monasterii semper sint sine carne et sagimine praeparanda, nisi propter omnino debiles et infirmos, statuta ipsa praecipimus inviolabiliter observari. Nonnulli etiam abbatum, et officialium canonicorum et conversorum vestibus delicatis et pretiosis, calciamentis quoque strictis cum nastulis, et aliter inordinatis utentes,

Eorum ius in puniendis abbatis generalis excessibus.

De cibis

Et vestibus.

in refectorio pulmentis communibus non vescuntur, sed abbati et maioribus pulmenta lautiora parantur, quae omnia de caetero fieri firmiter inhibemus, statuentes, ut de eodem vestiario et pannis eiusdem pretii tam praelati, quam subditi vestiantur, et subtellaribus rubeis non nastulos, sed ligaturas habentibus, horis nocturnis exceptis, penitus sint contenti, omnesque in refectorio eodem pane, pulmentis eisdem, et eodem potu vescantur, salva pitantia, quae abbati vel alii maiorem mensam tenenti ex certa causa deferri regulariter consuevit, abbatibus, canonicis vel conversis etiam in infirmitorio nullis saecularibus servituris, abbates quoque secundum instituta praefati ordinis in communi refectorio comedant, et in dormitorio cum aliis iaceant, omni prorsus excusatione cessante, illis causis dumtaxat exceptis, quae in institutis eiusdem ordinis exprimuntur. Vasis argenteis et deauratis, frenis, sellis, pectoralibus, et calcaribus deargentatis, aut aliam superfluitatem habentibus, sed simplicibus solummodo, et absque fimbriis ac ornatu aliquo, non utantur. Nullus abbas praeterea canonicus vel conversus servientem equitem habeat saecularem, nec alicui abbati, excepto Praemonstratensi, cui quinque vel sex habere liceat, sit licitum ultra tres equitaturas habere. Porro cum hospitalitatem vobis specialiter et frequenter divina Scriptura commendet, utpote quae illa omnia comprehendit, propter quae Dominus in ultimo discussionis examine remuneraturum se bonos, et malos asserit puniturum, et in quibusdam Ecclesiis eiusdem ordinis hospitalitas non servetur, nec eleemosynae fiant ibi iuxta facultates earum, volumus et mandamus, ut in qualibet memorati ordinis Ecclesia loci eiusdem abbas, vel negligente abbate proprio, pater abbas, aut utroque cessante, visitatores, qui pro tempore fuerint, secundum possibilitatem locorum hospitalitatem ordinent, et eleemosynas faciendas certo hospitio ad recipiendos pauperes,

De vita communi

Et paupertate:

De equitaturis:

De hospitalitate et eleemosynis:

et ministro idoneo, qui eis deserviat, deputatis. Illud interdicentes expresse, ne quis abbatum alicui consanguineorum suorum non egeno, seu etiam pauperi, dum tamen in gravamen Ecclesiae, mobilia vel immobilia Ecclesiae suae concedat. Qui vero contra praesumpserit, ab Ecclesia amoveatur eadem, prioribus, et officialibus, si talia eos commisisse constiterit, a locis suis et officiis prorsus amotis, alias, prout culpae qualitas exegerit, graviter puniendis. Prohibemus praeterea, ne quis abbatum recipiat de caetero aliquem in canonicum vel conversum, qui vigesimum aetatis annum non egerit, cum ex eo quod pueri et alii non plenae aetatis homines in canonicos consueverunt admitti, grave scandalum, et infamia ordinis sint sequta, transgressoribus, si qui fuerint, a suis administrationibus in generali capitulo removendis: sed nec abbates aliquos recipiant in canonicos et in fratres, prioris et subprioris, et aliquorum maiorum de domo irrequisito consilio et assensu. Illi vero receptionem bonorum nullatenus impedire praesumant. Sane cum omnium malorum incentor Deo dilectis animabus nequiter invidens, ad rapiendum eas, vel maculandum conscientias aut famam earum, infinitis fraudibus machinetur, ac per hoc omnis sit ei occasio subtrahenda, firmiter interdicimus, ut nullus regularis seu saecularis domos sororum eiusdem ordinis intrare praesumat; si quando vero fuerit eis verbum Domini proponendum, sedeat in hostio praedicator; interposito tamen velamine inter ipsum, et sorores easdem, ne ipsum videre, vel videri valeant ab eodem. Claustrum quoque, et refectorium, dormitorium etiam, et infirmitorium canonicorum, nulla mulier omnino permittatur intrare. Quod si forsan aliquam intrare contigerit, officialis, per hostium cuius intraverit, pro qualibet vice septem diebus in pane et aqua ieiunet; si autem intraverit abbate vel priore mandante, ille, qui hoc mandaverit, exceptis Ecclesiarum consecrationibus et indulgentiis, in quibus quibusdam mulieribus gratia fit specialis, deponatur. Denique cum abbates providi pastoris vestigia imitantes vigilare debeant sollicite supra gregem, sine causa utili et necessaria non discurrere, vel vagari, volumus ut in claustro cum fratribus sedeant, et divinis intersint officiis cum eisdem, nisi eos infirmitas, vel alia valeat necessitas excusare: statum quoque domus, quantitatem receptorum, et expensarum, summam quoque debitorum, et nomina creditorum, causas etiam propter quas contracta sunt debita, et in quas utilitates conversa in capitulo suo bis in anno, in crastino videlicet Omnium Sanctorum, et Pentecostes, et ipsi exponant, et sibi faciant diligenter exponi: abbas vero, vel praepositus, qui debita supradicta suppresserit, administratione, quam obtinet, penitus repellatur. Et quia abbates sigillum commune suum, et capituli deferentes plerumque debita contrahunt in suarum Ecclesiarum praeiudicium ignorante conventu, hoc de caetero fieri prohibemus. Decernentes ipsas Ecclesias ad illa debita non teneri, quae absque conventu contraxerit solus abbas, nec valeat instrumentum super hoc confectum, quod duobus sigillis, abbatis scilicet et conventus non fuerit communitum. Et licet ad augumentum decoris unicae sponsae Christi proveniat, quod varietatibus est amicta; quia tamen ubi disparitas deformis occurrit, merito est vitanda, volumus et mandamus, ut uniformitas librorum tam in cantu, quam lectionibus et regularibus institutis ubique servetur; abbas vero, qui infra annum, sibi ad hoc indultum in Ecclesia sua id adimplere neglexerit; ex tunc, quousque hoc adimpleat, sit suspensus. Silentium quoque in locis et horis statutis, ac laborum regularis institutio, et disciplina capituli observentur. Quia vero: veh soli, Salomone dicente, quia si ceciderit non habet sublevantem, districtius

De non alienandis bonis mobilibus vel immobilibus.

De recipiendis in ordine:

De colloquio cum sororibus vel aliis mulieribus:

De ratione de administrationibus reddenda:

De uniformitate in omnibus:

De silentio, et regularibus institutis.

inhibemus, ut canonici singuli per villas et oppida aut per ecclesias non ponantur, nec soli inter saeculares homines spiritualium hostium conflictum expectent; abbates praeterea, et subditi balneis non utantur, nisi evidens infirmitatis, vel debilitatis necessitas hoc exposcat: advocatos vel phisicos de sua familia non habeant saeculares. Nullae insuper picturae in domibus eiusdem ordinis praeter imaginem Salvatoris in refectoriis habeantur, deletis penitus, quae fuerunt hactenus in eisdem. Quia vero ad reformationem eiusdem ordinis modis omnibus ex animo aspiramus, de circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, et districte praecipimus, quatenus ad generale Praemonstratense capitulum accedentes, praemissaque statuta solemniter publicantes, et vos ipsi servetis, et faciatis ab aliis inviolabiliter observari corrigendo, et reformando, tam in capitibus, quam in membris, quae correctionis et reformationis officio noveritis indigere, reddituri Domino, in cuius conspectu omnia nuda sunt, et aperta, in extremo die districti examinis rationem, si omnem sollicitudinem et diligentiam, quae super iis adhibendae fuerint, neglexeritis adhibere; contradictores autem per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur.

Commissio delegatis apostol. super huiusmodi reformatione adimplenda.

Datum Spoleti nono kalendas iulii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 23 iunii 1232, pontif. an. VI.

XXXIII.

Adhortatio ad Germanum patriarcham Constantinopolitanum, ut ad gremium matris Ecclesiae revertatur, ac de primatu sanctae Romanae Ecclesiae.

SUMMARIUM

1. 2. Nunciat se eius literas recepisse, et ad eum mittere viros religiosos. — 3. Primum fundamentum Ecclesiae Christus. — 4. Secunda fundamenta Apostoli: — 5. Quorum primus B. Petrus. — 6. Quo sensu Paulus dicatur Petro in faciem restitisse. — Petrus et Paulus semper in doctrina concordes. — 8. Paulus Petri primatum cognovit. — 9. Huiusce primatus veritas confirmatur expressius. — 10. Ad Romanam ergo Eccl. omnis quaestio fidei referenda. — 11. Ab eius unione Graeci cum discesserunt, in servitutis iugum sunt lapsi. — 12. Id in Samaria praefiguratum. — 13. Petri peccatum successores docet alienis compati infirmitatibus. — 14. Patriarcham hortatur, ut haec agnoscat, et profiteatur. — Ecclesia Rom. omnium Ecclesiarum mater et magistra in unitate fidei, et spiritus concordia. — 15. Mala ex divisione orta commemorat: — 16. Admonetque ut ad Ecclesiae gremium revertatur.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Graecorum, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Fraternitatis tuae litteris, nobis et fratribus nostris per tuum nuncium praesentatis, qua decuit benignitate receptis, earumqne tenore plenius intellecto; disposuimus viros religiosos vitae laudabilis, et probatae scientiae, ad tuam praesentiam destinare, qui verba vitae deferent, et nostram, et fratrum nostrorum plenius voluntatem exponent.

Nunciat se eius literas recepisse, et ad eum mittere viros religiosos.

§ 2. Verum quia de comedente exivit cibus, et de forti est egressa dulcedo, ne ex ore leonis mortui non sine rubore scribentis a patre favus exhibitus contemnatur, quaedam duximus rescribenda, ne videantur scripta despici, si contigerit non rescribi: quia audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit.

§ 3. Licet autem Christus, iuxta quod tuae series epistolae retexebat, primum sit et praecipuum fundamentum fidei, quod fatemur, praeter quod aliud poni non potest;

Primum fundamentum Ecclesiae Christus.

§ 4. Secunda tamen et secundaria fundamenta legimus apostolos et prophetas, quia fundamenta Ecclesiae in mon-

Secunda fundamenta Apostoli.

tibus sanctis, et cives supernae Hierusalem, supra fundamentum apostolorum et prophetarum, superaedificati leguntur.

Quorum primus B. Petrus.

§ 5. Inter quos primus et praecipuus beatissimus Petrus non sine causa, sed ex praerogativa speciali a Domino audire meruit: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur caput: ut sicut in capite sensuum plenitudo consistit, a quo ad singula membra occultis meatibus pars aliqua, tamquam a fonte rivulus derivatur: sic tres fidelium ordines, in Ecclesia, Noe, Daniel et Iob, praelati videlicet, continentes et coniugati, quos Ezechiel vidisse legitur in visione salvandos, a Petro petra, super quam non domum saltus Libani, non porticum columnarum, nec domum filiae Pharaonis, sed Ecclesiam suam aedificavit Dominus fidelibus, velut de omni genere piscium in eius rete conclusis, tamquam a primate primatum, qui de fonte dominici pectoris fluenta potavit, et suae salutis debent postulare remedia, et cum omni patientia et doctrina non contentiose, vel superbe in aliquo resistentes, a mentis suae tenebris dubietatis scrupulos removeri.

Quo sensu Paulus dicatur Petro in faciem restitisse.

§ 6. Nec obstat, quod asseris, si tempora, locumque distinguas, Paulum Petro in faciem restitisse; cum dispensative ab orthodoxis Patribus hoc factum esse legatur, dum Petrus legem Mosaycam profitendo, Iudaeos, et Paulus circumcisionem evitans, totis viribus lucrifacere studuerit ex huiusmodi simulatione gentiles. Alioquin et Paulum perambulantem Syriam et Ciliciam cum pervenisset Derben, et Listram, ex eo argues, quod Timotheum ex patre gentili ortum fidelis viduae filium circumcidit. Secundo autem et tertio, vel te, vel Paulum reprehendes, qui cum navigasset Syriam, et cum eo essent Priscilla et Aquila, et caput timore iudaeorum totondisset in Cenchris, quia comam quam ex voto nutrierat, quod Nazaraei qui secundo voverant, iuxta praeceptum Moysi facere consueverant, ibidem totondit ex lege? Si, frater charissime, dignitatis mysterium, et auctoritatis officium pleno intellectu distinguens, et Petri et Pauli zelum consideres, qui animas tantummodo sitiebant; eos nec in morte, quos eadem fides, et passio vere fecit esse germanos, nec dum viverent in doctrina invenies fuisse discordes.

Petrus et Paulus semper in doctrina concordes.

§ 7. Licet enim Petrus pro durae cervicis iudaico, et Paulus pro gentili populo, lac parvulis, et escam provectis exhibens, diversis linguis et ritibus laborarint; cum iam plenitudo temporis advenisset, unum Dominum, unam Fidem, unum Baptisma, et alios fidei articulos secundum gratiam sibi collatam a Domino, in uno, eodemque spiritu praedicavit uterque.

Paulus Petri primatum cognovit.

§ 8. Fuit enim Paulus ex verbo Domini, Petro et caeteris Apostolis universaliter sic dicentis: Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt, cum Petro mysterium dignitatis exercens, et ex verbis eiusdem auctoritatis, singulariter Petro propositis: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis, in Petro auctoritatis officium recognoscens, et ideo ad eum tamquam primatem, et Evangelii dominici fontem venit Hierosolymam, et postmodum cum ipso, et aliis secundum revelationem contulit Evangelium, ne in vacuum curreret, vel etiam cucurrisset.

Huiusce primatus veritas confirmatur expressius.

§ 9. Quod iterum ex verbo Domini confirmatur, cum soli Petro, si frater suus in se peccaverit, non tantum septies, sed etiam septuagies septies praecipitur dimittendum; ipsi soli oves suas indistincte committens, qui tam speciali miraculorum virtute pollebat, quod per plateas in lectulis et grabatis positi ad umbram eius sanabantur infirmi. Cuius auctoritas ex eiusdem Domini verbis expressius roboratur, cum sibi soli dictum est: Duc in altum, et pluraliter subinfertur: Laxate retia in

capturam. Si ergo Petrus propter excellentiam fidei, qua in uno Christo duas naturas veraciter recognoscens, cum dixit: Tu es Christus filius Dei vivi, claves regni caelestis in terris solus accepit; cum unus sit Dominus, una fides, unum baptisma, unum principium, unum corpus Ecclesiae militantis, et corpus cum pluribus capitibus monstruosum, et sine capite acephalum censeretur.

Ad Romanam ergo Ecclesiam omnis quaestio fidei referenda.

§ 10. Restat ut ad regimen generalis Ecclesiae, quam ipse cum Paulo, et caeteris de gentibus, Graecis, Latinis, Barbaris, congregavit, caput eiusdem, suumque Dominus per ea, quae praemissa sunt, manifeste ostenderet successorem. Praevidens autem Dominus, quod Ecclesia Dei conculcaretur a tyrannis, laniaretur ab haereticis, et a schismaticis scinderetur, ait: Pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Ex quo colligitur evidenter, quod ad Sedem Petri omnis sit quaestio fidei referenda.

Ab eius unione Graeci cum discesserunt, in servitutis iugum sunt lapsi.

§ 11. Sed quod dolentes referimus, ut epistolae tuae verbis utamur, praesumptuose quidem non per manus militum, sed ecclesiasticarum personarum sensus, veri Ioseph talaris tunica et inconsutilis est passa scissuram. Sed quis sciderit videatur: cum enim Graecorum Ecclesia a Romanae Sedis unitate recessit, statim privilegio caruit ecclesiasticae libertatis, et quae fuerat libera, facta est saecularis potestatis ancilla, ut iusto Dei iudicio, quae noluit divinum recognoscere in Petro primatum, tolleret invita saeculare dominium. Sub quo non modica contemnens, paulatim decidens, fidem informem profitens, et a fraterna charitate tepescens, licentius per campum licentiae non refraenate discurrit, ut sine alicuius reprehensione, licitum sub illicito palliaret, et a Templo Petri recedens, a Domino quasi attritum foris eiicitur, quod virga sua Ioannes prohibente Domino non metitur: quoniam datum est illud gentibus, et hoc iam cognoscis visibiliter consummatum.

Id in Samaria praefiguratum.

§ 12. Quod Samaria, quae a Templo Domini et a Iuda, ac verae fidei confessione recedens, facta idolatra praefigurans, bellorum cladibus continuatis attrita, et peccatorum gravata pondere, licet Elias et Elisaeus, tamquam magna luminaria ibi velut in loco caliginoso refulserint, data est gentibus, proiecta foris in ultionem fornicationis, et idolatriae, quibus se a Domino separavit.

§ 13. Quod si Paulum Graecorum Ecclesia se habere proponit, exhibeat, vel a successore Petri, et Vicario Iesu Christi in Apostolorum basilica, quae a Constantino constructa est, cum Petro exhibitum recognoscat. Officii etiam notavit mysterium, licet litteris tuis, quasi sub forma reprehensionis insertum fuerit, quod Petrus ab ostiaria ter commotus, ad galli cantum excitatus, factus est ostiarius paradisi, ut videlicet qui praeesse debuerat, pati sciret et compati, et ex auctoritatis officio, cui ter dictum est singulariter: Pasce, et non pascite, oves meas, non alienas, ad successores transmisso veri pastoris exemplo, subditorum excessus ad unitatem Ecclesiae redeuntium, in spiritu lenitatis corrigeret, et cultum christiani nominis sponte professos, ab Ecclesia oberrantes exigente contumacia, iuxta verbum Apostoli, tradendo huiusmodi Sathanae in interitum carnis, ad ovile reduceret vel invitos.

Petri peccatum successores docet alienis compati infirmitatibus.

§ 14. Si vero ex compassionis affectu ad Apostolicae Sedis primatem, et iudicem, tamquam verus israelita recurris, et super contritione Ioseph de scissura tunicae inconsutilis, mota sunt tuae pietatis viscera, passioni tuae compatimur, et dolori tuo cum Apostolo condolemus, eique ad grates assurgimus, qui aperuit oculos caeci nati, humiliter postulantes, ut qui per collirium ex felle piscis Tobiae illuminavit oculos, Ecclesiae Graecorum corda cum tuo illuminet, et nostris, tuisque temporibus ad unum ovile, unumque

pastorem providentia divina reducat. Librum igitur de quo dictum est Ioanni in Apocalypsi: Accipe, frater charissime, ac devora illum, et si amaricare faciat ventrem tuum, propter contritionis aculeos, qui in principio pungunt; tamen in ore tuo erit dulcis tamquam mel, cum sonus confessionis advenerit dulcis ad instar mellis, iuxta verbum Sponsi dicentis in Canticis: Sonet vox tua in auribus meis, vox tua dulcis, et tuae prudentiae conscientiam sine aliqua superstitione require, et illuminatus invenies, quod Ecclesia Romana, quae omnium Ecclesiarum caput est et magistra, in speculo a te proposito, Evangelii videlicet, et epistolarum, et doctrina aliorum doctorum, nihil contrarium invenit, quod interpretative, vel dispensative secundum statuta sanctorum Patrum in unitate fidei, et spiritus non concordet. In cuius libri aperitione invenies, quod Romanus Pontifex omnibus omnia factus, ut omnes salvi fiant, non turpis lucri causa, vel voluntarie, sed a fratribus suis divina inspiratione vocatus, statim servus servorum Dei effectus, murum pro fratribus et coepiscopis suis, eorumque subditis contra haereticos, schismaticos et tyrannos, ad tuitionem ecclesiasticae libertatis, cum suis fratribus se opponit. Et licet aliqui latenter subrepant, publice tamen quasi ab omnium incursibus modernis temporibus Ecclesia Romana respirat.

Patriarcham hortatur, ut haec agnoscat, et profiteatur.

Ecclesia Rom. omnium Ecclesiarum mater, et magistra in unitate fidei, et spiritus concordia.

§ 15. Sed si Graecorum Ecclesia patienter sustineat, ut tuis verbis utamur, verba quae mordeant, praeter animarum pericula quae ex eorum scissura provenerunt, hactenus et proveniunt; satis eis vexatio dedisse debuerat intellectum, in quorum manibus ordo ecclesiasticus per adversus Orientis nationes in diversa partitus confunditur, ecclesiastica libertas deprimitur, et sacerdotalis dignitas conculcatur, nec est qui consoletur eam ex omnibus caris eius, quia tamquam acephali ad caput Ecclesiae recurrere contempserunt.

Mala ex divisione orta commemorat.

§ 16. Revertere igitur Sunamitis, revertere ut intueamur te, quia tunc recte poterit frater a fratre iuvari, si filius, qui omnia consumpsit dissolute vivendo, a Domino inspiratus surgat, et dicat: Pater, peccavi in caelum, et coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis. Tunc enim pater non ut mercenario, sed ut filio revertenti occurrens, primam stolam proferet, occidetque vitulum saginatum, et generale convivium faciens, universis christifidelibus cum exultatione annunciabit et gaudio, quod et frater et filius qui mortuus fuerat, iam revixit, et drachma quae perierat est inventa, et si te (1) in gremio matris Ecclesiae cum honore recepto, veritatem manifeste videbis in speculo puritatis, quam Ecclesia latina servat in fidei unitate, quae non recipit maculam, neque rugam.

Admonetque ut ad Ecclesiae gremium revertatur.

Datum Reat., septimo kal. augusti, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 26 iulii 1232, pontif. an. VI.

Sequitur altera ad eumdem Epistola.

SUMMARIUM

1. Schisma Graecorum in V. T. praefiguratum. — 2. Explicatio duorum gladiorum, eorumque usus. — Legatos se misisse dicit Pontifex. — De Ecclesiae unitate multa docet. — 3. Et de diverso ritu in sacramento Eucharistiae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Graecorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum iuxta testimonium Veritatis, occasio sit errorum ignorantia Scripturarum, cunctis expedit illas legere, vel audire, quia quae in eis inspiratio divina reposuit pro doctrina sequentium, ad cauthelam trahere voluit modernorum.

§ 1. Sane sub Ieroboam, qui peccare fecit, ut legitur, Israelem, praesumpta divisio tribuum patenter signat schisma Graecorum; et multitudo abominationum Samariae, diversas haereses multitudinis a veneratione veri Templi Domini, Roma-

Schisma Graecorum in V. T. praefiguratum.

(1) Legendum forsitan *et sic tu... receptus*, etc.

nae videlicet Ecclesiae reverentia separatae. Quod Chrisostomus, Nazianzenus, magnus Basilius et Cyrillus emicuerint in coetu dissentientium, eadem fuit caelestis altitudo consilii, qua degere voluit inter idolatras, Heliam, Heliseum, et filios prophetarum.

Explicatio duorum gladiorum, eorumque usus.

§ 2. Nunc igitur quia in aliis litteris, quas dudum tibi remisimus, latius hanc et alias auctoritatum et rationum, quae pro Romanae primatu Ecclesiae faciunt, materias explicavimus, illud tantum adiicimus, quod utrumque gladium ad Romanum pertinere Pontificem, ex evangelica lectione tenemus. Etenim loquente Iesu discipulis de acquisitione gladii spiritalis, illi duos ibi positos ostenderunt, quos Dominus dixit sufficere, ad cohibitionem videlicet spiritalis et corporalis offensae. Si materialem gladium pertinere concedis ad potentiam temporalem, attende quod in Matthaei Evangelio Dominus dicat Petro: Converte gladium tuum in locum suum: dicendo tuum, materialem signavit gladium, quo percusserat ille servum principis sacerdotum. De spiritali nemini venit in dubium, cum ei, idest Petro, per cuiusdam specialitatis apicem, ligandi et solvendi commiserit potestatem. Uterque igitur gladius Ecclesiae traditur, sed ab Ecclesia exercendus est unus, alius pro Ecclesia, manu saecularis principis eximendus: unus a sacerdote, alius ad nutum sacerdotis administrandus a milite. Propter hoc ergo, et alia, quae post diligentem veritatis indaginem, ordinatam te sentire faciant charitatem, latores praesentium, Hugonem et Petrum de Praedicatorum, Alymonem et Rodulphum de Minorum ordinibus fratres, viros virtute, religione conspicuos, morum honestate praeclaros, et Scripturarum sacrarum scientia praeditos, iuxta quod tibi per memoratas litteras intimare curavimus, ad te duximus destinandos; ut si cum eis de omnibus, quae in quaestionem veniunt, tractare fideliter et socialiter conferre decreveris, in rota, quae infra rotam Ezechieli ostensa est, vocem poteris audire tonitrui, et in mari vitreo speculari, quod unus Adam collocatus ad opus et custodiam paradisi, unam est sortitus uxorem, unum Dominum Iesum Christum, in iustitia, et veritatis sanctitate creatum, et unicam sponsam eius Ecclesiam praefigurans; quod Lamech, qui humiliatum sonat, dum uxorem unam divisit in duas, sanguinarius factus est, et virum in suum vulnus occidit; quod alia praeter unam, arca non legitur, quae cuncta vastante diluvio sub unius patriarchae regiminis potentatu, paucas animas sub perfectionis numero reseravit, quod legem Dominus secundo dedit, non alteram, sed eamdem; quod duorum Cherubim, qui propitiatorium obumbrabant, non aliorsum versi, sed respicientes erant vultus ad unum; et unam Ioseph tunicam fuisse talarem, et nostri Salvatoris inconsutilem vestem unam.

Legatos se misisse dicit Pontifex.

De Ecclesiae unitate multa docet.

Et de diverso ritu in sacramento Eucharistiae.

§ 3. Verumtamen si dubietatis sensum circa Eucharistiae sacramentum, vester diversus a nostro ritus inducit; attende, quod non sit aliud, nec diversum unius Domini Iesu Christi prius in assumpta propter nos carne passibilis, post sicut a morte sic ab omni passibilitate prorsus immunis, quod a Graecis pariter et Latinis nostrae salutis mysterium frequentatur. Graecus ad fidem cum discipulo iuniore praecurrens, et tantae gratiae non ingratus, illius dignationis, qua Deus compassus miseriae humanae homo voluit esse passibilis, eligens quotidie reminisci, hostiam offerri constituit fermentatam, ut Apostolo dicente, quod ex fermento massa corrumpitur, in fermento corruptionis, cui ante resurrectionem, corpus Dominicum subiacere potuit, ostendatur. Latinus vero cum Petro Seniore secutus litterae monumentum, de qua procedit spiritualis sensus, prior introivit, et linteamina posita quae Sacrosanctum Corpus, quod Ecclesiam signat, involverant, separatumque sudarium quod fuerat su-

per caput aspexit; sacramentum glorificati Corporis celebrare mirificentius in azimis sinceritatis elegit. Sed utique panis simplex ante sacrificium panis est. Transsubstantiatione vero facta per verba Dominica, panis non est, et ideo nec fermentatus, nec azimus dici potest. Sed ille potius creditur esse panis vivus, qui descendit de coelo, et tribuit vitam mundo. Haec et his similia docuit Petri sedem unctio spiritus, et sanitas intellectus.

§ 4. Utinam, et tu tandem aliquando iuniorem discipulum, qui vidit et credidit, secutus introeas, ut omnibus intellectis, nobiscum vere psallas illud Davidicum: Ecce quam bonum et quam iucundum, habitare fratres in unum.

Datum Laterani, decimo quinto kalendas iunii, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 18 maii 1233, pontif. an. VII.

XXXIV.

Quod in posterum nulla laicorum confraternitas in Urbe absque Sedis Apostolicae licentia speciali erigatur, minusque observetur forma illarum, quae irritae declarantur, circa associationem cadaverum defunctorum (1).

SUMMARIUM

Causa sanciendi decreti. — Decretum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis rectoribus Fraternitatis Urbis, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa sanciendi decreti.

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod laici quidam de Urbe habentes, sed non secundum scientiam, zelum Dei, sine Apostolicae Sedis licentia quasdam fraternitates adinvenire sibi temeritate propria praesumpserunt, quarum occasione solemnitates quasdam circa corpora defunctorum praeter generalem consuetudinem hactenus in talibus observatam, pro sua faciunt voluntate propriis rectoribus et thesaurariis sibi creatis, quibus obediunt, frequenter convenientes, ut statuta servent eorum, convivia certis temporibus celebrando in derogationem fraternitatis clericorum Urbis a longis retro temporibus approbatae; quia vero propter fraternitates huiusmodi laicorum, licet superficialem apparentiam habeant honestatis, est merito dubitandum, ne sub earum praetextu simplices protrahi valeant ad errorem; universitati vestrae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, quatenus fraternitates huiusmodi denuncietis penitus non servandas, clero Urbis, ne de caetero in suis Ecclesiis easdem admittant, neque sepeliant corpora mortuorum cum solemnitatibus, quae introductae sunt occasione ipsarum, districtius inhibentes. Statuimus etiam, ut nulla alia praeter memoratam fraternitatem clericorum de caetero fiat in Urbe fraternitas sine licentia Sedis Apostolicae speciali; clericos vero qui secus praesumpserint, et Ecclesias, in quibus huiusmodi fraternitates laicorum fuerint celebratae, supponatis sententiae interdicti, quae sine speciali mandato Sedis Apostolicae nullatenus valeat relaxari. Decretum.

Datum Anagniae, septimo kalendas novembris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 26 octobris 1232, pontif. an. VI.

(1) Ex Regest. Vatic.

XXXV.

Reformatio monachorum Cluniacensium ordinis Sancti Benedicti.

SUMMARIUM

Causa faciendae reformationis. — 1. Capitulum gener. apud Cluniacum quotannis celebrandum: in eoque tractanda praescribit. — 2. Definitores et visitatores provinciarum in eo eligendi. — 3. De causis nondum definitis. — 5. Capituli statuta bis in anno recitanda. — 6. Visitatores nonnisi expensas moderatas recipiant. — 7. Qui ad huius-

modi, capitulum accedere teneantur. — 8. In eo quatuor eligendi pro visitatione et reformatione monast. Cluniacensis. — 9. Beneficia absque illicita pactione conferenda. — 10. Priores conventuales quando dimovendi. — 11. Quae forma in remotionibus servanda. — 12. Institutio priorum conventualium quomodo facienda. — 13. Plures praebendae in ordine non retinendae. — 14. Ad prioratus vero nonnisi de ordine promovendi. — 15. In prioratu plures monachi collocandi. — 16. Cibus omnibus idem. — 17. Carnibus vesci non liceat. — 18. De vestibus, earumque modestia. — 19. De equitaturis. — 20. Contrahendi, et rationis reddendae forma. — 21. Proprietariorum poena. — 22. Praelatis exactiones et extorsiones interdicuntur. 23. De aetate recipiendorum. — 25. Regula S. Benedicti servanda. — 26. Hortatio ad observantiam huius reformationis.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Cluniacensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa faciendae reformationis.

Behemoth non contentus quasi bos comedere paleas, sed escas electas avide concupiscens, venatur instanter animas delicatas; non solum simpliciter gradientibus ponendo pedicas et laqueos in capturam, sed etiam contemplationis gratia in solitudinem advolantibus praetendendo decipulas, et retia extendendo. Sane dolore confodimur in occulto, et rubore perfundimur in aperto, quia cum ordo Cluniacensis in Ecclesiae paradiso dextera divina plantatus, a mari usque ad mare protensis palmitibus, gratos flores, et uberes fructus producere soleret honestatis, nunc in amaritudinem alienae vitis aversus, producit labruscas stuporem dentibus facientes, factus in laqueum et ruinam, in lapidem offensionis et petram scandali duabus domibus Israel, contemplativis videlicet, et activis. Domus quoque vestrae in multis locis desolatae sunt sicut in vastitate hostili, et multae derelictae sunt sicut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et velut civitas, quae vastatur.

Capitulum gener. apud Cluniacum quotannis celebrandum: in eoque tractanda praescribit.

§ 1. **Quare cupientes deformatum ordinem reformare, et instaurare collapsum, in primis statuimus, ut generale capitulum abbatum et priorum tam conventualium, quam minorum Cluniacensis ordinis, sive immediate sive aliquo medio sint subiecti, apud Cluniacum annis singulis celebretur.** Ubi sine personarum acceptione, secundum Deum, et B. Benedicti regulam, et Cluniacensis ordinis instituta, delinquentium corrigantur excessus, et de salute animarum, et de conservatione ordinis Cluniacensis, et domorum indemnitate tractetur, et statuatur quod fuerit regulariter statuendum. Nec in hoc priores vel camerarii invicem sibi parcant, sed unusquisque quod viderit in alio corrigendum, timorem Dei habens prae oculis, in capitulo publice vel privatim (prout melius viderit expedire) in charitate proponat. Et correctus hoc moleste non ferat, sed correctionem fratris accipiat patienter. In hoc autem capitulo nullae fiant exactiones ab aliquo, nulla dentur munera, vel accipiantur, seu etiam promittantur, sed omnia in sinceritate procedant, et ad instar Cisterciensis ordinis celebrentur.

Definitores et visitatores provinciarum in eo eligendi.

§ 2. Et in eo definitores de abbatibus et prioribus Cluniacensis ordinis statuantur, et visitatores per singulas provincias ordinentur, visitationis forma, et correctionis modo, iuxta Cisterciensem consuetudinem observatis. Huic quoque capitulo tres priores Carthusienses volumus interesse, non ut aliquam iurisdictionem exerceant, sed ut ipsos instruant et dirigant, et diligentiam ipsorum vel negligentiam rescribant Sedi Apostolicae annuatim.

De causis nondum definitis.

§ 3. Omnes causae, quae inter personas ordinis Cluniacensis emerserint, et per abbatem Cluniacensem non fuerint terminatae, delatae ad capitulum per definitores statutos (prout fit in Cistercien. capitulo) terminentur.

§ 4. Et ea statuantur, quae provenire ad conservationem et restrictionem, non

ad relaxactionem ordinis, vel regulae videbuntur.

Capituli statuta bis in anno recitanda.

§ 5. Omnes vero abbates et priores annis singulis ad capitulum venientes, definitiones (si quae factae fuerint) in suo reditu habeant bis in anno in suis capitulis et visitationis tempore nihilominus recitandas, ut nullus praetextu ignorantiae se valeat excusare.

Visitatores nonnisi expensas moderatas recipiant.

§ 6. Visitatores etiam a personis, et locis, quae visitant, praeter moderatas expensas victui necessarias recipere nihil omnino praesumant, sed excutientes ab omni munere manus suas, cum paucis incedant, secundum quod in ipso capitulo fuerit ordinatum.

Qui ad huiusmodi capitulum accedere teneantur.

§ 7. Prima enim vice omnes abbates et priores conveniant ad capitulum, recepturi reformationem praesentibus annotatam, et postmodum illi, qui sunt ultra mare Angliae, vel ultra Alpes uno anno intermisso, cum moderato familiae, ac equitaturarum comitatu, ne domus, ad quas eos venire continget, aggraventur, accedant: super his in primo capitulo superfluitate qualibet resecanda, et certo nihilominus moderamine adhibendo.

In eo quatuor eligendi pro visitatione, et reformatione monast. Cluniacensis.

§ 8. Statuimus insuper, ut quolibet anno in capitulo per definitores quatuor personae discretae, ac Deum timentes, videlicet duo abbates et duo priores Clun. ordinis eligantur, qui semel in anno statuto termino ad Cluniacense monasterium accedentes, tam de persona Cluniacensis abbatis, quam de monasteriorum et locorum circumadiacentium statu in spiritualibus et temporalibus diligenter inquirant, et quae corrigenda invenerint ad ipsorum consilium corrigantur. Ea vero, quae maiori consilio indigent, referantur singulis annis ad capitulum generale, ut Cluniacensis Ecclesia in bono statu per visitationem huiusmodi perseveret. Et si abbatis exigerent merita (quae celari non debent), per visitatores moneatur, ut cedat, et liceat visitatoribus et conventui Cluniacensis huius recipere cessionem. Quod si forte abbas sibi cessionis remedio noluerit providere, quae de ipso visitatorum inquisitio comprehendet, ad Sedem Apostolicam referat.

Beneficia absque illicita pactione conferenda.

§ 9. Caeterum quia ex mala ordinatione prioratuum et obedientiarum, et frequenti mutatione priorum multa evenisse detrimenta noscuntur, districte praecipimus, ut prioratus, decanatus, et omnes aliae administrationes conferantur gratis absque venalitate ac aliqua pactione, et prioratus conventuales nonnisi sacerdotibus committantur. Haec autem nolumus ad illas grangias, seu administrationes extendi, quae curam animarum non habent, et laicis consuevere committi. Si quis autem propter haec dedisse, vel recepisse aliquid convictus extiterit; ex tunc numquam in ordine Cluniacensi dignitatem habeat, vel honorem. Et si adversus aliquem super hoc apud visitatores, vel definitores vehemens habeatur praesumptio, ipsum per eos a prioratu vel administratione sic obtenta volumus amoveri. Et si quis ponens carnem brachium suum, per interventum saecularium personarum committi sibi obedientiam, vel prioratum poposcerit, numquam illud obtineat, sed nec alium infra annum.

Priores conventuales quando dimovendi.

§ 10. Conventuales quoque priores quamdiu in spiritualibus et temporalibus bene administraverint, nonnisi ex certis causis debent amoveri, videlicet si dilapidatores vel inobedientes, aut rebelles, seu infames, vel incontinentes extiterint, seu ad maiorem dignitatem fuerint promovendi; quod etiam de minoribus prioribus volumus observari. Nullusque litteras confirmationis habeat, quod de suo prioratu vel obedientia non debeat amoveri.

Quae forma in remotionibus servanda.

§ 11. In destitutione vero abbatum vel priorum conventualium, videlicet octo monachorum, et supra, modus, forma, et causa serventur, quae consueverunt circa abbates Cistercien. ordinis observari, et qui removetur se inclinet humiliter, nec appellet. Quod si absque iusta causa remotus extiterit, et hoc per alios

innotescat capitulo generali, tam amoventes, quam consentientes more Cisterciensis ordinis puniantur. Et quidem ut plenum adhibeatur huic morbo remedium, ita duximus providendum, videlicet, quod singulis annis in generali capitulo definitores scribant et retineant nomina singulorum abbatum et priorum, qui tunc in eodem fuerint congregati, et in sequenti capitulo, lectis eorum nominibus, in quibus Ecclesiis sint abbates vel priores mutati, diligenter attendant, et qui mutaverint, causam mutationum proponant. Quae si iusta fuerit, approbetur ab ipsis, alioquin mutatoribus poena secundum Cistercien. ordinis consuetudinem infligatur. Si quis fuerit ab abbatia vel prioratu sua culpa remotus, ad illud monasterium, in quo digne defleat quod commisit, superioris providentia transmittatur. Et si propter senectutis defectum, aut aliam causam honestam sponlaneus cesserit, revertatur ad claustrum, illo sibi quod eligere maluerit deputato.

Institutio priorum conventualium, quomodo facienda.

§ 12. Ad institutionem namque priorum conventualium absque duorum priorum conventualium consilio minime procedatur, quatenus talis praeficiatur, qui noverit, et possit præesse pariter, et prodesse, cum in Cistercien. ordine absque abbatum consilio non instituatur aliquis in abbatem. Verum quia interdum monaci abbatum vel priorum suorum delicta revelare formidant, ne ad ignotas et remotas provincias quasi in exilium relegentur, huic morbo sic duximus providendum, quod videlicet visitatores cum accesserint ad monasteria visitanda, diligenter inquirant, si quis monachus fuerit illo anno a monasterio, cui officium visitationis impendunt, emissus, et propter quam causam. Et si causa rationabilis extiterit, approbetur; alioquin et revocetur monachus, et qui eum emisit visitatoris arbitrio puniatur.

Plures praebendae in ordine non retinendae.

§ 13. Adhuc districtius inhibemus, ut nullus plures prioratus, seu prioratum cum abbatia eiusdem ordinis, vel alterius habere praesumat. Nec abbas Cluniacensis, vel aliquis alius abbas vel prior eiusdem ordinis aliquem de subiectis sibi prioratibus ad manum suam retineat; sed singulis prioratibus priores singuli deputentur.

Ad prioratus vero nonnisi de ordine promovendi.

§ 14. Nec aliquis, qui ordinem Cluniacen. non fuerit professus, hunc eiusdem ordinis prioratum obtineat.

In prioratu plures monachi collocandi.

§ 15. Nec in aliquo prioratu unus solus monachus commoretur, sed ei qui solus est, unus vel plures monachi socii adiungantur, si loci suppetant facultates; alioquin revocetur ad claustrum; proviso quod in eodem loco divina celebrentur honeste.

Cibus omnibus idem.

§ 16. Circa qualitatem vero ciborum et potus servare praecipimus, ut omnes monachi in uno reficiantur refectorio de eodem pane et potu, ac una coquina, nisi forte ipsorum aliquem comedere cum abbate vel priore, seu in infirmaria contingat. Abbas autem, vel prior in refectorio cum fratribus comedat, nisi propter hospites mutet locum. Et in infirmaria nullus comedat, nisi propter infirmitatem vel debilitatem illuc fuerit destinatus.

Carnibus vesci non liceat.

§ 17. Praecipimus etiam (iuxta quod in beati Benedicti regula continetur) ut nullus monachus in quovis loco vel domo Cluniacensis ordinis, aut extra, nisi tantum in infirmaria (ut praedictum est) carnes manducare praesumat. Quod qui praesumpserit, si claustralis fuerit, gravi poenae subdatur, vel si dignitatem, vel administrationem habuerit, privetur eadem.

De vestibus, earumque modestia

§ 18. Illud quoque observari praecipimus, ut monachi sicut in claustro, ita et foris honeste se habeant, nec incedant sine cucula, et floco, vel sine cuculla, et cappa regulari, non bicia, non sumptuosa, sed tali, quae triginta solidorum precium non excedat. Et nullus abbas vel prior sine postella et sella regulari, non tamen preciosa, equitare praesumat, nec aliquis monachus equitans

cappellis filtreis, vel aliis omnino cappellis, seu calceis non corrigiatis utatur. Nec quisquam in quovis loco tunicis, vel coopertoriis de bruneto, aut pellibus sylvaticis, seu camisiis, vel linteaminibus lineis uti praesumat, nec deferat vestes scissas ante, vel retro, nec aliquis claustralis habere propriam cappam pluvialem, vel equitaturam sibi deputatam attentet.

De equitaturis.

§ 19. Circa equitaturas namque et familiam omnem superfluitatem amputare volentes; mandamus, ut abbas Cluniacensis equitaturis sexdecim contentus existat; et alii abbates eiusdem ordinis, ac prior de Charitate octo: prior S. Martini sex: priores alii conventuales tribus, vel quatuor, et caeteri priores minores duabus evectionibus sint contenti. Abbas vel priores, servientes non pueros, non nobiles, non vestibus sumptuosis, sive diversi coloris, sed maturos habeant, et honestos.

Contrahendi, et rationis reddendae forma.

§ 20. Quia vero ad desolationem domorum plurimum operatur laxa debita potestas contrahendi, et quod ratio non reddatur de debitis vel receptis; praecipimus, ut singuli abbates et priores de consilio fratrum et familiae quibus praesunt, cum testimonio bonorum virorum, qui ad locum pertinent, cum contrahendum, vel innovandum est mutuum, ita id faciant diligenter, quod omnibus liqueat quanta summa, quibus personis, quibus conditionibus, quibus terminis debeatur, et in quos usus contractum mutuum sit conversum. Et ut domorum status certior habeatur, singulis duobus mensibus coram abbate vel priore (si non est ibi abbas) et senioribus, reddant singuli officiales de suis officiis rationem, de omnibus receptis et expensis computationem fideliter facientes, abbas quoque Cluniacensis, et caeteri abbates et priores, quater in anno statum suae domus in suo capitulo, et etiam coram visitatoribus cum venerint, plene declarent. Nec aliquis abbas vel prior prioratum vel granciam aliquam, venditionis, aut donationis, seu aliquo alio titulo alienare, absque abbatis patris, vel patris prioris, et conventus sui verbo et consensu praesumat.

Proprietariorum poena.

§ 21. Monachis proprietariis etiam poena, iuxta morem Cistercien. ordinis infligatur, et in proprietarios excommunicationis sententia promulgetur, nisi monachus proprietarius deposita restituerit, quae suis fuerint monasteriis resignanda.

Praelatis exactiones et extorsiones interdicuntur.

§ 22. Ad haec, quoniam abbas Cluniacensis, necnon abbates et priores eiusdem ordinis prioratus sibi subiectos exactionibus et extorsionibus consueverunt adeo aggravare; quod in eisdem prioratibus antiquus et consuetus monachorum numerus est nimium diminutus, nos id de caetero fieri sub attestatione divini iudicii prohibemus, cum liqueat prioratus ipsos non ad destructionem, sed ad conservationem ordinis et correctionem sibi esse subiectos, et eisdem prioratibus pro sustentatione monachorum inibi Domino famulantium, possessiones pia devotione fidelium fuisse concessas.

De aetate recipiendorum.

§ 23. Caeterum quia non est in primogenito bovis arandum, districtius inhibemus, ne pueri ante quintumdecimum annum completum in monachos admittantur, illis dumtaxat exceptis, quibus in Cluniacen. monasterio ex antiqua consuetudine certum est officium deputatum.

§ 24. Mulieribus ingressu claustri vel chori penitus interdicto.

Regula S. Benedicti servanda.

§ 25. Et cum secundum evangelicam veritatem, qui mandata Dei propter traditiones transgrediuntur humanas, a Domino arguantur, strictissime interdicimus, ne propter traditiones vel constitutiones nostras, regularia statuta beati Benedicti aliquatenus omittantur.

Hortatio ad observantiam huius reformatioris.

§ 26. Ut ergo mandatum lucerna sit vobis, et lex lux, et via vitae increpatio disciplinae, universitatem vestram monemus attente, per apostolica vobis scripta, et in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus quodcumque necesse est provide cupientes,

praescripta statuta studeatis inviolabiliter observare, ut ad frugem melioris vitae conversi, ascensionibus in corde dispositis, de gratia in gratiam, et de virtute proficiscentes salubriter in virtutem, bonus in omni loco efficiamini odor Christi, nosque in vestris meritis delectati, ad profectus vestros merito intendere debeamus.

Datum Avinione, idibus ianuarii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 13 ianuarii 1233, pontif. an. VI.

XXXVI.

Prohibitio, ne Iudaei, mancipia, nutrices et famulas christianas in propriis domibus habeant, aliaque contra eosdem decernuntur quoad consortium cum christifidelibus (1).

SUMMARIUM

Ecclesiae Christianae in Iudaeos benignitas. Ingratos se praestant. — Eorum excessus. — Mancipia et nutrices christianas in suis domibus habere non possunt: — Nec cum christianis de fide disputare.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, ac dilectis filiis aliis Ecclesiarum praelatis per Theutoniam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiae Christianae in iudaeos benignitas. Sufficere debuerat perfidiae Iudæorum, quod eos pietas christiana solius humanitatis intuitu receptat et sustinet, quos hi, qui fidem catholicam persequuntur, et nomen Domini non noverunt, in suam cohabitationem et consortium non admittunt. *Ingratos se praestant.* Ipsi enim ingrati gratiae ac beneficiorum obliti, nobis pro gratia contumeliam exhibent, et de benignitate impia retributione contemptum, qui ex sola misericordia in nostram familiaritatem admissi, suae deberent agnoscere iugum ex culpa propria perpetuae servitutis. Accepimus siquidem, quod non sine dolore narramus et scribimus cum pudore, *Eorum excessus.* quod Iudaei per Theutoniam constituti facti sunt adeo insolentes, ut illos excessus committere in contumeliam christianae fidei non pavescant, quod non solum dicere, sed etiam est nefarium cogitare. Habent etiam mancipia christiana, *Mancipia et nutrices christianas in suis domibus habere non possunt:* quae circumcidi faciunt, et iudaizare compellunt: nonnulli etiam non re, sed solo nomine christiani sponte se transferentes ad ipsos, et eorum ritum sectantes circumcidi permittunt, et iudaeos se publice profitentur. Et cum in Toletano concilio sit statutum, et in generali nihilominus innovatum ne Christi blasphemus publicis praeferatur (1), cum nimium sit absurdum ut talis in christianos vim exerceat potestatis, nihilominus eis dignitates saeculares et publica officia committuntur, quorum occasione in christianos saeviunt, et nonnullos servare faciunt ritum suum. Habent praeterea nutrices et famulas in domibus propriis christianas, quae apud eos illa committunt enormia, quod abhominationi sunt audientibus, et horrori. Et licet in eodem generali concilio caveatur, ut Iudaei utriusque sexus in omni christianorum provincia, et omni tempore qualitate habitus ab aliis distinguantur, sic in quibusdam Theutoniae partibus inolevit confusio, quod nulla differentia discernuntur. Cum igitur nefas sit, ut sacri Baptismatis unda renatus, infidelium ritu vel conversatione foedetur, ac religio christiana perfidorum prematur dominio, si blasphemus sanguine Christi redemptum obnoxium detineat servituti, universitati vestrae praecipiendo mandamus, quatenus singuli vestrum in dioecesibus, ecclesiis et parrochiis suis praemissos et consimiles Iudaeorum excessus omnino reprimi faciatis, ne cervicem perpetuae servitutis iugo submissam praesumant erigere in contumeliam Redemptoris, districtius inhibentes ne de fide, *Nec cum christianis de fide disputare.* vel ritu suo cum christianis praesumant aliquatenus disputare, ne sub praetextu

(1) Ex Regest. Vatic.

(1) Addendum forsitan *officiis*

disputationis huiusmodi in erroris laqueum, quod absit, simplices elabantur, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis: contradictores christianos videlicet per censuram ecclesiasticam; Iudaeos vero per sublationem communionis fidelium appellatione postposita compescendo.

Datum Anagniae tertio nonas martii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 5 martii 1233, pontif. an. VI.

XXXVII.

Erectio Studii generalis in civitate Tolosana cum exemptionibus et libertatibus quibus Parisienses scholares fruuntur, et gaudent (1).

SUMMARIUM

Studium Tolosanum a legato S. A. erectum. — Privilegia facultatis Parisien. eidem conceduntur. — Nonnulla ampliat. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Universitati magistrorum et scholarium Tolosan., salutem et apostolicam benedictionem.

Studium Tolosanum a legato S. A. erectum.

Olim operante Illo, qui vult omnes homines salvos fieri, et neminem vult perire, per ministerium dilecti filii nostri Romani Portuen. electi tunc in illis partibus Apostolicae Sedis legati, inter Ecclesiam, et nobilem virum comitem Tolosanum, pace præeunte divina gratia, reformata; idem legatus tam provide, quam prudenter attendens quod fides catholica, quae pene penitus videbatur de illis partibus profligata inibi reflorere valeret; si illic litterarum studium crearetur duxit provide statuendum ut in Tolosana civitate cuiuslibet licitae facultatis studia plantarentur, quorum magistris, ut liberius possent vacare studiis et doctrinis, a iam dicto comite fuit promissum certum salarium et statutum. Nos igitur quod super praemissis factum est gratum et ratum habentes, ut eadem libertate qua gaudent Parisienses scholares, vos, et omnes qui vobis successerint in hac parte perpetuo gaudeatis, devotioni vestrae duximus concedendum. Nihilominus, ut cives Tolosani domos vacantes ad inhabitandum scholaribus locare sub competenti pretio taxando a duobus clericis et totidem laicis viris discretis catholicis, et iuratis, communiter electis a vobis, locare (1) cogantur; et ut scholares theologiae studiis insistentes, ac universi magistri in civitate commorantes praefata beneficiorum et praebendarum suarum proventus, ac si in Ecclesiis, in quibus eadem obtinent, residerent, quotidianis distributionibus, quae illis, qui divinis intersunt officiis assignantur, (2) dumtaxat exceptis, concedantur integre statuentes.

Privilegia facultatis Parisiensis eidem conceduntur.

Nonnulla ampliat

Sancimus praeterea, quod nulli magistri, scholares, vel clerici, ac servientes eorum, si, quod absit, contigerit eos in quocumque maleficio deprehendi, ab aliquo laico iudicentur, vel etiam puniantur, nisi forsitan iudicio Ecclesiae condemnari saeculari curiae relinquantur; et ut laici teneantur in causa qualibet studentibus coram ecclesiastico iudice respondere secundum consuetudinem Ecclesiae Gallicanae, nec non, et ut comes iam dictus, cives Tolosani, balivi eiusdem comitis et barones terrae, personis et rebus scholarium, ac etiam nunciis eorumdem securitatem et immunitatem sub iureiurando promittere compellantur, et a suis subditis fieri faciant illud idem. Et si qui eos, vel eorum nuncios in terris ipsorum pecunia, vel rebus aliis spoliaverint, ipsi, vel emendari faciant, vel emendent. Et ut quicumque magister ibi examinatus et approbatus fuerit in qualibet facultate, ubique sine alia examinatione regredi liberam habeat potestatem. Ad haec cum saepefatus comes in reformatione pacis se obligaverit, praestito iuramento, ut certum salarium usque ad

(1) Ex Regest. Vatic.

(1) Omittendum, prout repetitum, vocabulum *locare*. (2) Legendum forsitan *absentibus dumtaxat exceptis*.

certum tempus certo numero magistrorum exolvat; statuimus, ut illud sine diminutione qualibet persolvat usque ad terminum constitutum, et plenarie satisfaciat de subtractis.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani quinto kalendas maii, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 27 aprilis 1233, pontif. an. VII.

XXXVIII.

Prohibitio alienandi terras, castra et alia loca Sedis Apostolicae absque consensu sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Symmachi simile decretum (2). — 2. Prohibitio (*de qua in rubrica*). — 3. Nonnulla loca S. R. E. speciatim nominat. — Clausulae poenales.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, universis scripta praesentia inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Rex excelsus Summi Regis, Deus et Homo Christus Iesus, quem legi necessitas non subiecit, factus est voluntate sub lege, formam relinquens Vicario, ut licet prae caeteris libertatem in excellentia dignitatis acceperit, recognoscat tamen cum caeteris quamdam in officii debito servitutem, sacrarum observantiae sanctionum, gratuito alligans utrumque, necessitatem voluntariam et necessariam voluntatem; ut dum praelationem sic subiicit, maior appareat ex huiusmodi subiectione praelatus. Auctoritatis est quoque posse statuere, sed virtutis, ut quis se subiiciat suo statuto, per alterum potens in subditis, per reliquum potentior in se ipso. Praesertim cum efficacius statuat, dum exponit apertius suae prosecutioni statutum, eo quod lingua manus interpres quasi praeco semitam verbo parat.

Symmachi simile decretum. § 1. Sane fel. record. Symmachus Papa volens quodammodo legi subiicere potestatem, in Ecclesiae praediis alienandi licentiam interdixit, ut quod licere non expedit, licitum non putetur.

Prohibitio (de qua in rubrica). § 2. Nos autem super hoc illius vestigiis inhaerentes, unanimi fratrum desiderio et petitione concordi, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut de patrimonialibus, sine communi fratrum consilio et assensu, alienatio nulla fiat, sitque uni facultas, quod ex causa legitima obstaculum libere contradictionis opponat. Quod si forte fuerit in alienatione processum, factum ipso iure non teneat per successorem, quatenus praedecessor de facto processerit, et eo ipso quod processum sic fuerit revocandum, de alienantis vita, consentientium numero, et solemnitate scripturae, nullum adminiculum tali suscipiente contractu.

Nonnulla loca S. R. E. speciatim nominat. § 3. Caeterum ad cauthelam quaedam loca specialioris inhibitionis vinculo adstringenda speciali expressione nominum praesenti paginae fecimus annotari, videlicet: in Campania, castrum Fumon., Palian., Serron. et Larian. In Maritima, Aquam Putridam, Ostiam, quam episcopus Ostien. tenet a Romana Ecclesia, in omnibus ipsius episcopi iure salvo. Ariciam, Nympham Tolan., Coram, Cisternam, et Terracin. In Tuscia, Montem Flascon., Orlele, Montem Altum, Radicophanum, Pien., Aquam Pendentem, et Bulsen. cum tota Valle Laci. In ducatu Spoletano, Roccam de Cesis, et Roccam de Gualdo. In episcopatu Spoletano, Roccam Sacrati, Brusin., Lorin., et Roccam de Saxo. In episcopatu Narnien., castrum Sancti Ge-

(1) Ecclesiae res non alienandas decrevit S. Leo, Constit. IX, tom. I, pag. 65. (2) Vide tom. I, pag. 130.

mini, castrum Stronconis, Mirandan., et castrum Oriculi. In Sabinia, Roccam Antiquam, et totam Sabiniam cum omnibus castris et villis. In Marchia Anconitana, Roccam de Plorago, Serravalle, et Turrim de Parma.

Clausulae poenales

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Laterani 17 kalen. februarii, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 16 ianuarii 1234, pontif. an. VII.

XXXIX.

Quod principes, aut nobiles, seu Ecclesiarum praelati, occasione iurispatronatus, advocatiae, custodiae, aut aliter a monasteriis ordinis Cisterciensis quidquam exigere, vel taliis gravare non possint.

SUMMARIUM

Causa decreti. — 1. Cistercienses a principibus et praelatis gravati: — 2. Ab huiusmodi gravaminibus levantur. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Cistercii, et universis coabbatibus Cistercien. ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa decreti.

Quia refrigescente charitate multorum, adeo iniquitas abundavit, ut quorumdam succensa velut ignis impietas, contra Ecclesias et personas ecclesiasticas tanto validius inflammetur, quanto rariores, qui eas tueantur, contra pravorum incursus, invenit obiectores; nos, quibus ipsarum cura et sollicitudo incumbit, ibi fortius insurgere cogimur, ubi persecutorum immanitas periculosius exardescit.

Cistercienses a principibus et praelatis gravati:

§ 1. Sicut enim nobis ex parte vestra gravis est oblata querela, nonnulli principes, ac nobiles, occasione iurispatronatus, advocatiae, sive custodiae, quam in monasteriis, grangiis, cellariis, vel domibus vestris se habere proponunt, interdum etiam pro suae libito voluntatis, et quidam Ecclesiarum praelati, a quibus deberetis non gravamen, sed solamen potius expectare, bladum, vinum, evectiones, animalia, et res alias, pro aedificatione ac munitione castrorum et villarum, necnon pro tyrociniis, torneamentis, expeditionibus, et aliis usibus eorumdem, a vobis exigunt et extorquent, alias vos taliis et exactionibus indebitis multipliciter aggravando. Praeterea quidam ex ipsis, et alii, carnes comedere in vestris domibus, ac mulieres etiam easdem domos ingredi, contra instituta vestri ordinis non verentur, propter quod, et quies monastici ordinis perturbatur, et grave commissis vobis monasteriis imminet detrimentum. Quare nobis humiliter supplicastis, ut super his paterna providere sollicitudine dignaremur.

Ab huiusmodi gravaminibus levantur.

§ 2. Nos igitur, et vestrae providere quieti, et molestantium malitiis obviare volentes, auctoritate praesentium districtius inhibemus, ne quis a vobis praemissa exigere vel extorquere, aut in vestris domibus uti carnibus, seu mulierem aliquam eas intrare praesumat contra ordinis instituta.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae inhibitionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani decimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 23 ianuarii 1234, pontif. an. VII.

XL.

Canonizatio Sancti Dominici institutoris ordinis fratrum Praedicatorum, sub regula Sancti Augustini, eiusque adscriptio in cathalogum sanctorum confessorum, cum festivitatis institutione pro die quinta mensis augusti.

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Deus pro fidelium salute plures sanctos suscitavit. — 2. Beati Dominici elogium. — 3. Miraculis clarus. — 4. Ss. cathalogo adscribitur. — 5. Eius celebranda festivitas die 5 augusti. — 6. Indulgentia eius sepulchrum visitantibus concessa.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, archipresbyteris, decanis, et aliis Ecclesiarum praelatis, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium

Fons sapientiae verbum patris Dominus Iesus Christus, cuius natura bonitas, opus misericordia, redimens, et renovans quos creavit: qui vineam, quam de Ægypto transtulit, usque ad consummationem saeculi non relinquit, sapienter signa propter instabiles mentes innovat, et mirabilia contra diffidentiam incredulitatis immutat: dum in Ecclesiae nascentis exordio post obitum Moysis, videlicet finem legis, ascensurus equos, et in Evangeliorum quadrigis, quae vere sunt sanitas, arcu sacri eloquii, quem, donec Iudæus infirmaretur, intenderat, et iuramentis, quae in patribus nobis disposuerat, suscitatis, confidentiam Iericho, gloriam mundi, quem praedicationis fremitu obstupefactis gentibus vicerat, calcaturus, viam equis suis in mari faceret, et in Raab salutem latitudinis gentium signo coccineo figuraret. In prima quadrigarum quatuor egredientium, in Zacharia, de medio duorum montium aereorum, protulit equos rufos, populorum principes, fortes terrae. Qui per obedientiam fidei Deo Abraham, patris credentium, in fundamentum novi foederis adhaerentes, ad ducis instar, tinctis de Bosra, id est, tribulationis angustia, vestibus, cuncta suae signa militiae rubricarunt, ut pro futurae gloriae gaudio praesentem gladium non timentes, effecti martyres, idest, testes, novae legis libro confessionis voce subscriberent. Et forinsecus miraculorum signis ad stipulationum robur appositis, librum, et tabernaculum, quod Deus, et non homo fixit, ac evangelici vasa ministerii, non brutorum, sed rationabilium hostiarum sanguine tingerent. Et in universam spatiosi maris faciem sagena praedicationis expansa, multiplicatam super numerum, de cunctis, quae sub coelo sunt, nationibus, Ecclesiam congregarent.

Deus pro fidelium salute plures sanctos suscitavit.

§ 1. Sed quia praesumptio multitudinem et malitia subsecuta est libertatem, in quadriga secunda sub colore, qui lugentibus et poenitentibus congruit, equestrem cuneum deputavit, qui ad claustrale desertum ductus per spiritum sub novi Israelis auriga sanctissimo Benedicto, velut sub altero Helisaeo, filii prophetarum, communis vitae bonum, occasione multitudinis perditum, in iucundae cohabitationis grata societate restituit. Et sic unitatis scissum rete reficiens, ac per opera pietatis, ad terram Aquilonis, unde omne malum panditur, proficiscens, eum fecit in ingressis thesauros nivis, et contritis corde quiescere, qui dedignatur in corpore peccatis subdito habitare. Post quos quasi lassum renovaturus exercitum, et redditurus iubilum post lamentum, applicitis ad quadrigam tertiam equis albis, fratribus Cistercien. ordinis et Floren. velut tonsarum greges geminae charitatis foetibus uberes de poenitentiae lavacro fecit ascendere, S. Bernardo ariete ovium in virtute spiritus, qua ex alto indutus extitit, et in abundantia frumenti Vallium præeunte, ut transeuntes liberati per eum in fortitudine clament ad Dominum, di-

cant hymnum, et ponant castra Dei exercituum super mare.

Beati Dominici elogium.

§ 2. Novo igitur Israele his tribus agminibus, turmis totidem, quas Philistiim fecerant, occurrente, hora undecima, cum dies iam declinasset ad vesperam, et propter iniquitatis abundantiam, charitate plurimum frigescente, vergeret iustitiae radius ad occasum, quia vineam, ad quam paterfamilias operarios diversis temporibus denarii conductos conventione praemiserat, et quam sua dextera plantarat, non solum vitiorum vepres et spinae pervaserant, sed iam propemodum vulpeculae demolientes, convertere in alienae vitis amaritudinem intendebant, adversus infestissimam multitudinem, militiam adunare voluit promptiorem. Et sicut inpraesentiarum cernimus post trium signis differentium tyrocinia quadrigarum, in quadriga quarta equos varios et robustos, Praedicatorum et Minorum fratrum agmina cum electis ducibus simul in praelium directurus, spiritum sancti Dominici suscitavit, et ei velut equo suae gloriae praebens fidei fortitudinem, et fervorem divinae praedicationis hynitum, circumdedit collo eius. Qui gerens a pueritia cor senile, ac in mortificatione carnis eligens vivere, vitae requisivit auctorem, et Deo deditus, ac in Nazaraeum sub beati Augustini regula consecratus sedulum circa sancta, Samuelis imitatus obseqnium, in castigatione desiderii piissimum Danielis continuavit affectum, iustitiae semitas, et sanctorum vias strenuus athleta custodiens, et velut ad momentum de tabernaculo Domini, de militantis Ecclesiae magisterio ac ministerio non discedens, carnem spiritui, et sensualitatem subiiciens rationi, et factus unus cum Deo spiritus, totus in eum per excessum mentis pergere studuit, et sobriae compassionis studiis, a charitate proximi non recessit. Quo sagittante delicias carnium, et fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis haereticorum secta contremuit, omnis Ecclesia fidelium exultavit. Ætate crescente crevit et gratia. Quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum, ad eloquia Dei dedit animum, et per Evangelium Christi multos generans in conversione tam strenuae multitudinis evangelicae dignitatis officium profitentis, nomen et opus in terra meruit obtinere maiorum. Pastor et dux inclytus in populo Dei factus, novum Praedicatorum ordinem instituit meritis, ordinavit exemplis, nec miraculis confirmare desiit evidentibus et probatis.

Miraculis clarus.

§ 3. Nam inter opera sanctitatis, et signa virtutis, quibus in carne positus claruit, diversorum curatis languoribus, loquela mutis, visu caecis, surdis auditu, gressu paralyticis et sanitate pristina multarum generibus invalitudinum restitutis, aperte patuit, qualis spiritus in eiusdem sanctissimi gleba corporis habitavit. Cum igitur ex multa familiaritate, quam nobiscum in minori constitutis officio habuit, argumenta sanctitatis ipsius ex insigni vitae testimonio constitissent, essetque postmodum de miraculorum veritate dictorum facta nobis per testes idoneos plena fides;

Ss. cathalogo adscribitur.

§ 4. Nos cum commisso nobis grege Domini confidentes eius posse suffragiis per Dei misericordiam adiuvari, ut cuius in terris solatium gratiosae familiaritatis habere meruimus, eius in coelis potenti patrocinio gaudeamus; ipsum de fratrum nostrorum consilio et assensu, ac omnium tunc apud Sedem Apostolicam consistentium praelatorum, cathalogo sanctorum adscribi decrevimus.

Eius celebranda festivitas die 5 augusti.

§ 5. Statuentes firmiter, ac universitati vestrae praesentibus iniungentes, ut non. augusti, ante diem quo posita carnis sarcina dives meritis penetravit in sancta, similis sanctorum factus in gloria, eius natalitia celebretis et faciatis solemniter celebrari (1), quatenus ipsius precibus

(1) Ne scilicet S. Dominici festum cum Dominica Transfiguratione concurreret, si die VI aug. celebraretur. Nunc die IV augusti celebratur, ob festum S. Mariae ad Nivem (Constit. Pauli IV *Gloriosus*, 7 aug. 1558).

Deus, quem vivens coluit, exoratus, gratiam in praesenti saeculo et gloriam nobis tribuat in futuro.

Indulgentia eius sepulchrum visitantibus concessa.

§ 6. Nos vero tanti Confessoris venerabilem sepulturam, quae miraculorum fulgoribus generalem illustrat Ecclesiam, cupientes dignis christianae devotionis honoribus frequentari: vere poenitentibus et confessis, illam in festivitate praefata annis singulis cum devotione ac reverentia debita visitantibus, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus.

Datum Reate quinto nonas iulii, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 3 iulii 1234, pontif. an. VIII.

XLI.

Quod omnes uti debeant decretalibus Gregorii iussu a sancto Raymundo compilatis, nec alia de caetero fieri possit illarum compilatio (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Mala ex dubietate et dispersione decretalium orta. — A S. Raymundo in volumen rediguntur iussu Papae: — Qui aliam prohibet fieri compilationem.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis doctoribus, et scholaribus universis, Parisiis commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Rex pacificus pia miseratione disposuit sibi subditos fore pudicos, pacificos et modestos; sed effraenata cupiditas sui prodiga, pacis aemula, mater litium, materia iurgiorum, tot quotidie nova litigia generat, ut nisi iustitia conatus eius sua virtute reprimeret, et quaestiones ipsius implicitas explicaret, ius humani foederis litigiorum abusus extingueret, et dato libello repudii, concordia extra mundi terminos exularet. Ideoque lex proditur, ut appetitus noxius sub iuris regula limitetur, per quam genus hominum, ut honeste vivat, alterum non laedat, ius suum cuique tribuat, informatur. Sane diversas constitutiones et decretales epistolas praedecessorum nostrorum in diversa dispersa volumina, quarum aliquae propter nimiam similitudinem, et quaedam propter contrarietatem, nonnullae etiam propter sui prolixitatem confusionem inducere videbantur; aliquae vero vagabantur extra volumina supradicta, quae tamquam incertae frequenter in iudiciis vacillabant, ad communem et maxime studentium utilitatem, per dilectum filium fratrem Raymundum cappellanum et poenitentiarium nostrum in unum volumen, resecatis superfluis, providimus redigendas. Adiicientes constitutiones nostras, et decretales epistolas, per quas nonnulla, quae in prioribus erant dubia, declarantur. Volentes igitur, ut hac tantum compilatione universi utantur in iudiciis, et in scholis, districtius prohibemus, ne quis praesumat aliam facere absque auctoritate Sedis Apostolicae speciali.

Mala ex dubietate et dispersione decretalium orta.

A S. Raymundo in volumen rediguntur iussu Papae:

Qui aliam prohibet fieri compilationem.

Datum Spoleti nonis septembris, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 5 septembris 1234, pontif. an. VIII.

(1) Ex Regest. Vatic.

XLII.

Ordini fratrum Beatae Mariae de Mercede, Redemptionis Captivorum, conceditur, ut vivant sub regula S. Augustini.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro, et fratribus domus S. Eulaliae Barchinonen., salutem et apostolicam benedictionem.

Devotionis vestrae precibus inclinati, praesentium vobis auctoritate concedimus, ut cum nondum aliqua sit a vobis ex religionibus approbatis assumpta regula, B. Augustini possitis ordinem profiteri.

Dat. Perusii, decimo sexto kal. februarii, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 17 ianuarii 1235, pontif. an. VIII.

XLIII.

Prohibitio aedificandi, ac reaedificandi castra in terra Sabiniae, Status Ecclesiastici, absque licentia Sedis Apostolicae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, universis fidelibus nostris, per Sabiniam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum tota terra Sabiniae iuris et proprietatis B. Petri existat, de fratrum nostrorum consilio praesenti constitutione sancimus; ut in ea nullum castrum aedificari, vel reaedificari de caetero valeat absque Sedis Apostolicae licentia speciali, sub interminatione anathematis, et poena mille librarum aedificantibus, ac viginti singulis operariis. Districtius inhibentes, ne quis contra statutum huiusmodi venire praesumat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Perusii, decimoquinto kal. aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 18 martii 1235, pontif. an. VIII.

XLIV.

Approbatio ordinis fratrum et sororum Militiae Iesu Christi nuncupatorum Parmen.

SUMMARIUM

Exordium. — Regulam huius ordinis approbat. — Regulae tenor. — Unus Militiae magister. — De praemittendis antequam quis recipiatur. — Receptus autem christiane vivat. — Fratres et sorores sub obedientia S. A. et episcoporum vivere debent: — Fidem catholicam defendere: — Libertatem ecclesiasticam, — Et iniuste oppressos. — De armorum usu. — De vestibus: — Victu: — Ieiuniis: — Usu sacramentorum Eucharistiae et Poenitentiae: — Oratione: — Decimis Ecclesiae, vectigalibus principibus reddendis. — De infirmis. — Tenor professionis faciendae. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus Militiae Iesu Christi Parmen., salutem et apostolicam benedictionem.

Quae omnium Conditoris honorem et profectum continent animarum, amore praecipuo diligentes, eo quod quidquid in desiderio praeter illa geritur, apud Dei sapientiam pro nihilo reputetur; dignum fore providimus, ut in iis, quae intuitu salutis aeternae cupitis, nos favorabiles ad Redemptoris gloriam habeatis. *Exordium.*

Hinc est, quod vestris piis supplicationibus inclinati, formam vitae a vobis perpetuis temporibus observandam, quam virtutum Domino inspirante deliberatione provida statuistis, acceptam et placitam reputantes, illam auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Ut autem perpetuae robur obtineat firmitatis, ipsam de verbo ad verbum praesentibus fecimus annotari, cuius tenor talis est: *Regulam huius ordinis approbat.*

Cum secundum Apostolum fundamentum aliud nemo ponere possit praeter illud, quod positum est, quod est Christus Iesus, in quo tamquam in lapide angulari omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, eodem Apostolo attestante, salubri ducti consilio, vos milites civitatis Parmen., recisa saeculi vanitate, super hoc fundamentum aedificium vestrum erigere proponentes, et Militiae vestrae cursum ad honorem Dei, et Ecclesiae sanctae convertentes profectum, sub certa disciplina vivere Deo accepta, unum habentes magistrum, cui reverenter intendatis, de vestra salute solliciti decrevistis. Haec autem vivendi forma, sicut ab ipso nomine Iesu Christi, qui omnium bonorum est principium et origo, rei sumit effectum; sic et ipsius nominis ti- *Regulae tenor.* *Unus militiae magister.*

tulo voluistis eam provide nuncupari, ut scilicet dicatur dogma, seu forma vitae fratrum Militiae Iesu Christi, per quam videlicet, ut possitis melius erudiri, qualiter in principio, medio et in fine iter discretius et iustius peragatis incaeptum, per pauca et certa duxistis eam capitula distinguendam duas partes iustitiae in ordine prosequendo. Cum autem prima pars sit declinare a malo, bonum vero facere sit secunda, de prima est in ea primitus sic provisum, ut quicumque frater, seu soror voluerit se sub huius sanctae Militiae stadio coarctare, primum suam scrutetur conscientiam diligenter, et plene confiteatur peccata sua ordinario confessori, vel cui ille duxerit demandandum, et de quibus restituendis, dimittendis, aut etiam faciendis repertus fuerit obnoxius, ad ipsius confessoris mandatum satisfaciat competenter, ubi si dubium aliquod emerserit, ad dioecesani consilium recurratur. Demum sic liber a peccato, uti servus factus iustitiae secure transeat ad nomen, et fratrum numerum praedictorum. Receptus autem vivere studeat innocenter, neminem concutiens, sed contentus in omnibus iure suo; usuras abhorreat, et omnes contractus in fraudem initos, usurarum rapinam, et omnem violentiam detestetur, et non solum manus, sed etiam linguam a malo cohibeat, ut videre valeat dies bonos. Item matrimonio sic utatur, quod sanctum est et a Domino institutum, quod fornicarios et illegitimos omnes declinet amplexus, sciens quod fornicarios et adulteros Dominus iudicabit: commessationes, et ebrietates, et caetera gulae dispendia, cui qui nimis obsequitur inimicus efficitur Crucis Christi, quilibet quantum cum Dei potuerit auxilio, satagat evitare, et generaliter quilibet in prima parte iustitiae, quae est declinare a malo, ut superius est praemissum, taliter, faventesibi divina gratia, se componat a corde, lingua et manu, ut totaliter a seipso abiiciens opera tenebrarum, possit induere arma lucis, quibus ad secundam partem, quae est facere bonum, acceptus, hostes debellare valeat Iesu Christi, et eius familiam defensare: ad quod omnium huius vitae virorum principaliter intentio sit directa, sicut subsequenter per capitula est distinctum. Fratres et sorores, qui ad hanc vitae formam, scilicet Militiae Iesu Christi, transibunt, in obedientia et devotione sanctae Romanae Ecclesiae, et Summorum Pontificum catholicorum, qui per tempora fuerint in eadem, necnon dioecesanorum suorum, intemerata fidei puritate persistant; habentes unum magistrum, vel rectorem, cuius providentia et dispositione quoad huius disciplinae commune propositum promovendum, conservandum et exequendum regantur, cui etiam reverenter intendant, postquam fuerit per loci dioecesanum, vel per Sedem Apostolicam approbatus, apostolica et dioecesanorum obedientia, reverentia et correctione in omnibus semper salva. Fidem catholicam fratres defendent contra omnem sectam haereticae pravitatis; haereticos omnes, scilicet Catharos, Pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas et alios quocumque nomine censeantur viriliter impugnando libertatem ecclesiasticam potissime defensabunt, impediendo fideliter in civitatibus suis, ac locis, ne quid in eius praeiudicium statuatur, vel fiat, aut quomodolibet attentetur. Claves Ecclesiae non contemnent, sed in omnibus bona fide servabunt excommunicationis, et interdicti sententias Sedis Apostolicae, et dioecesanorum suorum tam in se, quam in alios latas iuxta traditionem sanctorum canonum inviolabiliter observando; Ecclesias quoque, monasteria, hospitalia et quaecumque religiosa loca, necnon personas ecclesiasticas cuiuscumque religionis, vel ordinis; item viduas, pupillos et orphanos, ac caeteras miserabiles personas, ut non opprimantur a suis civitatibus, seu locis, et ut liberentur ab oppressionibus bona fide intendent, et pro praedictis omnibus, scilicet pro fide ac

De praemittendis antequam quis recipiatur;

Receptus autem christiano vivat.

Fratres et sorores sub obedientia S. A. et episcoporum vivere debent:

Fidem catholicam defendere

Libertatem ecclesiasticam,

Et iniuste oppressos.

libertate ecclesiastica defendendis, et iustitia praedictorum per locorum dominos, seu rectores reddenda, si expedierit, se armis accingent fratres, viriliter et potenter pugnantes ad mandatum Ecclesiae Romanae, vel si loci dioecesanus ac magister eorum simul hoc viderint expedire.

De armorum usu. Alias autem circa usum armorum sibi prudenter attendant, et sic eis utantur in licitis, quod ad illicita non trahantur, Sedis Apostolicae, vel dioecesani consilio, si aliquod dubium emerserit, requisito. Et quoniam omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, iuxta verbum Apostoli, merito post ordinatam pugnam horum athletarum, sive militum Iesu Christi, de ipsorum abstinentia et modo vivendi in habitu et victu consequenter adiungitur in hunc modum:

De vestibus: vestiantur milites panno albo in tunica et supertunicali, in clamyde vero nigro, et quoad clamydes uxores eorum, quae se obligaverint ad hanc vitam, non differant in colore; a festo tamen Beati Michaelis usque ad medietatem mensis maii valeant praeterquam in clamydibus, variare. Caeteri vero, qui non erunt milites, uno tantum colore in pannis suis utantur, ut aliqua sit distinctio inter gradus, et hoc idem servent quoad clamydes uxores eorum huius vitae subditae institutis.

De victu. Fratres autem et sorores quarta feria, et die sabbathi abstineant a carnibus, nisi sint debiles et infirmi, aut essent in Curiis, vel exercitu, vel cum praelatis suis, ubi quarta feria carnibus alii uterentur; quadragesima maiori, et sexta feria totius anni.

De ieiuniis: Item quarta et sexta feria de quadragesima Sancti Martini, usque ad dominicam de Adventu ieiunent. Ab Adventu autem, usque ad Nativitatem Domini ieiunent quotidie quadragesimalibus cibis utendo. Insuper ieiunia Quatuor Temporum observabunt, et alia instituta ab Ecclesia secundum consuetudinem terrae suae. Ieiunent quidem praedictis temporibus et diebus, nisi causa necessitatis, vel infirmitatis, vel de speciali dioecesani, vel confessoris sui licentia remanerent.

De usu sacramentorum Eucharistiae et Poenitentiae: Insuper ter in anno ad minus confiteantur, et ter, videlicet in Nativitate Domini, Pascha et Pentecosten, recipiant Corpus Christi, nisi forsan ex aliqua causa eorum aliquibus esset a suis ordinariis interdictum.

Oratione: Item pro qualibet hora diei septies *Pater noster*, et pro qualibet hora Dominae nostrae septies *Ave Maria* dicent. Tamen qui officium Ecclesiae dixerit, sit a praedictis solutus. Item semper ante cibum unum *Pater noster* et unum post dicent, signantes se signo Crucis et agentes Deo gratias utrobique.

De decimis Ecclesiae, vectigalibus principibus reddendis. Revereantur insuper spirituales, ac temporales dominos sicut debent, Ecclesiis, earumque praelatis de decimis, primitiis, oblationibus, et tam ipsis, quam principibus suis, ac dominis de suis iuribus respondendo, ut quae Dei sunt Deo, et quae sunt Caesaris Caesari reddere comprobentur. Et quoniam verbo Domini coeli firmati sunt, ut in iis et aliis bonis fortius solidentur, singulis mensibus ad minus congregati audiant verbum Dei ab episcopo, vel alio praelato suo, aut alio, qui a Sede Apostolica, vel a loci dioecesano auctoritatem habeat praedicandi, nisi aliquis iusta causa, seu rationabili praepeditus, vel de magistri sui licentia remaneret. Item singulis mensibus sibi legi huius vitae capitula faciant et exponi.

De infirmis. Deputentur etiam ex fratribus aliqui, qui diligenter procurent, quod exhibeantur infirmis fratribus ecclesiastica sacramenta, et fratres et sorores congregati faciant ad arbitrium et dispositionem magistri, ad exequias defunctorum, ut humanitatis officium impendant ibidem. Tamen sibi caveant in iis omnibus diligenter, ne circa funus, vel aliqua spiritualia sibi aliquam dispositionem usurpent, vel praesumant aliquid in praeiudicium parochialis Ecclesiae, vel gravamen.

Tenor professionis faciendae. Quicumque ad hanc vitam fuerit assumendus profitebitur in hunc modum: Ad honorem Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et Beatae Mariae Virgi-

nis et omnium sanctorum; sanctae quoque Romanae Ecclesiae et sanctissimi patris domini Summi Pontificis, necnon Matris Ecclesiae, ac venerabilis patris domini dioecesani mei episcopi coram vobis domino Dei gratia episcopo dioecesano meo, et coram magistro ordinis fratrum Militiae Iesu Christi..... loci, vel coram presbytero confessore meo, et coram dicto magistro ego...... profiteor me velle vivere de caetero secundum formam, sive dogma vivendi fratrum Militiae Iesu Christi, et me victurum promitto et servaturum tamquam frater vel soror, quae secundum locum, statum et officium, quod inter ipsos fratres vel sorores tenebo ex ipsa forma mihi facienda, vel servanda incumbent.

Clausulae

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Perusii, nono kalendas iunii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 24 maii 1235, pontif. an. IX.

XLV.

Canonizatio S. Elisabeth viduae, Andreæ regis Hungarorum filiae, cum institutione festivitatis pro die decimanona mensis novembris.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. B. Elisabeth genus, et primordia: — Virtutes: — 2. Miracula. — 4. Sanctorum albo adnumeratur. — 5. Festivitas celebranda. — 6. Indulgentia eius sepulchrum visitantibus concessa.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, presbyteris, decanis, et aliis Ecclesiarum praelatis, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Gloriosus in maiestate sua Patris aeterni Filius Redemptor noster Dominus Iesus Christus, de coelorum summitate prospiciens conditionis humanae gloriam, multo concursu miseriae, cui primi parentis culpa dedit initium, deformatam, ineffabili dispositione providit, ut et virtutem suam sedentibus in umbra mortis exponeret, et in exilio positos ad libertatis patriam revocaret. Igitur, quia nulli potius quam sibi suae facturae redemptio competebat (eo quod artifici sit et decens et debitum, ut quocumque casu depereat quod pulchrius finxisse dignoscitur, in statum pristinum suae virtutis studio restauretur), in exile vasculum, si tamen sit exiguum, quod recepit hospitem super omnia spatiosum, scilicet in aulam Virginis refertam omni plenitudine sanctitatis, de regali throno se conferens, opus inde cunctis visibile protulit; per quod, propulso tenebrarum principe, de sui redemptione plasmatis triumphavit; certa relinquens instituta fidelitatis, per quae ipsis ad patriam redderetur transitus expeditus.

B. Elisabeth genus, et primordia:

§ 1. Huiusmodi quidem pietatis seriem beata Elisabeth ex regali orta progenie et Thuringiae lantgravia gratiosa, solerti meditatione considerans, et iam dicta eligens instituta continuis observare studiis, ut dignam perceptione se redderet perpetuae claritatis, quasi ab ortu vitae, usque ad occasum, virtutum vacando cultui, numquam desiit in charitatis amplexibus delectari. Nam in confessione verae fidei, vitaeque dedita sanctitati, coelestis Reginae diligendo Filium, per quem dulcedinem consequi posset coelestium nuptiarum, ita dilexit et proximum, quod amoenum sibi constituens illorum familiarem habere praesentiam, quam eorum inimica corruptio cunctis suggerit effici peregrinam, se in multis sibi reddidit inopem, sollicitam fore pau-

Virtutes:

peribus multipliciter affluentem. Quorum ab aetate tenera, tutrix esse desiderans et amatrix, eo quod sciret perennis vitae praemium dilectorum Deo acquiri meritis aegenorum, adeo conditionem ipsorum gratam sibi constituit, quam naturaliter saecularis elatio vilipendit; quod etiam licitis sibi delitiis, quas offerebat status et excellentia coniugalis, deductis pluries in contemptum, corpus delicatum et tenerum reddebat assiduae parsimoniae studio maceratum, tanto sibi meriti quantitate proficiens, quanto quod sponte geritur, maioris gratiae praemio muneratur. Quid ultra? Quaeque iura sanguinis in supernae desiderium transferens voluptatis et imperfectum quid aestimans, si iam viri destituta praesidio, sic residuum vitae decurreret, quod se ad iugum obedientiae (cuius sub lege posita maritali absque ipsius praeiudicio amplexatrix extiterat) non arctaret, religionis habitum induit, sub quo dominicae passionis in se celebrare mysterium, usque in diem ultimum non omisit. O felix Mulier! O Matrona mirabilis! O dulcis Elisabeth dicta Dei saturitas, quae pro refectione pauperum, panem meruit Angelorum! O inclyta Vidua, virtutum foecunda soboles, quae studens ex gratia consequi, quod a natura non poterat indulgeri, diris animae hostibus per scutum fidei, loricam iustitiae, gladium spiritus, salutis galeam et hastam perseverantiae debellatis, sic amabilem immortali sponso se praebuit, sic Reginae virginum se dilectione continua colligavit, suum deprimendo dominium, in ancillae humilis famulatum, sic sanctis Elisabeth antiquis processibus conformem se reddidit, dum in mandatis et iustificationibus Domini, siue querela simpliciter ambulavit, Dei gratiam secreto mentis per affectum concipiens, et eamdem per effectum pariens ac nutriens assidue per profectum; quod salus omnium in se sperantium, et exaltatio in se quorumlibet in humilitatis et innocentiae vallibus positorum, in promissae suis praemia retributionis exurgens, ipsam mortis nexibus expeditam provexit ad solium luce inaccessibili luminosum.

Miracula.

§ 2. De cuius stupenda et inexplicabili claritate procedit, quod illius spiritus et in superni fulgoris abysso rutilat, et in huius profundo caliginis, multis coruscat miraculis gloriosis, quorum virtute catholicis, fidei, spei et charitatis augmenta proveniunt, perfidis via veritatis exponitur, et haereticis confusionis multae materia cumulatur, dum stuporis turbine obvoluti, quod dictae Sanctae meritis, quae dum carnis clausa carcere teneretur, pauper spiritu, mitis mente, propria, vel potius aliena peccata deplorans, iustitiam sitiens, misericordiae dedita, munda corde, vere pacifica, attrita persecutionibus et opprobriis extitit lacessita; vita mortuis, lumen caecis, auditus surdis, verbum mutis et gressus claudis, coelesti dextera conferuntur: partes Theutoniae spatiosas, quas mortis dogmate gestiebant inficere, in doctrinae coelestis amplexibus cernunt multipliciter exultare.

§ 3. De huiusmodi quidem et aliis eiusdem Sanctae miraculis, quae mentis inspecta oculis uberiorem laetitiam proferunt, quasi diffusis distincta litteris viderentur, facta nobis (1) per testes idoneos tanta plenitudine fidei, sicut debetur et competit colendae per omnia veritati.

Sanctorum albo adnumeratur.

§ 4. Nos quorum deposcit officium his continue desudare studiis, per quae augeatur gloria Redemptoris, dictam Sanctam quam sibi ad intuitum placuit suae maiestatis assumere; de fratrum nostrorum consilio et assensu, ac venerabilium fratrum nostrorum patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et praelatorum omnium, qui tunc apud Sedem Apostolicam existebant, sanctorum cathalogo duximus adscribendam.

Festivitas celebranda.

§ 5. Universitati vestrae per apostolica scripta districte praecipiendo mandantes,

(1) Addendum forsan *enarratio* vel *expositio*.

quatenus decimatertia kal. decembris, die videlicet, quo eadem mortis absoluta vinculis, victura perenniter, ad fontem supernae prodiit voluptatis, festum eiusdem, prout miranda ipsius meritorum magnitudo exigit, celebretis et faciatis solemniter celebrari; ut id nobis de thesauris coelestibus eius pia intercessione proveniat, quod ipsa praestante Christo percepisse dignoscitur, et possidere perpetuo gloriatur.

Indulgentia eius sepulchrum visitantibus concessa.

§ 6. Caeterum, ut universitati fidelium invisibilis aulae consequendi delitias ex concessa nobis potestate desuper propitiante Domino sit facultas; quinimo et ut nomen exaltetur Altissimi, si sponsae suae venerabilem sepulturam fidelium procuremus accessibus honorari, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui se illuc annis singulis devotionis aromata et sinceritatis insignia deferentes in memorato festo, et usque ad octavas ipsius contulerint, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum et quadraginta dies, de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus.

Dat. Perusii kalen. iunii, anno nono.

Dat. die 1 iunii 1235, pontif. an. IX.

XLVI.

Quod communitates teneantur reficere damna praedatis, in quorum territoriis per fures et praedones illata fuerint (1).

SUMMARIUM

Causa edendi decreti. — Decretum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis fidelibus nostris per patrimonium Beati Petri in Tuscia constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa edendi decreti.

Audientes dissensiones et guerras quae pullulant inter vos, destructiones locorum, persequutiones Ecclesiarum, oppressiones pauperum, captiones hominum, caedes virorum, iniurias, violentias et rapinas, quae in vestris partibus perpetrantur, quam graviter turbamur, exinde vix possumus verbis exprimere aut litteris explicare. Usque adeo enim multiplicata est in eisdem partibus, ut accepimus, iniquitas perversorum; quod scientes, quia iustitiae cultus est pax, ut iniurias irrogent, pacem turbant, et inter sanctum et prophanum minime discernentes, bona tam ecclesiastica, quam mundana diripiunt et praedantur, quibus nisi fuerit obviatum, cum superbia eorum semper ascendat, in totius pene provinciae irreparabile prosilient detrimentum. Volentes igitur huic pesti mortiferae congruum remedium adhiberi, universitati vestrae per apostolica scripta sub debito fidelitatis districte praecipiendo mandamus, quatenus cum publicae utilitatis intersit, huiusmodi pestilentum audaciam severitate debita cohiberi, contra raptores, praedones et fures, qui provinciam ipsam persequendo dilaniant, quos de finibus vestris omnino expelli praecipimus et excludi; vos potenter et viriliter accingatis, eorum insolentiam taliter reprimendo, quod excessus vindicta coerceat et excedentes poena cohibeat a peccato. Et quia huiusmodi maleficia absque conniventia vestra fieri nequeunt, vel assensu, ac per hoc apud Deum et homines non potestis excusabiles merito reputari; praesentium auctoritate statuimus, ut in quocumque locorum de caetero talia commissa fuerint, terrae communitas, vel loci dominus, in cuius territorio committentur ea, de bonis communitatis, seu loci eiusdem teneatur modis omnibus emendare. Qui autem furtum, vel praedam emerit etiam ignoranter, ea restituat absolute, nulla compensatione sibi praestita, vel praestanda; sed emptor adversus venditorem suam habeat actionem, statuto contrario, firmato iuramento, seu firmitate alia non obstante. Ut autem praemissa omnia inviolabiliter

Decretum.

(1) Ex Regest. Vatic.

observentur damus dilecto filio Rolando subdiacono et cappellano nostro firmiter nostris litteris in mandatis, ut vos ad observationem ipsorum tam spirituali, quam temporali districtione, appellatione remota, compellat.

Datum Perusii, secundo nonas augusti, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 4 augusti 1235, pontif. an. IX.

XLVII.

Concessio pedagii Civitati Castellanae facta ad effectum reparandi pontem, vulgo Tregi nuncupatum, cum exemptione pro ecclesiasticis (1).

SUMMARIUM

Communitatis preces. — Concessio. — Ecclesiasticorum exemptio. — Clausulae.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis consulibus, et Communi Civitatis Castellan., salutem et apostolicam benedictionem.

Communitatis preces. A nobis vestra devotio requisivit, ut cum velitis reparare pontem in loco, qui Tregi vulgariter appellatur, et etiam ordinare, ut in civitate vestra sint equites semper ad servitium Ecclesiae praeparati, vobis concedere dignaremur, ut ad reparationem pontis eiusdem et equos commodius retinendos a transeuntibus pro quolibet homine unum, pro equo duos denarios, sicut olim ponte integro fieri consuevit, recipere valeatis, licentiam vobis concedere dignaremur. Concessio. Vestris igitur supplicationibus inclinati, auctoritate vobis praesentium concedimus postulata. Ecclesiasticorum exemptio. Volumus autem ut a praestatione exactionis huiusmodi omnes de curia nostra, necnon clerici et religiosae personae penitus sint immunes, cum dignum sit, eos in patrimonio Ecclesiae praerogativa gaudere, quam eis indulgent etiam principes saeculares.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Clausulae. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Viterbii, nonis martii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 7 martii 1236, pontif. an. IX.

(1) Ex Regest. Vatic.

XLVIII.

Concessio cruciatae in regnis Castellae et Legionis pro extirpandis Agarenis ad instantiam illius regis (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Agarenorum flagitia. — Castellae rex Cordubam liberat. — Indulgentiam cum eo militaturis concedit Pontifex.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Toletan., et universis episcopis per regnum Castellae constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Sicut olim in filiis Abraæ, is, qui secundum carnem natus est ex ancilla, persequebatur illum, qui secundum spiritum de libera natus erat, ita et nunc infelices et miseri Agareni, qui adhuc in tenebris ambulantes nedum videre lucem magnam, quae Christus est, Agarenorum flagitia. meruerunt, sed infidelitatis nebulis obvoluti, iugo premuntur vetustissimae servitutis, fideles, qui iam non sunt filii ancillae, sed liberae, qua libertate Christus nos liberavit, persequi non desistunt, qui sic evanuerunt in cogitationibus suis, et ita obscuratum est insipiens cor eorum, ut illum, qui venit iugum captivitatis eorum dissolvere, ac illuminare sedentes in tenebris et umbra mortis, nolint agnoscere, quinimo nomen eius, in quo flectitur omne genu, praeter quod non est nomen sub coelo, in quo salvari oporteat, ex-

(1) Ex Regest. Vatic.

tingere moliantur, ipso eos ineffabili providentia tolerante, ut vel ad eum redeant utendo libertate arbitrii, vel saltem excusationem non habeant contra ipsum tamdiu misericorditer expectati. Unde cum charissimus in Christo filius noster illustris rex Castellae et Legionis, in cuius manus misericors Dominus prospere direxit negotium, quod specialiter sibi, et aliis christianis contra paganos regionis illius imminet, acquisita civitate Corduba nobilissima et potentissima per eumdem, clementia sibi cooperante divina; super quo universalis Ecclesia gaudio salutari reficitur, et nos omnipotenti Deo in laudes et gratias assurgimus, quas valemus; diligenter considerans, quod non debet ancillae filius cum liberae filio haeres esse, ad eruendam terram de ipsorum manibus, quam prophanatis sanctuariis detinent occupatam, ut eliminatis inde spurcitiis, in eam populum acceptabilem Domino divino comitatus auxilio introducat, intendat ex animo, et magnifice proponat, sicut convenit prosequi negotium memoratum; nos qui cupimus Sponsae Christi tentoria dilatari, ut funiculos suos faciat longiores, eiusdem regis prudentia et magnanimitate pensatis, propositum suum dignis in Domino laudibus, et favore benevolo prosequentes mandamus, quatenus omnibus subditis vestris, qui cum ipso rege in personis propriis, et expensis, et illis, qui, licet in alienis expensis, personaliter illuc accesserint, quamdiu praedictus rex in prosequtione dicti negotii fuerit, vel saltem per anni spatium moraturi, ac iis, qui non in personis propriis, sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem et qualitatem suam viros idoneos destinaverint moraturos per tantum temporis cum eodem illam indulgentiam tribuatis, quam secundum statuta concilii generalis haberent proficiscentes in subsidium Terrae Sanctae. Huius quoque remissionis volumus, et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii, et devotionis affectum omnes, qui de bonis suis illuc congrue destinaverint, aut in tam pio negotio consilium et auxilium impenderint opportunum.

Castellae rex Cordubam liberat.

Indulgentiam cum eo militantibus concedit Pontifex.

Datum Reate, secundo nonas septembris, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 4 septem. 1236, pontif. an. x.

IL.

Confirmatio bonorum omnium ac privilegiorum regularis Ecclesiae Sancti Lamberti Subnen. Salisburgen. dioecesis (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Ecclesiam sub Sedis Apostolicae protectione suscipit. — In eaque regularem disciplinam servari mandat. — Bona omnia confirmat. — Novalia eximit a decimis. — Clericos laicosque recipi permittit. — Professis discedendi facultatem denegat. — Privilegia nonnulla concedit. — Praepositum de gremio eligi iubet. — Privilegia omnia confirmat. — Clausulae. — Gregorii PP. subscriptio — Et sigillum. — Subscriptiones cardinalium S. R. E.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis praeposito Beati Lamberti Subnen., eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Exordium.

Quotiens a nobis petitur, quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, ac petentium desideriis congruum suffragium impertiri.

Ecclesiam sub Sedis Apostolicae protectione suscipit.

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et Ecclesiam Beati Lamberti Subnen. in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Eugenii praedecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communi-

(1) Edidit Hundius, Hist. Salisburg., tom. III, pag. 257. — Bona Ecclesiae huic confirmavit Eugenius PP. III, anno 1046.

In easque regularem disciplinam servari mandat:

mus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum, et beati Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis.

Bona omnia confirmat:

Locum ipsum in quo praefata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam ad Hengst, cum curte stabularia, et omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam Mallentin, cum omnibus pertinentiis suis. Parscatchesdorff, Meizensteine, Rusnize, Rakhanizhe, cum decimatione et omnibus pertinentiis suis. Sedingen, cum venationibus et piscationibus. Perindorf, Perourath, Nasilaeha, Suarzaha, Gloiach, Albatisperge, Sulba, Suarcimbach, Suvein Criezpach cum navigio et parte sylvae ipsius loci. In Alsca quartam partem telonei, decem mansos in Grantempere. Pratmarhowen cum omnibus pertinentiis. Decimam, quam habetis in praediis sitis in Carinthia, Merlinspach ad pueros Peigartem Pratemperge. Teufenpach, Ruede, inferius Haupach, et superius Haupach. Routhaim, Vesperting, Prathe, Shergaren Amdorff, Posopergh inferius et superius Lauterbrunne, Gabalteshaim, Miterndorf, Engelhartsperge Werde, Oede, Prasemphach, Awe, Balduvinfdorf, Adalmaninge Ludhaim, Engelpoltsaede, Chalthenmarchte, Reute, Sheusdorf, Wieth, Staineinzoune Lohe, Nasla, Haslpach inferius, et superius, Ceisaperge Wezendorf, Dnorigelspach, Dithalminge sub quercubus, Peringe, Weizenawe, Ekkenperge, Hebenspach, Sleter in Monte, Puche, Stainpach, Oede, Duostobe, Chobel, Oberhoven, Pusenperge, Eibach, Ekkartesreute Stevendorf, Prukke, Kitzinge, Ascha, Grunenpach, Micheldorf, Pramerdorf, molendinum apud Pramam, Petheringe, Heide, Rosspache, Snellendorf, Dorf, Aiche, Otendorf, Utenhaim inferius, et superius Teufenpach, Lohe inferius, et superius Praemawe Reiteinsreute, Piriche, Odeinrinte, Penzerinte inferius, et superius, Visenhart, Stoche, Nidehaim, Grub, Hermansdorf, Geroltinger. Praedium Niternholze, Furt, ad Rubertum Fabrum, Ungring, Sherdinge, cum piscationibus et parte navigii ipsius, Ehounich, Chemeric, Grub in Austria Swaneim Wazemansperge, Cholmunz, Pirenbat, Chunilpach, Rozzohensunstorf, Nunthoupt, Chrotental, Negolshaim Aufhaim, Snellaim, Risting, Narde, Obernawe, Inzinge, Winchil inferius, Awe, necnon terras et alias possessiones cum pratis, vineis, nemoribus, usuagiis et pascuis, in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus, et immunitatibus suis.

Novalia eximit a decimis:

Sane novalium vestrorum, quae propriis manibus, aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percipit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere praesumat.

Clericos laicosque recipi permittit.

Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e saeculo fugientes ad conversionem recipere, ac eos absque contradictione aliqua retinere.

Professis discedendi facultatem denegat:

Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in Ecclesia vestra professionem fas sit sine praepositi sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere.

Privilegia nonnulla concedit:

Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordi-

nationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, a dioecesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et gratiam et communionem sacrosanctae Romanae Sedis habuerit, et ea voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, ut infra fines parochiae vestrae nullus sine assensu dioecesani episcopi et vestro capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Romanorum Pontificum. Ad haec novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis et episcopis, archidiaconis, seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis, saecularibusve personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti, aut etiam publici usurarii sint, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas praeterea et possessiones ad ius Ecclesiarum vestrarum spectantes, quae a laicis detinentur, redimendi, et legitime liberandi de manibus eorum, et ad Ecclesias quas pertinent revocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci praeposito, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum maior pars consilii sanioris secundum Deum et beati Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestrae paterna in posterum sollicitudine providere volentes; auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras vestrorum locorum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Praeterea omnes libertates et immunitates a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus ordini vestro concessas, necnon libertates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Praepositum de gremio eligi iubet:

Privilegia omnia confirmat.


Clausulae.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apostolicae auctoritate, dioecesani episcopi canonica iustitia, et in praedictis decimis moderatione concilii generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis recipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen.

Gregorii PP. subscriptio

Ego Gregorius Catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

Et sigillum.



Subscriptiones card. S. R. E.

Ego Thomas tituli Sanctae Sabinae presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Guifredus tituli Sanctae Mariae presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Swbaldus tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Stephanus Sanctae Mariae Transtyberim tituli Calixti presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Ioannes Sabinensis episcopus ss.

Ego Iacobus Tusculanus episcopus ss.

Ego Raynaldus Ostiensis et Vellitren. episcopus subscripsi.

Ego Ranerius Sanctae Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Ægidius Sanctorum Cosmae et Damiani diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Otto Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Interamn. per manum magistri Guillelmi sanctae Romanae Ecclesiae vice-cancellarii, quinto kalendas decembris, incarnationis dominicae anno MCCXXXVI, indictione decima, pontificatus vero domini Gregorii Papae IX anno decimo.

Dat. die 27 novemb. 1236, pontif. an. x.

L.

Restitutio episcopalis dignitatis, aliorumque iurium, quibus civitas Lucana, ob quosdam in Romanam, eiusque Ecclesias excessus commissos, spoliata fuerat (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Lucana civitas a Gregorio subiecta interdicto. — Ab excessibus resipiscentibus Lucanis: — Eidem Ecclesiae episcopalis dignitas, suaque iura restituuntur.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio electo Lucan., salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Redemptor noster cum delicto peccatoris offenditur, et Pater, qui filiorum excessibus ad iracundiam provocatur, maiori eos creduntur pietate diligere, quos gravioribus student verberibus ad viam rectitudinis revocare, eosque ad Dei, et Patris misericordiam redeuntes in signum gratiae uberioris excipiunt, quos abeuntes in dissimilitudinis regionem flagellis ad paternum gremium durioribus reduxerint. Horum siquidem, si consules, consilium, et populus Lucani recta id acie considerationis inspiciunt, circa eos secuta vestigia horum circa Lucanam Ecclesiam Apostolica Sedes imitata processum, propter quosdam excessus, quos in Romanam et Lucanam Ecclesias non timuerunt superba praesumptione committere, et in se divinam offensam non fuerunt veriti multipliciter provocare, civitatem Lucanam episcopali honore, quo tunc se indignam reddidit, et canonicos Ecclesiae cathedralis dignitate portandi mitras, et alia siqua ab Apostolica obtinuerunt Sede, privavit, nosque venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Pisan., Volaterran., Lunen. et Pistorien. episcopis, ut Ecclesiis, clericis, et parrochianis Ecclesiarum ipsarum Lucan. civitatis et dioecesis certis inter eos dictarum civitatis et dioecesis partibus assignatis sacramenta ecclesiastica exhiberent, necnon praedictarum Ecclesiarum praelatis et clericis, ut ab eis ipsa reciperent, et venerabili fratri nostro episcopo Florentin. humiliter intendentes ei vice nostra de iuribus episcopalibus responderent; ac eidem episcopo Florentin. nostris dedimus litteris in mandatis, ut in eisdem civitate ac dioecesi proventus episcopales vice nostra perciperet, et episcopalem iurisdictionem inibi exerceret, iniungentes nihilominus postea archiepiscopo memorato, ut dictam iurisdictionem episcopalem in parte assignata sibi exercere curaret, Carfaniani, et Vallislimae Ecclesiis in eorum manibus reservatis. Nunc autem quoniam paterna increpatione commoniti, et ad mandatum Sedis Apostolicae matris eorum pruden-

Lucana civitas a Gregorio subiecta interdicto.

Ab excessibus resipiscentibus Lucanis;

(1) Ex Regest. Vatic. — Consule Ughellium, Ital. Sac., tom. I, ubi de episcopis Lucensibus. — Diem Lucanis dictam, ob Garfagnani occupationem, minatamque dignitatis privationem superius vidimus in Constitutione XX, pag. 446.

tiori consilio revocati, de parendo super praemissis excessibus mandatis apostolicis praestantes iuratoriam, et alias cautiones eis, et eidem Ecclesiae Lucanae praedictos honorem et dignitates restitui humiliter postularunt; paterna benignitate ipsorum precibus de communi fratrum nostrorum consilio annuimus, et tibi quem eis in patrem et episcopum duximus concedendum, et in te praedictae Lucanae Ecclesiae praefatos honorem et dignitatem cum omnibus iuribus suis restituendos duximus, auctoritate praesentium decernentes, ut per ea, quae dicti archiepiscopus et episcopi in episcopatu Lucano medio tempore fecisse noscuntur, nullum tibi et successoribus tuis, et praedictae Lucanae Ecclesiae in posterum praeiudicium generetur.

Eidem Ecclesiae episcopalis dignitas, suaque iura restituuntur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Interamne, secundo idus decembris, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 12 decem. 1236, pontif. an. x.

LI.

Approbatio veritatis sacrorum Stigmatum Sancti Francisci de Assisio.

SUMMARIUM

B. Francisci in coelis gloria. — 1. Veritas eius stigmatum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei.

B. Francisci in coelis gloria.

Confessor Domini gloriosus B. Franciscus qualis vitae meritis processerit ad patriam perpetuae charitatis, explicare litteris arbitramur fore superfluum, cum id fere pervenerit ad fidelium notitiam singulorum.

§ 1. Verumtamen grande ac singulare miraculum, quo ipsum sanctorum splendore et gloria Dominus Iesus Christus mirabiliter decoravit, universitati vestrae tenore praesentium non indigne duximus exprimendum; videlicet, quod idem Sanctus cum adhuc spatium praesentis vitae percurreret, et postquam illud feliciter consummavit, manibus, latere, ac pedibus, specie stigmatum divinitus extitit insignitus. Quo ad nostram, et fratrum nostrorum deducto notitiam, et cum caeteris eiusdem miraculis per testes fide dignissimos probato, solemniter ex ipso specialem causam habuimus, quod confessorem eumdem, de dictorum fratrum, et omnium praelatorum consilio, qui tunc apud Sedem Apostolicam existebant, sanctorum cathalogo duximus adscribendum.

Veritas eius stigmatum.

§ 2. Igitur cum ab universis fidelibus, et vobis praecipue credi firmiter cupiamus, devotiones vestras rogamus, et hortamur in Domino Iesu Christo, in remissionem vestrorum peccatorum iniungendo, quatenus ab assertione contrarii aures de caetero penitus avertentes, confessorem eumdem apud Dominum pia vobis reddatis veneratione propitium, ut eius precibus ac meritis in praesenti a Domino prosperitatis gaudium, et in futuro felicitatis aeternae percepisse solatium exultetis.

Datum Viterbii undecimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 22 martii 1237, pontif. an. xi.

LII

Enunciatio excommunicationis in Fridericum II imperatorem, eiusque fautores promulgatae.

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Friderici deplorat facinora. — 2. Sententiam excommunicationis contemnenti, — 3. Nullum sancit dan-

dum auxilium, consilium *etc.* — 4. Et haec non servantes decreta excommunicandos.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistris Alberto archidiacono, et Philippo de Assisio Nuncio nostro in Alemania commoranti, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Rationalis spiritus exulanti extra suos terminos naturae compatitur, et a naturali potentia, frequenter rationis excidium deploratur. Sed cum haec duo deformationis vulnera sentiunt, de illatis sibi passionibus ad invicem conqueruntur; non quod rationi vel naturae possit inesse deformitas, a qua Creator creaturam suam in creando facit penitus alienam, sed quod actiones proprias toties intentio prava deformat, quod iam corruptelae vitium videatur naturae privilegiis insignitum. Unde turbatur ratio, merito natura conqueritur, nisi ius ab iniuria provocet, ab iniustitia vox innocentis appellet, ad tribunal recurratur supremi Iudicis, ubi affectus noxii iustitiae limitibus coerceantur.

Friderici deplorat facinora.

§ 1. Quare Apostolica Sedes iustitiae languenti succurrere, saevientis iniquitatis occursibus obviare......... rigore ecclesiasticae reprimere disciplinae. Hinc est, quod dolentes audimus, quod quidam, Friderico dicto imperatori (qui sicut Herodes christianam religionem, et in pectore fidelium Iesum Christum conatur extinguere, et fidem catholicam, et ecclesiasticam libertatem totis molitur viribus conculcare) contra Deum et Romanam Ecclesiam, consilium et auxilium atque favorem impendant. Isque (quod dolentes referimus) prava mente, imperio, cuius iura et honores ac principum conservari volumus, et optamus illaesa, perniciose incumbat, et incumbit, decorem ipsius imperii, et honorem principum, imperii lege contempta, et principum privilegio cancellato, quosdam de ipsorum maioribus, quod actibus suis illicitis consentire renuunt, incarcerando, proscribendo, et proditoriae necis gladio feriendo, ac paganorum, qui Assasini vocantur (quod inauditum est, de quolibet principe christiano) gladiis exponendo deturpat. Nonnullos episcopos, praecones Christi, rectores fidei, pastores ovium, medicos languentium animarum, spoliatos bonis ecclesiasticis et mundanis, de regno, quod est beati Petri patrimonium episcopale, aliisque terris imperio Romano subiectis, proscriptione damnabili exulare compellit. Sacrosanctas Ecclesias sacrilega temeritate profanans, religiosos (quorum unum de ordine fratrum Minorum, absque iuris ordine, et debita causae cognitione horribili crudelitate combussit), pupillos, orphanos, pauperes et viduas, tegmine vili nudatos, quasi sublatis desuper carnibus exossavit.

Sententiam excommunicationis contemnenti

§ 2. Excommunicationis quoque, ac anathematis latam contra se a nobis sententiam, contemptis Ecclesiae clavibus, vilipendit, solemniter publice sibi faciens celebrari, vel potius profanari divina, necnon laqueo damnatae haeresis se suspendens, eamdem sententiam praedicat non servandam.

Nullum sancit dandum auxilium, consilium etc.

§ 3. Verum, cum ex hoc subsidio, consilio et favore fidelium populorum dictus Fridericus reddidit se indignum, venerabiles fratres nostros archiepiscopos, episcopos, ac dilectos filios abbates, priores, praepositos, et alios Ecclesiarum praelatos, necnon nobiles viros, duces, marchiones, comites, barones, et universos alios christifideles per Alemaniam constitutos, rogandos duximus attentius, et monendos, sub debito fidei christianae, quo tenentur Domino Iesu Christo, districte praecipiendo mandantes, ut praefato Friderico consilium vel iuvamen operae, vel operam aliquatenus non impendant.

Et haec non servantes decreta excommunicandos.

§ 4. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus eos, qui contra praescriptum mandatum nostrum venire praesumpserint, per excommunicationis sententiam, sublato appellationis obstaculo, a praesumptione

huiusmodi compescatis, constitutione de duabus dietis in generali concilio edita non obstante. Quod si non ambo iis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur.

Datum Laterani octavo kalendas octobris, pontificatus nostri anno decimotertio.

Dat. die 24 septemb. 1239, pontif. an. XIII.

LIII.

Sequitur alia constitutio super eisdem.

SUMMARIUM

Sententia excommunicationis in Fridericum imperatorem eiusque fautores promulgata. 1. Eorum subditi a vassallagio soluti. — 2. Sacramenta Friderico non ministranda. — 3. Huiusmodi sententia solemniter publicanda: — 5. Legatisque apostolicis mandat, ut haec curent adimpleri.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistris Alberto archidiacono Pataviensi, et Philippo de Assisio, Nuncio nostro in Alemania commoranti, salutem et apostolicam benedictionem.

Sententia excommunicationis in Fridericum imperatorem, eiusque fautores promulgata.

Quia Fridericus dictus imperator, de multis et gravibus excessibus suis a nobis diligenter et frequenter admonitus, non solum satisfacere non curavit, sed corde nequiter indurato iugiter etiam deteriora committit; nos de fratrum nostrorum consilio, in eum, et in omnes illos, qui in huiusmodi excessus, vel alias contra Romanam Ecclesiam sibi praestiterunt auxilium, consilium, vel favorem, excommunicationis et anathematis sententiam duximus promulgandam.

Eorum subditi a vassallagio soluti.

§ 1. Omnes qui ei fidelitatis iuramento tenentur, decernendo ab observatione iuramenti huiusmodi absolutos, et firmiter prohibendo, ne sibi fidelitatem observent iuxta canonicas sanctiones.

Sacramenta Friderico non ministranda.

§ 2. Ad haec, civitates, castra, villas, et alia loca, ad quae ipse pervenerit, quamdiu ibi fuerit, ecclesiastico supposuimus interdicto, ita quod publice vel secreto nullum ibi officium divinum celebretur: indulgentia vel privilegio quomodolibet non obstante; omnesque qui eidem praesumpserint celebrare, vel potius profanare divina, poenae depositionis decrevimus perpetuae subiacere.

Huiusmodi sententia solemniter publicanda.

§ 3. Universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis per Alemaniam constitutis, nostris damus litteris in praeceptis, ut praedictam excommunicationis et anathematis sententiam, pulsatis campanis, accensis candelis, necnon alia, quae continentur in ipsis, in singulis civitatibus, castris ac villis, et locis suarum dioecesum absque dilatione aliqua publicari solemniter, ac etiam nunciari singuli faciant eorumdem;

§ 4. Et nihilominus omnes tam clericos, quam laicos, qui ei, adversus fidem catholicam et libertatem ecclesiasticam, ac sponsam Christi sacrosanctam Ecclesiam machinanti, cum armis, vel sine armis, auxilium praestiterunt vel favorem, excommunicationis vinculo innodari.

Legatisque apostolicis mandat, ut haec curent adimpleri.

§ 5. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus si dicti archiepiscopi praeceptum nostrum neglexerint adimplere; vos, eos ad id, per excommunicationis sententiam, appellatione remota, cogatis, constitutione de duabus dietis in generali concilio edita non obstante. Quod si non ambo iis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur.

Datum Laterani nono kalendas decembris, pontificatus nostri anno tertiodecimo.

Dat. die 23 novem. 1239, pontif. an. XIII.

LIV.

Erectio oppidi Recanaten. in civitatem, eiusque Ecclesiae in cathedralem, et sedem episcopalem cum dismembratione ab Ecclesia Humanatensi (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Recanatensium fides erga Sedem Apost. — Erectio (*de qua in rubrica*).

Gregorius episcopus servus servorum Dei.

Exordium. Rectae considerationis examine libra praesidentis appenditur, cum subditorum merita sic iusto examine pensantur, ut devotorum obsequiis retributio digna respondeat, et opprobrii poena perpetuo infidelium colla premat, sic enim in bonorum beneficiis plurium ad merita mentem erigimus, et in pravorum poenis, caeteris delinquendi audaciam prohibemus. Recanatensium fides erga Sedem Apost. Ea propter, dilecti filii, prout convenit attendentes, quod in devotione Ecclesiae illam studuistis observare constantiam, quod nec damna rerum vobis per F. (2) dictum imperatorem, Dei et Ecclesiae inimicum, illata, nec pericula corporum vos a fide Sedis Apostolicae avertere potuerunt, et congruum aestimantes, ut castrum Recanatense, quod de caetero esse civitatem statuimus, grata honorificentia extollamus, de communi fratrum nostrorum consensu et assensu terrae vestrae, quam a iurisdictione Ecclesiae Erectio (de qua in rubrica). Humanatae eximimus, episcopalem concedimus dignitatem: a maledictionis filiis populo Auximano, qui dicto F. Dei Ecclesiam persequenti, divino timore postposito, damnabiliter adhaeserunt, ad Ecclesiam Sancti Flaviani de dicto loco, quam de caetero cathedralem esse decernimus, Auximanam sedem, cum omnibus iuribus suis, dignitatibus et honoribus transferentes. Ita tamen cum expedire videbimus, Humanatensi Ecclesiae in recompensationem spiritualium et temporalium iurium, quae in dicto castro et territorio eius obtinuit, assignare aliquam partem Auximanae dioecesis valeamus.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum *etc.* undecimo kalendas iunii, anno quartodecimo.

Dat. die 22 maii 1240, pontif. an. XIV.

(1) Ex Regest. Vatic. edidit Ughell., Ital. Sac., tom. I, pag. 1217. (2) Fridericum II.

LV.

Sequitur ad Humanatem episcopum in idem argumentum (1).

Gregorius episcopus servus servorum Dei, episcopo Humanati.

Cum olim Apostolicae Sedis providentia, cuius praesul illius vices, licet insufficientibus meritis, gerit in terris, qui utique pro meritis condigna retributione respondet, de cuius manibus pendet aequitatis statera, subiectorum actiones iudicantes (2) diligenter, ac bene meritis et indignis iuxta suorum actuum exigentiam recompensantes (3), utrique meritorum suorum stipendia inferendo; villam Auximanam propter infidelitatem, rebellionem, et indevotionem incolarum eiusdem episcopatus honore privaverit, ac statuerit quod castrum Recanati ob devotionem et fidelitatem habitantium in eodem, quod erat Humanati Ecclesiae dioecesanae subiectum, huiusmodi honore polleret; nos in recompensationem dicti castri spiritualia et temporalia iura, quae in ipsa villa, et circa eam quondam Auximanus episcopus habebat, eiusdem tibi, et pro te dictae Humanati Ecclesiae auctoritate apostolica concedere (4) in perpetuum eam-

(1) Ex Regest. Vatic. edidit Ughell., Ital. Sac., tom. I, pag. 1217, 1218. (2) Forsitan legendum *iudicans.* (3) Forsitan *recompensans.* (4) Leg. *concedimus.*

dem villam tibi dioecesana lege spiritualiter submittendo.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum *etc.* undecimo kalendas iunii, pontificatus vero domini Gregorii PP. IX anno quartodecimo.

Dat. die, annoque eodem.

LVI.

Indulgentia trium annorum, et totidem quadragenarum pro visitantibus basilicam principis Apostolorum de Urbe a festo Pentecosten usque ad octavas Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Indulgentia.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Stephano tituli Sanctae Mariae Transtyberim presbytero cardinali archipresbytero, et capitulo basilicae Principis Apostolorum de Urbe, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Etsi loca sanctorum omnium pia sint devotione fidelium veneranda, ut Dei honorantes amicos, ipsi nos Deo amabiles reddant, et illorum nobis quodammodo vendicantes patrocinium apud ipsum, quod merita nostra non obtinent, eorum mereamur intercessionibus obtinere, illa tamen Ecclesia ampliori debet ardore a cunctis christifidelibus honorari, et quasi prior tempore, ac honorabilior dignitate praecellere debet aliis praerogativa donorum, et favoris gratia praeminere, quae in apostolorum principis nomine dedicata obtinet inter alias Domino faciente primatum. Quare cum sit mater omnium, et multos habeat filios de latere consurgentes, ad ipsam veniunt omnes gentes dantes Domino laudem et gloriam, et eam pietatis officio venerantes, ut ipso aperiente, qui claves regni coelorum a Domino accepisse legitur, coelestis eis aulae ianua reseretur. Cupientes igitur eamdem Principis basilicam ob ipsius reverentiam, praesertim in festo Pentecosten, quod in ea est praecipuum et solemne, congruis honoribus frequentari, et fideles Christi ad complacendum ei, quasi quibusdam illectivis praemiis, indulgentiis videlicet, et remissionibus invitare; omnibus vere poenitentibus et confessis, qui basilicam ipsam in eodem festo, et usque ad octavas apostolorum Petri et Pauli devotione congrua visitarint, de divina misericordia, et ipsorum apostolorum auctoritate confisi, tres annos et tres quadragenas de iniuncta sibi poenitentia singulis annis misericorditer relaxamus. Indulgentia.

(1) Ex Regest. Vatic.

Datum Laterani duodecimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Dat. die 20 iunii 1240, pontif. an. XIV.

COELESTINUS IV

PAPA CLXXIX

Anno Domini MCCXLI.

Gaufridus, Castilionea nobili familia Mediolanensi, patre Ioanne, matre Cassandra Cribella, antea monachus Cisterciensis, deinde presbyter cardinalis tituli Sancti Marci, ac tandem episcopus Sabinensis, electus est Romanus Pontifex, ac Coelestinus huius nominis quartus appellatus, mense octobris anno 1241, ac XVII post susceptum pontificatum die, et antequam de more coronaretur, obiit, et sepultus est ad S. Petrum. Vacavit sedes annum I, menses fere VII.

INNOCENTIUS IV

PAPA CLXXX

Anno Domini MCCXLIII

Innocentius quartus, antea Sinibaldus, **Patria Genuensis**, ex nobili Fliscorum **Lavaniae genere**, sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis tituli Sancti Laurentii in Lucina, electus est Anagniae Romanus Pontifex die 24 mensis iunii **1243**, et die **28** eiusdem, quae in dominicam incidebat, consecratus est. Sedit in pontificatu annos XI, menses V, dies X (1), imperantibus in Oriente Balduino II, in Occidente Friderico II imperatoribus; obiit Neapoli die 7 decembris 1254, et sepultus est ibidem in Ecclesia cathedrali. Vacavit sedes dies V

I.

Encyclicae Innocentii litterae de sua in Pontificem electione (2).

SUMMARIUM

De Coelestini obitu: — Suaque electione monet. — Episcopos hortatur ut suo fungantur ministerio, — Et pro ipso orent, — Et pro populo christiano.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, N. Remensi archiepiscopo, eiusque suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem.

De Coelestini obitu.

Felicis recordationis Coelestino Papa praedecessore nostro, qui bonae memoriae Gregorio Papae successerat infra modicum temporis spatium soluto carnis debito censuali ad superos, ut credimus, ut introeat in potentias Domini evocato, ac eius, ut moris est, exequiis in crastino celebratis, post vacationem diutinam, quae peccatis exigentibus propter malitiam temporis intervenit, fratres ad tantum subrogandi pastoris officium Anagniae convenientes in unum, tandem Spiritus Sancti gratia innovata, in nos providentiae suae oculos iniecerunt, imbecillibus humeris fascem tanti oneris imponere decernendo. Nos autem nostrae infirmitatis et insufficientiae conscii, vehementer expavimus hoc audito, quia mens coepit refugere, cor tremere, pondus importabile recusando, et ad retinendum omnino disposuit totis effectibus se armare. Verum ne diutina reluctatio in hoc tempestatis articulo aliquid discriminis pareret, cum temerarium videretur divinae dispositioni penitus obviare; ad Illum nostros oculos attollentes, qui dat lasso virtutem, et largitur munera in se sperantibus affluenter; quique nostrum considerans imperfectum, cum sit sufficientia omnium, insufficientiam nostram supplebit suae abundantia largitatis, dando gloriam nomini suo magno, vocationi divinae consensimus, et debiles humeros de superna virtute confisi submisimus ad portandum tanti ponderis gravitatem.

Suaque electione monet.

Episcopos hortatur ut suo fungantur ministerio,

Vos itaque, fratres, qui estis ad custodiam gregis Domini deputati, rogamus attentius, et hortamur, ut Domino omnem curam et sollicitudinem subinferentes ad serviendum digne Deo per omnia, et implendum legitime pastorale ministerium, quod sumpsistis, ministrare in fide virtutum forma facti gregis ex animo, ut cum oves per sacrum profluvium oris vestri aquas hauserint in gaudio de fontibus Salvatoris, viderintque virgas pastorum, detractis corticibus vanitatis et voluptatis, divino candore nitentes, in contemplatione ipsarum affectiones mundas concipiant, et unicoloris foetus pariant masculinos digne Christo Domino pastorum principi offerendos. Non cessetis autem pro nobis per vos, vestrosque subiectos assiduas preces effundere, ut sua clementia de coelis mittat nobis sapientiam assistricem ad regendum populos nobis commissos, quae nos doceat cum Domino sollicite ambulare, ac id agere coram Deo, quod nunc sibi, et omni

Et pro ipso orent.

(1) A die consecrationis computandos. (2) Ex Raynald. ad annum 1243.

tempore sit acceptum, ut de sua plenitudine accipientes gratiae largitatem, dignam Domino rationem de suscepto ministerio reddere valeamus.

Et pro populo christiano.

Flagitate insuper quotidiane instanter, ut pacem Ecclesiae suae tribuat, et populo christiano barbaricam rabiem conterat, et gentem perfidam paganorum de finibus christianorum depellat. Nos enim honorare vos disponimus, diligere velut fratres, et in vestris necessitatibus vobis adesse, auctore Domino, utiliter, et prodesse. Caeterum cum portitores huiusmodi litterarum interdum esse consueverint exactores, volumus et mandamus, ut latori praesentium praeter victum, et si eum infirmari contigerit, necessaria, nihil penitus tribuatis, cum de non recipiendo praestiterit iuramentum, et alias pro labore et expensis sibi congrue satisfiat.

Datum Anagniae sexto nonas iulii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 2 iulii 1243, pontif. an. I.

II.

Approbatio legum a Friderico imperatore, hactenus in obedientia sanctae Romanae Ecclesiae persistente, contra haereticos, eorumque complices et fautores editarum

SUMMARIUM

De legibus huiusmodi confirmatis observandis. — *Lex I.* - 1. Exordium. — 2. Ab Ecclesia damnati curiae saeculari tradendi. — 3. Poenitentes perpetuo carceri mancipandi. — 4. Reperti inquisitoribus consignandi. — 5. Simili poena plectendi eorum fautores. — 6. Transfugae simili modo capiendi. — 7. Morte plectendi relapsi. — 8. Haeretici beneficio appellationis non gaudent. — 9. Eorum posteri officiis, beneficiis et possessionibus privandi. — 10. Revelantes autem indemnes servandi. — 11. Inquisitores defendendi. — 12. Haeretici ubique capiendi. — Aliae contra haereticos leges; — Haereticorum fraus; — Patarenorum impietas. — *Lex II.* - 1. Crimen haeresis inter publica crimina numerandum. — 2. De ea itaque convicti comburantur. - Patarenorum fautores relegandi. — *Lex III.* - 1. Ii vero, qui eos detexerint, pristinae famae restituendi. — Eorum poenae. — *Constitutio.* - 1. Suspicione notabiles nisi se purgaverint, banno subiiciuntur. — 2. A civitatum rectoribus praestandum iuramentum pro fidei defensione. — 3. Poenae receptatorum, defensorum *etc.* — 4. Poenae quoque apostatarum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis potestatibus, consiliis, et communitatibus civitatum, aliorumque locorum Lombardiae, Marchiae Tarvisinae, ac Romaniolae, salutem et apostolicam benedictionem.

De legibus huiusmodi confirmatis observandis.

Cum adversus haereticam pravitatem quondam Fridericus Romanorum imperator promulgaverit quasdam leges, per quas ne pervagetur, compesci poterit pestis illa, nos illas volentes ad robur fidei ac salutem fidelium observari, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus eas, quarum tenores vobis mittimus, insertos praesentibus, faciatis singuli in vestris capitularibus annotari, contra haereticos sectae cuiuslibet secundum eas exacta diligentia processuri. Alioquin dilectis filiis priori, provinciali, et fratribus inquisitoribus haereticae pravitatis ordinis Praedicatorum in Lombardia, Marchia Tarvisina, et Romaniola litteris nostris iniungimus, ut vos ad id per excommunicationem in personas, et interdictum in terram, appellatione remota, compellant.

Sequuntur leges dicti Friderici imperatoris.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, et semper Augustus, Hierusalem, et Siciliae rex, dilectis principibus suis, venerabilibus archiepiscopis, aliisque praelatis Ecclesiarum, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, potestatibus, scultetis, burgaviis, advocatis, iudicibus, ministerialibus, officialibus, et omnibus

per totum imperium constitutis, praesentes litteras inspecturis fidelibus suis, gratiam suam, et omne bonum.

Exordium.

§ 1. Commissi nobis coelitus cura regiminis, et imperialis, cui dante Domino praesidentes fastigium dignitatis, materialem, quo divisim a sacerdotio fungimur, gladium adversos hostes fidei, et in exterminium haereticae pravitatis exigunt exercendum, ut perfidiae vipereos filios contra Deum et Ecclesiam insultantes, tamquam materni uteri corrosores, in iudicio et iustitia persequamur, maleficos vivere non passuri, per quorum scientiam seducentem mundus inficitur, et in gregem fidelium per oves has morbidas gravior instigitur corruptela.

Ab Ecclesia damnati curiae saeculari tradendi.

§ 2. Statuimus itaque sancientes, ut haeretici quocumque nomine censeantur, ubicumque per imperium damnati fuerint ab Ecclesia, et saeculari iudicio assignati, animadversione debita puniantur.

Poenitentes perpetuo carceri mancipandi.

§ 3. Si qui vero de praedictis postquam fuerint deprehensi, territi metu mortis, redire voluerint ad fidei unitatem, iuxta canonicas sanctiones ad agendam poenitentiam in perpetuum carcerem detrudantur.

Reperti inquisitoribus consignandi.

§ 4. Praeterea, quicumque haeretici reperti fuerint in civitatibus, oppidis, seu aliis locis imperii per inquisitores ab Apostolica Sede datos et alios orthodoxae fidei zelatores; hi qui iurisdictionem ibidem habuerint, ad inquisitorum, et aliorum catholicorum virorum insinuationem eos capere teneantur: et eos captos arctius custodire, donec per censuram ecclesiasticam damnatos, damnabili morte perimant, qui fidei sacramenta et vitae damnabant.

Simili poena plectendi eorum fautores.

§ 5. Simili quoque poena plecti censemus omnes, quos ad fovendum haereticorum errorem callidus hostis suscitat advocatos, vel parat illicitos defensores; maxime cum facinus quos inquinat, acquat: nisi monitione praemissa destiterint, et eorum vitae duxerint consulendum.

Transfugae simili modo capiendi.

§ 6. Eos praeterea qui convicti in uno loco de haeresi, ad alia loca se transferunt, ut cautius possint effundere virus haereticae pravitatis, debitam censemus subire vindictam, ut super hoc viros ab eodem errore conversos ad fidem, nec non et per alios, qui eos de haeresi convicerunt (quod et in hoc casu concedimus licite faciendum) evidens testimonium habeatur.

Morte plectendi relapsi.

§ 7. Item mortis sententiae ducimus addicendos, si quos haereticorum ad iudicium tractos, in extremae vitae periculo haeresim abiurantes, postmodum de falso iuramento constiterit, et fide mentita convinci, ac eos contigerit eiusdem morbi spontaneam incurrere recidivam: ut sibi damnabilius iniquitas sit mentita, et poenam debitam mendacium non evadat.

Haeretici beneficio appellationis non gaudent.

§ 8. Omne insuper proclamationis, et appellationis beneficium, ab haereticis, receptatoribus et fautoribus eorumdem, penitus amovemus: volentes ut de finibus imperii, in quibus semper debet existere fida fides, haereticae labis germina modis omnibus deleantur.

Eorum posteri officiis, beneficiis et possessionibus privandi.

§ 9. Caeterum quia quanto maiora divinae nutu miserationis accepimus, et altiorem locum prae filiis hominum obtinemus, tanto devotiora debemus obsequia gratitudinis conferenti, si quando in nostri nominis contemptores nostri culminis excandescit auctoritas, si reos laesae maiestatis in personis eorum, et liberorum suorum exhaeredatione damnamus, multo fortius iustiusque contra Dei blasphematores nominis, et catholicae fidei detractores provocamur, eorumdem haereticorum, receptatorum, fautorum et advocatorum suorum, haeredes et posteros, usque ad secundam progeniem, beneficiis cunctis temporalibus, publicis officiis, et honoribus, imperiali auctoritate privantes, ut in paterni memoria criminis continuo moerore tabescant, vere scientes, quod Deus zelotes est, peccata patrum in filios potenter ulciscens.

§ 10. Nec quidem a misericordiae

Revelantes autem indemnes servandi.

finibus duximus excludendum, ut qui paternae haeresis non sequaces, latentem patrum perfidiam revelaverint, quacumque reatus illorum animadversione plectantur, praedictae punitioni non subiaceant innocentiae filiorum.

Inquisitores defendendi.

§ 11. Ad haec, notum fieri volumus fratres Praedicatores de ordine Praedicatorum, pro fidei negotio in partibus imperii nostri contra haereticos deputatos, caeteros quoque qui ad haereticos iudicandos accesserint, nisi aliqui eorum ab imperio fuerint proscripti, eundo, morando et redeundo, sub nostri imperii speciali defensione receptos, et quos apud omnes, sub ope ac recommendatione fidelium imperii esse volumus inoffensos. Universitati vestrae mandantes, quatenus quocumque, et apud quemcumque vestrum pervenerint, benigne recipiatis eosdem; et personas ab incursu haereticorum eis insidiantium conservantes indemnes, omne consilium, ducatum et auxilium impendatis, pro tam acceptis coram Deo negociis exequendis.

Haeretici ubique capiendi.

§ 12. Haereticos vero, quos et ostenderint ipsi vobis in iurisdictione vestra singuli capientes, diligenti custodia detinendos, donec post ecclesiasticae damnationis iudicium, poenam subeant, quam merentur. Scituri quod in executione ipsius negocii, gratum Deo, et laudabile nobis obsequium conferetis, si ad expellendam de partibus nostri imperii novam et insolitam haereticae pravitatis infamiam opem et operam, una cum eisdem fratribus, praestiteritis efficacem, et si quis foret exinde negligens, et remissus, ac etiam inutilis, coram Domino, et in conspectu nostro poterit merito culpabilis apparere.

Datum Paduae 22 februarii, decima secunda indictione.

Fridericus Dei gratia *etc.*

Inconsutilem tunicam Dei nostri dissuere conantur haeretici, et vocabuli vitio servientes; quod significationem divisionis enunciat, in ipsius indivisibilis fidei unitate nituntur inducere sectionem: et oves a Petri custodia, cui pascendae a Pastore bono sunt creditae, segregare. Hi sunt lupi rapaces intrinsecus, eo usque mansuetudinem praetendentes ovium, quousque ovile possint subintrare dominicum. Hi sunt angeli pessimi. Hi sunt filii pravitatum, a patre nequitiae et fraudis auctore, ad animas simplices destinati. Hi colubri, qui columbas decipiunt. Hi serpentes, qui latenter videntur inserpere, et sub mellis dulcedine, virus evomere. Ut vitae cibum ministrare se simulent, a cauda feriunt, et mortis poculum velut quoddam dirissimum venenum immiscent. Horum sectae veteribus, vel ne in publicum prodeant, non sunt notatae nominibus, vel (quod est forte nefandius) non contentae, ut vel ab Arrio Arriani, vel a Nestore Nestoriani, aut a similibus similes nuncupentur, sed in exemplum martyrum, qui pro fide catholica martyria subierunt, Patarenos se nominant, velut expositos passioni. Huiusmodi miseri Patareni a quibus abest sancta credulitas divinitatis aeternae, sub uno contextu nequitiae insimul tres offendunt; Deum, videlicet, proximos, et seipsos. Deum, dum Dei fidem, et Filium non agnoscunt. Decipiunt proximos, dum ipsis sub spe spiritualis alimoniae, haereticae pravitatis oblectamenta ministrant. Crudelius etiam saeviunt in se ipsos, dum post animarum dispendium, corpora denique severae mortis illecebris, quam per agnitionem veram et verae fidei possent evadere, vitae prodigi, et necis improvidi sectatores, involvunt: et (quod est ipso dictu dirissimum) superstites etiam non terrentur exemplo.

Aliae contra haereticos leges;

Haereticorum fraus;

Patarenorum impietas.

§ 1. Contra tales, sibi, Deo et hominibus sic infestos, continere non possumus motus nostros, quin debitae ultionis in eos gladium exeramus: tanto ipsos instantius persequentes, quanto in evidentiorem delusionem Fidei Christianae,

prope Romanam Ecclesiam, quae caput Ecclesiarum omnium iudicatur, superstitionis suae scelera latius exercere noscuntur; adeo quod ab Italiae finibus, praesertim a partibus Lombardiae, in quibus pro certo perpendimus ipsorum nequitiam latius abundare, iamque usque ad regnum nostrum Siciliae, suae perfidiae rivulos derivarunt. Quod acerbissimum reputantes, statuimus in primis, ut crimen haereseos et damnatae sectae cuiuslibet, quocumque nomine censeantur sectatores (prout veteribus legibus est indictum), inter publica crimina numeretur. Imo crimine laesae maiestatis nostrae debet ab omnibus horribilius iudicari, quod in divinae maiestatis iniuriam noscitur attentatum, quamvis iudicii potestate, alterum alteri non excellat. Nam sicuti perduellionis crimen personas admittit damnatorum et bona, et damnat post obitum memoriam defunctorum: sic et in praedicto crimine, quo Patareni notantur, per omnia volumus observari.

Crimen haeresis inter publica crimina numerandum.

§ 2. Et ut ipsorum nequitia, qui (quia Dominum non sequuntur) in tenebris ambulant, detegatur: nemine etiam deferente, investigari volumus diligenter huiusmodi scelerum patratores, et per officiales nostros, sicut et alios malefactores inquiri. Ac inquisitione notatos, etsi levis superstitionis argumento tangantur, a viris ecclesiasticis et praelatis examinari iubemus; per quos si inventi fuerint a fide catholica saltem in articulo deviare, ac per ipsos pastorali more commoniti, tenebrosi diaboli relictis insidiis, noluerint agnoscere Deum lucis, sed in erroris concepta instantia perseverent, praesentis nostrae legis edicto damnatos mortem pati, Patarenos, aliosque haereticos quocumque nomine censeantur, decernimus, quam affectant, ut vivi in conspectu hominum comburantur, flammarum commissi iudicio. Nec dolemus, quod in hoc ipsorum satisfacimus voluntati, ex quo poenam solummodo, nec fructum alium consequuntur erroris.

De ea itaque convicti comburantur

§ 3. Apud nos pro talibus nemo intervenire praesumat, quod qui fecerit, in ipsum nostrae indignationis aculeos non immerito convertemus.

Datum Paduae, 22 februarii, decima secunda indictione.

Imperator Fridericus semper Augustus, etc.

Patarenorum receptatores et complices et quocumque modo fautores, qui ut a poena alios possint eximere, de se velut improvidi non formidant, publicatis bonis omnibus, relegandos in perpetuum esse censemus.

Patarenorum fautores relegandi.

§ 1. Et ipsorum filii ad honores aliquos nullatenus admittantur. Si tamen aliquis fautorum huiusmodi detexerit aliquem Patarenum, de cuius perfidia manifeste probatur, in fidei praemium, quam agnovit, famae pristinae de imperiali clementia restitutionis beneficium in integrum consequatur.

Ii vero, qui eos detexerint, pristinae famae restituendi.

Incipiunt capitula constitutionis contra Patarenos, aliosque haereticos editae per eumdem Fridericum illustrem virum, Romanorum imperatorem semper Augustum, Hierusalem et Siciliae regem.

Catharos, Patarenos, Speronistas, Leonistas, Arnaldistas, Circumcisos, Passaginos, Iosephinos, Garatenses, Albanenses, Franciscos, Bagnarolos, Commixtos, Waldenses, Roncarolos, Communellos, Warinos et Ortolenos, cum illis de Aquanigra et omnes haereticos utriusque sexus quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, dissipamus, atque bannimus. Censentes ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur: ita quod filii eorum ad successionem pervenire non possint, cum longe sit gravius aeternam, quam temporalem offendere maiestatem.

Eorum poenae.

§ 1. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi ad mandatum Ecclesiae, iuxta considerationem suspicionis, qualitatemque personae, propriam

Suspicione notabiles nisi se purgaverint banno subiiciuntur

innocentiam congrua purgatione monstraverint; tamquam infames et banniti ab omnibus habeantur: ita quod si per annum permanserint, ex tunc eos sicut haereticos condemnamus.

A civitatum rectoribus praestandum iuramentum pro fidei defensione.

§ 2. Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, ut potestates et consules, seu rectores, quibuscumque fungantur officiis, pro defensione fidei praestent publicum iuramentum, quod de terris suae ditioni subiectis universos haereticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt. Ita quodammodo quandocumque quis fuerit in perpetuam honestatem (1), vel temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare. Alioquin neque pro potestatibus, neque pro consulibus, seu consimilibus habeantur: eorumque sententias ex tunc decernimus inutiles et inanes. Si vero dominus temporalis, requisitus et monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab haeretica pravitate, post annum a tempore monitionis elapsum, terram ipsius exponimus catholicis occupandam, qui eam, exterminatis haereticis, absque ulla contradictione possideant, et in fidei puritate conservent, salvo iure dominii temporalis: dummodo super hoc nullum praestet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat. Eadem nihilominus lege servata, contra eos qui non habent dominos principales.

Poenae receptatorum, defensorum etc.

§ 3. Credentes praeterea, receptatores, defensores et fautores haereticorum bannimus. Statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis et ad publica officia, seu consilia, vel ad aliquos eligendos huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad haereditatis successionem accedat. Nullus ei praeterea super quocumque negocio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causae aliquae ad eius audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, eius instrumenta confecta per manum ipsius nullius penitus sint momenti. Adiicimus insuper, quod haereticus per haereticum convinci possit, et quod domus Patarenorum, receptatorum et defensorum et fautorum, sive ubi docuerint, sive ubi aliis manus imposuerint, destruantur, nullo tempore restituendae. Dat. Paduae, 22 februarii decima secunda indict.

(1) Legendum *potestatem*.

Poenae quoque apostatarum.

§. 4. Rex regum apostatantes a Fide catholica penitus execramus, insequimur ultionibus, bonis suis omnibus spoliamus: et ut a professione, vel vita naufragantes, legibus coarctamus: successiones tollimus, ab eis omne ius legitimum abdicamus.

Datum Perusii, secundo kalendas novembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 31 octobris 1243, pontif. an. I.

III.

Concessio indulgentiarum christifidelibus visitantibus Ecclesias fratrum ordinis Eremitarum Sancti Augustini nonnullis statutis festis anni diebus (1)

SUMMARIUM

Exordium. — Causae privilegii. — Indulgentiarum concessio cum designatione dierum.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Quoniam (ut ait Apostolus) omnes stabimus ante tribunal Christi, prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem messionis extremum misericordiae operibus praeve-

(1) Edidit Empolus in Bullar. huius Ordinis

nire, ac aeternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in coelis; firmam spem, fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam aeternam.

Causae privilegii.

Cum igitur dilecti filii generalis et fratres Eremitarum Sancti Augustini ordinis, sicut ipsi in sua nobis petitione monstrarunt, domus et ecclesiae eorum non modicum indigeant reparatione, nec propriae sufficiant facultates ad reparationem praedictarum, cum sit eis necessarium per meditata suffragia, praestare cupientes. Itaque sicut domos suscepimus in nostra protectione, et reparatione indigere noscantur non modicum sumptuosa; nos cupientes, ut domos Ecclesiae praedictae congruis honoribus frequententur et reparentur, ac etiam conserventur, et ut christifideles eo libentius causa devotionis confluant, et ad easdem ecclesias et domos, ac de reparatione et conservatione praedictarum manus protinus porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem in domo coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos;

Indulgentiarum concessio cum designatione dierum.

de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes; necnon in Assumptionis, Nativitatis, Annuntiationis et Purificationis Beatae Mariae, ac a dominica Septuagesimae inclusive, usque ad dominicam in Palmis, et die Mercurii, die Iovis et die Veneris hebdomadae Sanctae, ac Nativitatis beati Ioannis Baptistae, ac apostolorum Petri et Pauli, in solemnitatibus Apostolorum et Evangelistarum, ac in omnibus festivitatibus S. Augustini, dictis Ecclesiis dedicationis festivitatibus, et celebritate Omnium Sanctorum; et ipsas Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes; necnon Nativitatis, Assumptionis B. Mariae et Nativitate B. Ioannis Baptistae, et apostolorum Petri et Pauli praedictarum festivitatum octavas, praefatas ecclesias devote visitaverint annuatim, et ad reparationem et conservationem praedictarum manus porrexerint adiutrices, ut praefertur, singulas videlicet festivitatum, et eorum octavas, et celebritate et dierum praedictorum, videlicet a dominica septuagesimae usque ad dominicam Palmarum, mille annos et totidem quadragenas, illorum vero tantum dierum praedictorum diebus, quibus praedictas Ecclesias visitaverint, et ad reparationem et conservationem earumdem manus porrexerint adiutrices, ut praefertur, a poena et a culpa misericorditer relaxamus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Datum Laterani sexto kalendas maii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 26 aprilis 1244, pontif. anno I.

IV.

Hortatio ad regem Franciae, ut in suo regno concremari faciat librum Talmud, quo utuntur iudaei, eisque prohibeat nutrices et servientes habere christianos (1).

SUMMARIUM

Iudaeorum iniquitates multae. — 1. Talmud liber impius. — 2. Quam sit indignum, ut nutrices habeant christianas. — 3. Talmud liber a cancellario Parisiensi igni traditus. — 4. Regem adhortatur ut impios iudaeorum libros cremari faciat: — 5. Prohibeatque ne iudaei nutrices et servientes habeant christianos.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio illustri regi Franciae, salutem et apostolicam benedictionem.

Impia iudaeorum perfidia, de quorum cordibus propter immensitatem suorum

(1) Iudaeis nutrices, famulos habere christianos prohibuere Honorius III, Const. LIV, tom. hoc III, pag 380, et Gregorius IX, Constit. XXXVI, pag. 479.

scelerum Redemptor noster velamen non abstulit, sed in caecitate, quae contingit ex parte, in Israel adhuc manere permittit, prout convenit, non attendens, quod ex sola misericordia pietas ipsos christiana receptet et cohabitationem illorum sustineat patienter, illa committit enormia, quae stupori audientibus et referentibus sunt horrori. Ipsi enim ingrati Domino Iesu Christo, qui conversionem eorum ex suae longanimitatis affluentia patienter expectat, nullam praetendentes verecundiam culpae suae, nec reverentes honorem fidei christianae, omissis, seu contemptis lege mosaica et prophetis, quasdam traditiones suorum seniorum sequuntur. Super quibus eos in Evangelio Dominus obiurgat dicens: Quare vos transgredimini mandatum Dei, et irritum fecistis propter traditiones vestras, hominum doctrinas et mandata docentes.

Iudaeorum iniquitates multae.

§ 1. In huiusmodi namque traditionibus (quae Talmud hebraice nuncupantur, et magnus liber est apud eos, excedens textum Bibliae in immensum, in quo sunt blasphemiae in Deum et Christum eius, ac Beatam Virginem manifeste, intricabiles fabulae, abusiones erroneae, ac stultitiae inauditae) filios suos docent ac nutriunt, et a legis, et prophetarum doctrina reddunt ipsos penitus alienos. Verentes ne veritate, quae in eisdem lege ac prophetis est, intellecta, aperte de unigenito Dei Filio venturo in carnem testimonium perhibente, convertantur ad fidem, et ad Redemptorem suum humiliter revertantur.

Talmud liber impius.

§ 2. Et his non contenti, faciunt christianas filiorum suorum nutrices in contumeliam fidei christianae, cum quibus turpia multa committunt. Propter quae fidelibus est verendum, ne divinam indignationem incurrant, dum eos perpetrare patiuntur indigne, quae fidei nostrae confusionem inducunt.

Quam sit indignum, ut nutrices habeant christianas.

§ 3. Et licet dilectus filius cancellarius Parisiensis, et doctores regentes Parisiis in sacra pagina, de mandato felicis recordationis G. Papae praedecessoris nostri, tam praedictum abusionis librum, quam alios quosdam cum omnibus glossis suis perlectis in potestate, ac examinatos ad confusionem perfidiae iudaeorum, publice coram clero et populo, incendio concremarint, prout in litteris eorum perspeximus contineri, quibus tu tamquam catholicus rex, et princeps christianissimus impendisti super hoc auxilium congruum, et favorem, pro quo regalem excellentiam dignis in Domino laudibus commendamus, ac prosequimur actionibus gratiarum.

Talmud liber a cancellario Parisiensi igni traditus.

§ 4. Quia tamen nondum iudaeorum ipsorum abusio prophana quievit, nec adhuc dedit eis vexatio intellectum; celsitudinem regiam rogamus, et obsecramus in Domino Iesu Christo, ut qui excessus huiusmodi detestabiles, et enormes, commissos in contumeliam Creatoris, et iniuriam nominis christiani, pie incaepisti laudabiliter prosequendo, facias debita severitate percelli. Et tam praedictos abusionis libros, reprobatos per doctores eosdem, quam generaliter omnes cum glossis suis, qui per ipsos examinati et reprobati fuerint, mandes per totum regnum tuum, ubicumque reperiri poterunt, igne cremari.

Regem adhortatur ut impios iudaeorum libros cremari faciat;

§ 5. Firmiter inhibendo ne de caetero nutrices, seu servientes habeant christianos, ne filii liberae filiis famulentur ancillae. Sed tamquam servi reprobati a Domino, in cuius mortem nequiter conspirarunt, saltem per effectum operis, servos se recognoscant illorum, quos Christi mors, et istos liberos, et illos constituit esse servos: ut proinde sinceritatis tuae zelum possimus in Domino dignis laudibus commendare.

Prohibeatque ne iudaei christianos habeant nutrices et servientes.

Dat. Lateran. septimo idus maii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 9 maii 1244, pontif. anno I.

V.

Convocatio abbatum et priorum Angliae ad generale concilium Lugdunense primum, pro die 24 iunii 1245.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae indicendi concilii. — 2. Indictio pro die 24 iunii. — 3. Fridericum imperatorem citatum esse significat.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus et prioribus per Angliam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Dei virtus et Dei sapientia, cuius ineffabili subiecta sunt omnia maiestati, a fundationis initio splendore virtutum suam illustravit Ecclesiam. Et sic insignem reddidit singularis privilegio potestatis, ut per eius ministerium suum iustitia consequatur effectum, et sedato bellorum turbine, mundo possit tranquillitas provenire.

Causae indicendi concilii. § 1. Huiusmodi enim præeminentiam dignitatis, dum nos reverenter attendimus, qui regimini generalis Ecclesiae, licet immeriti, divina providentia praesidemus, reddimur corde solliciti, quod tempestatis horror, qua ipsa turbatur Ecclesia, et religio christiana concutitur, per nostrae provisionis auxilium coelesti pietate propitia propulsetur. Hinc est, quod nos, ut ipsa Ecclesia per fidelium salubre consilium, et auxilium fructuosum, status debiti possit habere decorem, ac deplorando Terrae Sanctae discrimini et afflicto Romano imperio propere valeat subvenire, ac invenire remedium contra Tartaros, et alios contemptores fidei, ac persecutores populi christiani, necnon pro negotio, quod inter Ecclesiam et principem vertitur, reges terrae, praelatos Ecclesiarum, et alios mundi principes duximus advocandos.

Indictio pro die 24 iunii. § 2. Rogamus etiam devotionem vestram, et hortamur attente, per apostolica vobis scripta praecipiendo mandantes, quatenus ad praesentiam nostram, omni prorsus occasione postposita, usque ad proximum festum Sancti Ioannis Baptistae, personaliter venire curetis, ut ipsa Ecclesia ex vestrae visitationis honore spirituale gaudium, et ex nostra industria consilium percipiat profuturum.

§ 3. Scituri, quod nos dictum principem in praedicatione nostra citavimus, ut per se, vel per suos nuncios in concilio celebrando compareat, responsurus nobis et aliis, qui aliquid contra ipsum duxerint proponendum, et satisfactionem idoneam praestiturus. Fridericum imperatorem citatum esse significat.

§ 4. De personarum autem, et evectionum moderato numero, illam cum veneritis providentiam habeatis, quod vestris Ecclesiis nimis non sitis onerosi.

Datum Lugduni, tertio kalend. februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 30 ianuarii 1245, pontif. anno II.

VI.

Fridericum secundum imperatorem excommunicans, iure imperii deturbatum, subditosque iuramenti religione solutos declarat.

SUMMARIUM

Proœmium. — 1. Fridericus ab Innocentio ad pacem invitatus. — 2. Æquae leges indictae. — 3. De illius pervicacia queritur Innocentius. — Sacramento oratorum opera ad sarcienda Ecclesiae damna se devinxit Fridericus. — 4. Obiecta ipsi a Pontifice capita. — 5. Saepius crimine periurii se devinxit. — 6. Concessam a Christo Pontifici auctoritatem negavit. — 7. Pontificiam ditionem occupavit. — 8. Iuratae cum Gregorio pacis leges violavit. — 9. Siculam Ecclesiam oppressit. — 10. Sacrilegii scelere se inquinavit. — 11. Iusta haeresis suspicione aspersus. — 12. Saracenis, hostibusque religionis iunctus foedere. — 13. Bavariae ducis occisor, Battaccio schismatico filiam dedit in uxorem. — 14. Debitum pro regno Siciliae vectigal non solvit. — 15. Iure imperii et regni privatur: — Vassallique iuramento solvuntur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, sacro praesente Concilio ad rei memoriam sempiternam.

Proœmium

Ad Apostolicae dignitatis apicem, licet indigni, dignatione divinae maiestatis assumpti, omnium christianorum curam vigili sedulaque solertia gerere, ac intimae considerationis oculo, singulorum facta et dicta discernere, et providae deliberationis statera librare debemus, ut quos iusti rigor examinis dignos ostenderit, congruis attollamus, et evehamus favoribus: quos autem reos et culpabiles invenerimus, poenis debitis pro gravitate culpae afficiamus, et deprimamus; appendentes semper meritum praemium aequa lance, retribuendo cuique iuxta qualitatem operis, sive boni, sive mali, poenae, vel gratiae quantitatem.

Fridericus ab Innocentio ad pacem invitatus.

§ 1. Sane cum diu bellorum diuturna commotio nonnullas professionis christianae provincias et regiones graviter afflixisset, nos toto cupientes mentis affectu tranquillitatem et pacem Ecclesiae Sanctae Dei, ac generaliter cuncto populo christiano restituere, ac reducere, ad praecipuum principem saecularem, huius dissensionis ac tribulationis auctorem, a felicis recordationis Gregorio Papa praedecessore nostro, pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales nuncios magnae authoritatis viros, venerabiles videlicet fratres nostros P. Albanensem, tunc autem temporis Rothomagensem archiepiscopum, et W. Sabinensem nunc, quondam vero Mutinensem episcopos, ac dilectum nostrum filium Guillelmum basilicae Duodecim Apostolorum presbyterum cardinalem, tunc abbatem Sancti Facundi, qui salutem zelabantur ipsius, duximus destinandos; facientes sibi proponi per ipsos, quod nos et fratres nostri, quantum in nobis erat, pacem per omnia habere nitimur, ut cum omnibus hominibus parati sumus, optabamus pacem sibi et tranquillitatem dare, ac mundo etiam universo. Et quia praelatorum clericorum, omniumque aliorum, quos detinebat captivos, et omnium tam clericorum, quam laicorum, quos cesserat in galeis, restitutio poterat esse pacis et reconciliationis plurimum inductiva, illum, ut eos restitueret (et cum hoc idem tam ipse, quam sui nuncii, antequam ad apostolatus vocati essemus officium, promisissent) rogari et peti ab ipso fecimus per eosdem, ac proponi insuper, quod iidem pro nobis parati erant audire et tractare pacem, etiam audire satisfactionem, quam facere vellet princeps de omnibus, pro quibus vinculo erat excommunicationis astrictus, et offerri.

Aequae leges indictae.

§ 2. Praeterea, quod si eum in aliquo contra debitum laeserat Ecclesia, quod tamen non credebat, parata erat corrigere, ac in statum debitum reformare, etsi diceret ipse, quod illum nos contra iustitiam laesissemus, parati eramus vocare reges, praelatos et principes tam ecclesiasticos, quam saeculares ad aliquem tutum locum, ubi simul per se, vel per solemnes nuncios convenirent, eratque parata Ecclesia etiam de consilio concilii sibi satisfacere, si eum laesisset in aliquo, ac revocare excommunicationis sententiam, si quam contra ipsum iniuste tulisset, et eum omni mansuetudine et misericordia quantum cum Deo et honore suo fieri poterat, tractare, et de iniuriis et offensis ipsi Ecclesiae suisque per eum irrogatis satisfactionem ab ipso recipere. Volebat etiam Ecclesia omnes amicos suos, sibique adhaerentes in pace ponere, plenaque securitate gaudere, ut nunquam hac occasione posset aliquod inposterum subire discrimen aut periculum.

De illius pervicacia queritur Innocentius.

§ 3. Sed licet sic apud eum pro pace paternis monitis, et precum insistere curaverimus lenitate, idem tamen Pharaonis imitatus duritiam, et more aspidis obturans aures suas, huiusmodi preces et monita, elata obstinatione, ac obstinata elatione et superbia despexit, ac contempsit, et licet processu temporis in

die Coenae Domini proximo nuper praeterito praecedente coram nobis et fratribus nostris cardinalibus, praesentibus charissimo in Christo filio nostro Constantinopolitano imperatore illustri, coetu quoque non modico praelatorum, et de senioribus, ac sanioribus senatoribus, populoque romano, et maxima multitudine aliorum, qui eodem die propter solemnitatem ipsius de diversis mundi partibus ad Apostolicam Sedem convenerunt, quod staret mandatis nostris et Ecclesiae per nobilem virum comitem Tolosanum, ac magistros Petrum de Vinea, et Thaddaeum de Suessa curiae suae iudices, et procuratores suos speciale super hoc ab ipso mandatum habentes, praestiterit iuramentum; postmodum tamen, quod iuraverat non implevit. Quinimo ea intentione ipsum praestitisse iuramentum probabiliter creditur, sicut ex factis sequentibus colligitur evidenter, ut eidem Ecclesiae, ac nobis illuderet potius, quam pareret: cum anno et amplius iam elapso, nec ad ipsius Ecclesiae gremium revocari potuerit, nec sibi de illatis ei damnis et iniuriis curaverit satisfacere, licet super hoc extiterit requisitus. Propter quod non volentes, nec etiam valentes, absque gravi Iesu Christi offensa, eius iniquitates et scelera amplius tolerare, cogimur, urgente nos conscientia, animadvertere in eumdem.

Sacramento oratorum opera ad sarcienda Ecclesiae damna se devinxit Fridericus.

§ 4. Et ut ad praesens de caeteris eius sceleribus et iniquitatibus taceamus, quatuor gravissima, quae nulla possunt celari tergiversatione, commisit. Deieravit enim multoties; pacem quondam inter Ecclesiam et imperium reformatam temere violavit; perpetravit etiam sacrilegium, capi faciens cardinales sanctae Romanae Ecclesiae, ac aliarum Ecclesiarum praelatos et clericos religiosos et saeculares, venientes ad concilium, quod idem praedecessor noster duxerat convocandum; de haeresi quoque non dubiis et levibus, sed difficilibus et evidentibus argumentis suspectus habetur.

Obiecta ipsi a Pontifice capita.

§ 5. Plura siquidem eum commisisse periuria, satis patet; nam olim cum in Siciliae partibus commorabatur, priusquam esset ad imperii dignitatem electus coram bonae memoriae G..... Sancti Theodori diacono cardinali Apostolicae Sedis legato, felicis recordationis Innocentio Papae praedecessori nostro et successoribus eius, Ecclesiaeque Romanae pro concessione regni Siciliae ab eadem Ecclesia sibi facta, fidelitatis praestitit iuramentum, et sicut dicitur, illud idem, postquam ad eandem dignitatem electus extitit, et venit ad urbem coram eodem Innocentio, suisque fratribus cardinalibus, et aliis multis praesentibus, ligium homagium in eius faciens manibus, innovavit. Deinde cum in Alemannia esset eidem Innocentio Papae et, ipso defuncto, bon. mem. Honorio Papae praedecessori nostro, et eius successoribus, ac ipsi Ecclesiae Romanae praesentibus imperii principibus, ac nobilibus, iuravit honores, iura et possessiones Romanae Ecclesiae pro posse suo servare ac protegere bona fide; et quod quaecumque ad manus suas devenirent, sine difficultate restituere procuraret, nominatis expresse dictis possessionibus in huiusmodi iuramento, quod postmodum confirmavit, coronam imperii iam adeptus, horum trium iuramentorum temerarius extitit violator, et transgressor, non sine proditionis nota, et laesae crimine maiestatis. Nam contra praefatum praedecessorem nostrum Gregorium, et fratres suos cardinales commonitorias litteras eisdem fratribus destinare, ac dictum Gregorium apud fratres ipsos, sicut apparet per litteras ab eodem tunc directas eisdem, et etiam prout fertur, per universum fere orbem terrarum multipliciter diffamare praesumpsit; ac venerabilem fratrem nostrum Othonem Portuensem tunc Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, et bon. mem. Iacobum Praenestinum episcopum Apostolicae Sedis legatos, nobilia, et magna Ecclesiae Romanae membra personaliter

Saepius crimine periurii se devinxit.

capi fecit, et bonis omnibus spoliatos, ac per diversa loca non semel ignominiose deductos et circumductos, carceribus mancipari.

Concessam a Christo Pontifici auctoritatem negavit.

§ 6. Privilegium insuper, quod B. Petro, et successoribus eius in ipso tradidit Dominus Iesus Christus, videlicet: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis; in quo auctoritas et potestas Romanae Ecclesiae consistit, pro viribus diminuere, vel ipsi Ecclesiae auferre satagit, scribens se praefati Gregorii Papae praedecessoris nostri non vereri latam ab eo excommunicationis sententiam in ipsum; et non solum contemptis clavibus Ecclesiae non servandam, verum etiam per se, ac officiales suos, et illam et alias excommunicationis vel interdicti sententias, quas idem omnino contempsit, cogendo et compellendo alios non servare.

Pontificiam ditionem occupavit.

§ 7. Possessiones quoque praefatae Ecclesiae Romanae, videlicet, Marchiam, ducatum Beneventanum, cuius muros et turres dirui fecit, ac alias, quas in Tusciae et Lombardiae partibus, et quibusdam aliis obtinebat locis, paucis exceptis, occupare non metuens, eas detinet adhuc occupatas. Et tanquam ei non sufficeret, quod manifeste contra iuramenta praemissa praesumendo talia veniebat, per se, vel per suos officiales, earumdem possessionum homines deierare compulit, ipsos a iuramentis fidelitatis, quibus tenebantur ratione Ecclesiae, de facto, cum de iure non posset, absolvens, et faciens eosdem fidelitatem nihilominus abiurare praedictam, sibique fidelitatis huiusmodi iuramenta praestare.

Iuratae cum Gregorio pacis leges violavit.

§ 8. Pacis vero ipsum violatorem existere plane constat: quia cum olim tempore pacis inter ipsum, et Ecclesiam reformatae iurasset coram bonae mem. I.... de abbatibus Villa, episcopo Sabinensi, et magistro Thomasio tunc temporis S. Sabinae presbytero cardinali, praesentibus cum multis aliis praelatis, principibus, et baronibus, quod staret, et pareret praecise, absque ulla conditione omnibus mandatis Ecclesiae super his, pro quibus erat vinculo excommunicationis astrictus, causis excommunicationis expressis per ordinem coram eo. Tunc temporis etiam omnibus Theutoniae hominibus, regni Siciliae, ac quibuslibet aliis cuiuscumque conditionis, aut status, qui Ecclesiae contra eum adhaeserant, omnem remittens offensam et poenam, et quod in nullo tempore offenderet, vel offendi faceret ipsos, pro eo quod Ecclesiae astiterant, praestari in anima sua per comitem Acerrarum faciens iuramentum; postmodum pacem et iuramenta huiusmodi nequaquam erubescens irretiri periuriis, non servavit. Nonnullos enim etiam ex ipsis hominibus praedictis tam nobiles, quam alios postea capi et incarcerari fecit, et eis bonis suis omnibus spoliatis, uxores eorum et filios captivari, ac insuper terras Ecclesiae contra promissionem, quam idem I. Sabinensi episcopo et Thomasio cardinali fecerat, irreverenter invasit: ipsi ex tunc in eundem praesentem, si ullo modo praedictis articulis, aut conditionibus contraveniret, excommunicationis sententiam promulgaverunt.

Siculam Ecclesiam oppressit.

§ 9. Et cum idem, apostolica auctoritate sibi commissa, ipsi mandassent, ut ne per se, nec per alium impediret, quin postulationes, electiones, et confirmationes Ecclesiarum et monasteriorum in regno praefato libere de caetero fierent, secundum statutum concilii generalis, et quod nullus deinceps in eodem regno, viris ecclesiasticis, ac bonis, aut rebus eorum imponeret tallias vel collectas, quodque nullus ibidem clericus, vel persona ecclesiastica de caetero in civili vel criminali causa conveniretur coram iudice saeculari, nisi super feudis quaestio civilis haberetur, ac Templariis, Hospitalariis, et aliis personis ecclesiasticis de damnis et iniuriis irrogatis eisdem satisfaceret competenter, ipse mandatum

huiusmodi adimplere contempsit. Liquet namque undecim, aut plures archiepiscopales, et multas episcopales sedes, abbatias quoque et alias Ecclesias ad praesens in regno vacare praedicto, easque procurante ipso, sicut aperte patet, fuisse diutius praelatorum regimine destitutas in grave ipsarum praeiudicium et periculum animarum multarum. Et licet forte in aliquibus eiusdem regni Ecclesiis electiones sint a capitulis celebratae, quia tamen per illa eadem familiares clerici sunt electi, probabili potest argumento concludi, quod facultatem non habent liberam eligendi. Ecclesiarum autem ipsius regni non solum facultates, et bona fecit, prout voluit, occupari; sed et cruces, calices, thuribula, et alios sacros earum thesauros, et pannos sericos velut cultus divini contemptor, auferri, licet, ut dicitur, ipsis Ecclesiis, exacto tamen prius pro eis certo pretio, in parte fuerint restituti. Clerici quippe collectis et talliis multipliciter affliguntur, non solum trahuntur ad iudicium saeculare, sed, ut asseritur, coguntur subire duella, incarcerantur, occiduntur et patibulis cruciantur, in confusionem et opprobrium ordinis clericalis. Praefatis autem Templariis, Hospitalariis, et personis ecclesiasticis, non est de damnis illatis eisdem, et iniuriis satisfactum.

Sacrilegii scelere se inquinavit

§ 10. Eum quoque certum est sacrilegii esse perpetratorem: nam cum praefati Portuensis et Praenestinus episcopi, et quamplures Ecclesiarum praelati, et clerici, tam religiosi, quam saeculares ad Apostolicam Sedem, pro celebrando concilio, quod prius ipse petiverat convocari, per mare venirent, viis omnibus terrae ipsius, de mandato eius omnino praeculsis, idem destinato Hensio filio suo cum multitudine galeiarum, et per alias quamplures longe ante serio praeparatas in partibus Tusciae maritimis insidiis positis contra eos, ut gravius posset virus vomere praeconceptum, ipsos ausu sacrilego capi fecit, quibusdam praelatorum ipsorum, et aliis in huiusmodi captione submersis, nonnullis etiam interemptis, et aliquibus hostili insecutione fugatis; reliquis autem bonis spoliatis omnibus, et de loco ad locum in regno Siciliae opprobriose deductis, et circumductis, ac ibidem diris carceribus mancipatis, quorum aliqui macerati squaloribus et inedia pressi miserabiliter defecerunt.

Iusta haeresis suspicione aspersus.

§ 11. Merito insuper contra eum de haeretica pravitate suspicio est exorta, cum postquam excommunicationis sententiam a praefatis I. Sabinensi episcopo et Thomasio cardinali prolatam incurrerit, et praedictus Gregorius Papa ipsum anathematis vinculo innodaverit, ac post Ecclesiae Romanae cardinalium, praelatorum et clericorum, ac aliorum etiam diversis e partibus ad Sedem Apostolicam venientium caption claves Ecclesiae contempserit et co temnat, sibi faciens celebrari, vel potius quantum in eo est, prophanari divina: et constanter asseruit, ut superius est narratum, in se praefati Gregorii Papae sententias excommunicationis non vereri.

Saracenis, hostibusque religionis iunctus foedere.

§ 12. Praeterea coniunctus Saracenis amicitia detestabili, nuncios et munera pluries destinavit eisdem, et ab eis vicissim cum honorificentia et hilaritate recepit, ipsorumque ritus amplectitur, illos in quotidianis eius obsequiis notabiliter secum tenens: eorumdem etiam more uxoribus, quas habuit, de stirpe regia descendentibus, eunuchos praecipue, quos, ut dicitur, serio ipse castrari fecerat, non erubuit deputare custodes. Et quod execrabilius est, olim existens in partibus transmarinis, facta compositione quadam, imo verius collusione cum Soldano Mahometi nomine, in templo Domini diebus ac noctibus publice proclamari permisit. Et nuper nuncios Soldani Babiloniae postquam idem Soldanus Terrae Sanctae, ac christianis habitatoribus eius per se ac suos damna gravissima, et inaestimabiles iniurias irrogarat, fecit

per regnum suum Siciliae cum laudibus ad eiusdem Soldani extollentiam, sicut fertur, honorifice suscipi, et magnifice procurari.

Bavariae ducis occisor, Battacio schism tico filiam dedit in uxorem.

§ 13. Aliorum quoque infidelium perniciosis et horrendis obsequiis contra fideles abutens, et illis, qui damnabiliter vilipendentes et contemnentes Apostolicam Sedem ab unitate Ecclesiae discesserunt, procurans affinitate ac amicitia copulari, clarae memoriae ducem Bavariae specialem Ecclesiae Romanae devotum fecit, sicut pro certo asseritur, christiana religione despecta, per assassinos occidi: et Battacio, Dei et Ecclesiae inimico, a communione fidelium per excommunicationis sententiam cum adiutoribus, consiliatoribus, et fautoribus suis solemniter separato, filiam suam traduxit in uxorem: catholicorum vero principum actus et mores respuens, neglecta salutis suae etiam integritate, pietatis operibus non intendit, quinimo ut de suis nefariis dissolutionibus sileamus, cum didicerit tantum opprimere, non curat oppressos iniuriis relevare, manu eius, ut decet principem christianum, ad eleemosynas non extensa, cum destructioni Ecclesiarum destiterit, et religiosas, ac ecclesiasticas iugi attriverit afflictione et persecutione personas: nec enim ecclesias, nec ulla monasteria, nec hospitalia, seu alia pia loca cernitur uspiam construxisse aut fundasse. Num igitur haec non levia, sed efficacia sunt argumenta de suspicatione haeresis contra eum? Cum tamen haereticorum vocabulo eos ius civile contineri asserat, et latis adversus eos sententiis debere succumbere, qui vel levi argumento, ac iudicio catholicae religionis, et tramite detecti fuerint, deviare.

Debitum pro regno Siciliae vectigal non solvit.

§ 14. Praeter haec regnum Siciliae, quod est speciale patrimonium B. Petri, quod idem princeps ab Apostolica Sede tenebat in feudum, iam in tantam in clericis et laicis exinanitionem servitutemque redegit, quod eis pene penitus nihil habentibus, et omnibus exinde fere probis eiectis et expulsis, illos qui remanserunt ibidem, sub servili quasi conditione vivere, ac Romanam Ecclesiam, cuius principaliter sunt homines et vassalli, offendere multipliciter, et hostiliter impugnare compellit. Posset etiam merito reprehendi, quod mille squifatorum annuam pensionem, in qua pro eodem regno ipsi Romanae Ecclesiae tenetur, per novem annos et amplius solvere praetermisit.

Iure imperii et regni privatur:

§ 15. Nos itaque super praemissis, et quampluribus aliis nefandis et execrandis excessibus ac flagitiis cum fratribus nostris cardinalibus, et sacrosancto concilio, deliberatione praehabita matura et diligenti, cum Domini nostri Iesu Christi vices, licet immeriti teneamus, in terris, nobisque in beati Petri persona sit dictum: Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis etc., memoratum principem qui se imperio et regnis, omnique denique honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates atque scelera a Deo, ne regnet vel imperet, est abiectus, suis ligatum peccatis, a Deo abiectum, omnique honore ac dignitate privatum a Domino ostendimus, ac denunciamus, et nihilominus sententiando privamus; omnesque, qui ei iuramento fidelitatis aliquo modo tenentur astricti, vel obligati, a iuramento huiusmodi perpetuo absolvimus et liberamus, auctoritate apostolica firmiter et strictim inhibendo, ne quisquam de caetero sibi tamquam imperatori, vel regi pareat, vel quomodolibet parere intendat; decernendo quoslibet, qui deinceps velut imperatori, vel regi consilium vel auxilium praestiterint, seu favorem, ipso facto excommunicationis vinculo subiacere: illi autem ad quos in eodem imperio, imperatoris spectat electio, eligant libere alium in eius locum successorem. De praefato vero Siciliae regno providere curabimus, cum eorum-

Vassallique iuramento solvuntur fidelitatis.

dem fratrum nostrorum cardinalium consilio, sicut viderimus expedire.

Datum Lugduni, decimo sexto kalendas augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 17 iulii 1245, pontif. anno III.

VII.

Portugalliae rege regno deturbato propter inhabilitatem, regni proceres monentur, ut comiti Bolonien. ipsius regis fratri obediant, salvo tamen eiusdem regis, eiusque filiorum iure (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Causae regis deponendi. — A Gregorio Papa censuris innodatus. — Monitus promissis non stat. — Damna per eius negligentiam regni Ecclesiis illata; — Et religioni. — Eius desidia in regni rebus. — Iteratis Papae litteris monitus, et episcoporum libellis. — Processu itaque super his confecto: — Regni proceres adhortatur Innocentius, ut comiti Boloniensi regis fratri obedientiae iuramentum praestent: — Salvo eiusdem regis, eiusque filiorum iure.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis baronibus, communitatibus, consiliis tam civitatum, quam castrorum, et aliorum locorum, ac universis militibus et populis per regnum Portugalliae constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Grandi non immerito exultamus in Domino gaudio, cum christianae professionis regna sic salubri diriguntur statu, quod Ecclesiae, ac alia loca cultui et obsequio deputata divinis, et personae ecclesiasticae, caeterique fideles ipsorum pacis tranquillitate laetantur, fides in eis catholica maiori continue robore convalescit, servatur inibi iustitia, et audacia cunctis ibidem interdicitur. Vehementi autem dolore turbamur, si quando regna ipsa, quod absit, procurante humani generis inimico, scinduntur discordiis, circa fidei cultum remisso devotionis ardore tepescunt, iustitiam negligunt, et in se ipsis permittunt illicita perpetrari. Unde multa sollicitudine magnoque studio procurare nos convenit, ut christianorum regna, quae in statu sunt prospero, incommutabiliter in illo regantur, et quae periculoso ruere dignoscuntur, reformatione laudabili reparentur. Sane cum charissimus in Christo filius noster.... Portugalliae rex illustris a pueritia sua, clarae memoriae patre suo viam universae carnis ingresso, regni Portugalliae gubernatione suscepta, Ecclesias et monasteria existentia in eodem, pravo usus consilio, in gravem Dei offensam et conculcationem ecclesiasticae libertatis, multimodis exactionibus et oppressionibus per se, suosque immaniter afflixisset, et ab aliis pro ipsorum libito libere permisisset affligi; tandem quibusdam Ecclesiarum praelatis eiusdem regni apud Romanos Pontifices praedecessores nostros querelas multiplices super his deponentibus contra eum, felicis recordationis Gregorius Papa praedecessor noster post huiusmodi querelas et admonitiones frequentes regi propter hoc factas eidem, ac expectationes diutinas, necnon et interdicti ac excommunicationis sententias ob ipsius contumaciam in eum, et praefatum regnum auctoritate apostolica promulgatas, diuque observatas ibidem super certis praedictae libertatis articulis, et quibusdam aliis ab eo et suis imposterum observandis, et satisfactione impendenda monasteriis et Ecclesiis de damnis ac iniuriis per ipsum et suos irrogatis eisdem, ac ipsorum defensione duxit salubriter providendum, certis exequtoribus, qui eum ad hoc ecclesiastica censura compellerent, deputatis. Sed idem, receptis apostolicarum provisionum litteris, licet promiserit per suas patentes litteras, quod articulos contentos in earumdem provisionum litteris et observaret et faceret a suis subditis observari; postmodum tamen non solum praefatis

Causae regis deponendi

A Gregorio Papa censuris innodatus.

Monitus promissis non stat

(1) Ex Regest. Vatic.

monasteriis et Ecclesiis de praemissis damnis et iniuriis satisfacere, vel ea defensare neglexit; sed etiam, ut accepimus, Ecclesias et monasteria ipsa per se, suosque portarios et meyrinos collectis, procurationibus ac exactionibus indebitis intolerabiliter aggravavit et aggravat incessanter, ac circa malefactorum regni eiusdem insolentiam reprimendam sic negligens invenitur, quod in eodem regno bona tam ecclesiastica, quam mundana per raptores, praedones, invasores, incendiarios, publicos sacrilegos et detestabiles homicidas abbatum videlicet, priorum et aliorum religiosorum et clericorum saecularium, ac laicorum etiam occisores, deperire propter saecularis defectum iustitiae dignoscuntur. Unde quia sic in eodem regno a quibuslibet suis subditis impune delinquitur, barones, aliique ipsius regni nobiles et ignobiles, sumpto ex hoc delinquendi ausu, matrimonia contrahere in gradu prohibito, bona ecclesiastica rapere, ac alia quamplura mala olim a bonae memoriae Ioanne Sabinen. episcopo tunc in partibus illis Apostolicae Sedis legato, sub anathematis interminatione prohibita committere non verentur, et tam ipsi, quam plures alii de regno praefato diversarum excommunicationum innodati laqueis per devia desperationis errantes in contemptum clavium divinis se officiis irreverenter ingerunt, et ecclesiasticis sacramentis, ac in subversionem Catholicae Fidei plures eorum de ipsius articulis auctoritates tam novi, quam veteris Testamenti temere, non sine fermento pravitatis haereticae, in suarum et aliorum animarum periculum exponendo, eo dissimulante, non metuunt disputare: et nonnulli de regno ipso Ecclesiarum et monasteriorum patroni, ac alii asserentes se patronos, cum non sint, locorum ipsorum et ab eis illegitime geniti, in bonis dictarum Ecclesiarum et eorumdum monasteriorum crudeliter debacchantes, Ecclesias ipsas et monasteria eadem ad tantam inopiam redegerunt, quod eis nequeuntibus proprios sustentare ministros, quin imo aliquibus ex ipsis servitorum solatio destitutis, et aliorum claustris, refectoriis, caeterisque officinis, equorum stabulis et postribulis quarumlibet personarum vilium deputatis, divini nominis, et religionis cultus exinde penitus est sublatus bonis illorum omnibus in direptionem expositis et in praedam. Caeterum castra, villas, possessiones et alia iura regalia, idem rex propter ipsius desidiam, suique cordis imbecillitatem deperire permittens, ac passim et illicite malignorum acquiescens consiliis, alienans tam ecclesiasticarum, quam saecularium personarum nobilium et ignobilium occisiones nefarias, dum religioni non parcitur, nec sexui, vel aetati, rapinas, incestus, raptusque monialium et saecularium mulierum, rusticorum ac negotiatorum tormenta gravia, quae ipsis a nonnullis regni praefati pro extorquenda ab ipsis pecunia infliguntur; Ecclesiarum et cimiteriorum violationes et incendia, fractiones treuguarum et alia aenormia, quae a sibi subiectis libere committuntur, scienter tolerat, quin potius tot, tantisque malis, dum ea praeterit impunita, consentire videtur, et pandit aditum ad peiora. Terras insuper et alia christianorum bona in confinio Saracenorum posita non defendens, ea infidelibus devastanda, seu etiam occupanda ex animi pusillanimitate relinquit. Et licet a supradictis praelatis, ut ad corrigenda praemissa, pluraque alia nefanda, quorum seriosa narratio fastidium generaret, ardenter, ut tenetur, assurgeret, monitus fuerit diligenter, idem tamen, eorum monitionibus obauditis, id efficere non curavit; propter quod nos episcoporum, abbatum, priorum et aliorum tam religiosorum, quam saecularium regni eiusdem conquestionibus et clamosis insinuationibus excitati, regem ipsum per nostras litteras, ut praemissa corrigeret rogandum duximus attente, et hortandum venerabilibus fratribus nostris Co-

Damna per eius negligentiam regni Ecclesiis illata.

Et religioni.

Eius desidia in regni rebus.

Fuerat a Papae litteris monitus, et episcoporum libellis

limbrien., ac Portugallen. episcopis, ac priori praedicto Colimbrien., nihilominus per alias litteras iniungentes, ut eum ad hoc ex parte nostra monentes attente, ac efficaciter inducentes, qualiter super hoc faciendum duceret, et de ipsorum cura cum in hac parte processu nos in concilio certificare curarent. Cum igitur per dictos Colimbrien. et Portugallen. eiusdem concilii tempore apud Sedem Apostolicam constitutos, ac ipsorum et dicti prioris litteras, quod praefatum regem super his diligenter monuerint, et tam per eosdem, quam per alios fide dignos, necnon multorum virorum ecclesiasticorum, communitatum, baronum, militum, ac etiam nobilium dominorum litteras, quod praemissa nullatenus emendantur, sed potius de die in diem graviora propter eius desidiam et negligentiam praesumuntur. Quodque in subversionem regni praefati vassalli eiusdem regis, congregata multitudine armatorum, castra ipsius noviter expugnare omniaque occurrentia invadere, devastare, praedari, et alia mala, eo haec ex torpore nimio tolerante committere, divino timore posthabito, non formidant, nobis satis liquido innotescat. Cupientes regnum ipsum tot tribulationum adversitate depressum, maxime cum sit Romanae Ecclesiae censuale, alicuius prudentis et providi diligentia et industria relevari, universitatem vestram de fratrum nostrorum consilio monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta districte praecipiendo mandantes in remissionem vestrorum peccaminum iniungendo, quatenus dilectum filium nobilem virum comitem Bolonien. praefati regis fratrem, de devotione, probitate ac circumspectione multipliciter commendatum, qui eidem regi, si absque legitimo decederet filio, iure regni succederet, quique ex innatae dilectionis affectu, quo vos, et praedictum regnum prosequitur, magnanimitate ac potentia sibi plurimum suffragantibus regnum ipsum reformaturus, firma credulitate speratur, praesertim cum ad curam et administrationem generalem et liberam regni eiusdem, non minus pro saepedicti regis, quam ipsius regni utilitate, si provide attendatur, ac ad defensionem Ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque piorum locorum regni praefati, et personarum ecclesiasticarum tam religiosarum, quam saecularium, necnon viduarum, orphanorum et caeterorum ibidem degentium, ac deperditorum inibi recuperationem salubriter in Domino confidimus sit assumptus, cum ad vos accesserit, fidelitate, homagio, iuramento, seu pacto, si aliquibus forte praefato regi, vel cuicumque alii personae tenemini, aut etiam ipsius regis prohibitione, dummodo personam eius, et vitam, ac legitimi sui filii, si aliquem ipsum habere contigerit, fideliter conservetis, debitum eis exhibentes honorem nequaquam obstantibus in civitatibus, castris, villis et munitionibus regni praedicti cum omnibus suis recipere, ac eius dispositioni, ordinationi et mandatis universaliter singuli et singulariter universi per omnia et in omnibus intendere, absque difficultate qualibet procuretis, impendentes sibi contra quoslibet repugnantes, ac etiam violentes, consilium, auxilium et favorem de redditibus, proventibus, omnibusque saepefati regni iuribus sine diminutione aliqua plenarie respondendo, ut de illis dicto regi secundum quod suam decet excellentiam, et sibi, ac suis et praefati regni necessitatibus pro temporum, ac negotiorum emergentium qualitate valeat providere. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Bracharen. archiepiscopo et episcopo Colimbrien. damus nostris litteris in praeceptis, ut vos ad id modo praemisso per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant. Per hoc autem non intendimus memorato regi, vel ipsius legitimo filio, si quem habuerit, praedictum regnum adimere, sed potius sibi et eidem regno destructioni exposito, ac vobis ipsis in vita eiusdem regis per sollicitu-

Processu itaque super his confecto:

Regni proceres adhortatur Innocentius, ut comiti Boloniensi regis fratri obedientiae iuramentum praestent:

Salvo eiusdem regis, eiusque filiorum iure.

dinem et prudentiam comitis consulere supradicti.

Datum Lugduni octavo kalendas augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 25 iulii 1245, pontif. anno III.

VIII.

Brugnatensi et Naulensi Ecclesiis, quae antea fuerant unitae, dignitas redditur episcopalis: Naulensi autem annectitur monasterium Sancti Eugenii prope hanc civitatem situm (1).

SUMMARIUM

Has Ecclesias antea unitas separat. — Naulensi Ecclesiae monasterium S. Eugenii unitur. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, Bruniacensi, et Naulensi electo, et capitulo Naulensi.

Has Ecclesias antea unitas separat

Cum olim te, fili electe, ad regimen Ecclesiae Bruniacen. assumpto, bonae memoriae episcopus Praenestinus tunc in Franciam in legationis officio proficiscens de speciali mandato felicis recordationis Gregorii Papae praedecessoris nostri, facto sibi ad instantiam communis Ianuensis, Brumacen. et Naulen. Ecclesias duxerit uniendas, ita quod utraque esset Ecclesia cathedralis, et unus et idem diceretur episcopus utriusque, fueruntque adeo invicem Ecclesiae ipsae remotae, quod per unum episcopum ambae nequeunt gubernari, nec ad substentationem episcopi Naulensis Ecclesiae sufficiant facultates; nos easdem Ecclesias de fratrum nostrorum consilio separantes et statuentes quodammodo, ut utraque proprio praesule gubernetur, remaneatque Naulensis Ecclesia suffraganea Ecclesiae Ianuensis, tibi, fili electe, retinendi unam ex Ecclesiis ipsis, quam volueris liberam concedimus facultatem, procurationem alterius, a cuius vinculo te absolvimus, tuae sollicitudini tam in spiritualibus, quam in temporalibus usque ad nostrum beneplacitum committentes: et quia redditus mensae Naulensis episcopi sunt tenues et exiles, precibus dilectorum filiorum potestatis, consilii et communis Ianuensis inclinati, monasterium Sancti Eugenii situm in Insula iuxta civitatem Naulensem Sedi Apostolicae censuale praedictae mensae auctoritate praesentium de eorumdem fratrum consilio duximus annectendum, cui praesit Naulensis episcopus, qui pro tempore fuerit, tamquam abbas; abbati vero ipsius monasterii, qui nunc præest, iuxta voluntatem et arbitrium venerabilis fratris nostri archiepiscopi Ianuensis et ipsius abbatiae de bonis eiusdem monasterii congrua portio, donec de ipso abbate aliter ordinandum duxerimus, assignetur.

Naulensi Ecclesiae monasterium S. Eugenii unitur.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae constitutionis et concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Lugduni idibus augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 13 augusti 1245, pontif. anno III

IX.

Explicatio nonnullorum capitum regularum fratrum ordinis Minorum S. Francisci (1).

SUMMARIUM

Exordium. — De admittendis in ordine. — De Officio divino celebrando. — Quomodo se gerere debeant in receptione pecuniarum. — De cura infirmorum, et fratrum vestiario. — Declaratur, usum rerum quarumlibet convenire fratribus, omni secluso dominio etiam in communi: — Sed totale

(1) Ex Ughell., Ital. Sac., tom. IV, ubi de episcopis Brugnaten.

(1) Ex Waddingo, nov. edit., ad annum 1245, § XVIII. — Alias Minoritarum regulam a Gregorio IX explicatam vidimus, Constit. XXII, hoc III tom., pag. 449.

dominium ad Sedem Apostolicam spectare. — In publicis tantum et manifestis peccatis ad ministros recurrendum. — Institutio custodis custodum ad capitulum generale, qui vice aliorum suffragetur. — De institutione praedicatorum. — De ingressu monasteriorum monialium. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis generali, et provincialibus, ac custodibus, caeterisque fratribus ordinis fratrum Minorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Ordinem vestrum illo prosequentes affectu, quod ipsum inter alios laudabilibus continue proficere incrementis ferventer optemus; libenter ea, per quae oportuni vigoris accipiat fulcimentum, paterna sollicitudine procuramus.

Hinc est, quod cum quaedam dubia, et obscura, quae in vestra regula continentur, animos vestros cuiusdam confusione implicitatis involvant, et nodosae intricationis difficultate impediant intellectum; et felicis recordationis Gregorius Papa praedecessor noster aliqua ex eis exposuerit, et declaraverit semiplene: nos obscuritatem ab illis perfectae interpretationis declaratione omnino amovere volentes; et ambiguitatis scrupulum cura ipsa de vestris cordibus plenioris expositionis certitudine penitus amputare: dicimus, quod per eamdem regulam quoad observationem Evangelii, quam iniungit, nonnisi ad ea dumtaxat Evangelii consilia tenemini, quae in ipsa regula praeceptorie, vel inhibitorie sunt expressa. Licet autem ministris provincialibus, tam eorum vicariis, quam aliis providis fratribus venientium ad ordinem receptionem pro suis provinciis, de consilio fratrum committere discretorum; non tamen expedit converti volentes indifferenter admitti, sed illos tantum, qui suffragantibus eis litteratura, et aliis laudabilibus circumstantiis, possint utiles esse ordini, sibique per vitae meritum, et aliis proficere per exemplum. Sic vero ministri egressos ab ordine cum redierint, ad ipsum recipiant, et eiiciant in certis casibus, secundum terminationem vestri generalis capituli, iam receptos. Quamquam vero praedicta contineat regula, quod clerici faciant divinum officium secundum ordinem Sanctae Romanae Ecclesiae, excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breviaria: cum tamen divino intersunt officio, cum aliis celebrantes, tunc eis illud sufficit; et ad dicendum officium proprium non tenentur. Et licet in eadem regula sit prohibitum, ne fratres recipiant per se, vel per alios denarios, vel pecuniam ullo modo: possunt tamen, si rem sibi necessariam aut utilem velint emere, vel solutionem facere pro iam empta, vel nuntium eius, a quo res venditur, vel aliquem alium volentibus sibi eleemosynam facere; nisi eidem per se, vel per proprios nuntios solvere maluerint, praesentare: et taliter praesentatus a fratribus non est eorum nuntius, licet praesentetur ab ipsis, sed illius potius cuius auctoritate solutionem facit, seu recipientis eamdem: et ad ipsum (si soluto emptae rei pretio, de huiusmodi eleemosyna remaneat aliquid apud eum) possunt etiam fratres pro suis necessitatibus, vel commodis licite habere recursum. Si vero pro aliis fratrum necessitatibus aut commodis nominetur aliquis, vel praesentetur ab eis, potest ille commissam sibi eleemosynam, sicut dominus conservare, vel apud spiritualem, vel familiarem amicum fratrum nominatum vel non nominatum ab ipsis deponere, per eum loco et tempore, pro ipsorum necessitatibus, vel commodis, sicut fratres expedire viderint, dispensandam, seu etiam ad personam, vel loca alia transferendam: ad quos etiam fratres pro huiusmodi necessitatibus, seu commodis sana conscientia recurrere poterunt, maxime si negligentes fuerint, vel necessitates, aut incommoda ignoraverint eorumdem. Et taliter nominati vel praesentati a fratribus, non sunt eorum nuncii, seu depositarii, sed

De admittendis in ordine. (margin note)

De officio divino celebrando. (margin note)

Quomodo se gerere debeant in receptione pecuniarum. (margin note)

illorum a quibus pecunia, vel denarii committuntur; nec fratres per se, vel per interpositas personas, denarios, vel pecuniam recipiunt nominando aut praesentando si (1) aliquos, seu ad huiusmodi nominatos vel praesentatos taliter recurrendo; cum non sit intentionis eorum, ut de ipsorum auctoritate huiusmodi denarii, vel pecunia conserventur, aut ab eis nomine depositi exigantur, licet nunciis vel depositariis ipsis committantur pro necessitate, vel commodo eorumdem.

De cura infirmorum, et fratrum vestiario.

Et cum in dicta regula subiungatur, quod pro necessitatibus infirmorum, et aliis fratribus induendis, per amicos spirituales ministri tantum et custodes sollicitam curam gerant, debent alii fratres curam huiusmodi, quae praefatis ministris et custodibus ex regula praecipue incumbit, cum sibi ab illis commissa fuerit, gerere diligenter. Dicimus insuper,

Declaratur, usum rerum quarumlibet convenire fratribus omni secluso dominio etiam in communi:

quod cum in ipsa contineatur expresse, quod fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, nec in communi, neque in speciali debent proprietatem habere, sed locorum, et domorum, ac utensilium, et librorum et eorum mobilium, quae licet habere, ordo usum habeat: et fratres, secundum quod generalis, vel provincialis ministri disponendum duxerint, eis utantur. Nec vendi debent loca, domus, vel mobilia huiusmodi, seu extra ordinem commutari, aut alienari quoquo modo, a quibuscumque personis ad usum fratrum donata, vendita, permutata, seu quocumque iusto modo, vel translata sunt, vel fuerint, nisi Apostolica Sedes, vel Ecclesiae Romanae cardinalis, qui pro tempore fuerit ordinis gubernator, generali, seu provincialibus ministris auctoritatem super hoc praebuerit, vel assensum; cum tam immobilium, quam mobilium huiusmodi ius, proprietas et dominium (illis solis exceptis, in quibus expresse donatores seu translatores sibi proprietatem et dominium reservasse constiterit) nullo modo ad Ecclesiam ipsam spectent: cui domus et loca praedicta cum ecclesiis et caeteris suis pertinentiis (quae omnia in ius et proprietatem beati Petri suscipimus) omnino tam in spiritualibus, quam temporalibus immediate subesse noscuntur. De vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus liceat fratribus pietatis seu devotionis intuitu, vel pro alia honesta et rationabili causa (obtenta prius super hoc superiorum suorum licentia) extra ordinem aliis elargiri. Illud quoque regulae praedictae capitulum ubi dicit: Ut si qui fratrum, instigante humani generis inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad solos ministros provinciales, teneantur praedicti fratres ad eos recurrere, quam citius poterunt sine mora; ad manifesta tantum, et publica pertinet: possunt tamen iidem ministri pro fratrum laboribus, et periculosis discursibus evitandis, si expedire viderint, custodibus et aliis discretis fratribus presbyteris super iis committere vices suas. Volumus autem, ut ipsi ministri constituant, vel constitui faciant tot per provincias, quot ad hoc necessarios noverint de maturioribus et discretioribus fratribus sacerdotibus, qui super huiusmodi peccatis cum occulta, vel privata fuerint, audiant poenitentes, nisi ministris aut custodibus suis ad loca eorum declinantibus maluerint confiteri: at pro eo quod in regula dicitur, ut decedente generali ministro, a provincialibus ministris et custodibus in capitulo Pentecostes fiat electio successoris; dicimus, quod singularum provinciarum custodes unum ex se constituant, quem cum suo provinciali ministro pro ipsis ad capitulum dirigant, voces suas committentes eidem. Et cum iuxta regulae praefatae tenorem nulli fratrum liceat populo praedicare, nisi a ministro generali fuerit examinatus et approbatus, et sibi officium praedicationis ab ipso concessum potest idem minister vices suas ministris

Sed totale dominium ad Sedem Apostolicam spectare.

In publicis tantum et manifestis peccatis ad ministros recurrendum.

Institutio custodis custodum ad capitulum generale, qui vice aliorum suffragatur.

(1) Leg. fors. *eis*.

De institutione praedicatorum. provincialibus, et eorum vicariis committere in hac parte, ita tamen, ut ipsi provinciales, vel iidem vicarii in ipsorum provincialium absentia, una cum diffinitoribus, in provincialibus capitulis fratres suarum provinciarum, quos examinatione indigere credunt, examinent, approbent: eisque huiusmodi officium, prout secundum Deum viderint expedire, concedant. Si qui vero examinari non egent: pro eo quod in theologiae facultate, et praedicationis officio sunt instructi: si aetatis maturitas, et alia, quae requiruntur in talibus conveniant in eisdem, possunt de generalis, vel suorum provincialium ministrorum licentia, seu mandato, populo praedicare. Per id autem quod in eadem regula continetur, quod fratres non ingrediantur monasteria monacharum praeter illos, quibus a Sede Apostolica concessa fuerit licentia specialis; dicimus ingressum in monasteria tantummodo monialium inclusarum ordinis Sancti Damiani prohibitum fore ipsis: ad quae nemini licet ingredi, nisi ei a Sede Apostolica facultas super hoc specialiter tribuatur. Et nomine monasterii claustrum, domos, officinas interiores volumus comprehendi. Ad aliarum vero coenobia monialium possunt, sicut et alii religiosi, fratres illi ad praedicandum, vel petendum eleemosynam, aut pro aliis honestis et rationabilibus causis accedere ac intrare, quibus id a superioribus suis pro sua fuerit maturitate vel idoneitate concessum.

De ingressu monasteriorum monialium.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Lugduni decimo octavo kalendas decembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 14 novembris 1245, pontif. anno III.

X.

Privilegium abbatis monasterii Cistercien., et aliorum coabbatum ordinis Cisterciensis, succedendi in bonis monachorum, in quibus ipsi successissent, si in saeculo remansissent.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Cistercii, eiusque coabbatibus, et conventibus universis Cistercien. ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Devotionis vestrae precibus inclinati, auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut possessiones, et alia bona mobilia et immobilia (exceptis feudalibus), quae personas fratrum, ad monasteria vestra e saeculo fugientium, et professionem facientinm, in eisdem, si remansissent in saeculo, ratione successionis, vel quocumque alio iusto titulo contigissent, petere ac retinere libere valeatis, contraria consuetndine non obstante.

Nulli ergo *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Lugduni undecimo kalendas novembris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 22 octobris 1246, pontif. anno IV.

XI.

Canonizatio beati Eadmundi Cantuariensis archiepiscopi, cum institutione festivitatis pro die 16 novembris.

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. B. Eadmundi virtutes. — 3. Miraculis clarus. — 5. Sanctorum albo adscribitur. — 6. Eius celebranda festivitas die 16 novembris. — 7. Indulgentia eius sepulchrum visitantibus.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, praepositis, archipresbyteris, et aliis Ecclesiarum praelatis, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Novum matris Ecclesiae gaudium, novi Sancti celebritate, iucunde laeti referi- Prooemium.

mus. Grande a caelesti collegio, de collegae novi consortio, agi festum exultanti animo nunciamus. Gaudet quidem Ecclesia, se talem, ac tantum produxisse filium, qui alios sacrae conversationis exemplo dirigat, et percepto iam beatitudinis praemio, firmam spem eis tribuat de salute. Laetatur nimirum se tam clara sobole illustrata, quae digno ab omnibus attollenda praeconio, et devota veneratione colenda, manifeste declarat, ad haereditatis aeternae participium admittendos, qui ipsam matrem Ecclesiam fide ac opere profitentur, et nullos in supernam posse gloriam, nisi per eam, tamquam regni coelorum clavigeram, introire. Gaudet coelestis Patria nobilis habitatoris adventu, expertumque colonum fidei suis incolis noviter adunari. Exultant cives coelestes de celebris aggregatione concivis, de condigno coeli consorte nuper ipsis habito psallunt Sancti. Exurgite igitur et vos fidei zelatores, et una cum Ecclesia Matre nostra laetamini de magnificentia et exultatione confratris. Affluite gaudio, et spem tutam assumite de coindigena terrenorum, facto compatriota coelestium. Exultate ingenti laetitia, quod novellus vobis apud Deum patronus accrevit, qui adest coram ipso pro salute nostra placidus intercessor.

B. Eadmundi virtutes.

§ 1. En siquidem B. Eadmundus archiepiscopus Cantuariensis salubriter pensans, ad factorem suum facturam affectu dirigi naturali, naturamque collapsam reparatorem debere recognoscere, proprium Creatorem et Redemptorem suum affectuose ac studiose quaesivit. Rectae namque intentionis lumen baiulans, ad ipsum perfectorem operum processit gressibus salutis, semitam aliis et splendore vitae ac doctrinae claritate demonstrans. Unde horum trium, intentionis purae, perfecti operis, et recti sermonis dulci concordia, velut delectabili psallens tripudio, tribus hostibus, carne, mundo, daemone, virtute perseverantiae superatis, digne meruit, verae fidei, securae spei et fervidae charitatis ternario insignitus, summae Trinitatis arce, trino electorum, virginum scilicet, continentium, et coniugatorum ordine praeparata palma victoriae honorari.

§ 2. Etenim ut de suis actibus aliquid dicamus, licet ipsius vita, quo plenius exponitur, eo relatoris gustui plus dulcescat, magisque delectet animos auditorum; ab annis teneris Filium Dei tenere diligens, eum postmodum tenere corde non desiit, quia ipsum tenellae mentis tabulae stylo rectae considerationis inscripsit. Quinimo quanto maiori profecit aetate, tanto pleniori cognitione in amorem eius exarsit. Et ne fervor spiritus suae carnis extingueretur ardore, sed mortificatione potius accenderetur, ipsius assidui eam asperitate cilicii edomans, eius libitum, arctae abstinentiae nexibus alligavit, ut non suo ducta voto, sed spiritus voluntate, ad licita tute pergeret, et provide ab illicitis declinaret. Nam districtis corpus maceravit ieiuniis, antiquorum observantiae novorum austeritatem, quae sibimet ipse idem indixerat, superaddens, dum deliciosorum ciborum oblectatione despecta, refectione contentus humilium, communium ieiuniorum temporibus a permissis etiam elegit ieiunare cibariis, et certis insuper in hebdomada diebus amplius abstinere. Somni quoque prolixitatem odiens, diuturnis vacabat vigiliis, excussoque torpore, orationi sedulo insistebat. Cubilis enim spreta mollitie, ne requie delicata lentesceret, illam membris indulgebat iacendo quietem, ut brevi sopore refectus, protinus surgeret, seque genuflexionibus et orationibus diutius deputaret. Ab initio autem viarum suarum sic munde usque in finem incedere studuit, quod mundo vitato lubrico, in lutum non defluens voluptatis, munditiae nitore praefulsit. Quid amplius? contrivit fragile carnis vasculum, ut in eo thesaurum animae sibi creditum cautius conservaret. Doctor vero praeclarus, ac prae-

dicator eximius, et auditorum mentibus scientiae lumen infudit, et pectoribus fidelium (avulsis vitiorum tribulis) semina virtutum iniecit. Humilitate quippe sublimis, mansuetudine placidus, patientia fortis, benignitate affabilis, pietate condolens, misericordia ignoscens, et multiplici eleemosynarum irriguo in subventionem affluens egenorum. Et ut gestorum suorum multitudinem succincta relatione texamus, sic Iesum firma credulitate cognovit, et agnitum sincero corde dilexit, ac dilectum totis votis ambivit, quod mundo et eis quae in mundo sunt, penitus vilipensis, ad coelestia cunctis studiis inhiavit, satagens se suo nomini actibus coaptare, ut sicut vocabatur Eadmundus, sic se vel criminum labe mundum, vel e mundo abductum, seu extra mundi amplexus positum, operum testificatione probaret. Unde tamquam spiritualis homo, et mundus a carnis contagiis in extremis agens, et Corpus Christi sibi delatum reverenter adorans, haec verba omni attentione notanda, mira protulisse compunctione aperte monstratur: Tu es in quem credidi, quem praedicavi, quem docui. Et tu testis es mihi, quod nihil aliud, nisi te, Domine, in terra quaesivi. Sicut tu scis quod nihil volo, nisi quod tu vis, fiat voluntas tua.

Miraculis clarus.

§ 3. Verum cum vivens Dei Ecclesiam praeclaris illuminasset meritis, mortuus suae claritatis radios non subtraxit, sed quum functus hac vita verius viveret quam vixisset, eam postmodum illustravit fulgore luminis plenioris. Non enim voluit Dominus sanctitatem mundo supprimi tanti viri, quin, sicut pluralitate innotuerat meritorum, sic miraculorum diversitate pateret; ut qui tota ipsum devotione coluerat, iam secum regnans, venerabiliter coleretur. Nam caecis lumen restituit: et quod est gloriosius, de cuiusdam oculis innatae caecitatis tenebras infusi visus perspicuitate fugavit. Alii, cuius linguam natura diutina taciturnitate ligaverat, liberam loquendi tribuit, solvitque silentio, facultatem. Leprosam quamdam, squamis leprae mox decidentibus, subita et mirabili abstersione mundavit; tremula paralytici membra firmavit consolidatione nervorum, contractis artuum extensione subvenit, tumentem hydropisim corporis extenuatione curavit, et quamdam senilis aetatis veteri gibbo imis inflexam, restituit, erecta sursum eius facie, sanitati. His et aliis quamplurimis coruscavit miraculis manifestis, quorum seriem non duximus praesentibus inserendam. Convalescit ex ipsis fides catholica, iudaeorum pertinacia erubescit, confunditur haereticorum fallacia, et obstupescit ignorantia paganorum.

§ 4. Cantet itaque Cantuariensis Ecclesia laudis divinae canticum, quod inter alias modernis temporibus venerabilibus est decorata patronis, unius quidem rubricata martyrio, et confessione alterius candidata. Exultet pleno gaudio fertilis Cantuaria, quod ab Ecclesiae suae area tam purum granum transmittit ad horrea summi Regis. Laetetur et Pontiniacense monasterium, quod et talium, et tantorum Patrum meruit honorari praesentia, dum unus ibidem diu degens illud suae vitae moribus nobilitavit, et alter illuc accedens, ipsum, reddita coelo anima, sui corporis thesauro ditavit; ut quasi adimpleretur, quod ipse gloriosus martyr Thomas, videlicet post longam moram, quam exilii sui tempore in eodem continuavit monasterio, cum ipsis monacis de multa honorificentia charitative sibi ab eis exhibita, respondere iuxta voti sui plenitudinem non valeret, dixisse asseritur, quod esset sibi alius successurus, qui condignam ipsis retributionem responderet pro eadem. Porro quia, quos omnipotens Deus perpetuae corona gloriae in coelis magnificat, summae devotionis studio ab hominibus in terris convenit venerari (ut quo solemnius fideles Sanctorum colunt memoriam, eo dignius eorum patrocinium promerentur):

Sanctorum albo adscribitur.

§ 5. Nos de sanctitate vitae, ac veritate miraculorum eiusdem sancti Eadmundi, curiosae inquisitionis solemnitate, ac districti examinis discussione praemissis, plenariam certitudinem obtinentes, ipsum de communi fratrum nostrorum et praelatorum omnium tunc apud Apostolicam Sedem existentium consilio et assensu, in Dominica (1) de Adventu, qua cantatur: Gaudete in Domino semper; sanctorum cathalogo adscribendum, vel iam adscriptum duximus nunciandum.

Eius celebranda festivitas die 16 novembris.

§ 6. Ideoque universitatem vestram monemus, et exhortamur attente per apostolica scripta mandantes, quatenus decimosexto kalendas decembris (cum tunc felix ipsius anima de carnis liberata carcere, ad astra conscendens, aulam coelestem adiverit, Paradisi deliciis fruitura) festum eiusdem devote, ac solemniter celebretis, faciatisque vos fratres archiepiscopi et episcopi per vestras civitates et dioeceses a christifidelibus veneratione congrua celebrari, ut pio eius interventu, et hic ab imminentibus possitis periculis erui, et in futuro salutis praemium consequi sempiternae.

Indulgentia eius sepulchrum visitantibus.

§ 7. Caeterum ut ad venerabile eius sepulchrum ferventius et copiosius christiani populi confluat multitudo, ac celebrius eiusdem Sancti agatur solemnitas, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum, et quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis ad praedictum sepulchrum infra eiusdem festi octavas quadraginta dies de iniuncta sibi poenitentia relaxamus.

Datum Lugduni, tertio idus ianuarii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 11 ianuarii 1247, pontif. anno IV.

(1) III Adventus.

XII.

Confirmatio congregationis monachorum Sylvestrinorum in eremo Sancti Benedicti de Monte Fano mox institutae sub regula sancti Benedicti, et concessio gratiarum et exemptionum.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Eremum hanc sub protectione S. A. suscipit. — 2. Ordo monasticus ibi servari mandat. — 3. Bona omnia ei confirmat. — 4. Novalia eximit a decimis. — 5. Ad ordinem venientes recipiendi dat facultatem. — 6. Prohibitio transeundi ad alium ordinem non strictiorem. — 7. Indultum sacra operandi tempore interdicti. — 8. Sacramenta a dioecesano accipienda. — 9. Privilegiorum concessio. — 13. De prioris electione. — 15. Immunitatum confirmatio. — 16. Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori eremi de Monte Fano, eiusque fratribus, tam praesentibus, quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Religiosam vitam eligentibus, apostolicum convenit adhibere praesidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacrae religionis infringat. Exordium.

Eremum hanc sub protectione S. A. suscipit.

§ 1. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et eremum Sancti Benedicti de Monte Fano Camerinensis dioecesis, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Ordo monasticus ibi servari mandat.

§ 2. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eadem eremo institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Bona omnia ei confirmat.

§ 3. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona eadem eremus in praesentiarum iuste ac canonice pos-

sidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec duximus propriis exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo praefata eremus sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam Cryptae Focilis cum pertinentiis suis. Ecclesiam Sancti Bonifilii cum pertinentiis suis. Ecclesiam de Ripa Alta cum pertinentiis suis, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis et pascuis, in boscho et plano, in aquis et molendinis, viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis.

Novalia eximit a decimis.

§ 4. Sane novalium vestrorum, quae propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat.

Ad ordinem venientes recipiendi dat facultatem.

§ 5. Liceat quoque vobis, clericos vel laicos, liberos et absolutos, e saeculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere.

Prohibitio transeundi ad alium ordinem non strictiorem

§ 6. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eremo vestra professionem, fas sit, sine prioris sui licentia, de eodem loco discedere, nisi arctioris religionis obtentu. Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere.

Indultum sacris operandi tempore interdicti

§ 7. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicti.

Sacramenta a dioecesano recipienda.

§ 8. Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, a dioecesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et gratiam et communionem Apostolicae Sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere.

Privilegiorum concessio.

§ 9. Prohibemus insuper, ut intra fines parochiae vestrae nullus sine assensu dioecesani episcopi, et vestro, cappellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum.

§ 10. Ad haec, novas et indebitas exactiones ab archiepiscopis et episcopis, archidiaconis, seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis, saecularibusve personis, a vobis omnibus fieri prohibemus.

§ 11. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, et extremae voluntati, qui se in illis sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publice usurarii, nullus obsistat. Salva tamen iustitia aliarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

§ 12. Decimas praeterea, et possessiones, ad ius Ecclesiarum vestrarum spectantes, quae a laicis detinentur, redimendi, et legitime liberandi de manibus eorum, et ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi libera sit vobis de nostra auctoritate facultas.

De prioris electione.

§ 13. Obeunte vero te nunc eiusdem loci priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum maior pars consilii sanioris, secundum Deum et beati Benedicti regulam providerint eligendum.

§ 14. Paci quoque, et tranquillitati vestrae, paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut intra clausuras locorum seu granciarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere.

Immunitatum confirmatio.

§ 15. Praeterea omnes libertates et immunitates a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus eremo vestrae concessas, necnon libertates et exemptiones

saecularium exaationum, a regibus et principibus, vel aliis fidelibus, rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Clausulae. § 16. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam eremum temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salva Sedis Apostolicae auctoritate, et dioecesani episcopi canonica iustitia.

§ 17. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni.

§ 18. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus, et hic fructus bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Notas mihi fac Domine vias vitae.

Ego Innocentius catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

† Ego Petrus Albanen. episcopus subscripsi.

† Ego Petrus tit. S. Marcelli presbyter card. subscripsi.

† Ego Wiglelmus basilicae Duodecim Apostolorum presbyter card. subscripsi.

† Ego frater Ioannes tit. S. Laurentii in Lucina presbyter card. subscripsi.

† Ego Ioannes tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus card. subscripsi.

† Ego Wiglelmus tituli S. Eustachii diaconus card. subscripsi.

Datum Lugduni per manum magistri Martini S. R. E. vicecancellarii, quinto kalendas iulii, indictione sexta, incarnationis dominicae MCCXLVII, pontificatus vero domini Innocentii Papae quarti anno quinto.

Dat. die 27 iunii 1247, pontif. anno v.

XIII.

Traditur norma vivendi monialibus ordinis Sancti Damiani, quae cum suis monasteriis regimini et obedientiae ministrorum ordinis Sancti Francisci subiiciuntur (1).

SUMMARIUM

Religiosus regulam observare debet, quam profitetur. — Innocentius regulam hisce monialibus praescribit. — Regula. — Clausura perpetuo servanda. — Defunctae intra claustrum tumulandae. — Praemittenda in recipiendis. — Forma professionis. — Modus divina persolvendi: — Aut studio aut labori satagendum. — In locutoriis, quae cautela servanda. — De silentio: — Et ieiunio servando. — De infirmis. — Forma indumentorum. — Dormitorii designatio. — Omnibus in monasterio interdictus ingressus. — Cappellani conditiones et munia. — De crate. — Fenestella pro communione. — Visitator se quomodo debeat gerere. — Ei nil occultandum, quod ad monasterium pertineat. — Defectus corrigendi. — Soli ministri, vel eorum commissarii possunt moniales visitare. — Unum tantum ostium in monasterio, et quomodo custodiendum. — Rota facienda cum praescriptis conditionibus. — Locutorium quomodo construendum. — Sororum servientium qualitates. — Quomodo se debeant gerere extra claustra. — Licet monialibus in communi redditus et possessiones recipere. — Procuratoris facultates. — Monasterii cura Minoritis demandatur. — Abbatis electio ad conventum, confirmatio ad ministros Minoritarum pertinet. — Nul-

(1) Ex Waddingo nov. edit., tom. III, pag. 482.

lum monasterium absque licentia capituli generalis aedificandum. — Conversorum servientium habitus. — Capellanus et conversi visitatori subiecti. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis abbatissis et monialibus ordinis Sancti Damiani.

Religiosus regulam observare debet, quam profitetur.

Cum omnis vera religio, et vitae institutio approbata certis constet regulis et mensuris, certis etiam constet legibus disciplinae, quisquis religiosam ducere vitam cupit, nisi certam atque rectam conversationis suae regulam, disciplinamque vivendi observare studuerit diligenter, eo ipso a rectitudine deviat, quo rectitudinis lineas non observat, et ibi deficiendi incurrit periculum, ubi per discretionis virtutem certum ac stabile proficiendi collocare neglexerit fundamentum.

Innocentius regulam hisce monialibus praescribit.

Quapropter, dilectae in Domino filiae, quia divina vobis gratia inspirante per arduam viam et arctam, quae ad vitam ducit, incedere, et vitam pauperem ducere pro aeternis lucrandis divitiis elegistis, vestris piis precibus inclinati, B. Francisci regulam quantum ad tria tantum, videlicet obedientiam, abdicationem proprii in speciali, et perpetuam castitatem, necnon formam vivendi praesentibus annotatam, secundum quam specialiter vivere decrevistis, vobis, et iis, quae vobis successerint concedimus observandam; auctoritate apostolica statuentes, ut in singulis monasteriis vestri ordinis perpetuis temporibus observetur. Quae talis est.

Regula.

Omnes itaque, quae saeculi vanitate relicta, religionem vestram assumere voluerint et tenere: hanc eos legem vitae et disciplinae oportet et convenit observare vivendo in obedientia sine proprio, et in castitate. Omni namque tempore vitae suae hanc vitam profitentes clausae manere debent, et postquam claustrum huius religionis intraverint aliquae, et professae fuerint hanc regularem observantiam promittentes, nulla eis conceditur licentia vel facultas inde ulterius exeundi, nisi forte causa plantandi vel aedificandi eamdem religionem, vel reformandi aliquod monasterium, seu causa regiminis vel correctionis, seu alicuius gravis dispendii devitandi per licentiam generalis ministri ordinis fratrum Minorum, seu provincialis illius provinciae eiusdem ordinis, in qua monasterium situm fuerit, ad aliquem locum aliquae transmittantur. Pro alia etiam, et rationabili causa interdum transferri possint de supradicti dumtaxat licentia generalis.

Clausura perpetuo servanda.

Defunctae intra claustrum tumulandae.

Morientes vero tam sorores, quam servientes, infra claustrum, prout convenit, tumulentur. Omnibus autem hanc regulam assumere cupientibus, et quae fuerint admittendae, priusquam habitum mutent, et religionem assumant, dura eis et aspera praedicentur, per quae itur ad Deum, et quae secundum hanc religionem necesse habuerint firmiter observare, ne de ignorantia postea se excusent. Non recipiatur aliqua, quae vel longiori aetate vel infirmitate aliqua, seu fatua simplicitate ad huius vitae observantiam minus sufficiens et idonea comprobetur. Per tales enim status et vigor religionis saepius dissolvitur et turbatur. Unde in personis recipiendis diligenti studio et cauthela huiusmodi debet occasio devitari, etiamsi cum aliqua, aliquando causa rationabili exigente, alicubi forte fuerit dispensandum. Omnes vero ex more intra claustrum receptae, si aetatis intelligibilis fuerint, citius deponant habitum saecularem, et infra paucos dies habitum regularem suscipiant, quibus deputetur magistra, quae ipsas informet regularibus disciplinis, et completo unius anni spatio, professionem faciant in hunc modum: Ego talis soror promitto Deo, et beatae Mariae semper Virgini, beato Francisco, et omnibus Sanctis servare perpetuam obedientiam, secundum regulam et formam vivendi a Sede Apostolica ordini nostro traditam, vivendo toto tempore vitae meæ sine proprio, et in

Praemittenda in recipiendis.

Forma professionis.

castitate. Quod etiam de servientibus firmiter modo simili observetur. De divino Officio tam in die, quam in nocte Domino persolvendo taliter observetur, quod eæ, quae legere et canere noverint secundum consuetudinem ordinis fratrum Minorum, cum gravitate tamen et modestia, Officium debeant celebrare; illiteratae vero dicant viginti *Pater noster* pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta et Nona, pro qualibet istarum horarum septem, pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem, qui modus per omnia in Officio Beatae Mariae Virginis observetur, et orent pro defunctis. Quod si iuvenculae aliquae, vel etiam grandiores, capaces ingenii et humiles fuerint, si abbatissae visum fuerit, faciat eas litteras edoceri, magistram eis deputans idoneam et discretam; sorores vero horis statutis, prout ordinatum fuerit, utilibus et honestis laboribus occupentur. Silentium vero continuum, sic continue ab omnibus teneatur, ut nec sibi invicem, nec alicui alii sine licentia eis loqui liceat. Attendat tamen sollicite abbatissa ubi, quomodo, et qualiter sororibus loquendi licentiam largiatur, omnes autem uti studeant signis religiosis pariter et honestis. Sane quando aliqua persona religiosa, vel saecularis, vel cuiuslibet dignitatis loqui petierit alicui sororum, nuncietur prius abbatissae, et si ipsa concesserit, accedens ad locutorium duas alias ad minus habeat semper secum, quibus iusserit dicta abbatissa, quae loquentem videant, et audire valeant quae dicuntur. Hoc namque firmiter observetur ab omnibus, ut quando de confessione sacerdoti interius infirma fuerit aliqua locutura, non loquatur nisi ad minus duabus non longe sedentibus, quae confitentem et confessorem videre possint, ab eisdem pariter et videri. Hanc autem loquendi legem, et ipsa abbatissa diligenter custodiat, ut omnis omnino materia detractionis omnibus auferatur. Excepto quod cum sororibus horis et locis

Modus divina persolvendi.

Aut studio aut labori satagendum.

In locutoriis, quae cautela servanda.

De silentio

competentibus loqui potest, sicut ei secundum Deum visum fuerit expedire. Sorores vero infirmae et servientes, eisdem iuxta dispositionem abbatissae, infirmitatis suae tempore in infirmitorio loqui possunt. Sorores autem et servientes a festo Exaltationis Sanctae Crucis usque ad festum Resurrectionis Dominicae continuum servent ieiunium, diebus dominicis, Beati Michaelis, Beati Francisci, Omnium Sanctorum, Nativitatis Domini, cum duobus immediate sequentibus diebus, necnon Epiphaniae et Purificationis exceptis. Verum a Resurrectione Dominica, usque ad Exaltationem Sanctae Crucis, nisi sexta feria et ieiuniis statutis universaliter ab Ecclesia ieiunare minime teneantur. Vino quoque, et piscibus, ovis, caseo et lacticiniis aliisque pulmentis licite possint uti. Ab Adventu tamen, usque ad Nativitatem Domini, maiori Quadragesima, necnon et sexta feria, ac aliis ieiuniis generaliter ab Ecclesia institutis, ovis, caseo, caeterisque lacticiniis non utantur. Cum servientibus tamen sororibus circa ieiunium, praeterquam in Adventu et Quadragesima maiori, et sexta Feria, ac aliis ieiuniis generaliter ab Ecclesia institutis, possit abbatissa misericorditer dispensare. Praefatam autem ieiunii et abstinentiae legem adolescentulae infra decimum quartum annum, vel anus seu debiles observare minime teneantur, quibus secundum eorum imbecillitatem, tam in carnibus, quam in necessariis aliis possit misericorditer provideri. Sane quoque ieiunare non tenentur minutionis suae tempore, extra maiorem quadragesimam, et sextam feriam Adventus Domini, et ieiunia ab Ecclesia generaliter instituta; caveat tamen abbatissa ne ultra quater in anno minutionem permittat communiter celebrari, nisi manifesta necessitas plus requirat, nec a persona extranea maxime vero minutionem accipiant aliqua ratione ubi commode poterit evitari. De

Et ieiunio servando.

De infirmis; infirmis vero cura et maxima diligentia habeatur, et secundum quod possibile fuerit et decreverit, tam in cibariis, quae earum requirit infirmitas, quam in aliis etiam necessariis in fervore charitatis benigne, ac sollicite eis per omnia serviatur. Quae vero infirmae proprium habeant locum, si unquam fieri potest, ubi a sanis maneant separatae, ne illarum ordinem et quietem confundere valeant vel turbare. Unaquaeque soror, praeter cilicium, vel stamineam, si habuerit duas tunicas, vel etiam plures, secundum quod visum fuerit abbatissae, habere valeat et mantellum longitudinis et latitudinis congruentis, et haec indumenta sint de panno vili tam pretio, quam colore, iuxta diversarum consuetudinem regionum. Pro cingulo autem chordam habeant, exceptis sororibus servientibus, quae cingulum portent laneum et non chordam. Habeant et scapularia sine capucio de levi et religioso panno, vel staminea amplitudinis et longitudinis congruentis, sicut unius cuiusque qualitas exigit, vel mensura, quibus induantur cum laborant, vel aliquid tale agunt, quod pallia congrue gestare non possunt. Si tamen illae simul habere voluerint cum mantellis, vel etiam iacere cum illis minime prohibentur: possunt et sine ipsis aliquando esse, si visum fuerit abbatissae, cum forte propter calorem nimium, vel aliquid aliud eis gravia multum fuerint ad portandum. Vittis, aut peplis omnino albis, non tamen cunosis, capita sua cooperiant uniformiter et honeste, ita quod frons, genae et collum sint, ut convenit, cooperta, nec aliter coram extraneis personis audeant apparere. Habeant et nigrum velum extensum super capita, ita amplum et longum, quod ex unaquaque parte descendat usque ad scapulas, et retro parvum ultra tunicae caputium protendatur. Sorores vero novitiae album velum tantum eiusdem mensurae debeant deportare. Servientes autem sorores pannum lineum album ad modum tunicae super capita sua deferant tantae longitudinis et amplitudinis, quod ipsas scapulas, atque pectus, praecipue cum exeunt, valeant operire. Omnes sorores sanae, tam abbatissa, quam aliae iacere in communi dormitorio teneantur, et quaelibet lectum per se habeat ab invicem separatum; lectus tamen abbatissae in tali loco dormitorii disponatur, quod in caeteros dormitorii lectos sine obstaculo, si possibile est, valeat intueri. Liceat autem unicuique habere sacconem de palea, vel de foeno, et cervical cum panno lineo superposito, quod de foeno, seu palea, aut lana, seu etiam pluma esse poterit, iuxta quod abbatissa iudicaverit faciendum. Habeant etiam honesta coopertoria lanea, sive cultras religiosas, cum lanea habere nequiverint; congruenter lampas insuper de nocte accensa, semper in medio dormitorii habeatur. Capillos suos tondeant usque ad aures certis temporibus communiter, nec aliqua de caetero tonsuretur, nisi evidenti infirmitate corporis exigente. De ingressu personarum in monasterium firmiter et districte praecipimus, ut nulla unquam abbatissa, vel eius sorores aliquam personam religiosam, seu saecularem, aut cuiuslibet dignitatis in monasterio intrare permittant; nec omnino hoc alicui liceat, nisi cui et de quibus concessum fuerit a Sede Apostolica, vel a generali, seu provincialibus ordinis fratrum Minorum, in quorum provinciis monasteria ipsa consistunt. Excipiuntur autem a dicta ingrediendi lege medicus et minutor causa multum gravis infirmitatis, qui non absque duobus sociis honestis de familia monasterii introducantur, expedito negotio huiusmodi celeriter egressuri, nec ab invicem intra monasterium separentur; necnon illi, quos occasione incendii, vel ruinae, seu alterius periculi, vel dispendii, seu pro tuendis a violentia quorumlibet monasterio, vel personis, aut pro aliquo opere exercendo, quod commode extra monasterium fieri non potest, ne-

Marginalia: Forma indumentorum. — Dormitorii designatio. — Omnibus in monasterio interdictus ingressus.

cessitas exegerit introire. Nulli tamen extraneae personae intra monasterii claustrum liceat comedere vel dormire; sed et si quis de cardinalibus ad aliquod monasterium huius religionis venerit, et in illud voluerit ingredi, cum reverentia quidem, et devotione suscipiatur, ut cum uno vel duobus de honestioribus quidem sociis debeat introire; duobus vel tribus tantum religiosis et honestis sociis sit contentus. Quod si forte pro benedictione vel consecratione sororum, vel alio etiam modo concessum alicui episcopo fuerit Missam interius aliquando celebrare, quam paucioribus et honestioribus potuerit, contentus sit ministris, et hoc ipsum rarius alicui concedatur. Nulla tamen omnino loquatur cum aliquo, nisi praefato modo sive infirma fuerit, sive sana: illud sane praecipue caveatur, ut ii, quibus aliquando fuerit concedendum in monasterium ingredi, tales sint, de quorum verbis et moribus, necnon vita et habitu aedificari valeant intuentes, et materia iusti scandali exinde nequeat generari. Ubi vero proprius fuerit cappellanus, habitu et vita religiosus sit, ac bonae famae, nec multum iuvenis, necnon idoneae sit aetatis. Qui cappellanus, cum aliqua sororum, gravi corporis infirmitate detenta, visa fuerit tendere ad extrema, et necesse habuerit confiteri, vel Domini Corporis accipere sacramenta, alba stola et manipulo ingrediatur indutus, et audita confessione, vel Dominici Corporis tradito sacramento, sic indutus, ut ingressus est, exeat, nec moram ibi faciat longiorem. Caveant etiam, ut quamdiu intra monasterium fuerint, nullatenus ab invicem separentur, quin semper mutuo possint libere se videre, sic se etiam habeat in animae commendatione. Porro ad exequias circa sepulturam agendas non ingrediatur claustrum, sed exterius in cappella, quae ad illud officium pertinet, exequatur; tamen si abbatissae visum fuerit, quod ad exequias debeat introire, modo suprascripto indutus intret, et sepulta mortua exeat sine aliqua mora. Si autem necesse fuerit, ut ad aperiendam, seu praeparandam sepulturam, seu certe postmodum coaptandam ingrediatur, sit ei, vel alicui alii ad hoc idoneo et honesto licitum introire; aliter vero monasterium ingredi non praesumat, sed cum aliqua sibi de confessione loqui voluerit, per locutorium eam audiat et per illud eidem ipse loquatur. Quae vero proprium non habuerit cappellanum, a quolibet bonae famae et honestae vitae presbytero missam audire possunt. Poenitentiam autem, atque Dominici Corporis sacramenta tantum a fratribus ordinis Minorum dumtaxat recipiant, nisi in periculosae necessitatis articulo aliqua constituta pro his habere copiam fratrum nequiverit praedictorum. Volumus etiam, ut in muro, qui sorores dividit a cappella, congruentis formae cratis ferrea collocetur, cui crati pannus lineus niger interius taliter apponatur, ut nulla inde valeat exterius aliquid intueri; habeat et ostia lignea, ex parte sororum cum seris ferreis, atque clavi, ut maneant semper clausa pariter, et firmata, et non aperiantur, nisi cum divinum celebratur Officium, vel ad audiendum aliquando verbum Dei, proponendum sibi exterius in cappella per idoneam et honestam personam, et nemo alias per dictam cratem loquatur, nisi forte aliquando causa rationabili, vel necessaria exigente, alicui raro fuerit concedendum. Et quandocumque aliquam personam extraneam ad eas ingredi, vel alias per cratem eis loqui contigerit, tegant facies suas cum modestia et inclinent, prout religionis convenit honestati. Pro communione autem certis temporibus recipienda, ubi necesse fuerit, fenestra parvula fiat cum ostiolo de lamina ferrea, sera et clave semper firmata, per quam calix possit dari congrue, et ministrari Dominici Corporis sacramentum, et tantum distet a terra, quod sacerdos commode illud ministerium inde valeat exhibere. De visitatore huius religionis.

Cappellani conditiones et munia.

De crate.

De fenestella pro communione.

Quomodo se gerere debeat visitator.

illud est sollicite providendum, ut quicumque, vel generalis, vel etiam alicubi aliquando specialis constituendus fuerit visitator, talis debet constitui, de cuius religiosa vita et moribus atque fide notitia plena et securitas habeatur, qui cum ad monasterium aliquod veniens fuerit introgressus, sic se per omnia exhibeat et ostendat, ut de bono ad melius provocet, et ad Dei amorem et inter se mutuam charitatem semper inflammet pariter et accendat; et quando monasterii claustra ad visitandum intraverit, duos religiosos et idoneos socios secum ducat, qui videlicet socii simul maneant et dum fuerint intra claustrum ab invicem nullatenus separentur. Sane de sororum statu et observantia suae religionis ab omnibus generaliter et specialiter a singulis inquirat studiosus veritatem, et ubi aliquid reformandum vel corrigendum invenerit, zelo charitatis, et amore iustitiae cum discretione corrigat et reformet, tam in capite, quam in membris, sicut melius viderit expedire. Modum autem loquendi custodiat suprascriptum, ut videlicet, aut cum omnibus, aut cum pluribus simul loquatur, vel secrete cum una, aliis tamen ad minus duabus in aspectu eius non longe sedentibus, ut per omnia bonae famae integritas conservetur, nisi ad locutorium cum una, vel pluribus loqui voluerit de iis, quae ad officium suum pertinere noscuntur. Caveat autem abbatissa, ne a se, vel ab aliis sororibus status sui monasterii visitatori aliquatenus abscondatur, quia malum esset inditium, et offensa graviter punienda: imo volumus et mandamus, ut ei quae secundum vitae suae formam statuenda, vel emendanda fuerint, publice ac privatim sicut melius fuerit faciendum, visitatori diligenter suggerant et proponant, cui teneantur in omnibus firmiter obedire. Quae autem aliter fecerint, a visitatore, tam abbatissa, quam aliae, digne, prout convenit, puniantur: similiter, et cappellanus si in aliquo reprehensibilis fuerit, in quo convenienter non possit, nec debeat supportari, monitione praemissa, a visitatore modeste et rationabiliter, sicut decuerit, corrigatur. Si vero noluerit, vel contempserit emendare, a monasterio per eumdem removeatur omnino. Statuimus insuper, quod generalis et provincialis ministri dicti ordinis dumtaxat per se, vel per alios idoneos suos fratres in generali capitulo deputatos ab ipsis, vobis tam in capite, quam in membris officium visitationis impendant; possint tamen generalis et provincialis praefati in provinciis suis ex causa, specialem visitatorem interdum de fratribus sibi commissis ad hoc idoneum destinare, iuxta formam ab universitate ministrorum traditam in capitulo generali. In quolibet monasterio unum tantum ostium habeatur ad intrandum claustrum, et exeundum cum oportuerit, iuxta legem de ingressu et egressu positam in hac forma, et istud ostium fiat in sublimi quanto magis fieri potuerit congruenter, ita quod ad ipsum per scalam levatoriam exterius ascendatur, quae scala per catenam ferream ex parte sororum studiose ligatam a Completorio dicto usque ad Primam diei sequentis continue sit suspensa, et tempore diurnae dormitionis et visitationis, nisi aliud interdum evidens requirat necessitas vel utilitas manifesta. Ad praefatum autem ostium custodiendum aliqua talis ex sororibus deputetur, quae omnino Deum timeat, quae sit matura moribus, sit diligens et discreta, sitque convenientis aetatis, quae unam ipsius ostii clavem sic diligenter custodiat, ut numquam ea, vel eius socia ignorante, ostium aliquando valeat aperiri: reliquam vero clavem diversam ab alia custodiat abbatissa, sit et alia aeque idonea ei socia deputata, quae eius vicem in omnibus exequatur cum ipsa aliqua rationabili causa, vel occupatione necessaria occupata fuerit et detenta. Caveant autem studiosissime, et procurent, ne unquam ostium sit aper-

Et nil occultandum, quod ad monasterium pertineat.

Defectus corrigendi.

Soli ministri, vel eorum commissarii possunt moniales visitare.

Unum tantum ostium in monasterio, et quomodo custodiendum.

tum, nisi tantum, quantum minus fieri poterit congruentes. Sit autem ostium seris ferreis, cum valvis et repagulis optime communitum et sine custodia apertum minime dimittatur, nec etiam clausum nisi una clave in die, et in nocte duabus sit firmiter obseratum, nec omni pulsanti aperiatur statim, nisi prius indubitanter cognoverit, quod talis sit, cui sine dubitatione aliqua secundum mandatum, quod in eadem forma de ingressuris superius continetur, debeat aperiri. Quod si aliquando intra monasterium opus aliquod fuerit faciendum, ad quod agendum saeculares aliquos, vel quascumque personas alias oporteat introire, provideat abbatissa sollicite, ut tunc, dum opus scilicet exercetur, aliqua alia persona conveniens ad custodiendum ostium statuatur, quae sic personis ad opus deputatis aperiat, quod alias intrare non permittat. Nam sorores ipsae, et tunc et semper quantumcumque rationabiliter praevalent, studiosissime caveant, ne a saecularibus, vel a personis extraneis videantur. Caeterum cum praefatum ostium pro aliis aperiri nolumus, nisi pro illis tantum, quae per rotam, vel aliunde decenter nequeunt expediri, mandamus quatenus, quod in singulis monasteriis in loco competenti rota una fortis fieri debeat latitudinis et altitudinis, per quam necessaria tam intus, quam exterius ministrentur, et taliter disponatur, quod per eam nec intus, nec extra valeat aliquis intueri. Ex utraque etiam parte ostiolum fiat validum, quod de nocte et in aestate, tempore dormitionis, seris et clavibus ferreis clausum et firmatum debeat permanere. Ad cuius custodiam pro expediendis necessariis per eamdem unam sororem discretam, securam et maturam tam moribus, quam aetate, quae monasterii diligat honestatem, constituat abbatissa, cui soli, vel deputatae sibi sociae, cum congrue non potuerit interesse, loqui ibidem et respondere liceat super iis, quae ad suum officium pertinebunt. Locutorium autem commune in cappella, vel potius in claustro, ubi commodius et honestius fieri poterit, disponatur, ne, si forte fieret in cappella, pacem orantium inquietet. Ipsum vero locutorium sit congruae quantitatis, velamina ferrea subtiliter perforata et taliter clavibus fortibus coaptata, quod nunquam valeat aperiri, cui pannus niger lineus interius taliter apponatur, quod ipsae videre extra non valeant, nec videri. Ad istud locutorium a Completorio, quod dici debet tempore competenti, usque post ad Primam diei sequentis, seu tempore comestionis, vel dormitionis in aestate, aut quando officium celebratur, nisi pro causa adeo rationabili, vel necessaria, quae commode differri non possit, nulli licitum erit loqui. Quandocumque vero in concessis temporibus aliquam, vel aliquem habuerit, ubi loqui, cum modestia et maturitate loquentes, breviter se expediant, prout decet. De servientibus sororibus, quae semper manere clausae sicut aliae non tenentur, districtius volumus observari, ut sine licentia nulla claustrum ingrediatur, et quae emittant honestae sint et convenientis aetatis, et calceamentis, tam ipsae, quam sorores illae, quas aliquando emitti contigerit, pro casibus suprascriptis calceatae incedant: caeteris autem intus manentibus, si voluerint, liceat istud idem. Egredientibus vero assignetur certus terminus redeundi. Nec alicui ipsarum conceditur extra monasterium sine speciali licentia comedere, bibere, vel dormire, nec ab invicem separari, vel alicui in secreto, seu cappellani monasterii, aut conversorum, vel fratrum ibidem morantium domicilium introire, quod si aliqua contrarium fecerit, graviter puniatur. Et sollicite caveant, ne ad loca suspecta divertant, vel cum personis malae famae familiaritatem habeant, nec in suo reditu saecularia, vel inutilia sororibus referant, quae dissolvi valeant, vel turbari, vel quamdiu extra fuerint taliter studeant se habere, quod

Rota facienda cum praescriptis conditionibus.

Locutorium quomodo construendum.

Sororum servientium qualitates.

Quomodo se debeant gerere extra clausura.

de conversatione honesta ipsarum aedificari valeant intuentes, et quidquid eis datum fuerit, vel promissum, resignent et renuncient abbatissae, vel aliae, cui haec commiserit vices suas. Ad haec liceat vobis in communi redditus, et possessiones recipere et habere, ac ea libere retinere, pro quibus possessionibus modo debito pertractandis procurator unus prudens pariter et fidelis in singulis monasteriis vestri ordinis habeatur quandocumque expedire videbitur, qui per visitatorem constitui et amoveri debeat, sicut viderit expedire. Hic vero taliter constitutus de omnibus sibi commissis, receptis pariter, et expensis, abbatissae et tribus aliis sororibus ad hoc specialiter assignatis, et visitatori, cum voluerit, rationem reddere teneatur, et nihil omnino de rebus monasterii vendere, commutare, obligare, vel alienare quoquo modo valeat, nisi de licentia abbatissae pariter, et conventus, et quidquid contra hoc fuerit attentatum irritum decernimus et inane. Possit tamen de mobilibus parum valentibus aliqua parva ex causa licita interdum aliis elargiri. Verum ne ab observatione praesentis formulae breviter suprascriptae, quam uniformiter ubique ab omnibus volumus et mandamus diligentius observari, pro defectu certi regiminis in posterum recedere vos contingat, aut sub diversorum magisterio vivendi modos incurrere differentes: Dilectis filiis generali et provincialibus ministris ordinis fratrum Minorum curam vestri et omnium monasteriorum vestri ordinis plene in omnibus praesentium auctoritate committimus. Statuentes, ut sub eorum et aliquorum, qui pro tempore ministri fuerint, obedientia, regimine et doctrina debeatis de caetero permanere, quibus teneamini firmiter obedire. Et ipsi animarum vestrarum sollicitudinem gerentes, et curam eisdem monasteriis per se, vel per alios fratres suos ad hoc idoneos, secundum formam praetactam deputatos ab ipsis quotiens expedire viderint, visitationis officium impendere studeant, corrigendo et reformando ibidem, tam in capite quam in membris, quae correctionis, seu reformationis officio noverint indigere. Instituant nihilominus et destituant, mutent et ordinent, prout secundum Deum viderint expedire. Electio tamen abbatissae libere pertineat ad conventum. Confirmatio vero ipsius, et infirmatio fiant per generalem ministrum, si aderit in provincia, et in eius absentia per provincialem illius provinciae, in qua monasterium fuerit constructum. Confessiones vestras audiant et ministrent vobis ecclesiastica sacramenta. Et ne pro eo, quod in vestris monasteriis fratres dicti ordinis residere non tenentur, pro defectu sacerdotis possit periculum imminere, ad confessiones vestras in necessitatis articulo audiendas et ministranda sacramenta praetacta, necnon divina officia celebranda deputent aliquos discretos et providos cappellanos. Nec aliquod monasterium vestri ordinis de caetero ab aliquo inchoetur sine capituli generalis ordinis memorati licentia et assensu. Cappellanus et conversi secundum dispositionem visitatoris promittant obedientiam abbatissae, voventes loci stabilitatem, et perpetuo vivere sine proprio et in castitate: liceat tamen visitatori tam cappellanum et servientes sorores, quam conversos pro evidenti necessitate, aut manifesta utilitate, de uno monasterio ad aliud transmutare, ieiunium servare debeant ut sorores: licet tamen abbatissae super hoc cum eis aestus, vel itineris, vel laboris alterius, seu alia quavis rationabili causa misericorditer dispensare. Tunicas de vili panno, iuxta eorum indigentiam habere valeant sine caputio, quarum manicae sint breves et strictae tantummodo circa manus: longitudo autem tunicarum sit talis, quod a cavilla pedum distent spatio quatuor digitorum. Pro cingulo vero corrigiam honestam habeant cum cultello, caparonem etiam super tunicas portent, cuius longi-

Margin notes: Liceat monialibus in communi redditus et possessiones recipere. — Procuratoris facultates. — Monasteriorum cura Minoritis demandatur. — Abbatis electio ad conventum, confirmatio ad ministros Minoritarum pertinet. — Nullum monasterium absque licentia capituli generalis aedificandum. — Conversorum servientium habitus.

tudo genu aliquantulum transeat, et amplitudo usque ad cubitos protendatur. Minoris tamen latitudinis caparonem, si voluerit, habere poterit cappellanus, qui cappa etiam honesta uti poterit cum fuerit opportunum. Calceamenta cum caligis et braccis ampla et alta habeant et ante fissa, et idem Officium faciant conversi, quod superius de sororibus nescientes litteras est expressum, excepto quod ad officium Beatae Virginis minime teneantur. Informationi etiam, et correctioni visitatoris conversi et capellanus per omnia sint subiecti, cui teneantur firmiter obedire.

Capellanus et conversi visitatori subiecti.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae concessionis et constitutionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausula.

Datum Lugduni, octavo idus augusti, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 6 augusti 1247, pontif. anno v.

XIV.

Declaratio et mitigatio regulae fratrum ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, ab Honorio Tertio hactenus approbatae.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Mitigationem regulae approbat. — 3. Tenor mitigationis.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori, et fratribus Eremitis ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quae honorem Conditoris omnium, et profectum continent animarum, roboris praesidio sunt fulcienda perpetui: sed illa praecipue, super quae Apostolicae Sedis auctoritas salubris providentiae studium noscitur habuisse.

Exordium.

§ 1. Cum itaque nos ad vestrae supplicationis instantiam, per dilectum filium Hugonem tituli Sanctae Sabinae presbyterum cardinalem, et venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Anteradensem episcopum, quaedam regulae vestrae dubia declarari et corrigi, ac etiam quaedam ipsius gravia misericorditer fecerimus mitigari, prout in litteris inde confectis plenius continetur; nos vestris piis desideriis annuentes, declarationem et correctionem, ac mitigationem huiusmodi auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Mitigationem regulae approbat.

§ 2. Tenorem vero litterarum ipsarum, de verbo ad verbum, fecimus praesentibus annotari, qui talis est:

§ 3. Frater Hugo miseratione divina tituli Sanctae Sabinae presbyter cardinalis, et frater Guillelmus eadem miseratione Anteradensis episcopus, charissimis in Christo filiis religiosis viris, priori generali, et definitoribus capituli generalis, ordinis fratrum gloriosissimae Dei Genitricis, semperque Virginis Mariae de Monte Carmelo, salutem in omni salutari. Accedentes ad Apostolicam Sedem fratres clerici, Rynaldus et Petrus ordinis vestri, ex parte vestra a domino Papa humiliter postularunt, ut quaedam, quae in vestro privilegio et regula olim vobis a felicis memoriae Alberto patriarcha Hierosolymitano tradita continentur dubia, declarare, corrigere, et quaedam gravia misericorditer mitigare dignaretur. Cum igitur dominus Papa, eorum devotis supplicationibus annuendo, nobis commiserit, ut declarationem, correctionem, ac mitigationem huiusmodi faceremus vice ipsius, secundum quod bono statui ordinis, et fratrum saluti expediens videremus; religioni vestrae, qua fungimur auctoritate, mandamus, quatenus regulam a nobis correctam, declaratam et mitigatam, prout expedire vidimus, devote recipientes, eam firmiter observetis, et ad instar eiusdem alias vestras regulas cor-

Tenor mitigationis.

rigatis, quam vobis per eosdem fratres sub sigillis nostris mittimus in hac forma.

Albertus Dei gratia etc.

(Reliquum invenies in Constit. Honor. III, « Ut vivendi » incipien., *usque in finem, pag. 415).*

Nulli ergo *etc.* Si quis *etc.*

Datum Lugduni, kalend. septembris, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 1 septembris 1247, pontif. anno v.

XV.

Civitas Auximana episcopali privata dignitate Humanatensibus subiicitur episcopis (1).

SUMMARIUM

Auximana civitas episcopali dignitate privata: eaque dignitate ornata Recanatensis: — Et Auximana civitas Humanatensi subiecta.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri nostro episcopo Humanatensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum olim Apostolicae Sedis providentia, cuius praesul Illius vices, licet insufficientibus meritis, gerit in terris, qui unicuique pro meritis condigna retributione respondet, de cuius manibus pendet aequitatis statera, subiectorum actiones diiudicans diligenter, ac bene meritis et indignis iuxta suorum actuum exigentiam recompensans, virisque meritorum suorum stipendia inferendo, villam Auximanam, propter infidelitatem, rebellionem et indevotionem incolarum eiusdem episcopatus honore privaverit, ac statuerit, quod castrum Recanat. ob devotionem et fidelitatem habitantium in eodem, quod erat Humanatensi Ecclesiae lege dioecesana subiectum, huius honore polleret, nos in recompensationem dicti castri spiritualia iura, quod in ipsa villa, et circa eam Humanaten. quondam episcopus habebat, eiusdem tibi, et per te dictae Humanatensi Ecclesiae auctoritate apostolica concedimus in perpetuum eamdem villam tibi dioecesana lege spiritualiter submittendo.

Auximana civitas episcopali dignitate privata: eaque dignitate ornata Recanatensis:

Et Auximana civitas Humanatensi subiecta.

Nulli ergo omnino hominum nostrae concessionis paginam infringere liceat, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Lugduni, tertio idus octobris, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 13 octobris 1247, pontif. anno v.

(1) Ex Ughell., Ital. Sac., tom. I, ubi de Humanaten. episcopis.

XVI.

Populo Placentino facultas conceditur publicam instituendi Accademiam, episcopo vero lauream conferendi doctoralem (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Concessio, *de qua in rubrica*, cum privilegiorum elargitione. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis clero, et populo Placentino, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Quia profectum terrae in visceribus amplectitur charitatis, vellemus libenter, quod ibi schypus reperiretur argenteus, idest studium litterarum, in quo Ioseph subtiliter novit ingenua auguria explicare, quique ibi argentum eloquentiae venarum suarum obtineat principia, et locus esset in quo aurum sapientiae conflaret. Credimus enim, et pro firmo tenemus, quod ex hoc ipsi civitati Placentiae non modicum honoris accederet, et sibi possent exinde spiritualiter et temporaliter grata commoda provenire. Propter quod non tam consideratione tui, frater Alberte,

(1) Ex Ughell., tom. II, ubi de Ecclesia Placentina.

Concessio (de qua in rubrica), cum privilegiorum elargitione.

nobis super hoc instanter supplicantis, quam etiam ob ipsius civitatis augmentum generale ibi fieri studium cupientes, ut ipsam civitatem Placentiae ad hauriendum aquas cum gaudio hominum copiosa confluat multitudo, et ibi turris David, cum suis propugnaculis construatur, ex quo non solum dependeant mille clypei, sed etiam omnium fortium armatura, omnibus doctoribus et scholaribus in quacunque facultate in praedicta civitate studentibus, quod eisdem privilegiis, indulgentiis, libertatibus et immunitatibus gaudeant, quibus Parisiis, seu Bononiae, vel aliis studiis generalibus laetantur, auctoritate praesentium indulgemus.

Clausulae

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Lugduni, octavo idus februarii, pontificatus nostri anno quinto.

Dat. die 6 februarii 1248, pontif. anno v.

XVII.

Revocatis iis, quae contra libertatem ecclesiasticam a Friderico rege in Sicilia acta sunt: nonnulla statuuntur ad libertatem ac disciplinam ecclesiasticam in eodem regno reparandam (1).

SUMMARIUM

Flagitia Friderici regis deplorat. — Siciliae regni libertatem ab eo violatam refert. — Damna ab eo eidem illata. — Res Ecclesiae violatae. — Ecclesiasticam auctoritatem in eo sibi vindicat. — Innocentii de eodem regno cura. — Abrogatis iniquis Friderici legibus, bona omnia Ecclesiis restituit. — Libere fieri electiones iubet: — Provisionesque a Friderico factas irritat. — Prohibet clericos ad saecularia trahi iudicia. — Censuris irretiti in foro ecclesiastico non admittantur. — Iura omnia episcopis restituuntur. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad observantiam et memoriam perpetuam.

Flagitia Friderici regis deplorat.

A diebus Friderici, alumni nequitiae, quasi Antichristi praenuntii, Siciliae regnum vim patitur, et ministri eius praedatione illud diripiunt violenta: nam, ut vitae suae cursum brevi loquio transcurramus, et longam perversorum actuum eius telam compendiosa verborum serie decurtemus, postquam multas et periculosas, Apostolicae Sedis praesidio, evasit insidias, coepitque libere in regno, plenas ibi habenas illi tribuente Domino, principari, sic in superbiae altitudinem est elatus, et in saevitiae acerbitatem obriguit, quod de humilitatis substantia cuius in adversis se simulabat amicum, et de benignitatis mansuetudine, quam blando prius mentiebatur affectu, nihil omnino retinens, et de virtute divina non tremuit, humanamque parvipendit potentiam, et honorem Ecclesiae, ac libertatem hominum dicti regni tyrannide furibunda depressit; plurimum olim mitis in nubilo, sed nimium severus postmodum in sereno; verborum tunc dulcedine melleus, sed postea felleus amaritudine operum; ante quidem promissionis blandimento multimode liniens, sed postremo, ut scorpio, persecutionis aculeo dire laedens, de multiplicis etenim necessitatis angusto in quo draco iste latuerat, et ob affluentis opulentiae amplitudinem famelicus, et sitibundus exiliens, rabido coepit ore regnum laniare praefatum. Tamen illius, rerum suarum scilicet ubertatem consumens in cibum, et sanguinem in potum exhauriens hominum, videlicet eius vitam: sicque namque in bona et personas ipsius anxia exarsit ingluvie, quod haec insatiabili rapacitate discerpens illud, proh dolor! ferus plus fera qualibet, fere penitus absorbuit in utrisque, nec sexum, nec aetatem, nec ordinem praetermittens: ob

Siciliae regni libertatem ab eo violatam refert.

(1) Ex originali edidit Gattula, Access. ad Hist. Cassinen., tom. II, pag. 717.

quam pestilenti colono hic ager commissus extitit tam fertilis et amoenus, qui nunquam eum coluit, sed semper de ipso collegit, non adauxit cultura congrua fructus eius, sed verius illos indebitis collectis exhausit, nusquam ad ipsum cultoris curam adhibuit, sed curiositatem assidui collectoris: o quam perverso rectori tantum ac tale creditum fuit regnum, qui suis tantummodo nefariis votis intentus, impie ad illud prosiluit excidium, ut suum ferinum animum inhumanitatis immanitate placeret, cunctos utique praedans, gubernator dissipans, defensor offendens, dux devians, princeps praecipitans et rex rodens. Heu itaque quia gratiosum et pretiosum regnum, cui Dominus in omnibus benedixerat, de alto gloriae in imum miseriae corruit, sub inimicae adversitatis dominio variis tribulationibus contristatum, quod olim ex amicae prosperitatis arrisu affluentibus commodis laetabatur! Heu quia speciosum regnum tanta mutatum alteratione cernitur, quod omnino a se ipso priore discrepare videtur, et vix illud, qui hoc in sua prima inspexerunt effigie, recognoscunt: defecerunt enim ipsius optima, imo in contraria diverterunt! Heu quidem pulchritudo deformis, ingenuitas degener, libertas ancilla, foecunditas sterilis, populositas deserta, et fortitudo infirma; subripuit fletus risum eius, et gaudium suum desiit in lamentum! O quotiens dolorose suspirat et lachrymatur amare Apostolica Sedes, quod regnum iuris et proprietatis suae, carum quippe sibi, dura Pharaonicae oppressionis mole prosternitur, nec sinitur pia consolationis apostolicae dextra relevari; porro nec Ecclesias, nec personas ecclesiasticas, earumque iura et bona in regno ipso draconis huiusmodi furor praeteriit, sed in haec eo ferocius excanduit, quo quidquid ecclesiastico discernitur nomine, odio abhorruit graviori. Tanta enim impietate corpus ibi obtrectavit Ecclesiae, quod ipsum huc et illuc more ferali distrahens, et discindens, quasi ad nihilum hoc redegit; nam illud primum omni ornamento denudans, et deinde incalescente saevitia, factus Herode hic nequam Herodior, rabiosis demembrans morsibus, totam demum carnem voravit ipsius, corrosit etiam ossa, et insuper medullam exusit, suae denique potestatis honore illud de facto destituit, non solum non praetermittens ibidem libere auctoritatem ecclesiasticam exerceri; sed et superbe, ac irreverenter eam despiciens, et conculcans, et tamquam ille, cuius ambitioni totius orbi non sufficeret ambitus, huiusmodi auctoritatem in multis impudenter usurpans, reputando quasi modicum se habere, si solis præesset temporalibus, et sibi spiritualia non essent in provisionibus cathedralium, et aliarum Ecclesiarum vacantium beneficiorum, ipsarum collationibus, clericorum causis, et aliis ad forum ecclesiasticum pertinentibus ipsa inibi abuti praesumit. Ad praelatos quoque, ac alios clericali praesignitos militia manu crudelitatis indifferenter extenta, quamplurimos ex ipsis ignominiosa captione teneri, et in atroces detrudi carceres, ac tandem morti turpissimae tradi fecit, et ut de immensis ac innumeris iniuriis, et dispendiis Ecclesiarum, et cleri regni praemissi tristem et infinitam materiam brevi oraculo finiamus, sic ibi iurisdictionis ecclesiasticae plenitudo prorsus evacuata, et libertatis integritas ex voto comminuta conspicitur, quod non solum illic species non apparet Ecclesiae neque decor, sed etiam de ipsius plene substantia nil subsistit. Unde respiciens Dominus tam gravem, tamque diutinam sui afflictionem populi, et motus multa misericordia super eum, insultantis superbiae extollentiam deiicere, ac tyranni furentis ferire voluit feritatem. Quare in ipsum, qui cum in honore esset, noluit intelligere, ut bene ageret, sed iniquitatem continue meditans, peiora semper operatus extitit (1), dignum et iustum, exigen-

Damna ab eo eidem illata.

Res Ecclesiae violatae.

Ecclesiasticam auctoritatem in eo sibi vindicat.

(1) Forsitan *est*.

tibus nihilominus quam multis aliis gravissimis culpis, quas ad praesens silentio relinquimus, est iudicium iaculatum; sed certe nondum, licet forsan tremuerit, a solita malignitate quievit, quin potius, tamquam in profundum malorum demersus, desperans ulterius et contemnens, in extremum praecipitium committendo incessanter deteriora prioribus totus abiit.

Innocentii de eodem regno cura.

Verum quia principalius ad nos spectat de praefati reparatione regni sollicite cogitare, cum quanto specialius ad Apostolicam Sedem pertinet, ac sibi existit vicinius, tanto ipsius profectui et saluti affectuosius intendere teneamur, pensato attente, quod nisi Ecclesia, cum sit mater, plena sua libertate et auctoritate in regno ipso gaudeat, ad optatam illud laetitiam resurgere vix valebit, et si perfecte ipsa restauraretur ibidem, illius reformatio facilius et celerius subsequetur, providimus fore clero et Ecclesiis eiusdem regni, ut ad bonum et liberum statum adiutore Domino reducantur, cito, et efficaciter succurrendum, praesertim quia nostra interesse dignoscitur de regno ipso, cum sit speciale Sedis eiusdem, et rege nunc careat, memorato F. sententialiter illo privato, libere ordinare.

Abrogatis iniquis Friderici legibus, bona omnia Ecclesiis restituit.

Hinc est quod nos de fratrum nostrorum consilio, deliberatione praehabita diligenti, constitutiones omnes, seu statuta, ordinationes, dispositiones, iussiones, et universalia talia in derogationem et praeiudicium libertatis, immunitatis, auctoritatis, et iurisdictionis ecclesiasticae aut quorumcumque iurium ecclesiasticorum a praedicto Friderico ante, vel post depositionem ipsius edita, necnon et quaslibet consuetudines contra haec in eodem regno ab ipso, vel suis praedecessoribus Siciliae regibus introductas irritas omnino et vacuas decernentes, singulis ipsius regni Ecclesiis tam saecularibus, quam regularibus, cathedralibus, et aliis, necnon et domibus religiosis, civitates, castra, villas, terras, praedia, possessiones, homines, vassallos, affidatos, et caetera bona, et iura quibus eas idem Fridericus, vel per inquisitiones, aut concessiones, seu venditiones, vel concambia, sive quocunque alio modo destituit, plenarie restituimus, integre ab ipsis cum omnibus pertinentiis et iuribus suis de caetero possidenda, concedentes eisdem et praelatis ipsorum reparandi et reaedificandi de novo civitates, terras, villas et castra sua, de mandato eiusdem Friderici in parte, vel in toto diruta, seu destructa, et faciendi inhabitata rehabitari liberam potestatem.

Libere fieri electiones iubet.

Post haec irrefragabili constitutione sancimus, ut in cathedralibus, conventualibus et collegiatis Ecclesiis dicti regni, quando vacaverint, electiones libere et canonice celebrentur, nec eligendi licentia, si rex in eodem regno fuerit, ab ipso aliquatenus postuletur, contraria super hoc consuetudine, cum praefato in enorme libertatis ecclesiasticae dispendium redundaret, non obstante, nec etiam post ipsas electiones regius requiratur assensus;

Provisionesque a Friderico factas irritat.

provisiones, et concessiones, seu collationes omnes, de praelaturis, dignitatibus, personatibus, ecclesiis, praebendis, et aliis beneficiis ecclesiasticis regni praefati per iam dictum Fridericum, vel eius mandato, seu per suos officiales vacantibus eiusdem regni Ecclesiis temere praesumptas, et si quas in posterum, aut per regiam, aut quamcumque potestatem aliam saecularem de ipsis praesumi contigerit, inanes, imo nullas penitus nuntiantes. Statuimus insuper, ut regi, seu aliis dominis saecularibus eiusdem regni Ecclesiarum ipsarum praelati, qui regalia non tenent ab illis, nullum deinceps fidelitatis exhibeant iuramentum.

Prohibet clericos ad saecularia trahi iudicia.

Antiqua quoque Sanctorum Patrum statuta sequentes, perpetuo firmamus edicto, ut nullus clericus, sive quaevis persona ecclesiastica regni praefati respondere, in criminalibus vel civilibus quaestionibus, etiamsi contra eam de laesae maiestatis agatur crimine, in saeculari iudicio teneatur, districtius prohibentes, ne in illo

si ad ipsum etiam tracta fuerit respondere praesumat.

Censurie irretiti in foro ecclesiastico non admittantur. Decernimus etiam, ut nullus maiori excommunicatione ligatus, sive sit clericus, sive laicus, admittatur in foro ecclesiastico, vel saeculari in eodem regno prius quam absolutus fuerit ad agendum; iis quoque irrevocabili decreto adiicimus, ut archiepiscopis et episcopis eiusdem regni in suis civitatibus et dioecesibus, et praelatis aliis in locis, in quibus iurisdictionem spiritualem obtinent, iudicandi et puniendi secundum quod canones censent, adulteria et alia crimina tam ecclesiasticarum, quam saecularium personarum, et censuram propter hoc in ipsas ecclesiasticam exercendi, temporali iurisdictione dominis temporalibus nihilominus reservata, necnon cognoscendi de causis dotium, et universis aliis quae ad forum ecclesiasticum pertinent, et eas sententialiter decidendi plena et libera sit facultas. Iura omnia episcopis restituuntur.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat nostra perpetua statuta infringere, vel eis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, gravi poena se noverit percellendum.

Datum Lugduni sexto idus decembris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 8 decembris 1248, pontif. anno VI.

XVIII.

Confirmantur bona omnia Ecclesiae de Rov Ratisbonen. dioecesis, cui nonnulla quoque conceduntur privilegia (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Ecclesiam hanc sub apostolica suscipit protectione. — Bona omnia ei confirmat. — Novalia a decimis eximit. — Facultas recipiendi in monasterio: — Ab eo tamen discedendi adimitur. — Privilegiorum concessio. — De electione praepositi: — Eius paci et indemnitati consulitur. — Innocentii PP. subscriptio: — Et sigillum. — S. R. E. cardinalium subscriptiones.

(1) Ex Hundio, Metropol. Salisburg., tom. III, pag. 176.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis praeposito Ecclesiae de Rov, eiusque fratribus tam praesentibus, quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Exordium. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse praesidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur (quod absit) sacrae religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et Ecclesiam de Rov Ratisbonensis dioecesis in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. Ecclesiam hanc sub apostolica suscipit protectione. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant. Bona omnia ei confirmat. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum in quo praefata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis; Ecclesiam de Perge cum omnibus pertinentiis suis, de Schenhart, de Alnbach, et de Salignperg Ecclesiam cum omnibus pertinentiis earumdem, villam, quae superior Alnbach dicitur; cum pertinentiis suis, mansos, et molendinum quae habetis in villa, quae dicitur Laber, villam quae Winckelseff vocatur, cum omnibus pertinentiis, mansos quos habetis in Asnkoven, et de Gemelkoven cum villis et pertinentiis earumdem, de Mandlkurchen et de Turschdorff villas

cum pertinentiis earumdem: villam quae dicitur Rentrestorff, cum omnibus pertinentiis suis. Domos quas habetis in civitate et suburbio Ratisbonensi. Decimas et vineas quas habetis in territorio civitatis eiusdem. Mansos quos habetis inde Langhaide, de Allekoven, de Arbenkoven, de Urspach, et de Schnaithart villas cum pertinentiis earumdem. Mansos et decimas quos habetis in Ludmanstorff, de Gleumen, de Munchen, de Guigam, de An, et de Cuglperge villas cum pertinentiis earumdem, de Perge et de Allnzhausen villas cum pertinentiis earumdem, mansos quos habetis in Wasnstorff et de inferiori Alnbach villas cum pertinentiis earumdem, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis, et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum quae propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percipit, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos liberos et absolutos e saeculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam professionem fas sit sine praepositi licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem loco discedere: discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, dummodo causam non dederitis interdicto, suppressa voce divina officia celebrare. Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, a dioecesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et communionem sacrosanctae Romanae sedis habuerit, et ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper ut infra parochiae vestrae nullus sine assensu dioecesani episcopi, et vestro, cappellam, seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad haec novas et indebitas exactiones, ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis, seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis, et saecularibus personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati,* vel interdicti sint, aut etiam publici usurarii, nullus obsistat: salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas praeterea, et possessiones ad ius Ecclesiarum vestrarum spectantes, quae a laicis detinentur, redimendi, et legitime liberandi de manibus eorum, et ad Ecclesias ad quas pertinent revocandi libera sit vobis de auctoritate nostra facultas. Obeunte vero te eiusdem loci praeposito, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibidem qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum maior pars consilii sanioris secundum Deum et beati Augustini regulam providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestrae paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum, nullus rapinam vel furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam exercere audeat. Praeterea omnes libertates et immunitates a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesiae vestrae concessas, necnon libertates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scri-

Novalia a decimis eximit.

Facultas recipiendi in monasterio:

Ab eo tamen discedendi admittur.

Privilegiorum concessio.

De electione praepositi:


Eius paci et indemnitati consulitur.


pti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura: salva Sedis Apostolicae auctoritate, et dioecesani episcopi canonica iustitia, et in praedictis decimis moderatione concilii generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Innocentii PP. subscriptio:

EGO INNOCENTIUS catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

Et sigillum.





S. R. Ecclesiae cardinalium subscriptiones.

Ego Petrus tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Petrus Albanensis episcopus subscripsi.

Ego frater Ioannes tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Willelmus Sabinensis episcopus subscripsi.

Ego frater Hugo tituli Sanctae Sabinae presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Petrus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Ioannes Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Lugduni per manum magistri Marini sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarii, sexto idus maii, incarnationis dominicae anno MCCXLIX, pontificatus vero domini Innocentii Papae IV anno sexto.

Dat. die 10 maii 1249, pontif. anno VI.

XIX.

Quod fratres Minores ordinis S. Francisci Conventuales denominentur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Minorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum tamquam veri et fideles Christi ministri elegeritis vobis in domo Domini mansiones, dignum esse credimus, ut habitacula vestra inter alias honorabiles congregationes fidelium statuamus.

§ 1. Hinc est igitur, quod vestris supplicationibus inclinati, praesentium auctoritate decernimus, ut Ecclesiae vestrae omnes ubi conventus existunt, Conventuales vocentur.

§ 2. Vobis nihilominus licentiam concedentes, ut in ipsis Ecclesiis, ad opus fratrum et familiae vestrae, habere libere coemeteria valeatis.

Nulli ergo *etc.* (*extendatur sanctio poenalis*).

Datum Lugduni nonis aprilis, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 10 maii 1249, pontif. anno VI.

XX.

Civibus insulae Maioricarum conceditur, ne in posterum ad lites dirimendas loca remota petere cogantur (1).

SUMMARIUM

Insulae distantia a terra firma. — Privilegium. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, ac dilectis filiis clero, consulibus iuratis, et Universitati insulae Maioricarum, salutem et apostolicam benedictionem.

Insulae distantia a terra firma. Propter maris pericula insulam vestram undique circumdantia, ac frequentes piratarum ac paganorum incursus, ad terram firmam distantem ab insula ipsa fere per ducenta milliaria, prout asseritis, pervenire sine gravi dispendio non potestis.

Cum itaque nonnulli, sicut accepimus, ad loca remota saepe vos citare procurent, et propter impedimenta praemissa litibus cedere, seu cum adversariis damnosas inire cogamini pactiones; nos obtentu charissimi in Christo filii nostri illustris regis Aragonum, qui favente divinae virtutis auxilio dictam insulam de manibus paganorum eripuit, et pro vobis apostolicam gratiam per speciales litteras imploravit, Privilegium. dispendiis vestris in hac parte occurrere sollicitudine paterna volentes, vobis auctoritate praesentium, ut per litteras Apostolicae Sedis, aut legatorum eius, quae de ipsa insula, et indulgentia huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, extra eamdem insulam super bonis, quae infra ipsam habebitis, vos, vel aliquis vestrum non possitis de caetero ab aliquibus conveniri, dummodo parati sitis ibidem coram competenti iudice de vobis conquerentibus iustitiae plenitudinem exhibere.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Clausulae. paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Lugduni pridie idus maii, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 14 maii 1250, pontif. anno VII.

(1) Ex Dacherii Spicileg., tom. VII, pag. 231.

XXI.

Quod nullus archiepiscopus, nec Apostolicae Sedis legatus fratres ordinis Praedicatorum ad episcopatum, vel alias dignitates possit assumere: iis vero huiusmodi dignitates accipere non liceat invitis ordinis superioribus (1).

SUMMARIUM

Causae edendae sanctionis. — Sanctio. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio magistro ordinis fratrum Praedicatorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Petitio tua nobis exhibita continebat, Causae edendae sanctionis. quod cum aliqui fratres tui ordinis in aliquibus Ecclesiis in episcopos eliguntur vel postulantur, iidem fratres, licet proprium velle non habeant aut nolle, propter hoc, quod renuntiaverunt mundo et propriae voluntati, et per se nequeant consentire, tamen irrequisitis prioribus suis provincialibus, quorum licentia et testimonium essent in talibus requirenda, electionibus sive postulationibus de se factis temere consentiunt, et locorum archiepiscopi fratres ipsos in episcopos assumere, ac ordinare praesumunt: propter quod plerumque in eodem ordine scandalum generatur, super quo provideri per Sedem Apostolicam humiliter postulasti.

Cum autem praedictum ordinem, cum

(1) Edidit Martene, Thesaur. Anecdot., tomo I, col. 1046.

sit rectae vitae speculum, salutiferae conversationis exemplar, velimus semper de bono in melius, Deo propitio, prosperari: auctoritate praesentium de speciali gratia districtius inhibemus, ut nulli praefati ordinis fratres, si eos in episcopos eligi, aut postulari forte contigerit, electioni, sive postulationi de se factae audeant consentire, nec aliquis archiepiscopus, seu quicumque alius praelatus, vel etiam legatus Ap. Sedis ipsius dictos fratres, nisi de tua, vel ipsorum priorum provincialium, qui pro tempore fuerint, licentia et consensu, aut Sedis eiusdem speciali mandato ad episcopatus et alias dignitates extra dictum ordinem assumere vel ordinare praesumat. Nos enim decernimus irritum et inane quicquid contra inhibitionem huiusmodi a quibuscumque contigerit attentare, auctoritate Sedis Apostolicae semper salva.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae constitutionis et inhibitionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae.

Datum Perusii tertio idus iulii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 13 iulii 1251, pontif. anno IX.

XXII.

Privilegia nonnulla ac libertates Neapolitanis conceduntur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Friderici mors et impietates. — Neapolitanorum collaudat constantiam ob fractos Manfredi, aliorumque impetus. — Datum aliis adipiscendae libertatis exemplum. — In clientelam apostol. illorum suscipit bona. — Decernit tantum Sedi Apostolicae obnoxios futuros. — Praeficiendi sibi magistratus auctoritatem concedit: — Probasque confirmat consuetudines. — Erepta praeterita iura in antiquum statum restituit. — Clausulae. — Innocentii PP. — Et S. R. E. cardinalium subscriptiones.

(1) Ex Raynaldo ad an. 1251, pag. 449.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Communi Neapolitano, in perpetuum.

Exordium.

Purae fidei claritate conspicua Neapolitana civitas, et lucidis in se, ac magnificis proficit actibus, et cunctis aliis regno Siciliae spectabili, sectandaeque probitatis exemplo, libertatis amplectendae profectum manifeste propinat; propter quod civitas ipsa, quae a moenium fundatione suorum generosa, populo nobilis, nobilior gestorum ingenuitate conspicitur; sic apud proximos et remotos multipliciter redditur suorum processuum strenuitate laudabilis, et penes nos, et Apostolicam Sedem praecipuis attollenda favoribus, et gratiis potioribus honoranda, quod non solum per singulas vicinae Italiae regiones clare resonat suae praeconium bonitatis; sed et longius tuba insonat laudis eius, suaeque remotius acta voluntatis famae diffusione notescant; et nos, dictaque Sedes totis affectibus ducimur, ut condignis eam honoribus sublimemus.

Friderici mors et impietates.

Sublato namque Friderico quondam Romano imperatore ac Siciliae rege de medio; qui austeritate Pharao, Herodes impietate, saevitiaque Nero praedictum regnum continuae afflictionis iugo depresserat, et furoris immanis gladio laniabat; eadem civitas, ut regnum ipsum ad statum reduceretur liberum et tranquillum, et a pristinae oppressionis erueretur oneribus, quae adhuc illius pestilentis reliquiae, ipsius videlicet filii paternae malitiae successores, eidem inferre regno more praeterito, utpote genimina viperina venenosa egressa de colubro moliuntur; necnon et ad devotionem praemissae Sedis, ad quam illud specialiter pertinere dignoscitur, cordis stabilitate rediret; ferventis vigore spiritus animata, virium collecto robore, statim ipsius regni, quinimmo et dictae Sedis negotium, prout etiam

ante praefati Friderici decessum proposito firmo conceperat; de divino, et Matris Ecclesiae confisa suffragio constanter assumpsit, resistens patenter praefatis nequitiae filiis, eorumque conatus assiduos virtuose propulsans, sicque in reliquos dicti regni ex huiusmodi repugnandi audacia commendanda resistendi transfusa fiducia, praedictorum iniquorum temerarius refrenatus est ausus, et superbus eorumdem processus non modicum impeditus. Non in hoc utique civitas ipsa proprium dumtaxat attendit commodum, non suis tantum utilitatibus inhiavit, sed ad profectus profecto communes purae intentionis direxit affectum, publicae quodammodo tranquillitati et commoditati prospexit, in libertatis quidem antiquae recuperatione præambula, in exhibitione plenae devotionis anterior, prior, ac potior contra hostes, et in magnifica tanti negotii prosecutione conspectior, unde valde promeruit specialium privilegiorum insigniis a Sede Apostolica decorari.

Neapolitanorum collaudat constantiam ob fractos Manfredi, aliorumque impetus.

Datum aliis adipiscendae libertatis exemplum.

Nos igitur praemissis omnibus diligenti consideratione pensatis, volentes propterea eiusdem Neapolitanae civitatis honorem praedictae Sedis donis sublimibus et perpetuis ampliare, vestris in hoc desideriis assensu benevolo concurrendo: personas vestras, et civitatem ipsam in devotionem Sedis persistentes eiusdem cum omnibus bonis, *etc., usque* communimus; de fratrum nostrorum consilio, statuentes, ut eadem civitas perpetuo praefatae Sedis remaneat: ita quod Romana Ecclesia semper absque ullo medio retinens illam sibi, sicut terram Campaniae, vel Maritimae, nunquam eam a suo excludat gremio, neque aliquando ipsam, vel ius quomodocumque in ea, seu pertinentiis, aut in territorio eius cuiquam sive imperatori, sive regi, sive duci, aut principi, vel comiti, seu cuicumque alii personae concedat. Sane ut ex affluentia beneficiorum Sedis eiusdem exultet ipsa civitas gaudio pleniori, vobis illam omnino libertatem in assumendis potestatibus, dummodo fideles vel devotos Ecclesiae assumatis, et in statutis edendis, ita tamen quod nihil in eis contra praefatam Romanam Ecclesiam, et libertatem ecclesiasticam praesumatis, ac aliis, apostolica auctoritate concedimus, quam fideles de patrimonio divi Petri habere noscuntur. Porro rationabiles consuetudines approbatas dudum in civitate ipsa, et pacifice observatas usque ad tempus, quo iam dictus Fridericus suas constitutiones in regno edidit memorato, necnon et ordinationes post ipsius Friderici obitum inter milites et populares civitatis eiusdem, et pro bono et pacifico ipsius civitatis statu ad honorem Ecclesiae factis, super quibus instrumenta dicuntur esse confecta; vobis de speciali gratia confirmamus.

In clientelam apostol. illorum suscipit bona.

Decernit tantum Sedi Apostolicae obnoxios futuros.

Praeficiendi sibi magistratus auctoritatem concedit:

Probasque confirmat consuetudines.

Ad haec omnia, quae civitas ipsa, vel cives aliquando tenuerunt, quorum quidem iusta per superiorem privatio non apparet, exceptis iis, quae per singulares personas praefatae civitatis teneri noscuntur, universitati vestrae confirmamus de praedictae Sedis munificentia liberali.

Erepta praeterita iura in antiquum statum restituit.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis, constitutionis, concessionis, confirmationis et collationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona paginam ipsam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem paginam ipsam observantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Clausulae.

Innocentii PP. et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Ego INNOCENTIUS Catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

Ego Raynaldus Ostiensis et Vellitrensis episcopus subscripsi.

Ego Petrus Albanen. episcopus subscripsi.

Ego Stephanus Sanctae Mariae Transtyberim presbyter cardinalis tituli Calixti subscripsi.

Ego Petrus tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis subscripsi.

Ego frater Ioannes Sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Richardus Sancti Angeli diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Petrus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Willelmus S. Eustachii diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Perusii per manum magistri Marini sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarii idibus decembris, indictione decima, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, pontificatus vero domini Innocentii Papae quarti anno nono.

Dat. die 13 decembris 1251, pontif. anno IX.

XXIII.

Privilegium, quo comitatus Lyciensis Marco Ziani ducis Venetiarum filio post Tancredi avi sui obitum conceditur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Concessio dicti comitatus. — Fidelitatis praestandum iuramentum. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, nobili viro Marco Ziano nato bonae memoriae P. Ziani ducis Venetorum.

Exordium. Sedes Apostolica debitae providentiae oculo ducitur circa cunctorum suorum merita devotorum, nec unquam lancem iustitiae deserit, secundum quam, actibus fidelium singulorum provida maturitate libratis, et digne ipsos amplexetur dilectionis favorabiliter brachiis, et dono specialis benevolentiae prosequatur, praesertim quos clara nobilitas et origo nobilitat generosa.

Hinc est, quod cum sicut te intimante accepimus, comitatus Lycien. ad bonae memoriae Tancredum avum tuum spectaverit, idemque comitatus postmodum ab aliis occupatus fuerit ac detentus; nos attendentes quod apud Sedem eamdem te non solum nobilitas generis, sed clarae devotionis sinceritas et merita integra, quibus te nobis, et eidem Sedi acceptum laudabiliter exhibes, favorabiliter interpellant, tuis precibus benigno concurrentes assensu, comitatum iamdictum in regno nostro Siciliae existentem, cum iuribus omnibus et pertinentiis suis tibi plenarie restituimus, et ut ferventius in Ecclesiae devotione persistas, de novo insuper in feudum concedimus de gratia speciali, nisi ad alium pertineat in devotione Ecclesiae persistentem. (Concessio dicti comitatus.) Non obstante si nobilis vir comes Tigrisius de Mudignana, vel eius filii ius in comitatu ipso se habere asserant ratione nobilis mulieris Alberiae materterae suae uxoris, ipsius et eiusdem avi sui filiae potioris; cum iidem comes et filii quondam F. Romanorum imperatori contra Ecclesiam adhaeserint, et adhuc ipsam offendere non desistant, propter quod gratia et beneficio ipsius Ecclesiae reddiderunt penitus se indignos. Volumus autem, ut postquam eiusdem comitatus possessionem habueris, pro ipso homagium et iuramentum fidelitatis, et alia Ecclesiae Romanae, seu regi, qui per eam pro tempore fuerit in regno praefato, tenearis praestare, quae alii vassalli eiusdem regni pro comitatibus, quos ibi obtinent, praestare tenentur. (Fidelitatis praestandum iuramentum.) Nulli ergo omnino hominum hanc nostrae restitutionis et concessionis paginam infringere liceat, vel ei ausu temerario contravenire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omni- (Clausulae.)

(1) Ex Regest. Vatic. edidit Ughell., Ital. Sac., tom. IX, pag. 79, ubi de Lycien. episcopis.

potentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Perusii duodecimo kalendas martii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 19 februarii 1252, pontif. anno IX.

XXIV.

Hadriensis Ecclesia in cathedralem erecta Pennensi unitur, cum decreto ut Pennensis episcopus Hadriensis quoque dicatur, certis quoque addictis pactis et conditionibus (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Hadrien. Ecclesia in cathedralem erecta per delegatum apostolicum et Pennensi unita. — Unionis litterae. — Utrumque nomen ab episcopo sumendum. — Dos Hadrien. Ecclesiae conficienda. — Domus episcopalis. — Canonicorum numerus — Electio communis episcopi. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, capitulo, et universo clero, necnon potestati, consilio et Communi civitatis Hadriensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Licet ea, quae de mandato nostro fiunt, in se robur obtineant firmitatis, ut tamen intemerata consistant, cum nostro fuerint praesidio communita, ea libenter apostolico munimine roboramus.

Hadrien. Ecclesia in cathedralem erecta per delegatum apostolicum et Pennensi unita. Cum itaque venerabilis frater noster Albanensis episcopus attendens devotionem, quam ad Apostolicam Sedem habetis, locum Hadriae de speciali mandato nostro vocari decreverit civitatem, et ecclesiam Sanctae Mariae Hadrien. in cathedralem erigendam, tam ipsam, quam Pennensem Ecclesiam ad invicem duxerit uniendas, prout in ipsius litteris super hoc confectis plenius continetur: hoc quod per eumdem episcopum in hac parte factum est, ratum habentes et gratum, id de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmantes, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum praesentibus inseri facientes, qui talis est:

Unionis litterae. Petrus miseratione divina episcopus Albanensis dilecto in Christo capitulo, ac venerabili clero, necnon *etc.* . . . potestati, concilio, et Communi civitatis Hadrien. salutem in Domino sempiternam. Devotionis et fidei vestrae meretur affectus, ut Sedes Apostolica mater nostra vos habeat tamquam filios speciales, et in iis, quae honorem vestrum respiciunt, sic se favorabilem exhibeat et benignam, ut per hoc vestra probata sinceritas erga Sedem eamdem continuo vigeat, et laudabilibus proficiat incrementis. Ut igitur ex fervore devotionis, quam ad Romanam Ecclesiam pro exhibitione operis habuistis hactenus, et habebitis dante Domino in futurum, sentiatis vobis favorem apostolicum accrevisse, nos de speciali mandato domini Papae personas vestras honorare volentes, et locum Hadriae, in quo populus tantae fidei, et devotionis cohabitat specialis decoris praeeminentia insignire, ipsum vocari decrevimus civitatem, et eum episcopali dignitate in perpetuum volumus decorari. Utrumque nomen ab episcopo sumendum. Ad haec Ecclesia Sanctae Mariae Hadriae, quae olim de Pennensi esse solebat, in qua saecularis praelatus praefuerat, in cathedralem erigimus, tam ipsam, quam Pennensem Ecclesiam ad invicem unientes, ut utraque cathedralis existat, et tam Hadriensis, quam Pennensis episcopus nominetur, ita videlicet, ut cum eumdem episcopum Hadriae, vel in Hadriensi Ecclesia adesse contigerit, ut addatur gratiae, et per hoc locus ipse habeatur insignis, Hadrien. praeferatur Pennensi Ecclesiae in scriptura. Sed cum idem episcopus in civitate, vel Ecclesia Pennensi fuerit, Pennensis Ecclesia praeferatur. Ecclesiae vero archidiacono, et canonicis Pennen. iura sua volumus illibata servari, quia per hanc unionem nolumus eos in suis iuribus pati aliquod praeiudicium vel iacturam. Sane quia non de-

(1) Ex Regest. Vatic. edidit Ughell., tom. I, pag. 1138, ubi de Pennen. Ecclesia.

Innocentii PP. et S. R. Eccl. cardinalium subscriptiones.

Ego INNOCENTIUS Catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

Ego Raynaldus Ostiensis et Vellitrensis episcopus subscripsi.

Ego Petrus Albanen. episcopus subscripsi.

Ego Stephanus Sanctae Mariae Transtyberim presbyter cardinalis tituli Calixti subscripsi.

Ego Petrus tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis subscripsi.

Ego frater Ioannes Sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Richardus Sancti Angeli diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Petrus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Willelmus S. Eustachii diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Perusii per manum magistri Marini sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarii idibus decembris, indictione decima, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, pontificatus vero domini Innocentii Papae quarti anno nono.

Dat. die 13 decembris 1251, pontif. anno IX.

XXIII.

Privilegium, quo comitatus Lyciensis Marco Ziani ducis Venetiarum filio post Tancredi avi sui obitum conceditur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Concessio dicti comitatus. — Fidelitatis praestandum iuramentum. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, nobili viro Marco Ziano nato bonae memoriae P. Ziani ducis Venetorum.

Exordium. Sedes Apostolica debitae providentiae oculo ducitur circa cunctorum suorum merita devotorum, nec unquam lancem iustitiae deserit, secundum quam, actibus fidelium singulorum provida maturitate libratis, et digne ipsos amplexetur dilectionis favorabiliter brachiis, et dono specialis benevolentiae prosequatur, praesertim quos clara nobilitas et origo nobilitat generosa.

Hinc est, quod cum sicut te intimante accepimus, comitatus Lycien. ad bonae memoriae Tancredum avum tuum spectaverit, idemque comitatus postmodum ab aliis occupatus fuerit ac detentus; nos attendentes quod apud Sedem eamdem te non solum nobilitas generis, sed clarae devotionis sinceritas et merita integra, quibus te nobis, et eidem Sedi acceptum laudabiliter exhibes, favorabiliter interpellant, tuis precibus benigno concurrentes assensu, comitatum iamdictum in regno nostro Siciliae existentem, cum iuribus omnibus et pertinentiis suis tibi plenarie restituimus, et ut ferventius in Ecclesiae devotione persistas, de novo insuper in feudum concedimus de gratia speciali, nisi ad alium pertineat in devotione Ecclesiae persistentem. (Concessio dicti comitatus.) Non obstante si nobilis vir comes Tigrisius de Mudignana, vel eius filii ius in comitatu ipso se habere asserant ratione nobilis mulieris Alberiae materterae suae uxoris, ipsius et eiusdem avi sui filiae potioris; cum iidem comes et filii quondam F. Romanorum imperatori contra Ecclesiam adhaeserint, et adhuc ipsam offendere non desistant, propter quod gratia et beneficio ipsius Ecclesiae reddiderunt penitus se indignos. Volumus autem, ut postquam eiusdem comitatus possessionem habueris, pro ipso homagium et iuramentum fidelitatis, et alia Ecclesiae Romanae, seu regi, qui per eam pro tempore fuerit in regno praefato, tenearis praestare, quae alii vassalli eiusdem regni pro comitatibus, quos ibi obtinent, praestare tenentur. (Fidelitatis praestandum iuramentum.) Nulli ergo omnino hominum hanc nostrae restitutionis et concessionis paginam infringere liceat, vel ei ausu temerario contravenire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omni- (Clausulae.)

(1) Ex Regest. Vatic. edidit Ughell., Ital. Sac., tom. IX, pag. 79, ubi de Lycien. episcopis.

potentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Perusii duodecimo kalendas martii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 19 februarii 1252, pontif. anno IX.

XXIV.

Hadriensis Ecclesia in cathedralem erecta Pennensi unitur, cum decreto ut Pennensis episcopus Hadriensis quoque dicatur, certis quoque addictis pactis et conditionibus (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Hadrien. Ecclesia in cathedralem erecta per delegatum apostolicum et Pennensi unita. — Unionis litterae. — Utrumque nomen ab episcopo sumendum. — Dos Hadrien. Ecclesiae conficienda. — Domus episcopalis. — Canonicorum numerus — Electio communis episcopi. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, capitulo, et universo clero, necnon potestati, consilio et Communi civitatis Hadriensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Licet ea, quae de mandato nostro fiunt, in se robur obtineant firmitatis, ut tamen intemerata consistant, cum nostro fuerint praesidio communita, ea libenter apostolico munimine roboramus.

Hadrien. Ecclesia in cathedralem erecta per delegatum apostolicum et Pennensi unita. Cum itaque venerabilis frater noster Albanensis episcopus attendens devotionem, quam ad Apostolicam Sedem habetis, locum Hadriae de speciali mandato nostro vocari decreverit civitatem, et ecclesiam Sanctae Mariae Hadrien. in cathedralem erigendam, tam ipsam, quam Pennensem Ecclesiam ad invicem duxerit uniendas, prout in ipsius litteris super hoc confectis plenius continetur: hoc quod per eumdem episcopum in hac parte factum est, ratum habentes et gratum, id de fratrum nostrorum consilio authoritate apostolica confirmantes, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum praesentibus inseri facientes, qui talis est:

Petrus miseratione divina episcopus Albanensis dilecto in Christo capitulo, ac venerabili clero, necnon *etc.* . . . potestati, concilio, et Communi civitatis Hadrien. salutem in Domino sempiternam. Devotionis et fidei vestrae meretur affectus, ut Sedes Apostolica mater nostra vos habeat tamquam filios speciales, et in iis, quae honorem vestrum respiciunt, sic se favorabilem exhibeat et benignam, ut per hoc vestra probata sinceritas erga Sedem eamdem continuo vigeat, et laudabilibus proficiat incrementis. Ut igitur ex fervore devotionis, quam ad Romanam Ecclesiam pro exhibitione operis habuistis hactenus, et habebitis dante Domino in futurum, sentiatis vobis favorem apostolicum accrevisse, nos de speciali mandato domini Papae personas vestras honorare volentes, et locum Hadriae, in quo populus tantae fidei, et devotionis cohabitat specialis decoris praeeminentia insignire, ipsum vocari decrevimus civitatem, et eum episcopali dignitate in perpetuum volumus decorari. Ad haec Ecclesia Sanctae Mariae Hadriae, quae olim de Pennensi esse solebat, in qua saecularis praelatus praefuerat, in cathedralem erigimus, tam ipsam, quam Pennensem Ecclesiam ad invicem unientes, ut utraque cathedralis existat, et tam Hadriensis, quam Pennensis episcopus nominetur, ita videlicet, ut cum eumdem episcopum Hadriae, vel in Hadriensi Ecclesia adesse contigerit, ut addatur gratiae, et per hoc locus ipse habeatur insignis, Hadrien. praeferatur Pennensi Ecclesiae in scriptura. Sed cum idem episcopus in civitate, vel Ecclesia Pennensi fuerit, Pennensis Ecclesia praeferatur. Ecclesiae vero archidiacono, et canonicis Pennen. iura sua volumus illibata servari, quia per hanc unionem nolumus eos in suis iuribus pati aliquod praeiudicium vel iacturam. Sane quia non de-

Unionis litterae.

Utrumque nomen ab episcopo sumendum.

(1) Ex Regest. Vatic. edidit Ughell., tom. I, pag. 1138, ubi de Pennen. Ecclesia.

cet praesulem loci tam nobilis in temporalibus pati defectum, cum eum oporteat in loco utpote populato morari, frequenter, et honorifice procedere pro utriusque Ecclesiae negotiis peragendis, praefatam Ecclesiam cathedralem Sanctae Mariae Hadrien. cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ipsi episcopo duximus concedendam, vobis, potestati et consilio ac Communi nihilominus iniungentes, ut de bonis vestris propriis ematis eidem episcopo possessiones sufficientes, ut tam ex eis, quam ex aliis proventibus ipsius Ecclesiae possit decenter vivere, et ecclesiasticis prolegatis, caeterisque hospitibus ad eum confluentibus necessaria ministrare. Domum etiam episcopalem faciatis eidem decentem, et donec ipsa fiat, provideatis de domo communi, in qua possit honorifice commorari. Verum quia Sancti Ioannis in Garavello, Sancti Nicolai in Hadria, Sanctae Mariae in Vallibus, Sancti Nicolai in Galvano, Sanctae Mariae in Monte Sancti Claudii, Sancti Guillelmi, Sancti Angeli, Sancti Ioannis in Gogovanos, Sancti Clementis de Guardia, Sancti Salvatoris de Silvio, Sancti Ioannis, et Sancti Martini de Casulis, Sancti Concordii, Sancti Georgii de Muraldo, Sancti Sylvestri, et Sancti Blasii, Sancti Salvatoris de Casa Combusta, S. Petri, et Sanctae Mariae de Metimiano, Sancti Pauli, et Sancti Leonardi, Sancti Ioannis de Aquaviva, et nonnullae aliae Ecclesiae de Hadria, et eius districtu ad Sancti Ioannis in Venere et Sancti Clementis de Piscaria, et quasdam alias abbatias pertinere narrantur, quas dictus pro Ecclesia Hadriae tenere, vobis mandamus, ut si dictus episcopus Ecclesias ipsas legitime retinere nequiverit, et ... ab eo facietis recompensationem competentem abbatiis praedictis de memoratis Ecclesiis retinendis ad opus eiusdem episcopi, cum eis potueritis concordare, si vero concordare nequiveritis, emetis eidem episcopo possessiones sufficientes, prout superius est expressum. In praefata vero cathedrali Ecclesia viginti canonicorum saecularium numerum esse iubemus, quibus assignabitis sufficientes redditus, computatis iis, quos habent in eadem Ecclesia, unde possint decenter tamquam canonici nobilis cathedralis Ecclesiae sustentari; in electione autem futuri Pontificis *etc.*, utriusque capitula conveniant in altera Ecclesiarum ipsarum, vel in loco communi, in quo unanimiter concordabunt; si concordare non possent de loco, prima electio quae emerserit post praedictum episcopum, fiet Hadriae a canonicis utriusque Ecclesiae, et alia in Ecclesia Pennensi, et sic deinceps vicissim, si de loco alio communi non poterit inter capitula concordia provenire. Canonici autem illius Ecclesiae, in qua celebrari debebit electio, ubicumque episcopus moriatur, vel cedat, ea vice vocabunt canonicos alterius Ecclesiae, et suos etiam concanonicos ad electionem futuri episcopi celebrandam. Ex hac siquidem unione vicinis episcopis et abbatibus, caeterisque praelatis et clericis, seu quibuscumque personis locorum adiacentium, vel vobis ipsis, et civitati vestrae, et cathedrali Ecclesiae Hadriensi in iuribus et rationibus vestris, necnon et civitati et Ecclesiae Pennensi in iuribus et rationibus suis nullum praeiudicium generetur. Latere autem vos nolumus, quod si a devotione Sedis Apostolicae recedere vos contingat, huius vos privabimus dignitate. Statuimus insuper, ut cum canonici utriusque Ecclesiae ad electionem convenerint futuri episcopi celebrandam, ut tot canonici sint ex una Ecclesia, quot ex alia: nam, etsi plures canonici sint in una, quam in alia; in electione tamen electores cuiusque Ecclesiae in numero volumus esse pares. Acta sunt haec, et publicata praesentibus Ecclesiae utriusque procuratoribus, et syndicis civitatis Hadriensis. In cuius rei testimonium praesentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Perusii, idibus martii, anno Domini 1252.

Dos Hadrien. Ecclesiae conferenda.

Domus episcopalis.

Canonicorum numerus.

Electio communis episcopi.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum *etc.*, nostrae confirmationis *etc.*

Datum Perusii, idibus martii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 15 martii 1252, pontif. anno IX.

XXV.

Cives Viterbienses antea subiecti anathemati, quia contra Romanam Ecclesiam Friderico imperatori adhaeserant, eidem Ecclesiae reconciliantur; eisque bona omnia ac antiqua privilegia restituuntur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Rei castigandi in exemplum aliorum. — Viterbienses antea censuris irretiti, — Poenitentiam agunt; — Omnesque validat actus civiles tunc temporis factos. — Bonaque omnia et privilegia, consuetudines, *etc.*, eis confirmat. — Omnia contra eos acta infirmat. — Perpetuam sancit inter cives et Commune pacem. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, potestati, consilio, et Communi Viterbien.

Exordium. Non est in iusto malorum vindice languentis censurae notanda mollities, sed prudenter subvenisse maiorum sanandis morborum pestibus charitas commendanda, quotiens digno poenitentiae fructu redimente commissum, circa eos, qui ab impietate conversi, desinunt esse quod fuerant, misericordia superexaltans iudicium, zelum exhibet disciplinae. Sane Rei castigandi in exemplum aliorum. licet adversus eos, qui rupto fidei foedere, quo Sedi Apostolicae tenebantur, persecutoribus Ecclesiae in instanti turbatione nequiter adhaeserunt, sic esse proponamus in castigando severi, quod ad illos de misericordi nostrorum viscerum lenitate aliqua dispendiosae dispensationis gratia non procedat, quae posteris in similibus impunitatis fiduciam praebeat, vel incentivum pareat delinquendi; utile tamen, et necessarium civitatis vestrae reformationi pacificae, ac communibus eiusdem profectibus visum fuit, ut ad roborandum pacis bonum, quod inter vos et concives vestros hactenus exules, quos a communione civitatis eiusdem inimici hominis malignitas sequestrarat, iuxta cordis nostri votum, et paternum nostrae intentionis affectum Domino perficiente pervenit, rigor, quem in pertinacem resistentiam apostolica iustitia tetenderat, pietatis consilio molliretur. In hoc quidem formam Illius, cuius vicem in terris licet immeriti gerimus, non solum irreprehensibiliter, sed etiam commendabiliter imitamur, qui super malo poenae, quod iuste cogitat peccantibus infligendum, severitatem animadversionis in clementiam miserationis immutat, si humiliter illi ad poenitentiam recogitant malum culpae. Nos itaque pro certo sperantes, quod membra vestra, quae aliquando exhibuistis iniquitatis arma peccato, exhibebitis de caetero arma iustitiae per fidei et fidelitatis constantiam Romanae Ecclesiae matri vestrae, ac potius eligentes de misericordia, per quam reintegrationi vestrae consulitur, causationes perpeti plurimorum, quam severitatis exhibere constantiam, quae terrorem incuteret ausibus, et perversorum inferret impunitatis exemplum, latam interdum excessibus viam parans: ecce vos expansis recipimus laetanter amplexibus ad communionem Ecclesiae filialiter revertentes, et in recollectionem vestram amplum paternae gratiae sinum pandimus claudi humiliter redeuntibus nescientem, ut cum ubi delictum abundasse dignoscitur, superabundasse circa se gratiam veniae, rediviva filiorum devotio gratuletur, et ad perpetuum eximiae charitatis indicium humilis ad patrem conversio multorum apud eum remissionem inveniat peccatorum; vestris supplicationibus inclinati, illa fere per omnia verborum simplicitate, ac integritate servata, quibus petitiones

Viterbienses antea censuris irretiti;

Poenitentiam agunt.

(1) Ex Regest. Vatic. edidit Ughell., tom. I, pag 1412, ubi de Viterbien. episcopis

vestrae conceptae, et in scriptis authenticis pro motu nostro redactae fuerunt, in nostra, et fratrum nostrorum audientia recitatae, ea quae in Romanam Ecclesiam temporibus praeteritis commisistis, nolentes ad culpam, vel indignationem aliquam retineri, indulgemus, remittimus, et relaxamus vobis communiter universis et singulariter singulis, omnes, et singulas offensas, culpas, poenas, et iniurias, et quaecumque alia delicta, seu commissa dicto vel facto praesumpta usque in hodiernum diem a temporibus retroactis contra vel Romanam Ecclesiam, sive card. ipsius, vel quemlibet de Curia, vel familia nostra, seu etiam aliquam universitatem, vel speciales personas tunc Ecclesiae adhaerentes per Commune Viterbii, sive per aliquem vel aliquos cives Viterbienses quocumque modo, vel ex causa quacumque, seu occasione discordiae habitae dudum inter Ecclesiam et quondam F. olim imperatorem pro eo quod contra Ecclesiam eidem F., vel eius nunciis adhaesistis, et omnia damna et poenas, quae, vel quas propter praemissa vel aliquid praemissorum communiter vel specialiter incurristis. Ad haec omnes et singulas sententias, et praecepta, processus, et omnes contractus habitos, vel celebratos in Viterbio, vel ubicumque per Viterbium hactenus plenum robur ita volumus obtinere, quod excommunicationis occasione, qua tunc tenebamini, irritari nequeant, vel cassari. Possessio autem, vel tenuta, quam Petrus Bonus et eius filii possident nunc in tenimento de Fracta et omnibus pertinentiis eius; tenuta quoque, sive possessio quam habent filii quondam Rolandi, Petri Alexandri de domo, palatio, turri, quae sunt posita in contrata Sancti Peregrini iuxta viam publicam et rivum aquae, conserventur eis integra et illaesa. Salvo tamen iure proprietatis cuilibet volenti super iis contra possessores suam intendere actionem: omnes etiam consuetudines, usus, et libertates communi Viterbii, et cuilibet civi Viterbiensi volumus integre conservari; volumus insuper, atque praecipimus de potestate, balivis Communis, iudicibus, et omnibus, et singulis officialibus eorumdem, ut in suis officiis singuli usque ad complementum sui temporis perseverent, et de praedictis officialibus potestaria, seu officiis commune Viterbii possit libere in futurum per electionem disponere, sicut hactenus consuevit. Praeterea castra, villas et arces, eorumque, ac aliorum rerum possessiones, quae commune Viterbii, vel quilibet civis Viterbiensis intus vel extra possidet, vobis auctoritate apostolica confirmamus et tam haec, quam alia bona communis Viterbii, vel cuiuslibet privatae personae de Viterbio sine destructione atque diminutione turrium vel domorum ubicumque eas habeant, illaesa conserventur eisdem. Nullus etiam Viterbien. occasione obsidis, vel balivis aut officii alicuius, seu stipendii, vel alio quocumque modo invitus de Viterbio extrahatur, nec teneamini accipere masnadam, vel aliquam militum comitivam, seu societatem aliquorum hominum armatorum in Viterbio, nisi forte nobilis vir Thomas de Foliano nostrae Curiae marescalcus, vel alius nuncius noster vellet intrare Viterbium cum decem sociis, vel viginti. Cassamus insuper et revocamus omnia et singula privilegia, litteras et scripta quaelibet a vobis, vel ab alio quocumque auctoritate nostra, vel Sedis Apostolicae, concessa vel facta contra commune Viterbii, vel alios quoscumque communiter, vel specialiter de Viterbio, vel cives civitatis eiusdem. Et ut inter vos et praedictos concives vestros firma et perpetua pax servetur, volumus et mandamus, ut ipsi concives universi et singuli remittant, refutent, renuncient et relaxent Communi Viterbii et cuilibet speciali et privatae personae de Viterbio universa et singula damna, omnes et singulas culpas, iniurias et offensas, ablata omnia et alia, quae contra eos et quemlibet eorum ipsis, et vel cuilibet ipsorum

Eisque ignoscit Papa.

Omnesque validat actus civiles tunc temporis factos.

Bonaque omnia et privilegia, consuetudines, etc. eis confirmat

Omnia contra eos acta infirmat

facta, vel commissa sunt vel fuerunt dicto vel facto a communi Viterbii vel a quacumque speciali persona de Viterbio tum in personis, quam in rebus eorum generaliter et singulariter cuilibet, quocumque modo, vel ex quacumque causa; et quod renuntient similiter omnibus et singulis privilegiis et concessionibus, seu litteris datis, factis, vel concessis, aut etiam concedendis sibi et cuilibet eorum a nobis vel ab alia persona quacumque, quocumque nomine censeantur contra commune Viterbii, vel quemlibet civem Viterbiensem; ipsi quoque concives, vel eorum aliquis non petierit, vel exegerit per se, vel per alium a commune Viterbii, vel alia speciali persona de Viterbio aliquid nomine, vel occasione aliquorum damnorum, reddituum, fructuum, vel pensionum, vel aliquarum rerum suarum tempore discordiae illatorum et detentorum, vel etiam subtractorum, sed nec tegulas repetent, vel lapides, trabes, vel lignamina, vestes, seu arcas, et alia mobilia bona quaecumque ipsis a vobis vel aliquibus vestrum ablata. Hoc idem de fructibus, et rebus Ecclesiarum, seu hospitalium de Viterbio, vel de partibus Viterb., et de damnis et iniuriis illatis bonae memoriae R. Sanctae Mariae in Cosmedin diacono cardinali, ac suis et de proventibus et domibus quondam eius praecipimus firmiter observari. Nos enim vos communiter et specialiter de praemissis omnibus damnis et iniuriis, fructibus et aliis sic illatis et ablatis tenore praesentium duximus absolvendos, non obstantibus aliquibus privilegiis, aut litteris, seu constitutionibus, quae praemissis, vel eorum aliquibus obviarent. Placet etiam nobis quod dicti concives vestri iurent sequi mentem potestatis vestrae, ac observare statuta civitatis Viterbii, et obedire in omnibus sicut alii cives vestri, et quod faciant pacem et reddant omnibus vobis et singulis, et vos eis, ac secundum voluntatem communis Viterbii ad honorem Ecclesiae, et tranquillum statum civitatis vestrae huiusmodi pax firmiter in perpetuum observanda.

Perpetuam sancit inter cives et Commune pacem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae remissionis, confirmationis, revocationis et absolutionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae

Datum Perusii, decimoquinto kalendas maii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 17 aprilis 1252, pontif. anno IX.

XXVI.

Haeretici, eorumque fautores et complices banno exponuntur, et eorum bona publicantur (1).

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis nobilibus viris universis, marchionibus, comitibus, baronibus, ac potestatibus, rectoribus, consulibus, et communibus civitatum, et aliorum locorum per Lombardiam, Marchiam Tervisinam (2) et Romaniolam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum fratres Praedicatores generaliter in Lombardia, Marchia Trevisina et Romaniola, contra haereticos, et omnes sectas eorum quocumque nomine censeantur, ad extirpandam inde tam gravis contagii pestem, et malum tantae pravitatis in Ecclesia Dei nimium pestilens, duxerint deputandos, universitatem vestram rogandam *etc.* hortandam duximus attente, et monendam, per apostolica vobis scripta districte praecipiendo mandantes, quatenus omnes illos, qui per inquisitores eosdem, vel per alios de ipsorum mandato de haeresis crimine, vel pro defensione, seu receptatione, aut favore hae-

Decretum

(1) Leges a Friderico imperatore contra haereticos latas suo loco posuimus, additis confirmationibus Honorii PP. III, et huiusce Pontificis Innocentii IV. (2) Lege *Tarvisinam*, *Tarvisium* etc.

reticorum, excommunicationis innodati vinculo, vel denunciati excommunicati publice fuerint, bonis confiscatis ipsorum, banno publico exponatis, alias contra eos temporaliter, prout expedire videritis, in fulcimentum catholicae fidei, potestate vobis tradita processuri. Alioquin noveritis nos eisdem inquisitoribus nostris litteris iniunxisse, ut vos ad id per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellant.

Datum Perusii quinto idus maii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 11 maii 1252, pontif. anno IX.

XXVII.

Promulgatio legum et constitutionum contra haereticos, eorumque complices et fautores, a magistratibus et officialibus saecularibus observandarum.

SUMMARIUM

Innocentius PP. leges a se sancitas ait contra haereticos. — 1. Hae constitutiones civitatum capitularibus inscribendae. — 2. Iurent potestates servare leges contra haereticos. — Poenae in violatores legum. — 3. Haeretici banno supponendi. — 4. Facultas eligendi ministros S. Inquisitionis. — 5. Haeretici quo ducendi. — 6. Ducendi vero expensis Communis. — 7. S. Inquisitionis ministris fides habenda. — 8. Quodnam iusiurandum iurare debeant. — 9. Facultas eorumdem qualis. — 10. Illorum praecepta rata et firma sint. — 11. 12. Indemnes serventur. — 13. Eorum officium sex mensibus expleatur. — 14. 15. Ipsorum merces unde petenda. — 16. 17. Ad nullum aliud officium compellantur. — 18. Quandonam, et a quibus sint amovendi. — 19. Qualiter, si deliquerint, puniendi. — 20. Faveant omnes inquisitoribus. — Poenae in non praebentes manum auxiliarem: — 21. Vel prohibentes ne capiantur haeretici. — 22. Magistratus captos custodiat ubi voluerint episcopus, vel inquisitor. — 23. Assignantes non haereticos pro haereticis quomodo puniendi. — 24. Capti infra 15 dies inquisitorum subeant examen. — 25. Damnatos recipiat magistratus, ut plectantur. — 26. Cogantur haeretici alios haereticos et erroris conscios indicare. — 27. Domus, ubi fuerint inventi, diruendae et domini illarum puniendi. — 28. Quid de fautoribus haereticorum. — 29. Haereticorum nomina describenda et publicanda. 30. Eorum filii ad officia inhabiles. — 31. Magistratus det inquisitoribus assessorem in auxilium. — 32. Infra decem dies post accusationem poenae contra reos exequendae. — 33. Poenae praedictae nullo modo relaxentur. — 34. Quid de bonis haereticorum. — 35. Cavet ne rescindantur statuta. — 36. 37. De eisdem observandis providet. — 38. Statuta his contraria irritat. — 39. Haec autem quatuor in libris describenda.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis potestatibus, sive rectoribus, consiliis, et communitatibus civitatum, aliorumque locorum per Lombardiam, Romaniolam, et Marchiam Tervisinam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad extirpanda de medio populi christiani haereticae pravitatis zizania, quae abundantius solito succreverunt, superseminante illa licentius his diebus hominis inimico, tanto studiosius, iuxta commissam nobis sollicitudinem insudare proponimus, quanto perniciosius negligeremus eadem in necem catholici seminis pervagari. Volentes autem, ut adversus huiusmodi nequitiae operarios consurgant, stentque nobiscum Ecclesiae filii, ac orthodoxae fidei zelatores, constitutiones quasdam ad extirpationem haereticae pestis edidimus, a vobis ut fidelibus eiusdem fidei defensoribus exacta diligentia observandas, quae seriatim inferius continentur.

Innocentius PP. leges a se sancitas ait contra haereticos.

§ 1. Quocirca universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus singuli constitutiones easdem conscribi vestris capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundum eas contra omnem haeresim, se adversus hanc sanctam Ecclesiam extollentem, sine omissione aliqua procedatis. Alioquin dilectis

Hae constitutiones civitatum capitularibus inscribendae.

filiis priori, provinciali, et fratribus inquisitoribus haereticae pravitatis ordinis Praedicatorum in Lombardia, Marchia Tervisina et Romaniola, damus nostris litteris in mandatis, ut singulos vestrum ad id per excommunicationem in personas, et interdictum in terram, appellatione remota, compellant.

Leges et constitutiones autem sunt hae.

LEX 1.

Iurent potestates servare leges contra haereticos.

§ 2. Statuimus, ut potestas, seu rector, qui civitati præest, vel loco alii ad praesens, aut pro tempore praefuerit in futurum, in Lombardia, Romaniola, vel Marchia Tervisina, iuret praecise, et sine timore aliquo, attendere inviolabiliter, et servare, et facere ab omnibus observari toto tempore sui regiminis, tam in civitate, vel loco sui regiminis, quam in terris suae ditioni subiectis, omnes et singulas tam infrascriptas, quam alias constitutiones et leges, tam canonicas, quam civiles, editas contra haereticam pravitatem. Et super his praecise observandis recipiant a quibuslibet sibi in potestaria, vel regimine succedentibus, iuramenta. Quae qui praestare noluerint, pro potestatibus, vel rectoribus nullatenus habeantur. Et quae ut potestates, vel rectores fecerint, nullam penitus habeant firmitatem. Nec ullus teneatur, aut debeat sequi eos, etiamsi de sequela praestanda eis exhibuerint iuramentum. Quod si potestas vel rector aliquis haec omnia, et singula servare noluerit, vel neglexerit, praeter notam periurii, et perpetuae iacturam infamiae, ducentarum marcharum poenam incurrat, quae irremissibiliter exigentur ab eo, et in utilitatem Communis integra convertantur, et nihilominus ut periurus et infamis, et tamquam haereticorum fautor, de fide suspectus, officio et honore sui regiminis spolietur; nec ulterius potestas seu rector in aliquo habeatur, et de caetero ad aliquam dignitatem vel officium publicum nullatenus assumatur.

Poenae in violatores legum.

LEX 2.

Haeretici banno supponendi.

§ 3. Idem quoque potestas, seu rector cuiuslibet civitatis, vel loci, in principio sui regiminis, in publica concione more solito congregata, banno civitatis vel loci supponat tamquam pro maleficio, omnes haereticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur. Et teneatur bannum huiusmodi a suis praedecessoribus positum confirmare. Praecipue autem, quod nullus haereticus, vel haeretica de caetero habitet, vel moretur, aut subsistat in civitate, seu aliquo modo iurisdictionis, aut districtus eiusdem, et quicumque ipsum vel ipsam invenerit, libere capiat, et capere possit impune, et omnes res ipsius, vel ipsorum eis licenter auferre, quae sint auferentium pleno iure, nisi auferentes huiusmodi sint in officio constituti.

LEX 3.

Facultas eligendi ministros S. Inquisitionis.

§ 4. Idem quoque potestas, seu rector infra tertium diem post introitum regiminis sui, duodecim viros probos et catholicos, et duos notarios, et duos servitores, vel quotquot fuerint necessarii, instituere teneatur, quos dioecesanus, si praesens extiterit, et interesse voluerit, et duo fratres Praedicatores et duo Minores ad hoc a suis prioribus, si conventus ibi fuerint eorumdem ordinum, deputati, duxerint eligendos.

LEX 4.

Haeretici quo ducendi.

§ 5. Instituti autem huiusmodi, et electi possint et debeant haereticos et haereticas capere, et eorum bona illis auferre, et facere auferri per alios, et procurare haec tam in civitate, quam in tota eius iurisdictione, atque districtu, plenarie adimpleri, et eos ducere, et duci facere in potestatem dioecesani, vel vicariorum eiusdem.

Lex 5.

Ducendi vero expensis Communis.

§ 6. Teneatur autem potestas, seu rector quilibet in expensis Communis, cui præest, facere duci eosdem haereticos ita captos, quocumque dioecesanus, vel eius vicarii in iurisdictione vel districtu dioecesani episcopi, seu civitatis, vel loci voluerint illos duci.

Lex 6.

S. Inquisitionis ministris fides habenda.

§ 7. Officialibus vero praedictis plena fides de his omnibus habeatur, quae ad eorum officium pertinere noscuntur, aliquo specialiter praestito iuramento, probatione aliqua in contrarium non admissa, ubi duo, vel tres, vel plures praesentes fuerint ex eisdem.

Lex 7.

Quodnam iusiurandum iurare debeant.

§ 8. Porro cum officiales huiusmodi eliguntur, iurent haec omnia exequi fideliter, et pro posse, ac super his semper meram dicere veritatem, quibus ab omnibus, in his, quae ad officium eorum pertinent, plenius pareatur.

Lex 8.

Facultas eorumdem qualis.

§ 9. Et tam dicti duodecim, quam servitores et notarii praetaxati, simul, vel divisim, plenariam praecipiendi sub poena et banno, quae ad officium suum pertinent, habeant potestatem.

Lex 9.

Illorum praecepta rata et firma sint.

§ 10. Potestas autem, vel rector teneatur habere firma et rata omnia praecepta, quae occasione officii sui fecerint, et poenas exigere non servantium.

Lex 10.

Indemnes serventur

§ 11. Quod si dictis officialibus aliquo tempore aliquod damnum contigerit, in personis, vel rebus, pro suis officiis exequendis, a Communi civitatis, vel loci, per restitutionem plenariam serventur indemnes.

Lex 11.

§ 12. Nec ipsi officiales, vel eorum haeredes possint aliquo tempore conveniri, de his quae fecerint, vel pertineant ad eorum officium, nisi secundum quod eidem dioecesano et fratribus videbitur expedire.

Lex 12.

Eorum officium sex mensibus expleatur.

§ 13. Ipsorum autem officium duret tantummodo per sex menses, quibus completis, potestas teneatur totidem subrogare officiales secundum formam praescriptam, qui praedictum officium secundum formam eamdem, in aliis sex mensibus sequentibus exequantur.

Lex 13.

Ipsorum merces unde petenda.

§ 14. Sane ipsis officialibus dentur de camera Communis civitatis vel loci, quando exeunt civitatem aut locum pro hoc officio exequendo, unicuique pro qualibet vice decem et octo imperiales in pecunia numerata, quos potestas vel rector teneatur eis dare, vel dari facere infra diem tertium, postquam ad eamdem redierint civitatem vel locum.

Lex 14.

§ 15. Et insuper habeant tertiam partem bonorum haereticorum, quae occupaverunt, et mulctarum, ad quas fuerunt condemnati, secundum quod inferius continetur, et hoc salario sint contenti.

Lex 15.

Ad nullum aliud officium compellantur.

§ 16. Sed ad nullum aliud, quod istud officium impediat, vel impedire possit, ullo modo officium, vel etiam exercitium, compellantur.

Lex 16.

§ 17. Nullum etiam statutum, conditum vel condendum, eorum officium ullo modo valeat impedire.

Lex 17.

Quandonam, et a quibus sint amovendi.

§ 18. Et si quis horum officialium propter ineptitudinem, vel inertiam, vel

occupationem aliquam, vel excessum, dioecesano et fratribus supradictis visus fuerit amovendus, ipsum ad mandatum vel dictum eorum teneatur amovere potestas, aut rector, et alium secundum formam praescriptam substituere loco eius.

Lex 18.

Qualiter, si deliquerint puniendi.

§ 19. Quod si quis eorum contra fidem et sinceritatem officii sui in favorem haeresis deprehensus fuerit excessisse, praeter notam infamiae perpetuae, quam tamquam fautor haereticorum incurrat, per potestatem, vel rectorem ad dioecesani loci, et dictorum fratrum arbitrium puniatur.

Lex 19.

Faveant omnes inquisitoribus.

§ 20. Potestas praeterea militem suum, vel alium assessorem, si dioecesanus, vel eius vicarius, aut inquisitores a Sede Apostolica deputati, seu dicti officiales petiverint, cum ipsis officialibus mittere teneatur, et cum ipsis eorum officium fideliter exercere. Quilibet etiam si praesens in terra, vel requisitus fuerit, teneatur tam in civitate, quam in iurisdictione vel districtu quolibet, dare ipsis officialibus, vel eorum sociis consilium et iuvamen, quando voluerint haereticum, vel haereticam capere, vel spoliare, aut inquirere: seu domum vel locum, aut aditum aliquem introire pro haereticis capiendis, sub vigintiquinque librarum imperialium poena, vel banno. Universitas autem burgi, sub poena et banno librarum centum, villa vero librarum quinquaginta imperialium pro qualibet vice solvenda in pecunia numerata.

Poenae in non praebentes manum auxiliarem.

Lex 20.

Vel prohibentes ne capiantur haeretici.

§ 21. Quicumque autem haereticum vel haereticam, captum vel captam auferre de manibus capientium vel capientis ausus fuerit, vel defendere ne capiatur: seu prohibere aliquem intrare domum aliquam, vel turrim, seu locum aliquem ne capiatur, et inquiratur ibidem, iuxta legem Paduae promulgatam per Fridericum tunc imperatorem, publicatis bonis omnibus, in perpetuum relegetur, et domus illa, a qua prohibiti fuerint, sine spe reædificandi, funditus destruatur, et bona, quae ibi reperta fuerint, fiant capientium, ac si haeretici fuissent ibidem inventi, et tunc propter hanc prohibitionem vel impeditionem specialem, burgus componat Communi librarum ducentarum, et villa librarum centum, et vicinia tam burgi, quam civitatis librarum quinquaginta imperialium, nisi infra tertium diem ipsos defensores, vel defensorem haereticorum potestati captos duxerint personaliter praesentandos.

Lex 21.

Magistratus captos custodiat ubi voluerint episcopus vel inquisitor.

§ 22. Teneatur insuper potestas, seu rector quilibet omnes haereticos vel haereticas, qui capti amodo fuerint, per viros catholicos ad hoc electos a dioecesano, si fuerit praesens, et fratribus supradictis, in aliquo speciali carcere tuto et securo, in quo ipsi soli detineantur, seorsum a latronibus et bannitis, donec de ipsis fuerit definitum, sub expensis Communis civitatis vel loci sui facere custodiri.

Lex 22.

Assignantes non haereticos pro haereticis quomodo puniendi.

§ 23. Si quandoque aliqui, vel aliquae non haeretici pro captis haereticis, ipsis non contradicentibus, fuerint assignati, vel si forsitan assignaverint, praedicti suppositi perpetuo carceri mancipentur, et haeretici nihilominus reddi, et assignari cogantur, et qui hunc dolum fecerint, iuxta legem praedictam, bonis omnibus publicatis, in perpetuum relegentur.

Lex 23.

Capti infra 15 dies inquisitorum subeant examen.

§ 24. Teneatur insuper potestas et rector quilibet omnes haereticos et haereticas, quocumque nomine censeantur, infra quindecim dies postquam fuerint capti, dioecesano, vel eius speciali vicario, seu haereticorum inquisitoribus

praesentare, pro examinatione de ipsis, et eorum haeresi facienda.

LEX 24.

Damnatos recipiat magistratus, ut plectantur.

§ 25. Damnatos vero de haeresi per dioecesanum, vel eius vicarium, seu per inquisitores praedictos, potestas, vel rector, vel eius nuncius specialis eos sibi relictos recipiat, statim, vel infra quinque dies ad minus, circa eos constitutiones contra tales editas servaturus.

LEX 25.

Cogantur haeretici alios haereticos et erroris conscios indicare.

§ 26. Teneatur praeterea potestas, seu rector omnes haereticos, quos captos habuerit, cogere citra membri diminutionem, et mortis periculum, tamquam vere latrones, et homicidas animarum, et fures sacramentorum Dei, et fidei christianae, errores suos expresse fateri, et accusare alios haereticos, quos sciunt, et bona eorum, et credentes, et receptatores, et defensores eorum, sicut coguntur fures et latrones rerum temporalium, accusare suos complices, et fateri maleficia, quae fecerunt.

LEX 26.

Domus, ubi fuerint inventi, diruendae, et domini illarum puniendi.

§ 27. Domus autem, in qua repertus fuerit aliquis haereticus, vel haeretica, sine ulla spe reaedificandi funditus destruatur; nisi dominus domus eos ibidem procuraverit reperiri. Et si dominus illius domus, alias domos habuerit contiguas illi domui, omnes illae domus similiter destruantur, et bona, quae fuerint inventa in domo illa, et in domibus illis adhaerentibus, publicentur, et fiant auferentium, nisi auferentes fuerint in officio constituti. Et insuper dominus domus illius, praeter notam infamiae perpetuae, quam incurrat, componat Communi civitatis vel loci quinquaginta libras imperiales in pecunia numerata, quam si non solverit, in perpetuo carcere detrudatur. Burgus autem ille, in quo haeretici capti fuerint, vel inventi, componat Communi civitatis libras centum: et villa libras quinquaginta, et vicinia tam burgi, quam civitatis libras quinquaginta imperialium in pecunia numerata.

LEX 27.

Quid de fautoribus haereticorum.

§ 28. Quicumque vero fuerit deprehensus dare alicui haeretico, vel haereticae, consilium, vel auxilium, seu favorem, praeter aliam poenam superius et inferius praetaxatam, ex tunc ipso iure in perpetuum sit factus infamis, nec in publica officia, seu consilia, vel ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur, sit etiam intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad haereditatis successionem accedat. Nullus praeterea ei super quocumque negotio, sed ipse alii respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causae aliquae ad eius audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti. Credentes quoque erroribus haereticorum tamquam haeretici puniantur.

LEX 28.

Haereticorum nomina describenda et publicanda.

§ 29. Teneatur insuper potestas, seu rector, nomina virorum omnium, qui de haeresi fuerint infamati, vel banniti, in quatuor libellis unius tenoris facere annotari; quorum unum Commune civitatis, vel loci habeat, et alium dioecesanus, et tertium fratres Praedicatores, et quartum fratres Minores, et ipsorum nomina ter in anno, et in concione publica solemniter faciat recitari.

LEX 29.

Eorum filii ad officia inabiles.

§ 30. Teneatur quoque potestas, seu rector, filios et nepotes haereticorum et receptatorum, defensorum et fautorum diligenter investigare, eosque ad aliquod officium publicum, seu consilium nullatenus admittere in futurum.

LEX 30.

Magistratus det inquisitoribus assessorem in auxilium.

§ 31. Teneatur praeterea potestas, seu rector, unum de assessoribus suis, quem elegerit dioecesanus si fuerit praesens, et inquisitores praedicti ab Apostolica Sede dati, mittere cum eis quandocumque voluerint, et in iurisdictione civitatis, atque districtu. Qui assessor, secundum quod praedictis inquisitoribus visum fuerit, ibi tres, aut plures boni testimonii viros, vel totam viciniam, si eis videbitur, iurare compellat; quod si quos ibidem haereticos sciverint, vel bona eorum, quod si quos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita et moribus dissidentes, vel credentes, aut defensores, seu receptatores, vel fautores haereticorum, eos dictis inquisitoribus studeant indicare. Ipse autem potestas contra accusatos procedat secundum leges quondam Friderici tunc imperatoris Paduae promulgatas.

LEX 31.

Infra decem dies post accusationem poenae contra reos exequendae.

§ 32. Teneatur insuper potestas, seu rector, in destructionem domorum, et condemnationibus faciendis, et in rebus inventis, vel occupatis consignandis et dividendis, de quibus superius dicitur, infra decem dies postquam accusatio facta fuerit, haec omnia exequi cum effectu; et condemnationes omnes in pecunia numerata infra tres menses exigere et dividere illas, sicut inferius continetur, et eos qui solvere non poterint, banno maleficii supponere, et donec solvant, in carcere detinere; alioquin pro his omnibus, et singulis syndicetur, sicut inferius continetur, et insuper teneatur unum de assessoribus, quemcumque dioecesanus, vel eius vicarius, et dicti inquisitores haereticorum voluerint, ad haec peragenda fideliter assignare, et mutare pro tempore, si eis visum fuerit opportunum.

LEX 32.

§ 33. Omnes autem condemnationes vel poenae, quae occasione haeresis factae fuerint, neque per concionem, neque per consilium, neque ad vocem populi, ullo modo, aut ingenio, aliquo tempore valeant relaxari.

Poenae praedictae nullo modo relaxentur.

LEX 33.

§ 34. Teneatur insuper potestas, seu rector, omnia bona haereticorum, quae per dictos officiales fuerint occupata seu inventa, et condemnationes pro his exactas dividere tali modo: una pars deveniat in Commune civitatis vel loci: secunda in favorem et expeditionem officii detur officialibus, qui tunc negotia ipsa peregerint: tertia ponatur in aliquo tuto loco, secundum quod dictis dioecesano et inquisitoribus videbitur reservanda et expendenda per consilium eorumdem in favorem fidei, et ad haereticos extirpandos, non obstante huiusmodi divisioni statuto aliquo, condito aut condendo.

Quid de bonis haereticorum.

LEX 34.

§ 35. Si quis autem de caetero aliquod istorum statutorum, aut constitutionum attentaverit delere, diminuere, vel mutare, sine auctoritate Sedis Apostolicae speciali, potestas, seu rector, qui pro tempore fuerit in illa civitate vel loco, teneatur eum tamquam defensorem haereticorum publicum et fautorem, secundum formam praescriptam perpetuo publice infamare atque punire in libris quinquaginta imperialium in pecunia numerata, quam si exigere non potuerit, eum maleficii banno supponat, de quo eximi non valeat, nisi solverit duplam dictae pecuniae quantitatem.

Cavet ne rescindantur statuta.

LEX 35.

§ 36. Teneatur sane potestas, seu rector, infra decem dies sui regiminis syndicare praecedentem proxime potestatem, vel rectorem, et eius etiam assessores, per tres viros catholicos et fideles electos ad hoc per dioecesanum, si fuerit praesens, et per fratres Praedicatores et Minores de omnibus his, quae in statutis istis, seu

De eisdem observandis providet.

constitutionibus et legibus contra haereticos et eorum complices editis continentur, et punire ipsos si excesserint in omnibus et singulis, quae omiserint, et cogere restituere de propria facultate; non obstante si per aliquam licentiam consilii, vel alterius cuiuslibet a syndicatione fuerint absoluti.

LEX 36.

§ 37. **Iurabunt** autem praedicti tres viri bona fide syndicare praefatos de omnibus supradictis.

LEX 37.

Statuta his contraria irritat.

§ 38. **Caeterum** teneatur potestas seu rector cuiuslibet civitatis vel loci delere, seu abradere penitus de statutis vel capitularibus Communis, quodcumque statutum, conditum vel condendum, inveniatur contradicere istis constitutionibus, seu statutis et legibus quomodolibet obviare: et in principio, et in medio sui regiminis, haec statuta, seu constitutiones et leges in publica concione solemniter facere recitari; et etiam in aliis locis extra civitatem suam vel locum, sicut dioecesano, seu inquisitoribus, et fratribus supradictis visum fuerit expedire.

LEX 38.

Haec autem quatuor in libris describenda.

§ 39. Porro haec omnia statuta, seu constitutiones et leges, et si quae aliae contra haereticos, et eorum complices, tempore aliquo auctoritate Sedis Apostolicae conderentur, in quatuor voluminibus unius tenoris debeant contineri: quorum unum sit in statutario Communis cuiuslibet civitatis, secundum apud dioecesanum, tertium apud fratres Praedicatores, quartum apud fratres Minores, cum omni sinceritate serventur, ne possint per falsarios in aliquo violari.

Datum Perusii idibus maii, pontificatus nostri anno nono.

Dat. die 15 maii 1252, pontif. anno IX.

Sequitur declaratio dictae constitutionis.

SUMMARIUM

1. Quod de haereticorum domibus statutum est, intelligendum etiam de turribus.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Praedicatorum, inquisitoribus haereticae pravitatis in provincia Lombardiae, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum in constitutionibus nuper a nobis contra haereticos promulgatis, inter alia contineri dicatur expresse, ut domus, in qua haereticus vel haeretica inventus fuerit, ac ei contiguae, si fuerint eiusdem domini, sine spe reparationis funditus destruantur, nostro petistis certificari responso, quid sit de turribus in casu huiusmodi observandum.

Quod de haereticorum domibus statutum est, intelligendum etiam de turribus.

§ 1. Ad quod breviter respondemus, quod nostrae intentionis extitit et existit, ut in eo casu, idem in turribus et in domibus iudicium observetur.

§ 2. Lignamina vero, lapides et tegulas domorum et turrium, quae taliter destruentur, eo modo distribui decernimus, quo res alias ibidem inventas dividi mandamus in constitutionibus antedictis.

Datum Anagniae quarto kalendas augusti, pontificatus nostri anno duodecimo.

XXVIII.

Ecclesia Sanctae Mariae de Ara-Coeli in Urbe ac monasterium prope illam constitutum fratribus ordinis Minorum Sancti Francisci conceditur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Mandatum PP. de Minoritis in monasterium de Ara-Coeli immittendis. — Mandata Pontificis adimplent delegati. — Innocentius haec confirmat, card. prote-

(1) Ex Waddingo nov. edit., tom. III, pag. 509.

ctori ordinis eiusdem monasterii appendicis adiudicando. — Litterae delegatorum executoriales. — Litterae praeceptoriae Papae delegatis. — Monasterium de Ara-Coeli Minoritis dandum. — Sequuntur litterae delegatorum. — Anacleti PP. litterae, quibus hoc monasterium monachis Benedictinis conceditur. — Antiqui monasterii huius termini. — Haec omnia Minoritis conceduntur. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis ministro, et fratribus Minoribus Ecclesiae Sanctae Mariae de Capitolio in Urbe.

Exordium.

Iis quae auctoritate nostra provide facta sunt, libenter adiicimus apostolici muniminis firmitatem ut intemerata consistant, quae nostro sunt praesidio communita. Cum enim sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, olim venerabili fratri R. Ostien. et Vellitren. episcopo et dilecto filio nostro S. tituli Sanctae Mariae Transtyberim presbytero cardinali tunc vicario nostro in Urbe nostris dederimus litteris in mandatis, ut ecclesiam et monasterium Sanctae Mariae de Capitolio in Urbe, tunc ordinis Sancti Benedicti, de quibus duxeramus vobis de fratrum nostrorum consilio providendum cum hortis et aliis appendiciis suis sitis iuxta monasterium ipsum auctoritate nostra vobis assignarent, ac vos in corporalem possessionem inducerent et tuerentur inductos, contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo: iidem episcopus et cardinalis vobis dictum monasterium cum eisdem hortis et appendiciis auctoritate huiusmodi assignantes, vobisque inductis in corporalem possessionem ipsorum, ne super praedictis appendiciis posset in posterum ab aliquo dubitari, inspecto privilegio fel. rec. Anacleti Papae praedecessoris nostri, in quo ipsius monasterii termini et appendicia plenius limitantur, provida et diligenti deliberatione super his habita, praefatum monasterium cum suis appendiciis et limitibus describendo, eo iuxta eiusdem privilegii tenorem caeteris finibus designarent, prout in ipsorum episcopi et cardinalis litteris confectis exinde, quas de verbo ad verbum praesentibus inseri fecimus, plenius continetur.

Mandatum PP. de Minoritis in monasterium de Ara-Coeli immittendis.

Mandata Pontificis adimplent delegati.

Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod ab eisdem episcopo et cardinali factum est in hac parte ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, eadem auctoritate tradentes et concedentes in perpetuum cardinali, qui pro tempore fuerit gubernator vestri ordinis, directum dominium plenum, et possessionem eorumdem appendiciorum, omnibus quaecumque temporaliter obveniant de eisdem parochia, et parochianis Sanctae Mariae de Capitolio, Sedi Apostolicae, ac nostro beneplacito reservatis; necnon et statuentes quod liceat vobis in ipsis appendiciis, et per ipsas domos, officinas, hortos, vias, plateas et alias commoditates facere vobis utiles et honestas ubicumque, quandocumque et qualitercumque videritis expedire, nec aliquis, cui census huiusmodi in posterum conferri contigerit, occasione non soluti vel solvendi census, quos quantum ad eam partem ipsorum appendiciorum, quam in huiusmodi usus vestros convertendam duxeritis, penitus annullamus, vos super hoc possit aliquatenus impedire.

Innocentius haec confirmat, card. protectori ordinis eiusdem monasterii appendicia adiudicando.

Tenor autem litterarum ipsarum talis est: miseratione divina R. Ostien. et Vellitren. episcopus, et S. Tituli Sanctae Mariae Transtyberim presbyter cardinalis viris religiosis dilectis in Christo... ministro... custodi... guardiano, et aliis fratribus Minoribus in Urbe morantibus, salutem, et sinceram in Domino charitatem. Mandatum apostolicum recepimus in hunc modum: Innocentius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri..... episcopo Ostien., et dilecto filio S. tituli Sanctae Mariae Transtyberim presbytero cardinali, vicario nostro in Urbe, salutem et apostolicam benedictionem. Lampas insignis coelestium exemplarium adornata

Litterae delegatorum executoriales

Litterae praeceptoriae Papae delegatis

fulgoribus rutilans in Domo Dei corusco sydere novae lucis, quam ad illuminationem fidei divini cultus augmentum, et Sponsae Christi multiformem pulchritudinem ampliandam in dilectis filiis fratribus ordinis Minorum religiosae institutionis redivivus fervor accendit, illic praesertim in serie luminarium ecclesiastici firmamenti habere non debet incongruam situs incommodi stationem, ubi Providentia disponente, divina primitiva surgentis Ecclesiae fundamenta quiescunt, et per individuos paris triumphi comites sublimitas eminet apostolici principatus. Cum itaque ab eiusdem ordinis fratribus in Urbe degentibus diversa ibidem loca et ipsorum habitationi minus accommoda incolantur, nos eisdem, quorum approbata suis fratribus, et clara religio intimis ecclesiasticae maternitatis amplexibus est fovenda, de fratrum nostrorum consilio locum idoneum decrevimus providendum, ubi pariter in continuae charitatis solatio conviventes pacificis studiis commodius atque gloriorius intendere valeant pacis humiles professores. Quo circa discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus monasterium Sanctae Mariae de Capitolio in Urbe ordinis Sancti Benedicti, cum hortis et aliis suis appendiciis, iuxta illud, necnon libris et ornamentis ipsius, auctoritate nostra eisdem fratribus ibidem sub ordinis sui observantia Domino servituris in usus perpetuos assignantes, eos in praedictorum possessionem corporalem inducere, ac inductos defendere procuretis; amotis idem monachis, qui sunt ibi, et per alia ordinis sui monasteria congrue collocatis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstante Apostolicae Sedis indulgentia quibuscumque concessa, quod excommunicari, aut interdici, aut suspendi absque mandato nostro non possint, aut quavis alia per quam mandati huiusmodi effectus impediri super iis valeat, vel differri, et de qua plenam, vel de verbo ad verbum oporteat in litteris nostris fieri mentionem. Quod si non ambo iis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Lugduni sexto kalendas iulii, pontificatus nostri anno septimo.

Monasterium de Ara-Coeli Minoritis dandum.

Sequuntur litterae delegatorum.

Cum igitur vobis et in vobis ordini fratrum Minorum, secundum tenorem mandati apostolici ecclesiam, monasterium et locum Sanctae Mariae de Capitolio, cum domibus et appendiciis suis per venerabilem fratrem episcopum Tusculan. et viros providos et discretos Ioan. de Civitella domini Papae cappellanum, et B. Sanctorum Cyri et Ioannis archipresbyterum, Ioannem Rogerii basilicae Principis Apostolorum, et Andream Buccabellam Sanctae Mariae Maioris de Urbe canonicos iusserimus assignari, ac ipsi secundum tenorem mandati apostolici, et nostri, ea vobis assignaverint sine mora, ne de ipsis appendiciis, sicut frequenter in similibus agitur, ab aliquibus videlicet, quae sint illa in posterum dubitetur, diligenti collatione ac deliberatione inter nos habita, viso quoque, ac diligenter inspecto, et a nobis considerato perspicaciter, et plenius intellecto privilegio felicis recordationis domini Anacleti Papae secundi, in quo iura monasterii continentur, quod continet in hunc modum: Anacletus episcopus servus servorum Dei. Dilecto in Christo filio Ioanni abbati Sanctae Dei Genitricis et Virginis Mariae, Sanctique Ioannis Baptistae in Capitolio, suisque successoribus regulariter promovendis in perpetuum. Quod in Apostolicae Sedis administratione, licet indigni, constituti iudicemur, religiosorum virorum piis petitionibus, iusto benignitatis intuitu assensum nos praebere convenit, quatenus, quae religionis prospectu postulata cernuntur, nostrae concessionis vigore clarescant, ac firma in posterum perpetuitate serventur. Tuis igitur, dilecte in Christo fili Ioannes abbas, et fratrum tuorum precibus annuentes, commisso tibi eiusdem Dei Genitricis monasterio con-

Anacleti PP. litterae, quibus hoc monasterium monachis Benedictinis conceditur

cedimus et confirmamus totum Montem Capitolii in integrum, cum casis, cryptis, cellis, curtibus, hortis, arboribus fructiferis, infructiferis, cum porticu cancellariae, cum terra ante monasterium, qui locus Nundinarum vocatur, cum parietibus, petris et columnis et omnibus ad eum generaliter pertinentibus; qui istis finibus terminatur, a primo latere via publica, quae ducit per clivum Argentarii, qui nunc descensus Leonis Prothi appellatur: ab alio latere via publica quae ducit sub Capitolium et exinde descendit per limitem et appendicem super hortos, quos olim Ildebrandus, et Ioannes Diaconus, et haeredes Ioannis de Guinico tenuerunt usque ad templum maius, quod respicit super Alefantum: a tertio latere Ripae, quae fuit super Fontem de Macello, et resolventes se per appendices suas super Canapara, usque in carnarium Sancti Theodori; a quarto vero latere ab eodem carnario ascendit per caveam, in qua est petra versificata, exinde descendit per hortum Sancti Sergii, usque in hortum, qui est sub cancellaria veniens per gradus centum usque ad primum affinem. Circa vero eumdem montem concedimus et confirmamus tibi, tuisque successoribus domos, casalinas, cryptas, ergasteria in mercato, totum montem praedictum Capitolii in integrum, et caetera omnia, quae in monte, vel circa montem sunt, iuxta tenorem praefati privilegii supradictum. Appendicia praetacta fore intelligimus, dicimus, et tenore praesentium declaramus concedentes, ut sicut ea praefatum monasterium retroactis temporibus possedit et habuit de consuetudine et de iure, vel de aliquo privilegio speciali, possit eadem Ecclesia Sanctae Mariae de Capitolio vobis in ea existentibus cum omni iure praedicta omnia licite perpetuo possidere. Non intendentes per hanc interpretationem, seu declarationem praetactae Ecclesiae novum ius dare, sed vetus tantummodo conservare, sine omni praeiudicio iuris illorum, qui infra praedictos confines tenuerunt hactenus, vel nunc tenent, in cuius rei testimonium et memoriam habendam in posterum praesenti scripto nostro fecimus apponi sigilla. Datum decimoquarto kalendas decembris, pontificatus domini Innocentii Papae quarti anno octavo.

Antiqui monasterii huius termini.

Haec omnia Minoritis conceduntur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae confirmationis et concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae.

Datum Perusii secundo nonas iulii, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 6 iulii 1252, pontif. anno x.

XXIX.

De cautione praestanda a fautoribus haereticorum ad fidem redeuntibus, et de applicatione poenarum in casu contraventionis statutum ab Albanensi episcopo confirmat.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori provinciali ordinis Praedicatorum, et Inquisitoribus haereticae pravitatis in Lombardia, Romaniola, Marchia Anconitana et Tervisina, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum venerabilis frater noster Albanensis episcopus auctoritate nostra super extirpatione pravitatis haereticae inter alia duxerit statuendum, ut inquisitores haereticorum in provincia Lombardia, a credentibus, fautoribus, receptatoribus et defensoribus haereticorum ad obedientiam Ecclesiae redeuntibus, sub poena pecuniaria cautionem exigerent, quod fidem catholicam firmiter teneant, et ulterius favorem aliquem haereticis non impendant, et nos statutum huiusmodi approbaverimus, ex abundanti ut firmior vester maneat in hac parte processus, praedicta vobis et his, quos in huiusmodi conti-

gerit ministerio subrogari auctoritate praesentium duximus committenda.

Datum Perusii, quarto kalendas februarii, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 29 ianuarii 1253, pontif. an. x.

XXX.

Archiepiscopis et episcopis, ut ex mulcta pecuniaria haereticorum inquisitoribus sumptus suppeditent.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, archiepiscopis, et episcopis per Lombardiae provinciam constitutis, praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum per nostras vobis mandemus litteras, ut haereticorum credentes, fautores, receptatores et defensores, qui post praestitam cautionem, quod fidem catholicam firmiter teneant, et ulterius haereticis favorem aliquem non impendant, in id quod abiuraverant, sunt relapsi, et quos in posterum relabi forte contigerit, ad solvendam poenam ab ipsis promissam, iuxta ordinationem venerabilis fratris nostri Albanensis episcopi auctoritate apostolica factam, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis: fraternitati vestrae per scripta apostolica mandamus, quatenus de his, quae taliter recipere vos continget, dilectis filiis priori provinciali ordinis Praedicatorum, et inquisitoribus haereticae pravitatis in Lombardia, Romaniola, Marchia Anconitana et Tervisina, et substituendis eisdem, in expensis providere curetis ad inquisitionis huiusmodi officium opportunis.

Datum Perusii, tertio kalendas februarii, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 30 ianuarii 1253, pont. anno x.

XXXI.

Canonizatio beati Petri martyris Veronensis, professoris ordinis fratrum Praedicatorum, et institutio suae festivitatis pro die 29 mensis aprilis.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. B. Petri vita commendatur. — 2. Per triginta annos in ordine Praedicatorum vixit. — 3. Ipsius virtutes recensentur. — 4. Quam ardenter martyrium expetierit. — Ubinam passus sit. — Symbolum Fidei in extremo spiritu recitavit. — 5. Quae viventem ipsum commendarunt miracula percurrit Pontifex. — 6. Post mortem patrata recenset. — 7. Quanta exultare laetitia debeat Ecclesia. — 8. Haereticorum fallaciae ex hoc omnibus manifestae. — 9. Ss. martyrum canoni adscribitur. — 10. 29 aprilis festum ipsius celebrandum. — 11. Indulgentia conceditur visitantibus eius sepulchrum.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis archiepiscopis, et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis, archipresbyteris, et aliis Ecclesiarum praelatis, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Magnis et crebris declarata prodigiis christianae fidei rectitudo, iam novo Sancti novi decorata martyrio, signorum recentium fulgore coruscat; et multis hactenus roborata portentis, nunc singularium miraculorum signis confirmatur. Ecce de instanti et moderno fidei pugile nova gaudia prodeunt, triumphalia signa notescunt, vox fusi sanguinis intonat, inclyti martyris tuba clangit, terra non silet sudans aspersione cruoris, resonat regio nobili praedita bellatore, ipsemetque gladius parricida proclamat. Haec sunt certe certa fidei sacrae indicia, haec ipsius idonea testimonia, haec eius dignissima munimenta. Propter quod laetati sunt coeli, et terra in tanti perceptione gladii pariter exultavit. Grandis adest Matri Ecclesiae causa laetitiae; multa ei Exordium.

materia iucunditatis advenit. Habet unde Domino canticum novum cantet, unde immensae laudis hymnum referat Deo suo. Habet plebs catholica unde plaudat, levatis Altissimo manibus, sonoris iubilet vocibus, et laetis animis iucundetur. Habet christiana concio, unde devotas Conditori concinat cantiones. De horto siquidem fidei, nuper in mensam Regi aeterno dulcis allatus est fructus. De vinea Ecclesiae in regium calicem affluens noviter liquor influxit. Quoniam foecundus palmes hostili mucrone concisus, habuit plus humoris, quia cohaesit pressius vivae viti. De Praedicatorum ordine florido prodiit rosa rubens, quae regalibus oblata conspectibus, intulit suavitatem odoris. De huius Ecclesiae fabrica electus est lapis, qui pressura et contusione politus, decenter supernis aedibus est insertus. In coelesti quoque rosario flos amoenus, rubro colore rutilans, nunc est natus in mundo, et candido sanctorum collegio, novum munditiae lilium est exortum. Unde factum est magnum in coelo gaudium, exultantibus Sanctis omnibus et solemnitatem agentibus tanti festi.

B. Petri vita commendatur.

§ 1. Sane beatus Petrus de ordine fratrum Praedicatorum, lombardus origine, prudenter attendens dolosi mundi fallacias, et devia saeculi defluentis (cuius blanditiis quis laeditur, cum lenitur) cum ab his in adolescentiae annis provide declinasset, vitae semitam eligens tutiorem, ut a lubricis caute pede retracto, firmis posset incedere gressibus, ad divina obsequia se totaliter transtulit, in evangelicae institutionis observantiam cuncta sua convertens studia, et universas dirigens actiones, rectum et lucidum callem sequens, salubrem videlicet ipsius ordinis regulam, per quam regi valeret et dirigi, duci etiam et induci ad speratam requiem post laborem.

Per triginta annos in ordine Praedicat. vixit.

§ 2. In qua utique triginta fere annorum spatio, fultus caterva virtutum, Fide praeambula, Spe astante, comite Charitate, sic praevaluit et profecit, circa ipsius maxime defensionem fidei (pro qua totus ardebat) quod contra illius diros hostes, mente intrepida, ferventique spiritu, continuum certamen exercens, suum tandem agonem diutinum (victrici superante martyrio) feliciter consummavit. Et sic ipse Petrus, firmus in petra fidei, petra demum passionis allisus, ad petram Christum digne laureandus ascendit. Porro ne sacra suorum actuum vos exempla praetereant, aliqua de vita eius, ad instructionem et profectum audientium, referemus.

Ipsius virtutes recensentur.

§ 3. Ipse namque veritatis filius et bonitatis alumnus, conversatione conspicuus, spectabilis fama et opinione mirabilis, miro praefulsisse nitore munditiae, virginitatem integre custodisse; nec mentis habuisse, nec corporis corruptelam et nullius mortalis criminis sensisse contactum, firma suorum confessorum assertione monstratur. Et quia servus delicate nutritus protervit in Dominum, carnem suam, assidua cibi et potus parvitate, restrinxit. Ne vero per ocii desidiam hostilibus pateret insidiis, in iustificationibus Domini exercebatur assidue, ut eo circa licita totaliter occupato, locum in ipso illicita non haberent, et a spiritualibus nequitiis tutus esset. Nocturna quidem silentia humanae deputata quieti, post dormitionem brevem, decurrebat in studiis lectionum, et somni tempus vigiliis occupabat. Dies autem impendebat commodis animarum, vel sedulis imminendo praedicationibus, vel confessionum audientiae insistendo, aut haereticum dogma pestiferum validis rationibus confutando, in quibus specialis dono gratiae noscitur claruisse. Devotione insuper gratus, humilitate lenis, obedientia placidus, benignitate suavis, pietate compatiens, patientia constans, charitate praestabilis, et in cunctis morum maturitate compositus, alios profusis virtutum aromatibus attrahebat. Fervens quoque amator Fidei, cultor praecipuus, propugnator ar-

dentior, sic animo suo illam impresserat, sic se totum in illius manciparat obsequium, quod quaeque ipsius verba et opera, virtutem fidei redolebant. Cuius dulcedinem, lingua eius velut redundans favus, copiose distillans, semper illius documenta suavia propinabat.

Quam ardenter martyrium expetierit.

§ 4. Pro hac inquam mortem subire cupiens, hoc principaliter a Domino, attentis et crebris supplicationibus postulasse probatur, quod non sineret eum ex hac luce migrare, nisi sumpto pro illa calice passionis. Unde, quia meruit tantus athleta specialem palmam de pugna tam strenua reportare, ac in coelestem patriam, sertis praesignitus roseis, introire, cum de civitate Cumana, ubi fratrum sui ordinis ibi morantium prior erat, Mediolanum pergeret, pro exequenda inquisitione contra haereticos sibi ab Apostolica Sede commissa (sicut in publica praedicatione praedixerat), quidam de ipsorum haereticorum credentibus, prece illorum inductus et precio, in eum iter salutaris propositi prosequentem funestus insiliit. In agnum utique lupus, ferus in mitem, in pium impius, furibundus in mansuetum et in modestum effraenus, profanus in sanctum, praesumit insultum, exercet conatum, mortem intentat. Sacrum autem illius caput gladio crudeliter impetens, diris in ipso impressis vulneribus, et satiato sanguine iusti ense, venerandum illum non divertentem ab hoste, sed exhibentem se protinus hostiam et caesoris substinentem in patientia truces ictus, dimisit (spiritu petente superna) in ipso loco passionis occisum. Ipso quoque sacrilego, percussuras in Christi ministrum geminas inculcante, ille non querulosa voce murmurans, sed sufferens omnia patienter, suum Domino spiritum commendabat, dicens: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Symbolum etiam coepit dicere fidei, cuius nec in hoc articulo desiit esse praeco, prout ipse nefandus, qui a fidelibus captus fuit, et quondam frater Dominicus, qui comes illius erat, et ab ipso lictore percussus, diebus aliquibus supervixit, postea retulerunt. Sic granum frumenti cadens in terram, postea in infidelium manibus compressum et mortuum, uberem consurgit in spicam. Sic botrus in torculare calcatus, liquoris redundat in copiam. Sic triticum attritum in area, in dominicum horreum, excussa palea, deportatur. Sic aromata pilo contrita, odorem plenius circumfundunt. Sic, inquam, regnum coelorum a violentis percipitur. Sic per fidem a sanctis regna sublimia devincuntur. O quam insigne martyrium, quod titulus tam gloriosus illustrat! Pro defensione namque, ac exaltatione catholicae fidei, et assertione obedientiae Romanae Ecclesiae, vir ille venerabilis acerrimam mortem tulit. Hic in Ecclesia tamquam sydus radians et lumine fidei, et gratia praedicationis emicuit. Hic iam in coelo, quasi luminare conspicuum et splendore gloriae, et multorum coruscatione signorum effulget. Quia non vult Dominus ipsius abscondere sanctitatem, nec meritorum suorum virtutem supprimere in occulto; sed inter lucentia sanctorum candelabra, manifestius exaltare, ut omnibus, qui in Ecclesiae domo habitant, proferat clarum lumen.

Ubi nam passus sit.

Symbolum Fidei in extremo spiritu recitavit.

Quae viventem ipsum commendarunt, miracula percurrit Pontifex.

§ 5. Nam nec in vita latere sic potuit, quin miraculorum claritate pateret. Cuiusdam etenim nobilis filium, prae nimio et horribili totius gulae tumore, nec loqui, nec spirare valentem, levatis ad Deum manibus, et crucis in eum facto signaculo, illoque accipiente ipsius cappam et infirmo supponente loco, sanavit. Idem quoque nobilis, vehementi postmodum corporis torsione gravatus, credens et metuens exinde sibi mortis imminere discrimen, cappam ipsam, quam ex tunc conservaverat, reverenter fecit afferre. Qua suo apposita pectori, mox vermem quemdam duo habentem capita, et pilorum densitate villosum, evomuit, plena liberatione secuta. Cuidam etiam iuveni

muto, immisso digito in os eius, suaeque linguae soluto ligamine, beneficium loquelae concessit. Haec, et alia plura, dum viveret, dignatus est per eum Dominus operari.

Post mortem patrata recenset.

§ 6. Post mortem vero ipsius, lampades ad sepulchrum eius venerabile dependentes, pluries per seipsas absque omni humano studio et ministerio, divinitus sunt accensae. Quia conveniens nimis erat, ut, quoniam igne ac lumine fidei excellenter claruerat, singulare de ipso ignis et luminis miraculum appareret. Quidam autem dum vesceretur cum aliis, et illius sanctitatem et miracula depravaret, sumpto quodam sub hac attestatione morsello, quod cum non posset, si circa haec delinqueret, transglutire, sentit mox ipsum gutturi suo sic haerentem, ut illum educere vel inducere non valeret. Quare illico poenitens, et iam vultus mutato colore, quasi sentiens vicinae mortis eventum, facto intra se voto, quod linguam de caetero ad talia non laxaret, fuit protinus illo evomito liberatus. Hydropica quaedam ad locum passionis ipsius, auxilio viri perveniens, fusa ibi oratione, sanitatem integram mox accepit. Obsessas a daemonibus longo tempore mulieres, martyr ipse, deiectis illis cum multo sanguinis vomitu de corporibus, liberavit. Febres expulit, languores curavit plurimos et diversos. Cuiusdam sinistrae manus digitum, ex morbo fistulae plurium foraminum concavitate defossum, mira consolidatione sanavit. Quidam insuper puer ex casu gravissimo sic oppressus, ut motu et sensibus penitus destitutus, tamquam mortuus defleretur, mox apposita de terra suo pectori sacro eiusdem martyris cruore contacta, incolumis exurrexit. Quaedam cuius carnem cancer edax sedula corrosione vorabat, linitis huiusmodi terra vulneribus, est curata. Alii etiam diversis infirmitatibus occupati, qui sepulchrum eius, in vehiculis et aliis substentaculis adierunt, exinde postmodum plena incolumitate recepta, sine aliquibus subsidiis rediere. Ad haec, magna haereticorum et ipsorum credentium multitudo, cum tantam fidei adverterent efficaciam, et ad eam tot certis et apertis signorum indiciis, tamquam quibusdam clamantibus praeconibus, vocarentur, nec possent quasi tam validae illorum instantiae non parere, ad ipsius lucem fidei de sui erroris nubilo est conversa. Quid plura? his et quam multis aliis miraculis gloriosis magnificavit Dominus Sanctum suum, et colendum exhibuit universis.

Quanta exultare laetitia debeat Ecclesia.

§ 7. Laetetur itaque totus fidelium coetus, et laudum carmina Deo concinat alta voce, quod a suis tamquam Christi cohaeredibus mansiones coelicae possidentur. Exultet mater Ecclesia, quod palmes suus, quem in agro fidei plantavit et coluit, in coeleste plantarium est translatus. Gaudeat et insignis fratrum Praedicatorum ordo, quod ex eo prosiliit stella micans, cuius fulgentes radii in lumen hic peregrinantium diffunduntur.

Haereticorum fallaciae ex hoc omnibus manifestae.

§ 8. Erubescant fallaces haeretici, evangelicae quidem falsarii veritatis, quod sua mendacii commenta vilescunt, et convalescunt catholica et apostolica documenta. Obmutescant dolosa ipsorum labia, et impudentes frontes decidant iam confusae, cum ille, cuius veracem instructionem et salutaria monita renuebant, cuique mortis intulere supplicium, in coelo iam regnet inter agmina beatorum. Et mirum, cum aperte conspiciant Dei Ecclesiam talibus fulciri columnis, talibus parietibus circumcingi, talibus consurgere incrementis, talibus propugnaculis communiri, talibus defensari patronis, talibus miraculis illustrari; quod nihilominus in noctis tenebris et mortis caligine gradiuntur, quodque a suis oculis squamas non abiiciunt caecitatis, ut verum lumen videant et sequantur.

Ss. martyrum canoni adscribitur.

§ 9. Caeterum quia convenit, ut quem Dominus in coelo magnificat, mundus colat, nos de sanctitate vitae ac veritate miraculorum ipsius martyris inquiri fecimus diligenter. Et quia post inquisitio-

nem solertem, studiosam examinationem et discussionem solemnem, plura et maiora de ipso comperimus, quam insinuata fuissent, eum de communi fratrum nostrorum et praelatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, consilio et assensu confisi, de omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, ac nostra, sanctorum martyrum cathalogo duximus adscribendum.

29 aprilis festum ipsius celebrandum.

§ 10. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica scripta vobis praecipiendo mandantes, quatenus tertio kalendas maii festum eiusdem devote ac solemniter celebretis et faciatis a vestris subditis veneratione congrua celebrari; ut pia eius intercessione, et hic a noxiis protegi, et in futuro sempiterna consequi gaudia valeatis.

Indulgentia conceditur visitantibus eius sepulchrum.

§ 11. Et ut ad venerabile ipsius sepulchrum ardentius et affluentius christiani populi confluat multitudo, ac celebrius eius martyris colatur festivitas, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, annum unum et quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis ad praedictum sepulchrum infra eiusdem festi quindenam, quadraginta dies de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus.

Datum Perusii, nono kalendas aprilis, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 24 martii 1253, pontif. anno x.

XXXII.

Confirmatio formae eligendi priorem generalem fratrum ordinis Eremitarum S. Augustini eisdem a cardinali Sancti Eustachii praescriptae (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Cardinali S. Eustachii demandatum ab Innocentio examen formae electionis prioris generalis. — 2. Idem cardinalis legem sancit in huiusmodi electionibus servandam. — 3. Eam confirmat Pontifex. — 4. Cardinalis S. Eustachii litterae. — Prima ordinis domus apud Budriolum. — 5. Data ei a Sede Apostolica regula S. Augustini et habitus forma. — 6. Iuramentum praestari solitum a novitiis. — 7. Prior ordinis antea non diversus a priore Caesenaten. — 8. Id confirmatur litteris apostolicis. — 9. Ex diversitate priorum subortae in ordine contentiones. — Hinc electus prior generalis apud Ferrariam, — Mutataque verba professionis. — 10. Fratres autem domus Caesenae alium eligunt priorem, quem vocari quoque volunt generalem. — 11. Scandala inde exorta. — 12. Tandem ad card. protectorem procuratores missi, cuius cura nonnullae sancitae leges. — 13. Bononiae habito gen. capitulo, uterque electus officio cedit. — 14. Electus itaque alius prior generalis. — 15. Statutum ut prior generalis in posterum nominetur sine additione aliqua. — 16. Caeteri vero priores a dioecesanis instituendi, quibus illi sint subiecti. — 17. Forma professionis faciendae. — 18. Obedientia priori generali praestanda. — 19. Formula in litteris pontificiis servanda. — Clausulae.

(1) Edidit Empolus in Bullar. Ordinis.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis prioribus et fratribus ordinis Eremitarum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Admonet nos cura suscepti regiminis, et auctoritas pontificalis inducit, ut et plantare sacram religionem, et plantatam fovere summopere debeamus, quod utilius tunc exequimur, si ea, quae sunt recta, nutrimus, et corrigimus quae profectum virtutis impedire noscuntur.

Cardinali S. Eustachii demandatum ab Innocentio examen formae electionis prioris generalis.

§ 1. Quia vero diversitas formae, quam fratres vestri ordinis in profitendo et eligendo sibi priorem generalem servabant, diversitatem inducebat etiam animorum, et per consequens scandalum generabat, post diversas electiones et cessiones factas de prioribus in ordine ipso, et diversos processus super iis habitos, nos, ad quos spectat errata corrigere, ac nutrire directa, cupientes paci et tranquil-

litati vestrae paterna sollicitudine providere, dilecto filio nostro G. Sancti Eustachii diacono cardinali, cui dudum generalem curam ordinis praedicti commisimus, examinationem electionis celebratae in generalem priorem eiusdem ordinis, de dilecto filio fratre Lanfranco Mediolanensi, tunc priore domus vestrae Bononiensis, et processuum eorumdem, duximus committendam.

Idem cardinalis legem sancit in huiusmodi electionibus servandam.

§ 2. Cum igitur idem cardinalis de mandato et auctoritate nostra, de praefato L., quia eam invenit celebratam canonice confirmata, super professione ac electione, necnon et nominatione prioris ipsius ordinis faciendis de caetero ac aliis articulis, eadem auctoritate statutum edidit providum et honestum, prout in ipsius cardinalis litteris inde confectis plenius continetur.

Eam confirmat Pontifex.

§ 3. Nos vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinale super iis factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus; tenorem litterarum ipsarum praesentibus de verbo ad verbum inseri faciendo, qui talis est:

Cardinalis S. Eustachii litterae.

§ 4. Guillelmus miseratione divina S. Eustachii diaconus cardinalis, religiosis viris, et dilectis in Christo universis prioribus et fratribus ordinis Eremitarum, tam praesentibus, quam futuris, in perpetuum. Variam ..... ordinis vestri formam in profitendo et eligendo sibi priorem generalem sectantes, in variam inter se dissensionis materiam inciderunt, propter quod necessarium extitit in hac parte vobis et eidem ordini per Apostolicae Sedis providentiam subveniri. Sane ad audientiam domini Papae pervenit, quod bonae mem. . . . in ordine vestro primum apud Budriolum Caesenatis dioecesis, de concessione dioecesani loci eiusdem domum incaepit, et dum fama conversationis eius per loca vicina crebresceret, et plurimi converterentur ad eum, Ecclesiam in honorem beatae Mariae Virginis construxit ibidem. Crescente autem numero, merito huiusmodi conversorum receptorum per eos in diversis partibus, in quibus mansiones construxerant, extitit propagata.

Prima ordinis domus apud Budriolum.

Data ei a Sede Apostolica regula S. Augustini, et habitus forma.

§ 5. Cum autem iidem religiosi aliquam de approbatis regulam non haberent, quidam ex eis accedentes ad Sedem Apostolicam, obtinuerunt ab ea beati Augustini regulam sibi dari, et sic ex tunc coeperunt regularibus observantiis instrui et regulariter se habere. Et quia eorum habitus, quod habitui fratrum Minorum videbatur conformis, apud aliquos scandalum quodammodo suscitabat, de mandato et auctoritate duorum cardinalium, qui tunc in partibus Lombardiae legationis fungebantur officio, nigrum, quem gestatis adhuc, habitum elegerunt.

Iuramentum praestari solitum a novitiis.

§ 6. Qui cum iam vocarentur fratres eremitae Ioannis Boni ordinis S. Augustini, novitii, qui recipiebantur ab eis, profitebantur hoc modo: Ego N. facio professionem, et promitto obedientiam Deo et beatae Mariae et tibi priori fratrum Eremitarum Sanctae Mariae de Caesena, tuisque successoribus usque ad mortem, secundum regulam beati Augustini et constitutiones fratrum istius loci. In hac vero forma professionis, ubi dicebatur *istius loci*, auctoritate generalis capituli eorumdem fratrum *istius ordinis* postmodum dictum fuit.

Prior ordinis antea non diversus a priore Caesenaten.

§ 7. Cumque dictus frater Ioannes Bonus, qui per plures annos fratribus praedictis praefuerat, et fratres ipsi eidem tamquam institutori ordinis ipsorum reverenter intenderant, curae ipsorum, quae per excrescentem numerositatem subditorum excreverat, cedere aspiraret, fratre Matthæo, et quibusdam aliis fratribus suis assumptis, ad episcopum accessit, qui episcopus dictum fratrem Matthæum praesentatum sibi ab eisdem fratre Ioanne Bono et aliis in priorem dictae domus, et per hoc in generalem totius ordinis, sicut dicitur, confirmavit. Quo in religione praedicta annis pluribus

tamquam generali priore generaliter ministrante, quamplures intraverunt religionem eamdem, et secundum formam professionis praescriptae, quamquam nonnulli ex eis fratri Matthaeo praedicto simpliciter tamquam generali priori, non tamquam priori Sanctae Mariae praedictae de Caesena, se profiteri principaliter crederent, sunt professi.

Id confirmatur litteris apostolicis.

§ 8. Interea duo fratres professionis praedictae, Lugdunum ad Sedem Apostolicam venientes, generalem curam ordinis vestri a domino Papa nobis obtinuerunt committi, et privilegium quoddam commune, in cuius titulo scribebatur, priori fratrum Eremitarum Sanctae Mariae de Caesena, eique subiectis prioribus, et fratribus universis, a Sede reportarunt eadem.

Ex diversitate priorum subortae in ordine contentiones.

§ 9. Praedictus denique frater Matthæus prudenter attendens, quod in administratione curae, quam assumpserat, sine scandalo diutius remanere non poterat, eo quod ad eamdem curam a quibusdam fratribus Minoribus non sufficiens haberetur; vocatis prioribus et fratribus omnibus de ordine vestro, quorum intererat, generale capitulum apud Ferrariam congregavit. Sed inter ipsum fratrem Matthæum, et fratres de Caesena, ac quosdam alios priores et fratres de Romaniola super cessione ipsius F. Matthæi, antequam eligerent diffinitores generalis capituli, secundum tenorem constitutionum ipsius ordinis, et celebratione capituli eiusdem, contentione suborta, dicti fratres de Caesena, et alii contra praeceptum eiusdem fratris de ipso capitulo tamquam dissentientes et contradicentes, ne generale capitulum fieret, exierunt. Ipse vero frater Matthæus nihilominus diffinitoribus electis praedictis, in manibus eorumdem cessit administrationi generali, quam exercuerat, et .... si quod in confirmatione sua ab episcopo Caesenate acceperat, in manibus nuntii eiusdem praesentis ibidem publice resignavit; sicque huiusmodi cessione ac resignatione re-

Hinc electus prior generalis apud Ferrariam.

ceptis, quidam fratres ex iis, qui ibidem aderant ad eligendum priorem generalem assumpti, fratrem Hugonem Mantuanum in generalem priorem totius ordinis elegerunt. Per illos autem, qui remanserant, statutum fuit in eodem capitulo, ut omnes, qui ex tunc in ordine ipsorum profiteri deberent, profiterentur hoc modo: Ego N. facio professionem, et promitto obedientiam Deo, et beatae Mariae, et tibi priori generali fratrum Eremitarum Ioannis Boni.

Mutataque verba professionis.

§ 10. Post haec autem vir venerabilis Aquileiensis electus, tunc in Lombardia legatus Apostolicae Sedis, electionem huiusmodi confirmavit; fratres vero de Caesena, et quidam alii de Romaniola adhaerentes eisdem, apud Caesenam convenientes in unum, et tam consuetudini, qua prior fratrum S. Mariae de Caesena praedictae per fratres ordinis ad locum ipsum, tamquam ad primum et principalem, a quo idem ordo processerat, eligi, et generalis prior propter hoc merito esse, et appellari solebat, quam titulo praedicti privilegii, primo in ordine ipso obtenti, in quo praedicto priori de Caesena scribebatur principaliter, inhaerentes, fratrem Marcum Caesenatem in priorem dictae domus, et per hoc in generalem priorem totius ordinis, elegerunt, ac electionem, quam de ipso fecerant, obtinuerunt confirmari per episcopum Caesenatem.

Fratres autem domus Caesenae alium eligunt priorem, quem vocari quoque volunt generalem.

§ 11. Diversis igitur in ordine vestro assumptis generalibus prioribus, et adversis, alter in illos, qui obediebant alteri, multiplices excommunicationum sententias protulerunt: ex quibus nonnulli celebraverunt divina, et excommunicati taliter ad sacros ordines sunt promoti. Iis autem temporibus praedictus frater Ugo proprios nuntios ad Apostolicam Sedem transmittens, mutationem professionis praedictae, et id, quod super electione sua per praefatum legatum factum exstiterat, prout proinde facta fuerat, per eamdem Sedem obtinuit confirmari. Quod-

Scandala inde exorta.

dam etiam privilegium tunc obtinuit, quod in nullo alio, quam in titulo erat a priori divisum.

Tandem ad cardinal. protectorem procuratores missi, cuius cura nonnullae sancitae leges.

§ 12. Cum autem ordo vester in diversas partes divisus, inter multiplices contentiones et discordias in ipso exortas fere per triennium fluctuaret, tandem fratres ipsius ordinis cupientes unitatem et pacem in eodem ordine reformari, quatenus ex se ipsis procuratoribus constitutis, illos ad Curiam Romanam, et ad nos specialiter tamquam ad patronum sui ordinis transmiserunt. Sed quia tunc eos per nos commode non poteramus audire, prudentibus viris Electo Paduano et fratri Simoni Mediolanensi lectori de ordine Minorum cappellanis, et sociis nostris commisimus, ut procuratores eosdem super iis, quae vellent proponere, diligenter audirent, et prout studiosius possent ordinem ipsum ad statum unitatis et pacis intenderent revocare. Dicti vero Electus et frater Simon statu et conditionibus ordinis per praedictos procuratores plenius intellectis, quaedam in ordine ipso, pro bono statu eiusdem super certis articulis de assensu procuratorum ipsorum pronunciaverunt servanda, et tandem procuratores ipsos concordes ad propria remiserunt.

Bononiae habito gen. capitulo, uterque electus officio cedit.

§ 13. Quibus ita remissis, praefati Ugo et Marcus, qui pro generalibus prioribus se gerebant, et alii fratres, qui obediebant eisdem, de communi voluntate omnium, generale capitulum apud Bononiam celebrarunt, in quo videlicet capitulo, ordinatione, quae per praedictos Electum Paduanum et fratrem Simonem tradita fuerat et lecta, et diffinitoribus capituli generalis electis, praedictus F. Marcus properavit Caesenam, et in manibus episcopi Caesenatis cessit prioratui loci eiusdem, in quo per ipsum episcopum fuerat confirmatus, et per eumdem a cura prioratus ipsius extitit absolutus. Frater vero Ugo, qui per Sedem Apostolicam confirmatus fuerat in manibus magistri Bernardi canonici Bononiensis domini Papae cappellani, cui auctoritate apostolica commissum extiterat, quod reciperet cessionem eiusdem, administrationi et officio cessit.

Electus itaque alius prior generalis.

§ 14. Cessionibus itaque huiusmodi taliter expeditis, priores de ipso capitulo secedentes in parte, prout spectabat ad eos, ad tractandum de electione futuri generalis prioris, in quatuor fratres de ipso capitulo, qui deberent generalem priorem eligere, consenserunt. Illi autem Spiritus Sancti gratia invocata, fratrem Lanfranchum Mediolanensem, tunc priorem domus vestrae Bononiensis, in priorem generalem ordinis vestri unanimiter et concorditer elegerunt. Electio cuius approbata per communem consensum omnium de ipso capitulo, fuit ad Sedem Apostolicam per procuratores ipsius capituli confirmanda delata: cuius electionis, et eorum, quae superius sunt narrata, processum, nobis dominus Papa examinandum, et plenius intelligendum commisit. Unde nos, praemissis omnibus intellectis, ea in ipsius domini Papae et fratrum suorum praesentia fideliter retulimus, et recitavimus diligenter.

Statutum, ut prior generalis in posterum nominetur sine additione aliqua.

§ 15. Nos itaque de speciali mandato, et auctoritate eiusdem domini, electionem praedicti fratris Lanfranchi, quam invenimus celebratam canonice, ac ipsum fratrem Lanfranchum in generalem priorem vestri ordinis confirmamus. Eadem auctoritate nihilominus statuentes, ut idem prior, et quilibet eius successor in perpetuum, qui quidem cum eligendus fuerit secundum sanctiones canonicas, et statuta vestri ordinis eligatur, et electionis suae confirmationem ab Apostolica Sede, seu a legato ipsius dumtaxat recipiat, generalis prior ordinis Eremitarum, sine alicuius certi loci, vel proprii nominis expressione, de caetero deberet appellari, et ei tamquam priori generali eorum omnes priores et fratres ipsius ordinis, qui etiam nominentur simpliciter fratres ordinis Eremitarum, in omnibus humiliter obediant et intendant.

Caeteri vero priores a dioecesanis instituendi, quibus illi sint subiecti.

§ 16. Prior quoque S. Mariae de Caesena, et alii priores vestri ordinis, qui consueverunt in prioratibus suis institui per dioecesanos locorum, per eosdem instituantur in eis, et tam prior generalis, quam alii provinciales et conventuales priores eiusdem ordinis, episcopis, in quorum dioecesibus degunt, in iis, quae ad iurisdictionem episcopalem pertinent, intendant reverenter, et respondeant, prout debetur; ita tamen quod iidem episcopi contra ipsum priorem generalem, inconsulto Romano Pontifice, nil attentent.

Forma professionis faciendae.

§ 17. Fratres etiam, qui de caetero in ordine vestro debuerint profiteri, eidem priori generali, vel certo eius nuntio profiteantur hoc modo: Ego N. facio professionem, et promitto obedientiam Deo et beatae Mariae Virgini, et tibi priori generali ordinis Eremitarum, tuisque successoribus usque ad mortem, secundum regulam beati Augustini, et constitutiones fratrum istius ordinis. Non obstantibus professionibus, et consuetudinibus quibuslibet, ubicumque in ordine vestro aliter hactenus observatis, seu privilegiis et indulgentiis, ac confirmationibus apostolicis cuicumque loco, vel personae ab Apostolica Sede concessis, quae cassa, et vacua, et nullius esse momenti de caetero auctoritate decernimus supradicta, seu conditione, qua praedictus episcopus Caesenas in concessione, quam fecit fratri Ioanni Bono de loco Ecclesiae Sanctae Mariae de Caesena praedictae apposuisse refertur, quod nec ipse frater Ioannes Bonus, nec aliquis eius successor possit locum, et Ecclesiam praedictam alicui loco supponere, vel personae; aut quod priores dicti loci fuerunt in eo per eumdem episcopum aliquando pro generalibus prioribus vestri ordinis confirmati.

Obedientia priori generali praestanda.

§ 18. Cum illis autem de ordine vestro, qui aliis prioribus generalibus aliter, sive quocumque modo in eodem ordine hactenus sunt professi, dispensamus auctoritate praefata, et decernimus, quod dicto fratri Lanfranco, tamquam priori generali eorum, eiusque successoribus in omnibus ad obedientiam et reverentiam teneantur.

Formula in litteris pontificiis servanda.

§ 19. In privilegio quoque ordinis vestri, huiusmodi titulus de caetero apponatur: Innocentius episcopus *etc.* Dilectis filiis priori generali ordinis Eremitarum, ac aliis provincialibus, et conventualibus prioribus, conventibus quoque, ac aliis fratribus universis sibi subiectis, tam praesentibus quam futuris eremiticam vitam professis, in perpetuum. Ad praemissorum autem omnium memoriam, et perpetuam firmitatem, praesentem paginam fecimus sigilli nostri munimine roborari. Datum Perusii sexto idus ianuarii, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, pontificatus domini Innocentii Papae quarti anno decimo.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Perusii septimo kalendas maii, pontificatus nostri anno decimo.

Dat. die 25 aprilis 1253, pontif. anno x.

XXXIII.

Approbatio regulae a beato Francisco traditae Sanctae Clarae, et aliis sororibus (1).

SUMMARIUM

Exordium. — A. B. Francisco Clarissis data regula. — 1. Ab episcopo Ostiensi exarata, ab Innocentio confirmatur. — 2. Mitigatio Ostiensis episcopi, seu eius hac de re litterae. — Regula et vita Sororum Pauperum. — Examinetur recipienda. — Nihil de eius bonis retineant moniales. — Habitus monialium. — Modus recitandi divinum Officium. — Orandum pro defunctis, — Semperque ieiunandum — Quo-

(1) Ex Waddingo, tom. II, pag. 78.

ties confitendum. — Professa canonice eligatur in abbatissam. — Insufficiens deponenda. — Electae quae cogitanda et facienda. — Convocandae moniales ad capitulum. — Non contrahenda debita: nec admittenda deposita. — Officiales discretae eligendae. — Tempus et loca silentii. — Quando et qualiter ad cratem colloquendum. — Modus et custodia cratis. — Paupertas summo studio servanda. — Proprietas omnino vitanda. — Laborandum in opere manuum. — Abbatissa de laboritio, et eleemosynis disponat. — Nihil proprium sorores reputent. — Nihil emittendum vel recipiendum inconsulta abbatissa. — Serviendum et providendum infirmis. — Quomodo infirmis cubandum. — Fugienda colloquia intrantium. — Peccantes corrigendae. — Rixantes conciliandae. — Servientibus extra monasterium quae observanda. — Abbatissae charitative corrigant. — Quae vitanda a sororibus. — Ostiariae leges. — Leges visitatoris et capellani. —

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Sanctae Clarae abbatissae, aliisque sororibus monasterii Sancti Damiani Assisinatis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium precibus favorem benevolum impartiri. Ex parte siquidem vestra nobis extitit humiliter supplicatum, ut vitae formulam, iuxta quam communiter in spirituum unitate, ac voto altissimae paupertatis, vivere deberetis, vobis a beato Francisco traditam, et a vobis sponte susceptam, venerabilis frater noster Ostiensis et Vellitrensis episcopus duxerit approbandam, secundum quod in ipsius episcopi litteris plenius continetur, nos curaremus apostolico munimine roborare.

A. B. Francisco Clarissis data regula.

Ab episcopo Ostiensi exarata, ab Innocentio confirmatur.

§ 1. Devotionis igitur vestrae precibus inclinati, quod ab eodem episcopo super hoc factum est, et ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum praesentibus inseri facientes, qui talis est:

Mitigatio Ostiensis episcopi, seu eius hac de re litterae.

§ 2. Raynaldus miseratione divina Ostiensis et Velletrensis episcopus, charissimae sibi in Christo matri et filiae dominae Clarae, abbatissae Sancti Damiani Assisinatis, eiusque sororibus, tam praesentibus, quam futuris, salutem et benedictionem paternam. Quia vos, dilectae in Christo filiae, mundi pompas et delitias contempsistis, et ipsius Christi, eiusque sanctissimae matris sequentes vestigia, elegistis habitare inclusae corpore, et in paupertate summa deservire, ut mente libera possitis Domino famulari: nos vestrum sanctum propositum in Domino commendantes, votis vestris, et sanctis desideriis libenter volumus affectu paterno favorem benevolum impartiri. Eapropter, vestris piis precibus inclinati, formam vivendi ac modum sanctae unitatis, ac altissimae paupertatis, quam vobis B. pater Franciscus, verbo et scripto tradidit observandam, praesentibus annotatam auctoritate domini Papae et mea, vobis et omnibus in vestro monasterio succedentibus in perpepetuum confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, quae talis est.

CAP. 1.

Regula et vita Sororum Pauperum.

Incipit regula et forma vitae ordinis sororum Pauperum, quam beatus Franciscus instituit. Quae quidem est: Sanctum Evangelium Domini Nostri Iesu Christi observare, vivendo in obedientia sine proprio et in castitate. Clara indigna ancilla Christi et plantula beatissimi patris Francisci, promittit observantiam et reverentiam domino Papae Innocentio, et successoribus eius canonice intrantibus, et Ecclesiae Romanae. Et sicut in principio conversionis suae, una cum sororibus suis promisit obedientiam beato Francisco, ita eamdem promittit inviolabiliter observare successoribus suis. Et aliae sorores teneantur semper successoribus beati Francisci et sorori Clarae, et aliis

abbatissis canonice electis ei succedentibus obedire.

Cap. 2.

Examinetur recipienda.

Si qua, divina inspiratione, venerit ad vos, volens vitam istam accipere, abbatissa sororum omnium consensum requirere teneatur, et si maior pars consenserit, habita licentia domini cardinalis protectoris vestri, possit eam recipere. Et si recipiendam viderit, diligenter examinet eam, vel examinari faciat de Fide catholica et ecclesiasticis Sacramentis. Et si haec omnia credat et velit ea fideliter confiteri, et usque in finem firmiter observare, et virum non habeat, vel si habet, et iam religionem intravit auctoritate dioecesani episcopi, voto continentiae iam emisso, aetate etiam longaeva, vel infirmitate aliqua, seu fatuitate, ab huiusmodi vitae observantia non impediente, diligenter exponatur ei tenor vitae vestrae. Et si idonea fuerit, dicatur ei verbum Sancti Evangelii, quod vadat et vendat omnia sua, et ea studeat pauperibus erogare. Quod si facere non potuerit, sufficit ei bona voluntas. Et caveant abbatissa et eius sorores, ne sollicitae sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciat de rebus suis quicquid Dominus inspiraverit ei. Si tamen consilium requiratur, mittat eam ad aliquos discretos et Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea, capillis tonsis in rotundum et deposito habitu saeculari, concedant ei tres tunicas et mantellum. Deinceps extra monasterium, sine utili manifesta et probabili causa, eidem exire non liceat. Finito vero anno probationis, recipiatur ad obedientiam, promittens vitam et formam paupertatis vestrae in perpetuum observare: nulla infra tempus probationis veletur. Mantellum etiam possint sorores habere pro alleviatione et honestate servitii et laboris. Abbatissa vero de vestimentis discrete eis provideat, secundum qualitates personarum et loca, et tempora, et frigidas regiones, sicut necessitati viderit expedire. Iuvenculae in monasterio receptae, infra tempus aetatis legitimae tondeantur in rotundum. Et deposito habitu saeculari, induantur panno religioso, sicut visum fuerit abbatissae. Cum vero ad aetatem legitimam venerint, indutae iuxta formam aliarum, faciant professionem suam. Et tam ipsis quam aliis noviliis, abbatissa sollicite magistram provideat de discretioribus totius monasterii, quae in sancta conversatione et honestis moribus, iuxta formam professionis vestrae, eas diligenter informet. In examinatione et receptione sororum servientium extra monasterium, servetur forma praedicta, quae possint portare calceamenta. Nulla vobiscum residentiam faciat in monasterio, nisi recepta fuerit secundum formam vestrae professionis. Et amore sanctissimi et dilectissimi Pueri, pauperculis panniculis involuti, in praesepio reclinati, et sanctissimae Matris eius, moneo, deprecor et exhortor sorores meas, ut vestimentis semper vilibus induantur.

Nihil de eius bonis retineant moniales.

Habitus monialium

Cap. 3.

Modus recitandi divinum Officium.

Sorores litteratae faciant divinum Officium secundum consuetudinem fratrum Minorum, ex quo potuerint habere breviaria, legendo sine cantu. Et quae occasione rationabili non possunt aliquando legendo dicere horas suas, liceat eis sicut aliae sorores dicere *Pater noster*. Quae vero litteras nesciunt, dicant vigintiquatuor *Pater noster* pro matutino, pro laudibus quinque; pro prima vero, tertia, sexta et nona, pro qualibet istarum septem; pro defunctis dicant etiam in vesperis septem *Pater noster* et *Requiem aeternam*, pro matutino duodecim. Sorores litteratae teneantur dicere Officium Mortuorum. Quando vero soror monasterii vestri migraverit, dicant quinquaginta *Pater noster*. Omni tempore sorores ieiunent. In Nativitate Domini, quacumque die venerit, bis refici possint. Cum adolescentibus, debilibus et servientibus extra monaste-

Orandum pro defunctis.

Semperque ieiunandum.

rium, sicut videbitur abbatissae misericorditer dispensetur. Tempore vero manifestae necessitatis non teneantur sorores ieiunio corporali. Duodecim vicibus ad minus, de abbatissae licentia, confiteantur in anno. Et cavere debent, ne alia verba tunc inserant, nisi quae ad confessionem et salutem pertinent animarum. Septem vicibus communicent, videlicet in Nativitate Domini; in quinta feria maioris hebdomadae; in Resurrectione Domino; in Pentecoste; in Assumptione Beatae Virginis; in festo Sancti Francisci; et in festo Omnium Sanctorum. Pro communicandis infirmis sororibus, cappellanis intus liceat celebrare.

Quoties confitendum.

Cap. 4.

In electione abbatissae teneantur formam canonicam observare. Procurent ipsae habere generalem ministrum, vel provincialem ordinis fratrum Minorum, qui verbo Dei eas informet ad omnimodam concordiam et communem utilitatem in electione facienda. Et nulla eligatur nisi professa. Et si non professa eligeretur, vel aliter daretur, ei non obediatur, nisi prius profiteatur formam paupertatis vestrae. Qua decedente, electio alterius fiat abbatissae. Et si aliquo tempore appareret universitati sororum, praedictam non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem ipsarum, teneantur praedictae sorores, iuxta formam praedictam, quam citius potuerunt aliam sibi in abbatissam et matrem eligere. Electa vero cogitet quale onus in se suscepit, et cui redditura est rationem de grege sibi commisso. Studeat etiam aliis magis præesse virtutibus et sanctis moribus, quam ex officio, ut eius exemplo provocatae sorores potius ex amore obediant quam timore. Privatis amoribus careat, ne dum in parte plus diligit, in totum scandalum generet. Consoletur afflictas. Sit etiam ultimum refugium tribulatis, ne, si apud eam remedia defuerint sanitatum, desperationis morbus praevaleat infirmis. Communitatem servet in omnibus, praecipue autem in ecclesia, dormitorio, refectorio, infirmaria et vestimentis. Quod simili modo servare eius vicaria teneatur. Semel in hebdomada ad minus abbatissa sorores suas teneatur ad capitulum convocare. Ubi tam ipsa, quam sorores, de omnibus et publicis offensis et negligentiis debeant humiliter confiteri. Et quae tractanda sunt pro utilitate et honestate monasterii ibidem conferat cum omnibus sororibus. Saepe enim Dominus, quod melius est, minori revelat. Nullum debitum grave fiat, nisi de communi consensu sororum, et manifesta necessitate, et hoc per procuratorem. Caveat autem abbatissa cum sororibus suis, ne depositum aliquod recipiatur in monasterio. Saepe enim de iis turbationes et scandala oriuntur. Ad conservandam autem unitatem mutuae dilectionis et pacis de communi consensu omnium sororum, omnes officiales monasterii eligantur. Et eodem modo octo ad minus sorores de discretioribus eligantur, quarum in iis, quae forma vitae vestrae requirit, abbatissa semper uti consilio teneatur. Possint etiam sorores et debeant si eis utile et expediens videatur, officiales et discretas aliquando removere, et alias loco ipsarum eligere.

Professa canonice eligatur in abbatissam.

Insufficiens deponenda.

Electae quae cogitanda et facienda.

Convocandae moniales ad capitulum.

Non contrahenda debita: nec admittenda deposita.

Officiales discretae eligendae.

Cap. 5.

Ab hora Completorii usque ad Tertiam sorores silentium teneant, exceptis servientibus extra monasterium. Sileant etiam continue in ecclesia, dormitorio, et in refectorio tantum, dum comedunt, praeterquam in infirmaria, in qua pro recreatione et servitio infirmarum, loqui discrete semper sororibus liceat. Possint etiam semper et ubique breviter submissa voce, quod necesse fuerit insinuare. Non liceat sororibus loqui ad locutorium vel ad cratem sine licentia abbatissae, vel eius vicariae. Et licentiatae ad locutorium loqui non audeant, nisi praesentibus et audientibus duabus sororibus. Ad cratem

Tempus et loca silentii.

Quando et qualiter ad cratem colloquendum.

vero non praesumant accedere, nisi praesentibus ad minus tribus per abbatissam, vel eius vicariam assignatis, de illis discretis, quae sunt electae ab omnibus sororibus pro consilio abbatissae. Hanc formam loquendi teneantur pro posse abbatissa et eius vicaria observare: et hoc de crate rarissime: ad portam vero nullatenus fiat. Ad cratem vero pannus interius apponatur, qui non removeatur nisi cum proponitur verbum Dei, vel aliqua alicui loqueretur. Habeant etiam ostium ligneum diversis, vel duabus seris ferreis, valvis et vectibus optime coniunctum, ut nocte maxime duabus clavibus obseretur, quarum unam habeat abbatissa, aliam vero sacrista. Et maneat semper obseratum, nisi cum auditur divinum officium et pro causis superius memoratis. Nulla ante solis ortum, vel post solis occasum loqui ad cratem alicui ullatenus debeat. Ad locutorium vero semper pannus, qui non removeatur, interius maneat. In quadragesima S. Martini et quadragesima maiori nulla loquatur ad locutorium, nisi sacerdoti, causa confessionis, vel alterius manifestae necessitatis, quod reservetur in prudentia abbatissae, vel eius vicariae.

Modus et custodia cratis.

Cap. 6.

Postquam Altissimus Pater Coelestis per gratiam suam cor meum dignatus est illustrare, ut exemplo et doctrina beatissimi Patris nostri Francisci poenitentiam facerem, paulo post conversionem ipsius una cum sororibus meis obedientiam sibi voluntarie promisi. Attendens beatus pauper, quod nullam paupertatem, laborem, tribulationem et contemptum saeculi timeremus, imo quod pro magnis delitiis haberemus, pietate motus scripsit nobis formam vivendi in hunc modum: Quia Domini inspiratione fecistis vos filias et ancillas Altissimi summi Regis Patris Coelestis, et Spiritui Sancto vos desponsastis vivere secundum perfectionem sancti Evangelii, volo et promitto per me, et fratres meos, semper habere de vobis tamquam de ipsis curam diligentem et sollicitudinem specialem: quod dum vixit diligenter implevit, et a fratribus voluit semper impleri. Et ut nusquam declinaremus a sanctissima paupertate, quam caepimus, nec etiam eas, qui post venirent lateret, paulo ante obitum suum, iterum scripsit nobis ultimam voluntatem suam, dicens: Ego frater Franciscus pauperculus, volo sequi vitam et paupertatem Altissimi Domini nostri Iesu Christi et eius sanctissimae Matris, et perseverare in ea usque ad finem. Et rogo vos omnes dominas meas, et consilium do vobis, ut in ista sanctissima vita et paupertate semper vivatis. Et custodite vos multum, ne doctrina, vel consilio alicuius, ab ipsa in perpetuum recedatis. Et sicut semper sollicita fui, una cum sororibus meis, sanctam paupertatem, quam Domino Deo et B. Francisco promisimus, custodire, sic teneantur abbatissae, quae in officio mihi succedent, et omnes sorores, usque in finem inviolabiliter observare. Videlicet in non recipiendo, seu habendo possessionem vel proprietatem per se, nec per interpositam personam, seu etiam aliquid quod rationabiliter proprietas dici potest, nisi quantum terrae, pro honestate et renovatione monasterii necessitas requirit: et illa terra non laboretur, nisi pro horto ad necessitatem ipsarum.

Paupertas summo studio servanda.

Proprietas omnino vitanda.

Cap. 7.

Sorores, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, post horam tertiam laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem et communem utilitatem, fideliter et devote; ita quod excluso otio, animae inimico, sanctae orationis ac devotionis spiritum non extinguant, cui debent caetera temporalia deservire. Et id quod manibus suis operantur, assignare in capitulo abbatissae, vel eius vicariae coram omnibus teneantur. Idem fiat de eleemosyna aliqua missa pro sororum necessitatibus, ab aliquibus, ut in com-

Laborandum in opere manuum.

Abbatissa de laboritio, et eleemosynis disponat.

muni pro eisdem recommendatio fiat. Et haec omnia pro communi utilitate distribuantur per abbatissam, vel eius vicariam de consilio discretarum.

Cap. 8.

Nihil proprium sorores reputent.

Sorores nihil approprient sibi, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrinae et advenae in hoc saeculo in paupertate et humilitate Domino famulantes, mittant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eas verecundari, quia Dominus se fecit pro nobis pauperem in hoc mundo. Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos charissimas sorores meas, haeredes, et reginas regni coelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium. Cui, dilectissimae sorores, totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub coelo habere velitis. Non liceat alicui sorori litteras mittere, vel aliquid recipere, aut extra monasterium dare, sine licentia abbatissae. Nec quicquam liceat habere, quod abbatissa non dederit aut permiserit. Et si a parentibus suis, vel ab aliis aliquid mitteretur, abbatissa faciat illi dare. Ipsa autem si indigeat, uti possit; sin autem, sorori indigenti caritative communicet. Si vero aliqua pecunia transmissa fuerit, abbatissa, de consilio discretarum, de illis quorum indiget illi faciat providere. De infirmis sororibus, tam in utensiliis, quam in cibariis, et aliis necessariis, quae earum requirit infirmitas, teneatur firmiter abbatissa sollicite per se, vel alias inquirere, et iuxta possibilitatem loci charitative et misericorditer providere. Quia omnes tenentur providere, et servire sororibus suis infirmis, sicut vellent sibi serviri, si ab aliqua infirmitate tenerentur. Et secure manifestet una alteri necessitatem suam. Et si vera mater diligit et nutrit filiam suam carnalem, quanto diligentius debet soror diligere et nutrire sororem suam spiritualem? Quae infirmae in saccis et paleis iaceant, et habeant ad caput capitalia cum pluma. Et quae indigent pedeolis laneis et cultricis, uti possint; infirmae vero praedictae, cum ab introeuntibus monasterium visitantur, possint singulae aliqua bona verba sibi loquentibus breviter respondere. Aliae vero sorores licentiatae, monasterium intrantibus loqui non audeant, nisi praesentibus et audientibus duabus discretis sororibus per abbatissam et eius vicariam assignatis. Hanc formam loquendi teneantur pro se abbatissa et eius vicaria observare.

Nihil emittendum vel recipiendum inconsulta abbatissa.

Serviendum et providendum infirmis.

Quomodo infirmis cubandum.

Fugienda colloquia intrantium.

Cap. 9.

Si qua sororum, contra formam professionis nostrae mortaliter inimico instigante peccaverit, per abbatissam, vel alias sorores, bis vel ter admonita, si non se emendaverit, quot diebus contumax fuerit, in terra panem et aquam coram sororibus omnibus in refectorio comedat, et graviori poenae subiaceat, si visum fuerit abbatissae. Interim dum contumax fuerit, oretur, ut Dominus ad poenitentiam cor illius illuminet: abbatissa vero et eius sorores cavere debent, ne irascantur vel conturbentur propter peccatum alicuius. Quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt charitatem. Si contigerit (quod absit) inter sororem et sororem, verbo vel signo occasionem turbationis, vel scandali aliquando suboriri, quae turbationis causam dederit, statim antequam offerat munus orationis suae coram Deo, non solum humiliter prosternet se ad pedes alterius, veniam petens; verum etiam suppliciter roget, ut pro se intercedat ad Dominum, quod sibi indulgeat. Illa vero memor illius verbi Domini: Nisi ex corde dimiseritis, nec Pater vester coelestis dimittet vobis, liberaliter sorori suae omnem iniuriam sibi illatam dimittat. Sorores servientes extra monasterium longam moram faciant, nisi causa manifestae necessitatis requirat. Et

Peccantes corrigendae.

Rixantes conciliandae.

Servientibus extra monasterium quae observanda.

honeste debeant ambulare, et parum loqui, ut aedificari valeant semper intuentes. Et firmiter caveant, ne habeant suspecta consortia vel confinia aliquorum. Nec fiant commatres virorum vel mulierum, ne hac occasione murmuratio vel turbatio oriatur. Nec praesumant rumores de saeculo referre in monasterio. Et firmiter teneantur de iis, quae intus dicuntur vel aguntur, extra monasterium aliquid non referre, quod possit aliquod scandalum generare. Et si aliqua simpliciter in his duobus offenderit, sit in providentia abbatissae misericorditer sibi poenitentiam iniungere. Si autem, ex consuetudine, vitiosa haberetur, iuxta qualitatem culpae, abbatissa de consilio discretarum illi poenitentiam iniungat.

CAP. 10.

Abbatissa moneat et visitet sorores suas, et humiliter et caritative corrigat eas, non praecipiens eis aliquid, quod sit contra animam suam, et vestrae professionis formam. Sorores vero subditae recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter suis abbatissis obedire teneantur in omnibus his, quae observare promiserunt, et non animae contraria, et nostrae professioni. Abbatissae vero tantam familiaritatem habeant circa ipsas, ut dicere possint eis, et facere, sicut dominae ancillis suis. Nam ita debet esse, quod abbatissa sit omnium sororum ancilla. Moneo vero et exhortor in Domino Iesu Christo, ut caveant sorores ab omni superbia, vanagloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine huius saeculi, detractione et murmuratione, dissensione et divisione. Sint vero sollicitae semper ad invicem servare mutuae dilectionis unitatem, quae est vinculum perfectionis. Et nescientes litteras, non curent litteras addiscere, sed attendant (quod super omnia desiderare debent) habere spiritum Domini, et sanctam eius operationem, orare semper ad Deum puro corde, et habere humilitatem et patientiam in tribulatione, et in infirmitate, et diligere eos, qui nos reprehendunt et arguunt: Quia dicit Dominus: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Abbatissae charitative corrigant

Quae vitanda a sororibus

CAP. 11.

Ostiariae leges.

Ostiaria sit matura moribus, et discreta, sitque convenientis aetatis, quae ibidem in cella aperta, sine ostio in die resideat. Sit ei et aliqua socia idonea assignata, quae cum necesse fuerit, vicem eius in omnibus exequetur. Sit autem ostium duabus seris, et diversis ferreis valvis et vectibus optime coniunctum. Et in nocte maxime, duabus clavibus obseretur. Quarum unam habeat portaria, aliamque abbatissa. In die sine custodia minime dimittatur, et una clave minime obseretur. Caveant autem studiosissime, et procurent, ne unquam ostium stet apertum ubi minus fieri poterit congruenter. Nec omnino aperiatur alicui volenti, nisi concessum fuerit a Summo Pontifice, vel a domino cardinale. Nec ante solis ortum monasterium ingredi liceat, nec post solis occasum sorores intus aliquem remanere permittant, nisi exigente manifesta, rationabili, et inevitabili causa. Si pro benedictione abbatissae, vel pro aliqua in monialem consecranda, vel alio etiam modo concessum fuerit episcopo alicui missam intus celebrare, quam paucioribus et honestioribus poterit, sit contentus sociis et ministris. Cum autem intra monasterium ad opus faciendum necesse fuerit aliquos introire, statuat tunc abbatissa sollicite personam convenientem ad portam, quatenus illis, non aliis, ad opus deputatis aperiatur. Caveant studiose omnes sorores, ne tunc ab ingredientibus videantur.

Cap. 12.

Leges visitatoris et cappellani.

Visitator vester semper sit de ordine fratrum Minorum secundum voluntatem et mandatum nostri cardinalis. Et sit talis, de cuius honestate et moribus plena notitia habeatur. Cuius officium erit, tam in capite, quam in membris corrigere excessus commissos contra formam professionis vestrae. Qui stans in publico loco, ut videri ab aliis possit, cum pluribus et singulis loqui liceat, quae ad officium visitationis pertinent, secundum quod melius videbitur expedire. Cappellanum etiam cum uno socio clerico bonae famae, discretionis providae; et duos fratres laicos sanctae conversationis et honestatis amatores, in subsidium paupertatis vestrae, sicut misericorditer a praedicto ordine fratrum Minorum semper habuimus, et intuitu pietatis Dei et beati Francisci, ab eodem ordine de gratia postulamus. Nec liceat cappellano sine socio monasterium ingredi. Et intrantes in loco sint publico, ut se possint alterutrum, et ab aliis intueri. Pro confessione infirmarum, quae ad locutorium ire non possint, pro communicandis eisdem, et pro extrema unctione, et pro animae recommendatione, liceat eisdem introire. Pro exequiis vero, et missarum solemniis defunctarum, vel ad fodiendam, vel aperiendam sepulturam, seu etiam coaptandam, possint sufficientes idoneæ personae de abbatissae providentia introire. Ad haec sorores teneantur semper habere illum de sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus pro vestro gubernatore, protectore et correctore, qui fuerit a domino Papa fratribus Minoribus deputatus, ut semper subditae, et subiectae pedibus eiusdem S. R. E. stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem domini nostri Iesu Christi, et eius sanctissimae matris in perpetuum observemus.

Datum Perusii 16 kalendas octobris, pontificatus vero domini Innocentii tertii anno decimo.

Nulli ergo *etc.*

Datum Assisii quinto idus augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 9 augusti 1253, pontif. anno XI.

XXXIV.

Canonizatio beati Stanislai episcopi Cracoviensis in Polonia, eiusque adscriptio in numerum Sanctorum, cum eiusdem festivitatis institutione pro die 8 maii.

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. B. Stanislaus episcopatum optime administrans; — A rege incorrigibili, ideoque excommunicato, — 3. Crudeliter occisus, concisusque, — 4. A Deo illustratus miraculosa conservatione corporis, — 5. Frequentibus miraculis, — 6. Sanctorum cathalogo adscribitur, — 7. Festo annuo honorandus. — 8. Indulgentia eius sepulchrum visitantibus proposita.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis, abbatibus, prioribus, archipresbyteris, decanis, archidiaconis et aliis Ecclesiarum praelatis, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium

Olim a gentilium oculis tenebrarum detersa caligine, et ab eorum cordibus infidelitatis gelidae hyeme secedente, vernalis ex eo successit amoenitas redolentium florum venustate decora, quod Ecclesiae prius desertae ac sterili filii devotione praecipui, valloque constantiae praemuniti, nascuntur, qui ut flores primaevi et diffusam spirant suavitatem odoris, et uberioris per Dei gratiam fructum sibi proferunt honestatis. Sicque filiorum sibi multitudine proveniente innumera, suique loco a mari usque ad mare tentorii dilatatio infra ipsius invaluit terminos, vox turturis gemitus, ac doloris, dum saeva mitescens tyrannorum crudelitas,

idolis exterminio traditis, ad lamenta poenitentiae, suffragante illo, cuius stupenda sunt opera, mirifice se convertit. Gaudeat itaque ob hoc ipsa Ecclesia, quae probrosae detrimenta sterilitatis abiiciens, salubris incrementa fertilitatis suscepit, ac nuptiali foedere nunc illi gratiosa coniungitur, a quo priusquam esset assumpta de gentibus, invenerat se desertam. Laetetur igitur, aemulaeque suae de terrestri etiam eiectae Hierusalem, synagogae videlicet, dudum sibi huiusmodi sterilitatis incommoda impingenti, secura respondeat, quod iam suae prolis foecunditate coelestis muri Hierusalem cicatrix obducitur, et quae antiqui habitatores vacua domicilia reliquerunt, ipsa suae universitatis illustrabit praesentia, foelici (1)........ Porro ne huiusmodi exuberante laetitia, quispiam in valle miseriae, morientium terra, requiem posset sibi polliceri continuam, cuius vita est, adversus inimicorum ingruentia bella exterorum castra, militia super terram; ac ne praedicta Ecclesia, quae mater est cunctorum fidelium, maternae conditionis expers existeret, si solitas, praesertim in partu quorumdam filiorum suorum, matrum parientium molestias non subiret, interdum instauratur quodammodo sibi adversitas opportuna, sicut in passione piae memoriae beati Stanislai Cracovien. episcopi, cuius meritis praefata refulget Ecclesia, patuit evidenter.

B. Stanislaus episcopat. optime administrans;

§ 1. Cum enim idem in sortem pontificalis ministerii digne vocatus a Domino, super gregis sibi commissi prudenter custodiam vigilaret, hostium sagaciter exploravit insidias, malignantium anticipavit consilia, aemulique nostri deprehendens laqueos, ipsius caute retiacula dissolvebat. Hic nempe pro suis ovibus cor suum tradiderat ad vigilandum diluculo, ut si quem gravi forte deprehenderet tentatione concussum, mox ubere consolationis adhibito, eum erigeret desolatum, et quem in bono proficientem adverteret, eum gratulationis ubere protinus confortaret, ut non minus per hoc deficientibus quam proficientibus subditis, se claris indiciis ostenderet esse matrem. Verum cum non sine internae mentis angustia, regem Polonorum nomine Boleslaum in tantum horrendis voluptatibus subiici, carnisque nefandis illecebris cerneret enervari, ut in passiones ignominiae traditus, et inhumanis contumeliis afficiens corpus, mulierum mamillis, avulsis propriis exinde liberis, catulos apponeret miserabiliter educandos; ne execrandam fovere malitiam et iniquitati eiusdem regis videretur praefatus Pontifex per dissimulationem favere, postquam ipsum a praemissis flagitiis, sedula et paterna correctione evocare non potuit, in ipsum consulte medicinalem Petri gladium exercuit in spiritu lenitatis, sperans ut percussus dolens, ad percutientem se in humilitate rediret, Dominum exercituum suppliciter requirendo.

A rege incorrigibili, ideoque excommunicato.

§ 2. Sed ipse indurato corde medicinam exhorrens, et increpationem abhominans disciplinae, imo malleum velut stipulam reputans, non solum nulla poenitudine se correxit; verum etiam ad peiora in suae damnationis cumulum provocatus, iuxta aram, non ordini, non loco, nec tempori deferens, iussit pontificalibus indutum antistitem per suos satellites diris corporis cruciatibus deputari.

Crudeliter occisus, concisusque.

§ 3. Sed ipsi quoties in eum irruere tentant, toties compuncti, toties mansueti sunt prostrati. Et tunc idem rex, suae inserviens impetuosius tyrannidi, manus in eum convertit sacrilegas, sponsum e gremio sponsae, pastorem abstrahit ab ovili, patrem inter filiae amplexus, et filium in visceribus pene obtruncavit maternis; faciens irritatus atrocitate ferali, ipsius (proh dolor) corpus inhumaniter in frusta concidi, velut singulis membrorum partibus poenae inflictio deberetur.

§ 4. Sed ille, apud quem patientia

(1) Haec supple ex Bollandianis Act. maii, tom. II, pag. 200: *postmodum perfectione sui, atque integritate gaudens.*

Deo illustratus miraculosa consecratione corporis.

pauperum non peribit in finem, non solum rutilantibus huius sanctissimi corporis partes splendoribus illustravit, verum etiam ipsum nullo in eo cicatricis apparente vestigio, integritati restituens, aquilarum suarum praesidio miraculose a ferarum morsibus praeservavit. Gustato denique acerrimo ob zelum iustitiae calice passionis, cum ab eodem tyranno totaliter putaretur consumptus, ecce ut lucifer oritur, et quasi meridianus fulgor in firmamento consurgit, propter quod eius faciem nonnulli in suis necessitatibus devotissime deprecantur. Ipse quidem defossus securus dormit, requiescit et non est, qui iam ipsum exterreat. Nec mirum quia civitatem illam honoris et gloriae corona insignitus inhabitat, ubi est mansio secura, populus sine murmure, ac patria totum id continens quod delectat.

Frequentibus miraculis,

§ 5. Verum ne militans Ecclesia de tali ac tanto patrono sic atrociter sibi subtracto, inconsolabiliter quasi gemitus singultuosos emitteret, si beneficiorum ipsius affluentia eam non contingeret saepius delectabiliter irrigari, ecce gloriosus in sanctis suis Dominus, volens eiusdem Patris plenitudinem gloriose indiciis exprimere manifestis, et praestolanti Ecclesiae grata conferre super hoc recreationis remedia, tot et tantis fecit ipsum famosis miraculis coruscare (de quibus facta nobis et fratribus nostris prout debuit per testes idoneos plena fides extitit), quod eius inter sanctos caeteros implorare subsidium, reputavimus merito non indignum. Nam mortuis vita, lumen caecis, auditus surdis, verbum mutis, claudis gressus, epilepticis cerebri robur, et daemoniacis, immundis ab eis eiectis spiritibus, corporum requies, ad eius invocationem nominis, coelesti dextera subito conferuntur.

Sanctorum cathalogo adscribitur.

§ 6. Propter quod, ne huius rutilantem lucernam sub modio periculose abscondi contingeret, quam idem Dominus tot mirificis signis recte disposuit super Ecclesiae candelabrum honorifice collocari, praesertim cum ex hoc ignorantium Deum propellantur tenebrae, confundatur perversum haereticorum dogma, et fidelium beata credulitas augeatur; nostrorum fratrum, necnon et praelatorum tunc apud Sedem Apostolicam existentium communicato consilio, praedictum beatum Stanislaum episcopum digne sanctorum cathalogo duximus adscribendum.

Festo annuo honorandus.

§ 7. Quo circa universitati vestrae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, quatenus octavo idus maii (die videlicet quo mortis absolutus vinculo, victurus perenniter ad fontem supernae prodiit voluptatis) festum eiusdem, prout miranda ipsius meritorum magnitudo exigit, celebretis et faciatis solemniter celebrari, ut id vobis de thesauris coelestibus eius pia intercessione proveniat, quod ipse, praestante Christo, percepisse dignoscitur, et possidere perpetuo gloriatur.

Indulgentia eius sepulchrum visitantibus proposita.

§ 8. Caeterum ut universitati fidelium invisibilis aulae consequendi delicias ex concessa nobis potestate desuper propitiante Domino sit facultas, quinimo, et ut nomen exaltetur Altissimi, si sponte suam venerabilem sepulturam fidelium procuremus accessibus frequentari, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad dictam sepulturam in memorato festo, et usque ad octavam ipsius, causa devotionis accesserint, annuatim ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei *etc.*, unum annum et quadraginta dies, accedentibus vero annis singulis ad praedictam sepulturam infra eiusdem festi quindenam, quadraginta dies de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus.

Datum Assisii decimoquinto kalendas octobris, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 17 septembris 1253, pontif. an. XI.

XXXV.

Definitio quorumdam articulorum circa ritus Graecorum.

SUMMARIUM

Pontificis cura pro uniendis Ecclesiae catholicae nationibus. — 1. Quare indulgendum Graecis sit, ut suos ritus servent. — 2. Orta inter Graecos Latinosque regni Cypri discordia. — 3. Diligenter a Papa examinata. — 4. De Baptismo, modoque illud administrandi. — 5. Chrisma a solis episcopis conficiendum et conferendum. — Et de extrema unctione. — 6. De aqua in sacrificio Eucharistiae. — Eucharistia pro infirmis non servanda ad annum. — 7. De hora celebrandi solemnia. — 8. Missa non celebranda ante matutinum. — 9. Promovendi ad sacerdotium antea examinandi. — 10. De paramentis. — 11. Mulieres a servitio altaris removendae. — 12. De ieiunio quadragesimali. — 13. Parochi confessiones audiant: caeteris vero danda ab episcopo loci licentia. — 14. Fornicatio peccatum mortale. — 15. Septem ordines conferendi. — 16. Secundae et tertiae nuptiae non reprobandae. — 17. Matrimonia in quarto gradu consanguinitatis non contrahenda. — 18. De Purgatorio. — 19. De inferno. — 20. De animabus parvulorum — 21. Et vita monastica. — De observandis hisce statutis. — Obstantium derogatio.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Tusculano Apostolicae Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontificis cura pro uniendis Ecclesiae catholicae nationibus.

Sub catholicae professione fidei atque cultu consistere, ac proficere universos, caeteris nostrae mentis desiderabilibus praeferentes, illud tamquam acceptabilius pleniori desiderio cupimus, et ad hoc velut operativum salutis praecipuum, intimis affectibus anxius aspiramus. Haec inquam unio, sive connexio cordi nostro inaestimabilis gaudii rorem infunderet, si varias gentium nationes, eiusdem observantia fidei in unum acceptabilem Christo populum adunarent. Id utique anxiae nostrae mentis ardorem affluentis laetitiae refrigeraret irriguo, si omnes, quos olim in unum catholicum gregem (1) ovile collegit Dominus, cum multi ab eo discesserint, in idem individuum collegium unius pastoris solidaret magisterium, et custodia communiret. Oh si Orientalibus Oriens ex alto luceret, et sui luminis illustratione, ipsos ad catholicam reduceret unitatem, ut cum reliquis orthodoxis in unius aulae collecti gremio, de matris Ecclesiae ubere fluenta doctrinae salutaris haurirent! Tunc ipsi Ecclesiae proveniret magnum et desiderabile salutare, tunc eius uterus sobole geminata concresceret, tunc Orientalibus oriretur supernae illuminationis aurora: tunc eis claresceret lucifer veritatis: tunc per universam Ecclesiam inundantis gaudii erumperet plenitudo: tunc exultatione nimia claresceret totus orbis, quia valde bonum et iucundum existeret fratres simul in domo Domini habitare: tunc eadem Ecclesia multiplicata laetitia, novae iucunditatis canticum personaret.

Quare indulgendum Graecis sit, ut suos ritus servent.

§ 1. Verum quia nonnulli Graecorum iamdudum ad devotionem Sedis Apostolicae redeuntes, ei reverenter obediunt et intendunt, licet et expedit, ut mores ac ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tolerantes, ipsos in Ecclesiae Romanae obedientia praeservemus. Quamquam in his, quae animarum periculum parerent, vel honestati ecclesiasticae derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus.

Orta inter Graecos, Latinosque regni Cypri discordia.

§ 2. Sane inter venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Nicosien., et eius suffraganeos latinos ex parte una, et episcopos graecos regni Cypri ex altera, de quibusdam certis articulis discordiam et turbationem fore subortam, et eorumdem tenorem articulorum, ac responsiones ipsorum Graecorum ad illos nobis, ut melius possemus instrui super eis, plene ac provide per tuas litteras intimasti, sollicite requirendo, ut providere super hoc apostolica diligentia curaremus.

(1) Leg. forsan *catholici gregis*.

Diligenter Papa examinata.

§ 3. Nos autem litteris ipsis affectuose receptis, earum seriem, et ipsos articulos ac responsiones easdem, et caetera, quae continebantur in illis, una cum fratribus nostris perlegimus et intelleximus diligenter, prudentiam tuam multipliciter in Domino commendantes, et meditantes ac deliberantes super his, prout rei qualitas exigebat.

De Baptismo, modoque illud administrandi.

§ 4. Circa haec itaque sic deliberatio nostra resedit, ut Graeci eiusdem regni in unctionibus, quae circa Baptisma fiunt, morem Ecclesiae Romanae teneant et observent. Ritus vero seu consuetudo quam habere dicuntur ungendi per totum baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo, vel removeri non potest, cum sive fiat, sive non, quantum ad Baptismi efficaciam vel effectum non multum referat, toleretur. Nec refert etiam utrum in frigida vel calida aqua baptizent, cum parem vim et effectum in utraque baptismum habere, asseverare dicantur.

Chrisma a solis episcopis conficiendum et conferendum.

§ 5. Soli autem episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos, quia huius unctio non debet, nisi per episcopos exhiberi. Quoniam soli apostoli, quorum vices gerunt episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio, vel frontis chrismatio repraesentat, Spiritum Sanctum tribuisse leguntur. Singuli quoque episcopi in suis Ecclesiis, in die Coenae Domini, possunt, secundum formam Ecclesiae, Chrisma conficere ex balsamo quidem et oleo olivarum. Nam Spiritus Sancti donum in Chrismatis unctione confertur. Et columba utique, quae ipsum designat Spiritum, olivae ramum ad arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum ritum in hoc Graeci potius servare voluerint, videlicet, quod patriarcha una cum archiepiscopis et episcopis eius suffraganeis, et archiepiscopi cum suffraganeis suis, simul Chrisma conficiant, in tali eorum consuetudine tolerentur. Nullus autem per sacerdotes, vel confessores pro satisfactione poenitentiae, unctio aliqua solummodo inungatur. Infirmis vero, iuxta verbum Iacobi apostoli, Unctio exhibeatur extrema.

Et de Extrema Unctione.

De aqua in sacrificio Eucharistiae.

§ 6. Porro in appositione aquae, sive frigidae, sive calidae, vel tepidae, in Altaris Sacrificio, suam si velint consuetudinem Graeci sequantur, dummodo credant et asserant, quod servata canonis forma, conficiatur pariter de utraque. Sed Eucharistiam in die Coenae Domini consecratam, usque ad annum, praetextu infirmorum, ut de illa videlicet ipsos communicent non reservent. Liceat tamen eis, pro infirmis ipsis, Corpus Christi conficere, ac per quindecim dies, et non longiori temporis spatio, conservare; ne per diutinam ipsius reservationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum: licet veritas et efficacia semper eadem omnino remaneat, nec ulla umquam diuturnitate seu volubilitate temporis evanescat.

Eucharistia pro infirmis non servanda ad annum.

De hora celebrandi solemnia.

§ 7. In celebratione vero solemnium et aliarum missarum, et de hora celebrandi eas, dummodo in confectione, vel consecratione, formam verborum a Domino expressam et traditam observent, et celebrando non trasgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur.

Missa non celebranda ante matutinum.

§ 8. Sacerdotes autem dicant horas canonicas more suo, sed missam celebrare, prius quam officium matutinale compleverint, non praesumant.

Promovendi ad sacerdotium antea examinandi.

§ 9. Promovendi vero ad sacerdotium, et presbyteri, qui praeficiendi fuerint Ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter, si praecipue de horis canonicis, et missarum officiis, secundum distinctionem temporum exequendis, sint sufficienter instructi, ut ad haec non nisi digni et idonei admittantur.

De paramentis.

§ 10. Caeterum unusquisque sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stanneo calice sacrificet, habens corporale de lino candidum et nitidum, et altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus paramentis.

Mulieres a servitio altaris removendae.

§ 11. Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.

De ieiunio quadragesimali.

§ 12. De ieiunio vero diei sabbati quadragesimali tempore (quamquam honestius et salubrius Graeci agerent, si sic toto illo tempore abstinerent, ut nec unico die institutum ieiunium violarent) teneant et servent pro libito morem suum.

Parochi confessiones audiant: caeteris vero danda ab episcopo loci licentia.

§ 13. Sacerdotes quoque coniugati et alii, quibus parochiarum cura, vel Ecclesiarum parochialium regimen per episcopos suos committitur, licite ac libere possint parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque poenitentiam iniungere pro peccatis. Quia cui licet, vel conceditur quod est maius, competit nimirum, nec negari convenit, quod est minus. Liberum tamen sit ipsis episcopis, viros alios idoneos coadiutores et cooperatores habere, in audiendis confessionibus et poenitentiis iniungendis, ac caeteris quae ad salutem pertinent animarum. Ipsisque in his per eorum dioeceses, absque sacerdotum ipsorum praeiudicio et gravamine, committere vices suas, cum propter occupationes multiplices et occasiones varias possit contingere, quod nequeant per easdem dioeceses officium suum exequi per se ipsos.

Fornicatio peccatum mortale.

§ 14. De fornicatione autem, quam solutus cum soluta committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum, cum tam fornicarios, quam adulteros a regno Dei Apostolus asserat alienos.

Septem ordines conferendi.

§ 15. Ad haec, volumus et expresse praecipimus, quod episcopi graeci septem ordines secundum morem Ecclesiae Romanae de caetero conferant, cum hucusque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse, vel praetermisisse dicantur. Illi tamen qui iam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem, in sic susceptis ordinibus tolerentur.

§ 16. Quia vero, secundum Apostolum, mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta, ut nubendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem, secundas et tertias, ac ulteriores etiam nuptias Graeci non repraehendant aliquatenus, nec condemnent, sed potius illas approbent inter personas, quae alias licite ad invicem matrimonio iungi possunt. Secundo tamen nubentes, presbyteri nullatenus benedicant.

Secundae et tertiae nuptiae non reprobandae.

Matrimonia in quarto gradu consanguinitatis non contrahenda.

§ 17. Et quoniam apud eos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se, iuxta eorum computationem, octavo gradu, qui secundum computationem et distinctionem graduum, quam nos facimus, apud nos quartus habetur, ne id praesumatur deinceps, firmiter prohibemus. Districte praecipientes, ut cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in praedicto quarto, consanguinitatis vel affinitatis gradu, copulari ulterius non praesumant, statutum in hoc generalis concilii observantes. Illos tamen qui iam in gradu huiusmodi contraxerunt, dispensative permittimus in sic contracto matrimonio remanere.

De Purgatorio.

§ 18. Denique cum Veritas in Evangelio asserat, quod si quis in Spiritum Sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc saeculo, neque in futuro dimittetur ei: per quod datur intelligi quasdam culpas in praesenti, quasdam vero in futuro saeculo relaxari, et Apostolus dicat, quod uniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit, et cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem et ipsi Graeci vere, ac indubitanter credere, ac affirmare dicantur, animas illorum, qui suscepta poenitentia, ea non peracta, vel qui sine mortali peccato, cum venialibus tamen, et minutis decedunt, purgari post mortem, et posse suffragiis Ecclesiae adiuvari. Nos, quia locum purgationis huiusmodi, dicunt non fuisse sibi ab eorum doctoribus certo et proprio nomine indicatum, illum quidem iuxta traditiones et auctoritates sanctorum Patrum Pur-

gatorium nominantes, volumus, quod de caetero apud ipsos isto nomine appelletur. Illo enim transitorio igne peccata utique, non tamen criminalia, seu capitalia, quae prius per poenitentiam non fuere remissa, sed parva et minuta purgantur, quae post mortem etiam gravant, si in vita fuerunt relaxata.

De Inferno.

§ 19. Si quis autem absque poenitentia in peccato mortali decedit, hic proculdubio aeternae gehennae ardoribus perpetuo cruciatur.

De animabus parvulorum

§ 20. Animae vero parvulorum, post baptismi lavacrum, et adultorum etiam in charitate decedentium, qui nec peccato, nec ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad patriam protinus transvolant sempiternam.

De vita monastica.

§ 21. Ordinationes demum et instituta regularia sanctorum Patrum de vita et statu monachorum, praecipimus ab abbatibus et monachis graecis inviolabiliter observari.

De observandis hisce statutis.

Fraternitatem itaque tuam hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus praemissa omnia episcopis graecis praefati regni, seriatim et diligenter exponi facias, districte ipsis iniungens, ut ea sollicite attendere, studiose tenere, ac efficaciter observare procurent, et a suis faciant subditis observari. Memoratis autem archiepiscopo Nicosien., et eius suffraganeis latinis, firmiter auctoritate nostra praecipias, ut eosdem Graecos super praemissis contra huiusmodi provisionem et deliberationem nostram, non inquietent aliquatenus, nec molestent, contradictores, eadem auctoritate, appellatione postposita, compescendo.

Obstantium derogatio.

Non obstantibus si praedictis archiepiscopo et suffraganeis, vel quibuscumque a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas plenam et expressam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto huiusmodi mentionem

Datum Laterani, secundo nonas martii, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 6 martii 1254, pontif. anno XI.

XXXVI.

Quod inquisitores haereticae pravitatis possint interpretari statuta ecclesiastica et saecularia contra haereticos edita. Eosque, filios, ac nepotes, et adhaerentes, aut ipsorum opera, beneficia, et officia assequentes, illis privare. Quodque accusatorum et testium nomina publicare non debeant.

SUMMARIUM

1. Facultas interpretandi statuta contra haereticos. — 2. Ipsos autem, consanguineos, officiis et beneficiis privandi. — 4. Contestantium autem contra eos nomina non publicanda.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Praedicatorum, inquisitoribus haereticae pravitatis, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas interpretandi statuta contra haereticos.

§ 1. Cum negotium fidei catholicae adversus haereticae pravitatis errores, vobis ut vestra prudentia deprehendat vulpeculas demolientes vineam Domini, sub certa forma per alias litteras duxerimus committendum, ut commissum vobis ab Apostolica Sede tam salubre ac utile ministerium exequi liberius ac exercere possitis efficacius, in hac parte, interpretandi statuta ecclesiastica et saecularia contra haereticos edita;

Ipsos autem, consanguineos, officiis et beneficiis privandi.

§ 2. Et haereticorum filios et nepotes, credentium quoque, fautorum, defensorum et receptatorum ipsorum, dignitatibus, personatibus, et honoribus quibuscumque, ac beneficiis ecclesiasticis et publicis officiis;

§ 3. Illos etiam qui haereticorum, vel aliorum praedictorum interventu, intuitu, vel gratia, talia sunt adepti, vel in posterum assequentur, privandi huiusmodi dignitatibus, personatibus, honoribus, be-

neficiis et officiis, liberam vobis auctoritate praesentium concedimus potestatem.

§ 4. Sane volumus, ut nomina tam accusantium pravitatem haereticam, quam testificantium super ea, nullatenus publicentur, propter scandalum, vel periculum, quod ex publicatione huiusmodi sequi posset. Et adhibeatur dictis huiusmodi testium nihilominus plena fides. Quod si simul his non interfueritis exequendis, unus vestrum ea nihilominus exequatur.

Constantium (?) item contra eos nomina non publicanda.

Datum Lateran., septimo idus martii, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 9 martii 1254, pontif. anno XI.

XXXVII.

Inquisitorum haereticae pravitatis facultas procedendi contra haereticos, eorumque fautores, et negotio inquisitionis se opponentes, ac praedicatores quaestuarios, ac indulgentiae pro audientibus praedicationem inquisitorum, vel eis auxilium praestantibus.

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Facultas Inquisitoribus data contra haereticos, eorumque fautores procedendi. — 2. Quae poenitentibus iniungenda. — 3. Procedendum quoque contra se opponentes in hoc negotio. — 4. Et indulgentiam concedendi praedicationem Inquisitorum audientibus. — 5. Indulgentia proposita auxilium eis praestantibus. — 6. Facultas contra Praedicatores quaestuarios.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis ministro, custodibus, guardianis, conventualibus, vel eorum vicariis, administrationis Sancti Francisci, salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium.

Quia tunc potissime acceptabile Iesu Christo exhibetur obsequium, cum ei pro catholicae fidei conservatione, cuius est ipse stabile et perpetuum fundamentum, pura intentione servitur; providimus specialiter in hoc ipsi studiosum, et placidum, eo cooperante, impendere famulatum, et praecipue in Urbe, in patrimonio beati Petri et aliis terris Ecclesiae, regno Apuliae, Lombardia, Romaniola, Marchia Tervisina et Sclavonia, ac in Thuscia, circa quas debemus sollicitius vigilare, instantius et validius satagere, contra eiusdem fidei diros hostes, ut cultura salubris, per nos agris dominicis impensa vicinis, utilis sit longinquis, et verbi divini semen fusum in proximis, fructificet etiam in remotis: licet Sedes Apostolica tales hostes undique indefessa sollicitudine persequatur, nec unquam ab huiusmodi exercitio cessaverit cura eius. Convenit namque, ut quia inquisitores contra pestem haereticam roborare, ac renovare per diversas saeculi volumus regiones, id agere in Urbe, ac terris aliis supradictis, maiori opportunitate nunc habita, nullatenus omittamus. Cum quanto propius nostris adsunt aspectibus, tanto iustius, nisi attente saluti prospiceremus ipsorum, possemus argui de neglectu.

§ 1. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus tam per vos, quam per alios idoneos fratres vestrae curae commissos, quibus negotium huiusmodi, quod principaliter residet cordi nostro, auctoritate nostra duxeritis committendum, totis assumentes affectibus, et ferventibus animis prosequentes, ad extirpandam de provincia tuae, fili minister, curae commissa, pravitatem haereticam sollicite ac efficaciter laborantes, si quos ibi de pravitate ipsa culpabiles inveneritis, vel infectos, seu etiam infamatos, nisi examinati velint absolute mandatis Ecclesiae obedire, contra ipsos, et receptatores, defensores, ac fautores eorum, humano timore postposito, iuxta sanctiones canonicas, auctoritate apostolica procedatis: invocato contra eos ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Contradictores per censuram

Facultas Inquisitoribus data contra haereticos, eorumque fautores procedendi.

ecclesiasticam, remoto appellationis obstaculo, compescendo.

Quae poenitentibus iniungenda. § 2. Si vero aliqui, haeretica labe penitus abiurata, redire voluerint ad ecclesiasticam unitatem, eis iuxta formam Ecclesiae absolutionis beneficium impendentes, iniungatis eisdem, quod iniungi talibus consuevit. Proviso solerter ne simulata conversione redeant fraudulenter, et vos, imo potius se fallentes, sub agni specie gerant lupum.

Procedendum quoque contra se opponentes in hoc negotio. § 3. Quod si forte, quod non credimus, aliqui cuiuscumque conditionis huic negotio se opponere, seu illud praesumpserint aliquatenus impedire, ut non possit per vos procedi libere in eodem, imo nisi cum requisiti fuerint, illud etiam iuverint studiose, contra eos, secundum sanctiones canonicas, eadem auctoritate libere procedatis.

Et indulgentia concedenda praedicationem Inquisitorum audientibus. § 4. Ut autem praedicta possitis utilius et liberius exercere, vobis largiendi viginti vel quadraginta dierum indulgentiam, quoties opportunum videritis, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad vestram praedicationem propter hoc faciendam accesserint, plenam tenore praesentium concedimus potestatem.

Indulgentia quoque proposita auxilium eis praestantibus. § 5. Illis vero qui ad impugnandum haereticos, fautores, receptatores et defensores eorum, vobis ex animo auxilium, consilium praestiterint, vel favorem, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, tres annos de iniuncta sibi poenitentia relaxamus. Et si qui ex iis ad prosecutionem huiusmodi negotii, contra praedictos haereticos, fautores, receptatores, vel etiam defensores, personaliter iverint, eis omnium peccatorum, de quibus corde contriti, et ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus.

Facultas quoque contra Praedicatores quaestuarios. § 6. Compescendi quoque, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, Praedicatores quaestuarios, quorum interest tantum charitativa subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam, si quam forte habent, exponere, a praedicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, liberam vobis tribuimus facultatem. Quod si simul iis non interfueritis, unus vestrum ea nihilominus exequatur.

Datum Laterani decimoquinto kalendas aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 18 martii 1254, pontif. anno XI.

XXXVIII.

Inquisitorum haereticae pravitatis facultas absolvendi a censuris ecclesiasticis confratres societatis Crucesignatorum, pro sanctae inquisitionis praesidio institutae, et nonnulla eis indulta concedendi.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus de ordine Minorum Inquisitoribus, et Praedicatoribus Crucis, super haeretica pravitate a Sede Apostolica deputatis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ut nihil vobis desit, quod ad prosequutionem negotii vestrae circumspectioni commissi pertinet, sed illud in vestris manibus, auctore Domino, prospere dirigatur, absolvendi, iuxta formam Ecclesiae, omnes qui contra pravitatem haereticam assumpserint signum Crucis ab interdicti, suspensionis et excommunicationis sententiis canonicis; et dispensandi cum clericis super irregularitatibus, si quas, sic ligati, celebrando divina officia contraxerint; et commutandi vota eorumdem crucesignatorum (Terrae Sanctae voto excepto), necnon et concedendi praefatis crucesignatis, ut illis gaudeant indulgentiis et privilegiis, quae crucesignatis in ipsius Terrae Sanctae subsidium sunt concessa; et quod tempore generalis interdicti possint interesse divinis officiis, et recipere sacramenta ecclesiastica in locis, in quibus divina eadem ex indulto Sedis Apostolicae celebrantur; quodque ipsi non teneantur ad restitutionem acquisitorum illicite, si hoc publice proposito per

dioecesanos, vel saltem presbyteros parochiales locorum, in quibus videritis expedire, non apparuerint aliqui, quibus eorum restitutio debeatur; dummodo ipsi totum quod de taliter habitis restituere debent, vel quod possunt, secundum vestrae discretionis arbitrium, in fidei negotii prosecutionem convertant, auctoritate vobis praesentium concedimus facultatem.

Datum Laterani decimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 23 martii 1254, pontif. anno XI.

XXXIX.

Sententia excommunicationis in Ezelinum (1).

SUMMARIUM

Ezelini tyrannidem et facinora exponit. — De Fide suspectus. — Sacramenti matrimonii violator. — Inquisitum a PP. super his. — Nuncios suos eidem mittit Ezelinus. — Dies ei indicta, ut Romae personaliter sisteret. — Non comparens, censuris irretitur. — Iterum citatus. — Latis contra haereticos sanctionibus subiicitur. — Sedis Apost. in eum lenitas — Cadit in cassum. — Excommunicatur in die Coenae Domini tamquam haereticus.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam memoriam rei gestae.

Ezelini tyrannidem et facinora exponit

Truculentam unius hominis rabiem inhumanam, saevamque barbariem Ezelini videlicet de Romano, quem dirae malignitatis enormitas fecit insignem, et mundo non incognita factorum atrocium multitudo spectabilem, humana societas ad eligendum improba a male potentium tyrannide instituta, indigne forsitan pertulisse videtur; sed indignus procul dubio noscitur sustulisse; hic siquidem sub humani vultus effigie bellualem animum retinens, christiani sanguinis sitibundus et viribus rigidus alienis, implacabile adversus communia humanitatis foedera bellum gerit: non enim solum ferali hominum exoidio debacchatur in corpora, verum etiam super communem modum, mensuram et numerum, exhausti cruoris profluvio non contentus, per catholicos fidei corruptores spiritualis vitae operatur exitium in interitum animarum. Nimirum si in suis atrocitatibus propria contra infensos sibi exequeretur odia, iam deferbuisset in eo incalescens animi feritas peractae ultionis refrigerio mitigata in his, quos habere videbatur exosos, sed eius effera crudelitas sic in ommes excandescit, ut nec fortunae, nec vitae pepercerit etiam amicorum, nec sexum miseratus fuerit in quibuslibet, vel aetatem, nec alicuius religionis, vel ordinis veneratus honorem, necans parvulos innocentes, adultos nequiter perimens, diversis excogitatis in eis generibus tormentorum, et quod pudorosum est cogitare, vel loqui, horrido impiae sectionis cultro, tam foeminas, ut dicitur, eunuchizare quam mares spem futurae prolis occidens in superstitibus occisorum, ut ex intentione quodammodo fiat eorum etiam, quos adhuc de lumbis natura non protulit homicidia. Quis ergo dubitet eum in hominibus non tantum personas persequi, sed etiam naturam? Quis ambigat illum, quasi, non hominem humani generis fore publicum inimicum? Hunc ex genere, cum publice damnati haeretici filius fuerit, haereticorumque cognatus, hunc etiam ex moribus, cum eum, perfidum esse contraria religioni christianaeque fidei opera manifestent, nos eum publicae opinionis concurrente assensu, unam de subdolis vulpeculis praesumpsimus esse, quae vineam Domini Sabaoth demoliri non cessant, testamentum aeterni Evangelii corrumpentes. Ad hunc autem nequissimae intentionis effectum eo ingenii sui calce processit, quia in quos potuit, vasa sceleratissimae infectionis arripiens, per corporalis necis formidinem, quae plerumque cadit in fortes, residuos regionis suae viros redegit in parvulos, ut eis animorum confidentia,

De Fide suspectus

(1) Ex Concil., tom. XIV, col. 14.

libertatis privilegio et veritatis oraculo destitutis, facile per magistros errorum sub praedicti Ezelini praesidio ad subvertendas fidelium mentes in Marchiae Tervisinae partibus emergentes, in publicum perversa infectionis haereticae dogmata suggerantur.

Sacramenti matrimonii violator.

Execrans praeterea commune omnibus gentibus et magnum in Christo et Ecclesia matrimonii sacramentum, quod non humanae voluntatis inventio statuit, sed divinae institutionis commendat authoritas, quod temporaliter orientis ex homine Salvatoris nativitas honoravit, quodque cunctis fere animantibus suggerit in eis insitus ordo naturae, damnabili et de typo abominationis haereticae procedente praesumptionis audacia, separat, contra Legis evangelicae interdictum, legitimae coniunctionis foedere copulatos, adeo inter complices suos foeda connubia et adulterina coniugia coniungendo, ex quibus spuria vitulamina prodeunt, radices altas posteritatis prospere non datura.

Inquisitum a PP super his.

Nos itaque, quos licet immeritos Summus fidelium Pastor ad arcendas a redempto Christi Sanguine grege ferales impetus, salutem christiani populi laedentes et vitam, necnon ad huiusmodi investigandas assiduis vigiliis, capiendasque vulpeculas Ecclesiae suae voluit praesidere, valido clamore christiani sanguinis, quo idem Ezelinus terram operuit, nec minus evangelicae Fidei, quam molitur evertere, periculo excitati, per religiosas personas discernere curavimus et videre, an idem Ezelinus illud circa Fidem catholicam naufragium pateretur, quod de ipso detestanda nunciabant opera, et vulgata infamia praedicabat.

Nuncios suos eidem mittit Ezelinus.

Cum autem ipsi religiosi super his cum diligentia inquirentes, eumdemque de Fide Christi non recte sentire et haberi debere suspectam veris indiciis comperissent: tandem ipse ad Sedem Apostolicam nuncios destinavit, quibus bonae memoriae Sabinensem episcopum concessimus auditorem, coram quo ad iurandum in ipsius Ezelini anim se obtulere paratos, quod idem de Deo et catholica Fide credebat, secundum quod Romana tenet Ecclesia et docet esse credendum.

Dies ei indicta, ut Romae personaliter sisteret.

Sed quoniam a dicto episcopo vel a nobis huiusmodi purgatio admissa non extitit, cum in tanto crimine non per nuncios, sed per propriam personam praestanda esset purgatio: coram nobis sibi praefiximus terminum, quo apostolico se conspectui praesentaret, facturus super his quod ordo exigeret rationis, oblata sibi de securitate personae in veniendo et redeundo plenaria cautione.

Non comparens censuris irretitur.

Unde quia nec in eodem termino, nec post ipsum, venire vel mittere procuravit, ipsum, qui plurium erat alias excommunicationum laqueis irretitus, et quod de Fide catholica male sentiret, certa ratione suspectus, anathematis vinculo duximus innodandum;

Iterum citatur.

alium ei terminum assignantes, quo in nostra compareat praesentia, super praemissis mandatis Ecclesiae pariturus; denunciando publice, quod nisi usque ad terminum ipsum id faceret, ex tunc procederemus gravius contra eum iuxta legitimas et canonicas sanctiones. Cum autem venire seu mittere, licet ultra terminum diutius expectatus, obstinatione damnabili despexisset, et non solum per annum, sed per biennium, vilipensis Ecclesiae clavibus, praedictum sustinuisset contentibiliter anathema;

Latis contra haereticos sanctionibus subiicitur.

nos quia non debebamus ulterius canonicum contra eum differre iudicium, quem tam longum diffugium et tam dura pertinacia reum tanti criminis ostendebant, praesertim quia huiusmodi iudicii tarditas periculosam forte aliquibus praebebat audaciam, et quos a malis festinata unius poena compesceret, protelata forsitan ad illa laxaret, eumdem Ezelinum tamquam haereticum reputantes, decrevimus ipsum, habito fratrum nostrorum consilio, promulgatis adversus haereticos sanctionibus subiacere. Nisi usque ad kalendas augusti tunc proxime secuturas coram nobis comparere curaret, nostris, et Ecclesiae pariturus praecise beneplacitis et manda-

tis. Quem siquidem terminum tunc sibi ex multa benignitate Apostolicae Sedis praefiximus, cum eum salvari vellemus potius quam perire. Ipse vero contra Deum et contra homines collo rebellionis extento, et ad omnem Fidei christianae inobedientiam spiritu obfirmato, tamquam prolapsus in desperationis abyssum et humani pudoris, divini iudicii, ac salutaris consilii pertinax aspernator, imminentia sibi discrimina quaecumque contempsit: et perire potius eligens, quam parere, nec in termino sibi ex multa Ecclesiae miserationis lenitate concesso, nec postmodum diutius expectatus venire curavit. Nos autem illius periculo condolentes, adhuc voluimus eius duritiam solita Sedis Apostolicae benignitate mulcere, si forte ad suspiciendum salutis remedium aliqua in eo scintilla sanioris consilii remansisset: ipsumque non semel vel secundo, sed pluries, imo multoties ad..... iudicium edictis legitimis evocatum, duximus prolixis ad convincendum inexcusabilem eius malitiam temporum spatiis expectandum. Porro idem, sicut aspidis surdissimae filius, ad omnem monitoris vocem obturans auditum, iam per sex annos et amplius vocatione, longanimitate et expectationis nostrae patientia est abusus. Nos igitur ex his attendentes, quod diuturnioris erga eumdem Ezelinum tolerantiae pietas in communem multorum posset redundare perniciem, et ulterior expectatio nihil operaretur in eo, nisi contumaciam et contemptum: ne tantum malum in medio christiani populi diutius toleratum latius pervagetur, de praedictorum fratrum nostrorum consilio, praesente fidelium populo, qui in die Coenae Domini ex diversis mundi partibus ad apostolorum limina confluxit, praedictum Ezelinum sicut manifestum haereticum sententialiter iudicamus, ipsum excommunicatum et anathematizatum cum damnatis haereticis deputando, adscripta illis damnationis stipendia recepturum, nisi forsitan eum, usque ad festum Ascensionis Dominicae proxime venturum, ad praesentiam nostram personaliter venire audiemus: quod de abundantissima Apostolicae Sedis clementia duximus adiungendum.

Sedis Apost. in eum lenitas.

Cadit in eas- eum

Excommunicatur in die Coenae Domini tamquam haereticus.

Datum Laterani quinto idus aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 9 aprilis 1254, pontif. anno XI.

XL.

Leges in haereticos eorumque complices latae.

SUMMARIUM

1. Excommunicantur haeretici. — Damnati per Ecclesiam saeculari iudicio relinquantur. — 3. Poenitentes perpetuo carceri mancipandi. — 4. Defensorum, fautorum, *etc.* poenae. — 5. De suspectis super haeresi. — 6. Laicis de fide disputare non licet. — 7. Ad haereticos indicandos unusquisque tenetur. — 8. Haeretici, conscii, ad beneficia Eccl. inhabiles.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Noverit universitas vestra, quod nos ad instar fel. record. Gregorii Papae praedecessoris nostri excommunicamus et anathematizamus universos haereticos Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosepinos, Arnaldistas, Speronistas, et alios quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in id ipsum. Damnati vero per Ecclesiam saeculari iudicio relinquantur animadversione debita puniendi, clericis prius a suis ordinibus degradatis.

Excommunicantur haeretici.

Damnati per Ecclesiam saeculari iudicio relinquantur.

§ 2. Si qui autem de praedictis postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendum condignam poenitentiam, in perpetuo carcere detrudantur.

Poenitentes perpetuo carceri mancipandi.

§ 3. Credentes autem eorum erroribus, similiter haereticos iudicamus.

Defensorum, fautorum, etc. poenae.

§ 4. Item receptores, defensores et fautores haereticorum excommunicationis sententiae decernimus subiacere. Firmiter statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, a sua super hoc non curaverit praesumptione cessare, ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testamenti habeat factionem, nec ad haereditatis successionem accedat. Nullus praeterea ipsi super quocumque negocio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causae aliquae ad eius audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur: et in similibus idem praecipimus observari. Si vero clericus fuerit, ab omni officio et beneficio deponatur. Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, evitare contempserint, excommunicationis sententia percellantur; alias animadversione debita puniendi.

De suspectis super haeresi.

§ 5. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspicionis, qualitatemque personae, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, anathematis gladio feriantur, et usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur: ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, ex tunc velut haeretici condemnentur. Item proclamationes aut appellationes huiusmodi personarum minime audiantur. Item iudices, advocati et notarii nulli eorum officium suum impendant; alioquin eodem officio perpetuo sint privati. Item clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta, nec eleemosynas aut oblationes eorum recipiant. Similiter Hospitalarii, aut Templarii, ac quilibet regulares: alioquin suo priventur officio, ad quod numquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicae speciali. Item quicumque tales praesumpserint ecclesiasticae tradere sepulturae, usque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiae se noverint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent; et proiiciant huiusmodi corpora damnatorum, et locus ille perpetua careat sepultura.

Laicis de fide disputare non licet.

§ 6. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laicae personae liceat publice, vel privatim de fide catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.

Ad haereticos indicandos unusquisque tenetur

§ 7. Item si quis haereticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium, vita et moribus dissidentes, eos studeat indicare confessori suo, vel alii per quem credat ad praelati sui et inquisitorum haereticae pravitatis notitiam pervenire: alioquin excommunicationis sententia percellatur.

Haeretici, consoli, ad beneficia Eccl. inhabiles.

§ 8. Haeretici autem et receptatores, defensores et fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem, ad nullum ecclesiasticum beneficium seu officium admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane. Nos enim praedictos, et quoscumque viros ecclesiasticos, qui ad preces huiusmodi pestilentium personarum dignitates, personatus, et quaecumque alia ecclesiastica beneficia sunt adepti, ex nunc privamus taliter acquisitis: volentes ut tales, et habitis perpetuo careant, et ad alia vel similia nequaquam inposterum admittantur. Illorum autem filiorum emancipationem nullius esse momenti volumus, quorum parentes post emancipationem huiusmodi ad invicem superstitionis haereticae a via declinasse constiterit veritatis.

Datum Anagniae decimoseptimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 15 iunii 1254, pontif. anno XI.

XLI.

Privilegia conceduntur Inquisitoribus.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Ut cruce consignent eos, qui votum nuncupaverint pro extirpandis haereticis. — 2. Indulgentiae eis concessae. — 3. Sese opponentes, vel non faventes inquisitionis officio poenas dent. — 4. Crucesignatos absolvere possunt inquisitores. — Nominatim aliquot excipit. — 5. Dispensandi facultas. — 6. Commutandi vota crucesignatorum. — 7. Eisque concedendi ut interdicti tempore intersint divinis.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Praedicatorum, inquisitoribus haereticae pravitatis, praesentibus et futuris in Lombardia et Marchia Ianuensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Malitia huius temporis in diversis mundi partibus, et maxime in provincia Lombardiae, perversorum morum peperit corruptelam, ex quibus lethifera pestis haereticae pravitatis abundantius solito noscitur pullulasse. Ad extirpationem igitur eiusdem pestis, iuxta officii nostri debitum ex animo intendentes, volumus adversus huiusmodi iniquitatis operarios, qui massam catholicae puritatis fermento propriae contagionis inficiunt, fideles ut consurgant, stentque nobiscum pro evangelicis, quas professi sunt, legibus defendendis, salubribus adhortationibus incitari.

Ut cruce consignent eos, qui votum nuncupaverint pro extirpandis haereticis

§ 1. Quo circa discretioni vestrae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus in locis, ubi contra haereticos vobis inquisitionis officium est commissum, curetis singuli opportuna instantia, contra eosdem haereticos, eorumque fautores, proponere populis publice verbum Crucis, et eos qui tacti zelo fidei ad extirpandam pravitatem eamdem votum assumpserint, crucis charactere consignare.

Indulgentiae eis concessae

§ 2. Ut autem vobis de praedicatione huiusmodi, et fidelibus, qui eiusdem Crucis ob hoc votum assumpserint, copiosae mercedis praemium afferatur: vobis, et eisdem fidelibus, illam indulgentiam, illudque privilegium elargimur, quae transeuntibus in Terrae Sanctae subsidium in generali concilio conceduntur. Cum autem huiusmodi Crucis verbum per vos proponi contigerit, relaxandi omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad audiendum verbum ipsum devote affuerint, quadraginta vel viginti dies de iniunctis poenitentiis, libera sit vobis et singulis vestrum de nostra concessione facultas.

Sese opponentes, vel non faventes inquisitionis officio poenas dent.

§ 3. Quod si forte, quod non credimus, aliqua civitas, communitas, vel persona, cuiuscumque conditionis vel gradus, huic tam salubri negotio se opponere, seu illud praesumpserit aliquatenus impedire, ut per vos, vel per alios auctoritate nostra ad hoc deputatos, vel in posterum deputandos, libere procedi non valeat in eodem, imo si quicumque requisiti illud fovere neglexerint, et iuxta officium, et posse suum studiose iuvare: contra eos tamquam defensores et fautores haereticorum, sublato appellationis obstaculo, vos vel vestrum singuli auctoritate nostra intrepide procedatis. Contra quos, prout audacia ipsorum exegerit, reges et principes christianos, necnon crucesignatos pro Terrae Sanctae succursu, curabimus invocare; cum non minus expediat, imo magis, fidem in locis prope positis, quam procul distantibus defensare.

Crucesignatos absolvere possunt inquisitores.

§ 4. Porro ut non solum inquisitionis vobis super haeretica pravitate commissae, sed et huiusmodi praedicationis Crucis officium in manibus vestris, congruis favoribus adiuvetur, absolvendi iuxta formam Ecclesiae, omnes qui contra pravitatem haereticam assumpserint signum Crucis, ab interdicti, suspensionis, et excommunicationum sententiis canonicis, et praesertim ab illis, quas pro incendiis,

vel effractionibus Ecclesiarum, seu iniectione manuum violenta in personas ecclesiasticas incurrerunt, et aliis quoque sententiis a nobis, vel auctoritate nostra generaliter promulgatis; nisi adeo gravis et enormis excessus fuerit personarum, quod ab his oporteat absolutionis beneficium per Sedem Apostolicam obtineri.

Nominatim aliquot excipit.

Necnon, et ab illis sententiis, quas adhaerendo et favendo contra Ecclesiam quondam Friderico, se tunc pro imperatore gerenti, seu Conrado nato eius, vel ipsorum fautoribus incurrerunt; Ezelino de Romanis, Uberto marchione Pelavicino, marchionibus, comitibus, baronibus, capitaneis, potestatibus, rectoribusque civitatum atque locorum, similibusque personis, qui in Ecclesias et personas ecclesiasticas saeva exercuisse noscuntur, aut eorum bona nequiter occupasse, dumtaxat exceptis; dummodo assumpto Crucis signaculo, votum huiusmodi, qui absoluti fuerint, efficaciter prosequantur; et ipsi caveant, quod de caetero contra Ecclesiam nunquam erunt. Et tam ab ipsis, quam ab aliis praemissis, plena de damnis et iniuriis, propter quae excommunicati noscuntur, satisfactio, vel satisfaciendi sufficiens securitas impendatur.

Dispensandi facultas.

§ 5. Necnon, et dispensandi cum clericis, super irregularitatibus, quas celebrando divina ligati sententiis canonicis contraxerunt;

Commutandi vota crucesignatorum.

§ 6. Commutandi quoque vota eorumdem crucesignatorum voventium, et votorum qualitate pensata: Terrae Sanctae votis, aliisque perpetuis, quae commutationis non admittunt remedium, dumtaxat exceptis;

Eisque concedendi ut interdicti tempore intersint divinis.

§ 7. Concedendi quoque crucesignatis eisdem, quod tempore generalis interdicti possint interesse divinis officiis, et ecclesiastica sacramenta recipere in locis in quibus eadem ex indulto Sedis Apostolicae celebrantur. Dummodo in praemissis casibus, si ecclesiasticis tenentur ligati sententiis, prius absolutionis beneficium assequantur, vobis et singulis vestrum, auctoritate praesentium, concedimus facultatem.

Datum Anagniae decimotertio kalendas iulii, pontificatus nostri anno undecimo.

Dat. die 19 iunii 1254, pont. anno XI.

XLII.

Confirmatur sententia excommunicationis lata ab archiepiscopo Cantuarien. et totius Angliae episcopis contra perturbantes iura Ecclesiarum (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Violatores Ecclesiarum et regni ab episcopis excommunicati: — Quod confirmatur a Pontifice. — Litterae episcoporum hac de re. — Clausulae.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis, archiepiscopis et episcopis regni Angliae, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum.

Violatores Ecclesiarum et regni ab episcopis excommunicati:

Cum itaque, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos cupientes, prout ad vestrum spectat officium, libertatem ecclesiasticam in regno Angliae illibatam ab omnibus conservari, cum voluntate ac beneplacito charissimi in Christo filii Henrici illustris regis Angliae in omnes illos, qui malitiose ac scienter Ecclesias ipsius regni suo iure privaverint, vel spoliaverint, et libertates ecclesiasticas et antiquas regni consuetudines, et praecipue illius libertates et liberas consuetudines, quae continentur in chartis Communium libertatum, et de Foresta concessis a dicto rege vobis et aliis eiusdem regni praelatis, violaverint, in-

(1) Ex Rer. Anglic. Scriptor. Veter., tom. I, pag. 331. Consule Wilkins, Concil. Angl., tom. I, pag. 703.

fregerint, diminuerint, seu immutaverint, et qui contra illas statuta ediderint, vel edita observaverint, consuetudines introduxerint, vel servaverint introductas, necnon in scriptores, executores et consiliarios statutorum ipsorum excommunicationis sententias duxeritis proferendas, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur; nos vestris supplicationibus inclinati, quod a vobis provide factum est in hac parte ratum habentes et gratum, id de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum praesentibus inseri facientes, qui talis est:

Quod confirmatur a Pontifice.

Litterae episcoporum hac de re.

Auctoritate Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, gloriosaeque Virginis et Dei Genetricis Mariae, beatorum apostolorum Petri et Pauli, omniumque sanctorum apostolorum, beati Thomae archiepiscopi, et martyris, omniumque sanctorum martyrum, beati Edwardi regis Angliae, omniumque confessorum, atque virginum et omnium sanctorum Dei, nos B. divina miseratione Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliae primas. F. Londoniensis, W. Wigorniensis, W. Norwicensis, P. Herefordensis, W. Saresbiriensis, W. Dunelmensis, R. Exoniensis, S. Carliolensis, W. Bathoniensis, L. Rofensis, Th. Menevensis episcopi, de assensu et voluntate venerabilis patris W. Dei gratia Eboracensis archiepiscopi, anathematizamus, et a liminibus Sanctae Matris Ecclesiae sequestramus omnes illos, qui amodo scienter ac malitiose Ecclesias privaverint vel spoliaverint suo iure. Item omnes illos, qui ecclesiasticas libertates, vel antiquas regni consuetudines approbatas et praecipue libertates et consuetudines, quae in Chartis Communium libertatum, et de Foresta continentur a domino rege concessas archiepiscopis, episcopis et caeteris praelatis, Angliae, comitibus, baronibus, militibus, et libere tenentibus, quacumque arte vel ingenio violaverint, infregerint, diminuerint, seu immutaverint, clam vel palam, facto, verbo vel consilio, contra illas vel illarum aliquam in quocumque articulo temere veniendo. Item omnes illos, qui contra illas, vel earum aliqua statuta ediderint, vel edita servaverint, consuetudines introduxerint, vel introductas servaverint, scriptores etiam statutorum ipsorum, necnon consiliarios et executores, et qui secundum ea praesumpserint iudicare. Qui omnes, et singuli superius memorati hanc nostram sententiam incursuros se noverint ipso facto, qui scienter aliquid commiserint de praedictis. Qui vero ignoranter, nisi commoniti, infra quindenam a tempore correctionis se correxerint, et arbitrio ordinariorum plene satisfecerint de commissis, ex tunc sint hac sententia involuti. Eadem etiam sententia innodamus omnes illos, qui pacem regis et regni praesumpserint perturbare: in cuius rei memoriam sempiternam nos signa nostra praesentibus duximus apponenda. Data in maiori aula regia apud Wesmonasterium anno Domini MCCLIII, tertio idus maii, sub praesentia et assensu Henrici Dei gratia regis Angliae illustris, et dominorum R. comitis egregii Cornubiae, fratris sui R. comitis Norfolchiae et marischalli Angliae, H. comitis Herefordiae, H. comitis Oxoniae, I. comitis Warewichiae, et aliorum optimatum Angliae, ad hoc quasi ad concilium specialiter vocatorum.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Anagniae, kalendis octobris, pontificatus nostri anno duodecimo.

Dat. die 1 octobris 1254, pontif. anno XII.

ALEXANDER IV

PAPA CLXXXI

Anno Domini MCCLIV.

Raynaldus Anagninus, patre Philippo ex comitibus Signiae, antea episcopus Ostiensis, S. R. E. cardinalis, electus est in Romanum Pontificem Neapoli, die 21 decembris 1254, et Alexandri IV nomen sumpsit. Sedit in pontificatu annos VI, menses V, dies V (1), imperante in Oriente Balduino II imperatore (2). Obiit Viterbii, die 25 maii 1261, in ecclesia S. Laurentii tumulatus. Vacavit sedes menses III, dies IV (3).

I.

Praesules christiani orbis de adepto pontificatu certiores facit (4).

SUMMARIUM

Humanae naturae conditio. — Mortuo Innocentio IV, — Eique persolutis exequiis, — Se ait in Pontificem fuisse electum: — Se autem restitisse ne eligeretur. — Praesules christianos precatur, ut ipsum adiuvent.

Alexander episcopus servus servorum Dei.

Quia fragilis est, et caduca conditio terrenorum, quibus ingruit senectus ex tempore, ex exercitio lassitudo, languor ex permanentia, ex consistentia casus, et ex diuturnitate defectus, labilis humana natura huic legi corruptionis addicta, quanto longius suum esse producitur, tanto tendit propius ad non esse: propter quod vivendi spatium in unoquoque mortali sua innata infirmitate restringitur, et propriae fragilitatis casu desinit in quolibet vitae cursu. Hic profecto status occiduus omnibus communiter imminet, magnis quippe et parvis, praelatis et subditis, sublimibus pariter atque imis. Sed licet ecclesiastico gregi pastorum suorum decessus eveniens turbationem non modicam ingerat et dolorem; magnam tamen affert sibi laetitiam grata subrogatio successorum, et praesertim cum in substitutione non intervenit tarditas, et voluntatum communio intercedit. Humanae naturae conditio

Sane felicis recordationis Innocentio Papa praedecessore nostro, VII idus decembris in regno Siciliae, in civitate scilicet Neapolis de angusto et tetro carnis carcere vocato, sicut speramus, ad spatiosum et lucidum caeli palatium, ut de multis laboribus, quos pro Ecclesiae honore ac libertate constanter pertulit, mercedem quietis percipiat sempiternae; ac deinde ipsius solemniter celebratis exequiis, eiusque corpore honorifice, prout decuit, tumulato; nos tunc Ostiensis et Velletrensis episcopus, et caeteri fratres nostri mox pro eligendo successore simul convenimus, dirigentes mentes ad Deum, ut gregi suo pastorem idoneum consueta misericordia largiretur. Cumque, ut moris est, Spiritus Sancti postulato suffragio, singulorum vota diligenter exquisita fuis- Mortuo Innocentio IV; Eique persolutis exequiis;

(1) Libenti quidem animo Pagio assentirer putanti Alexandrum electum Pontificem die 12 decembris: nisi iamdiu nutanti animo validissima momenta facerent, ut cum Raynaldo conveniam. Primo enim encycliae Alexandri de sua electione litterae, quas subiicio, datae leguntur secundo kalendas ianuarii: nec putandum est Alexandrum Papam, quem, omni postposita longiore debito mora, electum cum Blondo asserit Pagius a cardinalibus, ut rebus Ecclesiae a Manfredi violentia, insidiisque periclitaturis providerent, diebus octodecim distulisse Ecclesiam Catholicam de sui electione commonere. Deinde extant apud eumdem Raynaldum aliae Alexandri litterae, quibus Philippus Ravennaten. archiepiscopus legatus contra Ezelinum creatur, aliae autem *priori provinciali fratrum Praedicatorum in Francia, et guardiano fratrum Minorum Parisien.* de haeresibus excidendis: et illae quidem datae dicuntur *Laterani decimotertio kalendas ianuarii, anno primo*; in harum autem calce legitur: *Dat. Laterani idibus decembris, anno primo.* Quare corrigendus est quoque error, qui in vitam Innocentii IV a nobis exaratam irrepsit. Ubi enim dicitur: *vacavit Sedes dies* V, legendum est *dies* XVII. (2) Imperium siquidem Occidentale deturbato ab eius iure, prout in Innocentio vidimus, Friderico, vacavit usque ad an. 1273. (3) Iuxta Martini Poloni Chronicon, in quo numeratio a die obitus Alexandri deducitur. (4) Ex Raynald, ad an. 1254.

fregerint, diminuerint, seu immutaverint, et qui contra illas statuta ediderint, vel edita observaverint, consuetudines introduxerint, vel servaverint introductas, necnon in scriptores, executores et consiliarios statutorum ipsorum excommunicationis sententias duxeritis proferendas, prout in litteris super hoc confectis plenius continetur; nos vestris supplicationibus inclinati, quod a vobis provide factum est in hac parte ratum habentes et gratum, id de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum praesentibus inseri facientes, qui talis est:

Quod confirmatur a Pontifice.

Litterae episcoporum hac de re.

Auctoritate Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, gloriosaeque Virginis et Dei Genetricis Mariae, beatorum apostolorum Petri et Pauli, omniumque sanctorum apostolorum, beati Thomae archiepiscopi, et martyris, omniumque sanctorum martyrum, beati Edwardi regis Angliae, omniumque confessorum, atque virginum et omnium sanctorum Dei, nos B. divina miseratione Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliae primas. F. Londoniensis, W. Wigorniensis, W. Norwicensis, P. Herefordensis, W. Saresbiriensis, W. Dunelmensis, R. Exoniensis, S. Carliolensis, W. Bathoniensis, L. Rofensis, Th. Menevensis episcopi, de assensu et voluntate venerabilis patris W. Dei gratia Eboracensis archiepiscopi, anathematizamus, et a liminibus Sanctae Matris Ecclesiae sequestramus omnes illos, qui amodo scienter ac malitiose Ecclesias privaverint vel spoliaverint suo iure. Item omnes illos, qui ecclesiasticas libertates, vel antiquas regni consuetudines approbatas et praecipue libertates et consuetudines, quae in Chartis Communium libertatum, et de Foresta continentur a domino rege concessas archiepiscopis, episcopis et caeteris praelatis, Angliae, comitibus, baronibus, militibus, et libere tenentibus, quacumque arte vel ingenio violaverint, infregerint, diminuerint, seu immutaverint, clam vel palam, facto, verbo vel consilio, contra illas vel illarum aliquam in quocumque articulo temere veniendo. Item omnes illos, qui contra illas, vel earum aliqua statuta ediderint, vel edita servaverint, consuetudines introduxerint, vel introductas servaverint, scriptores etiam statutorum ipsorum, necnon consiliarios et executores, et qui secundum ea praesumpserint iudicare. Qui omnes, et singuli superius memorati hanc nostram sententiam incursuros se noverint ipso facto, qui scienter aliquid commiserint de praedictis. Qui vero ignoranter, nisi commoniti, infra quindenam a tempore correctionis se correxerint, et arbitrio ordinariorum plene satisfecerint de commissis, ex tunc sint hac sententia involuti. Eadem etiam sententia innodamus omnes illos, qui pacem regis et regni praesumpserint perturbare: in cuius rei memoriam sempiternam nos signa nostra praesentibus duximus apponenda. Data in maiori aula regia apud Wesmonasterium anno Domini MCCLIII, tertio idus maii, sub praesentia et assensu Henrici Dei gratia regis Angliae illustris, et dominorum R. comitis egregii Cornubiae, fratris sui R. comitis Norfolchiae et marischalli Angliae, H. comitis Herefordiae, H. comitis Oxoniae, I. comitis Warewichiae, et aliorum optimatum Angliae, ad hoc quasi ad concilium specialiter vocatorum.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. *Clausulae.*

Datum Anagniae, kalendis octobris, pontificatus nostri anno duodecimo.

Dat. die 1 octobris 1254, pontif. anno XII.

ALEXANDER IV

PAPA CLXXXI

Anno Domini MCCLIV.

Raynaldus Anagninus, patre Philippo ex comitibus Signiae, antea episcopus Ostiensis, S. R. E. cardinalis, electus est in Romanum Pontificem Neapoli, die 21 decembris 1254, et Alexandri IV nomen sumpsit. Sedit in pontificatu annos VI, menses V, dies V (1), imperante in Oriente Balduino II imperatore (2). Obiit Viterbii, die 25 maii 1261, in ecclesia S. Laurentii tumulatus. Vacavit sedes menses III, dies IV (3).

I.

Praesules christiani orbis de adepto pontificatu certiores facit (4).

SUMMARIUM

Humanae naturae conditio. — Mortuo Innocentio IV, — Eique persolutis exequiis, — Se ait in Pontificem fuisse electum: — Se autem restitisse ne eligeretur. — Praesules christianos precatur, ut ipsum adiuvent.

Alexander episcopus servus servorum Dei.

Quia fragilis est, et caduca conditio terrenorum, quibus ingruit senectus ex tempore, ex exercitio lassitudo, languor ex permanentia, ex consistentia casus, et ex diuturnitate defectus, labilis humana natura huic legi corruptionis addicta, quanto longius suum esse producitur, tanto tendit propius ad non esse: propter quod vivendi spatium in unoquoque mortali sua innata infirmitate restringitur, et propriae fragilitatis casu desinit in quolibet vitae cursu. Hic profecto status occiduus omnibus communiter imminet, magnis quippe et parvis, praelatis et subditis, sublimibus pariter atque imis. Sed licet ecclesiastico gregi pastorum suorum decessus eveniens turbationem non modicam ingerat et dolorem; magnam tamen affert sibi laetitiam grata subrogatio successorum, et praesertim cum in substitutione non intervenit tarditas, et voluntatum communio intercedit. *Humanae naturae conditio*

Sane felicis recordationis Innocentio Papa praedecessore nostro, VII idus decembris in regno Siciliae, in civitate scilicet Neapolis de angusto et tetro carnis carcere vocato, sicut speramus, ad spatiosum et lucidum caeli palatium, ut de multis laboribus, quos pro Ecclesiae honore ac libertate constanter pertulit, mercedem quietis percipiat sempiternae; ac deinde ipsius solemniter celebratis exequiis, eiusque corpore honorifice, prout decuit, tumulato; nos tunc Ostiensis et Velletrensis episcopus, et caeteri fratres nostri mox pro eligendo successore simul convenimus, dirigentes mentes ad Deum, ut gregi suo pastorem idoneum consueta misericordia largiretur. Cumque, ut moris est, Spiritus Sancti postulato suffragio, singulorum vota diligenter exquisita fuis- *Mortuo Innocentio IV; Eique persolutis exequiis;*

(1) Libenti quidem animo Pagio assentirer putanti Alexandrum electum Pontificem die 12 decembris: nisi iamdiu nutanti animo validissima momenta facerent, ut cum Raynaldo conveniam. Primo enim encycliae Alexandri de sua electione litterae, quas subiicio, datae leguntur secundo kalendas ianuarii: nec putandum est Alexandrum Papam, quem, omni postposita longiore debito mora, electum cum Blondo asserit Pagius a cardinalibus, ut rebus Ecclesiae a Manfredi violentia, insidiisque periclitaturis providerent, diebus octodecim distulisse Ecclesiam Catholicam de sui electione commonere. Deinde extant apud eumdem Raynaldum aliae Alexandri litterae, quibus Philippus Ravennaten. archiepiscopus legatus contra Ezelinum creatur, aliae autem *priori provinciali fratrum Praedicatorum in Francia, et guardiano fratrum Minorum Parisien.* de haeresibus excidendis: et illae quidem datae dicuntur *Laterani decimotertio kalendas ianuarii, anno primo*; in harum autem calce legitur: *Dat. Laterani idibus decembris, anno primo.* Quare corrigendus est quoque error, qui in vitam Innocentii IV a nobis exaratam irrepsit. Ubi enim dicitur: *vacavit Sedes dies* V, legendum est *dies* XVII. (2) Imperium siquidem Occidentale deturbato ab eius iure, prout in Innocentio vidimus, Friderico, vacavit usque ad an. 1273. (3) Iuxta Martini Poloni Chronicon, in quo numeratio a die obitus Alexandri deducitur. (4) Ex Raynald, ad an. 1254.

Se ait in Pontificem fuisse electum:

sent, in nos demum suum converterunt intuitum, direxerunt animos et conceptus expressere, ac firmavere consensus, praeeligentes indignitatem nostram ad exequendum tantae officium dignitatis cum nostrorum parvitatem meritorum deceret subesse potius, quam tanto culmini praesidere.

Se autem restitisse ne eligeretur.

Nos autem nostram attendentes imbecillitatem, et insufficientiam cogitantes; pensantes quoque tam gravis sarcinae molem, et tanti honoris altitudinem advertentes, nimium trepidavimus, validoque membra nostra obriguere pavore, ac intra nos cor nostrum vehementi quasi stupore gelavit, et eorumdem intentioni fratrum pro posse restitimus, contra concordes ipsorum affectus plurimum reluctantes, renuendo prorsus ad summi pontificatus apicem sublimari, et exorando instanter, ut imponerent alii onus illud. Ipsi vero suo proposito fortius insistentes, nostra recusatione ac deprecatione omnino repulsa, personam nostram, quantumcumque renitentem, quadam violentia coegerunt, et extensis in eam manibus, ad assentiendum eorum desideriis nos pertinaciter attraxere.

Unde ne divinae videremur Providentiae obviare, suaeque dispositioni obicem protervae difficultatis inferre, ac ne scandali vel dissensionis materiam praeberemus, devicti dura et ferventi praedicatorum fratrum instantia, votis ad ultimum, quamquam inviti, acquievimus eorumdem, submittentes nostrae debilitatis humeros ad portandum: non quod de aliqua nostra virtute fiduciam habeamus, sed quia de Illius speramus auxilio, qui pro eo laborantibus dat ferre iugum suaviter, et leviter onus suum portare; qui affluentis de suae bonitatis irriguo sperantium in se pectora largiflue compulit et foecundat; qui balbutientium linguas suae virtutis potentia eloquentes efficit et facundas. Porro quia nostrum recognoscimus imperfectum propter quod aliis subsidiis potissime indigemus, ad sinceram devotionem vestram confidenter recurrimus, vestraque suffragia fiducialiter postulamus rogantes vos, et attentius exhortantes, quatenus sedula nos apud Deum intercessione iuvetis: solventes linguas in preces, et in iuges pro nobis orationes labia exercentes: ex intimis, quaesumus, affectibus supplicationes ad coelum dirigite, ac sine intermissione nos Deo sacris vestris interventionibus commendate, crebra ob hoc sibi munera et sacrificia offerentes, ut supra nos imbrem gratiae suae pluat et rorem solitae benignitatis infundat, quod nos actus nostros dirigentes ad ipsam Ecclesiam suam, quam nobis committere voluit, salubriter regere, ac de universo ipsius grege vigilantiae nostrae credito curam gerere debitam iuxta suum beneplacitum valeamus *etc.*

Praesules christianos precatur, ut ipsum adiuvent.

Datum Neapoli, secundo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 31 decembris 1254, pontif. an. I.

II.

Revocatio quarumdam litterarum et sententiae ab Innocentio Papa IV latae adversus religiosos (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Innoc. religiosis prohibet, ne alienos parochianos diebus festivis recipiant. — Ac de mortuis portionem canonicam solverent Ecclesiis. — Haec omnia revocantur, quousque maturius examinentur.

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabilibus universis archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, archipresbyteris, et aliarum Ecclesiarum praelatis, et caeteris personis ecclesiasticis, tam saecularibus, quam regularibus cuiuscumque ordinis et professionis existant, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Non insolitum est, neque novum, ut ea, quae per occupationem, vel in festi-

(1) Edidit Martene, Thesaur. Anecdot., tom. I, col. 1059.

nantia fiunt pro eo, quod congrue lineam deliberationis praetereunt, in propensioris considerationis reducantur examen, ut rectiora et elimatiora per attentionem plenioris discussionis emanent. Sane quaedam ab Apostolica Sede tempore felicis recordationis Innocentii Papae quarti praedecessoris nostri litterae processerunt, in quibus ipse universis religiosis, cuiuscumque professionis vel ordinis existant, districte in virtute sanctae obedientiae iniungebat, ut parochianos alienos diebus dominicis et festivis non reciperent de caetero in suis ecclesiis seu oratoriis temere ad divina, nec ipsos ullatenus ad poenitentiam admitterent sine suorum licentia sacerdotum, nec eis in suis praedicarent ecclesiis ante missarum solemnia, pro quibus audiendis prima diei parte iidem parochiani consueverunt, et debent in suis ecclesiis convenire: nec sermones etiam solemnes facerent illa hora, sed nec ad praedicandum solemniter ad parrochias alienas accederent, nisi essent ab earum sacerdotibus invitati, vel saltem nisi ad id humiliter peterent et obtinerent admitti, nec ea die, qua dioecesanus episcopus, vel alius loco eius praedicaret solemniter, maxime in ecclesia cathedrali, aliquis ipsorum in eadem civitate vel loco praesumeret praedicare. Si vero in casu licito parochianum alterius eos in suis Ecclesiis recipere ad sepulturam contingeret, omniumque obtentu consequerentur huiusmodi sepulturae portionem canonicam, vel non requisiti, infra octo dies a tempore receptionis eorum episcopo, vel sacerdoti, de cuius parochia mortuus esset assumptus, exhibere curarent. Si autem aliquis religiosorum ipsorum huiusmodi transgressor contra praedicta, vel aliqua praedictorum venire praesumeret, praeter inobedientiae vitium et excommunicationis sententiam, quam eum incurrere voluit, ipso facto gradus sui periculo subiaceret, et nihilominus a dioecesano ad praemissa et singula observanda per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, districtius cogeretur, nullis ei contra huiusmodi indulgentiis et privilegiis apostolicis valituris. Verum quia super praemissis litteris cogitare attentius et studiosius deliberare proponimus, pacis commodum et quietis solatium Ecclesiis et personis ecclesiasticis potissime cupientes, praefatas litteras, et si quae aliae super praedictis, vel eorum aliquo contra praefatos religiosos, et aliquos ex ipsis generaliter et specialiter, praeter formam communem et solitam, processere, ac mandata seu praecepta facta in eis, vel earum auctoritate, duximus penitus revocanda. Ideoque universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus per huiusmodi litteras, vel occasione mandatorum, seu praeceptorum, aut sententiae quam continent, nihil prorsus agatis, cum nullam deinceps efficaciam habeant, vel vigorem.

Innoc. religiosis prohibet, ne alienos parochianos diebus festivis recipiant,

Ac de mortuis portionem canonicam solverent Ecclesiis.

Haec omnia revocantur quousque maturius examinentur.

Datum Neapoli, secundo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 31 decembris 1254, pontif. anno I.

III.

Immunitas ab omni exactione, datio etc. in dominiis Apostolicae Sedis, concessa Ianuensibus ab Innocentio Papa IV, confirmatur (1).

SUMMARIUM

Populi Ianuensis erga Sedem Apostolicam merita: et erga religionis propagationem. — Privilegia eidem ab Innocentio concessa. — Confirmantur. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, potestati, et populo Ianuensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiam Dei olim persecutiones, et gravissimas patenter.... Vos in fide et devotione ipsius constantiam firmissimam

Populi Ianuensis erga Sedem Apost. merita;

(1) Ex Ughell., Ital. Sac., tom. IV, ubi de Ecclesia Ianuen.

et erga religionis propagationem

et clarissimam habuistis, ita pro omni virtute resistendo eius hostibus, plurima rerum incurristis dispendia, et discrimina personarum, multis materiam admirationis habentibus, quod inter tot adversorum fulmina tanta fuistis animi firmitate conspicui, et tandem per Dei gratiam victoria praeclara famosi. His etiam magnis meritis quaedam alia magnifica indefesso spiritu adiecistis, quod videlicet transmarinis partibus illa, quae honorem Ecclesiae, ac robur ecclesiasticae libertatis, necnon defensionem et ampliationem catholicae fidei respicere videbantur, sub innumeris expensis et laboribus, grandi studio et vigilanti sollicitudine, promovistis. Meritorum siquidem praemissorum cumulus quasi quoddam sydus in conspectu Sedis Apostolicae refulgens, eam reddidit saepe sollicitam, ut vos talibus extollat honoribus, et gratiarum ubertate confoveat, quod exinde vobis et posteris vestris perpetuae iucunditatis materia producatur. Cum itaque felicis recordationis Innocentius Papa praedecessor noster cum fratribus suis per civitatem vestram personaliter transiens, fuerit in multis de praemissis meritis informatus, et gavisus per evidentiam operis agnovisse quam sinceram et obsequiosam devotionem circa dictam Sedem haberet in vobis, dignum esse praevidit, ut iuxta vestrum desiderium vos suae gratiae privilegio muniret, per quod in vobis exinde reverenter in Sedem semper accrescat affectio, et in generalem deducatur notitiam, quod inter charos vos memorata Sedes reputat sibi charissimos, et quod idem in affectu potissimum, ut affuistis pro ipsa, votivam retribuere magnitudinem praemiorum. Unde idem praedecessor per suas concessit litteras (ut vestris inclinati precibus, nos, quatenus de gratiae plenitudine reputamus favoris, universitati vestrae ad instar praedecessoris ipsius auctoritate pontificia indulgemus), quod in regno Siciliae pertinente ad ius et proprietatem Sedis eiusdem, ac ducatu Spoleti, Marchiae Anconitanae, patrimonio beati Petri in Tuscia, et in omnibus terris Ecclesiae Romanae a datiis, exactionibus et collectis, seu pedagiis ad vos pertinentibus et cuiuslibet onere servitutis in perpetuum liberi penitus et immunes.

Privilegia eidem ab Innocentio concessa

Confirmatur.

Clausulae

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Neapoli, sexto idus ianuarii 1255, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 8 ianuarii 1255, pontif. anno I.

IV.

Rigensi Ecclesiae metropolica dignitas confirmatur in Livonia (1).

SUMMARIUM

Ecclesiae Romanae dignitas et primatus. — Livoniae archiepiscopi antea instabiles sede. — Ut Riga metropolis fuerit constituta: — Quod confirmatur a PP. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, archiepiscopo Rigensi.

Ecclesiae Romanae dignitas et primatus.

Primatuum cathedras, et apicem cuiuslibet ecclesiasticae dignitatis, privilegio sibi divinitus tradito Ecclesia Romana constituit, quam solus Ille fundavit, ac supra petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro, aeternae vitae clavigero, terreni simul commisit et coelestis imperii moderamen. Hinc est quod apud sanctam Sedem Apostolicam horum spectatur origo, eorumque dispensantur insignia, de cuius plenitudine omnes accipiunt, eiusque speciali munere, quod ratio personae, aut temporis, loci, vel causae interdum postulat, assequuntur Sane cum sicut tua nobis et suffraganeo-

(1) Ex Raynaldo ad annum 1255

Livoniae archiepiscopi antea instabiles sede.

rum tuorum insinuatio patefecit, olim in certa Ecclesia metropoliticam non habens sedem, Livoniae, Estoniae, ac Prussiae, archiepiscopus vocareris, felicis recordationis Innocentius Papa praedecessor noster tibi, ne praesidalis honor vacillare per indeterminationem loci quodammodo videretur, aut insigne capitis nomen generali corporis appellatione confundi, ut in quacumque velles Ecclesia cathedrali lege tibi metropolitana subiecta, eamdem posses sedem, cum huiusmodi Ecclesiam pastore vacare contingeret, collocare, per suas sub certa forma litteras, de tua in Domino confidens circumspectione, concessit. Porro Rigensi Ecclesia cathedrali, quae tibi praedicta suberat lege, postmodum pastore vacante, tu in ea metropolitanam sedem litterarum auctoritate huiusmodi, prout ex ipsarum beneficio poteras, de consensu omnium, quorum intererat, deliberatione provida statuisti, ut inde appellationis nomen metropoliticae dignitas et provincia sortiretur, tuque ac successores tui, certo gaudeatis principalis domicilio mansionis. Tuis igitur, et eorumdem suffraganeorum precibus inclinati, quod a te in hac parte provide factum est, ratum et firmum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus *etc.*, iure Romanae Ecclesiae, ac dilectorum filiorum magistri et fratrum hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum in omnibus et per omnia semper salvo.

Ut Riga metropolis fuerit constituta

Quod confirmatur a PP.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Neapoli, decimo tertio kalendas februarii, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 20 ianuarii 1255, pontif. anno I.

V.

Lithuaniae regi concedit, ut praesulem catholicum evocet ad regia filio ornamenta conferenda (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Lectoviae rex christianus fit. — Privilegium, de quo in rubrica. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, illustri regi Lectoviae.

Exordium.

Catholicae fidei cultum longius latiusque per orbem diffundi continue super omnia cordis nostri desiderabilia cupientes, ad eiusdem augumentum fidei, vigili sedulaque solertia, non cessamus intendere, ac, ut iuxta nostri desiderii plenitudinem valeat provenire, totius diligentiae studium, excusso in hac parte cuiuslibet negligentiae otio, adhibemus, augumentum ipsum per nos, ac alios omni ope ac opera, prout ex alto conceditur, assidue procurando. Hinc est quod cum, sicut te intimante nobis accepimus, tu divinitus inspiratus de paganae caecitatis errore ad viam vitae, quae Christus est, baptismatis renatus unda redieris, et Deo vivo ac vero placere studeas sub religionis observantia christianae, nos de hoc multo concepto gaudio, volentes te in huius fide congruis roborare favoribus et condignis gratiis confovere, tuis supplicationibus inclinati, excellentiae tuae, ut quem malueris latinum episcopum pacem et communionem Apostolicae Sedis habentem, tibi advocare liceat, qui dilectum filium nobilem virum natum tuum ad honorem Dei, et sanctae Romanae Ecclesiae in regem Lectoviae auctoritate nostra coronet, tenore praesentium indulgemus.

Lectoviae rex christianus fit.

Privilegium, de quo in rubrica.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beato-

(1) Ex Raynaldo ad annum 1255

rum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Neapoli secundo nonas martii, anno primo.

Dat. die 6 martii 1255, pontif. anno I.

VI.

Quod de caetero in cathedralibus et aliis Ecclesiis nullus in canonicum recipiatur ultra numerum canonicorum consuetum, expectativarum litteris minime suffragantibus (1).

SUMMARIUM

Causae ferendae legis. — Decretum. — Quid agendum de canonicis supra numerum. — De non recipiendis ad beneficia antequam vacent.

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis prioribus, decanis, archidiaconis et aliis Ecclesiarum praelatis, necnon capitulis, conventibus, et collegiis eorumdem, salutem et apostolicam benedictionem.

Execrabilis quorumdam ambitio, quae semper plus ambiens, et fit magis insatiabilis, quo sibi amplius indulgetur, et importuna improbitas, causam dedisse noscuntur, quod in nonnullis Ecclesiis decem, in aliquibus viginti, in aliis vero pauciores aut plures, sive Sedis Apostolicae, vel legatorum eius auctoritate, aut proprio motu capitulorum ipsarum, seu per alios, ad quos eorumdem spectat receptio in canonicos, sunt recepti, qui nondum adepti sunt beneficia in eisdem, sicque tales sub diutina, cum multi sint, expectatione manentes frustrati spe, quam de sua provisione conceperant, vix possunt assequi, quod intendunt, et illis, ad quos beneficiorum, seu praebendarum in eisdem Ecclesiis collatio spectare dignoscitur, facultas adimitur, eadem, cum vacaverint, personis idoneis conferendi. Cum igitur Apostolicae Sedis benignitas, illo affectu dirigi debeat in provisionibus clericorum, quod eis consolatio sic proveniat, ut Ecclesiis turbatio vel dispendium non incumbat; nos attendentes, quod istorum numerositas, quae propter importunitatem petentium in immensum excrevit, nonnullis parit scandalum et horrorem, cum in plerisque Ecclesiis tanta sit expectatium multitudo, quod excedat numerum praebendarum, cogimur excogitare remedium, per quod Ecclesiarum obvietur dispendiis, et earum personis quies et tranquillitas procuretur. Hac itaque consideratione inducti, de fratrum nostrorum consilio sic duximus ordinandum, ut in Ecclesiis in quibus plures, quam quatuor recepti fuerint, sive litterarum dictae Sedis, vel legatorum ipsius auctoritate, aut proprio motu capitulorum ipsorum, vel aliorum ad quos receptio pertinet eorumdem, quatuor dumtaxat in ipsis Ecclesiis iam admissi remaneant, et sint canonici in eisdem; receptiones factas de reliquis in dictis Ecclesiis de fratrum nostrorum consilio penitus irritantes ac decernentes eos, ad quos in ipsis Ecclesiis praebendarum, seu beneficiornm spectat collatio, ad provisionem reliquorum aliquatenus non teneri. Declaramus quoque auctoritate praesentium, ad omnem iurgiorum materiam amputandam, ut ii, qui per literas apostolicas in ipsis Ecclesiis recepti fuerint, canonici remaneant in eisdem, usque ad quaternarium numerum supradictum, etiam post receptos legatorum auctoritate, vel per alios quoscumque in ipsis Ecclesiis sunt recepti. Volumus autem, ut si ultra quatuor, auctoritate litterarum Sedis Apostolicae, in aliquibus Ecclesiis recepti fuerint, ex ipsis tantum quatuor primo recepti remaneant, praebendas, seu beneficia, iuxta receptionis suae ordinem percepturi, nisi aliqui ex praedictis quatuor eadem auctoritate recepti fuerint iure aliquo potiores. Quod si pauciores sint

Causae ferendae legis.

Decretum.

Quid agendum de canonicis supra numerum.

(1) Ex Regest. Vatic.

quatuor, qui per litteras apostolicas sunt recepti, de aliis auctoritate legatorum dictae Sedis, vel motu proprio capituli, seu quovis alio modo primo receptis in ipsis Ecclesiis, tot dumtaxat remaneant in eisdem, quod quaternarius numerus impleatur. In illis vero Ecclesiis, in quibus aliqui solummodo per litteras legatorum praefatae Sedis, vel capitula earumdem, seu alios ad quos canonicorum spectat receptio, recepti fuerint in canonicos et in fratres, tantum quatuor primo in eisdem receptos volumus remanere, et eis de praebendis vel beneficiis sibi in eisdem Ecclesiis, iuxta suae receptionis ordinem, debitis provideri. Cum autem prioritas vel posteritas receptionum huiusmodi in Ecclesiis discerni non potest; puta, quia recepti sunt aliqui a capitulis ipsarum, vel aliorum, ad quos canonicorum receptio pertinet, simul; ita quod nescitur quis primo ibidem ius habeat canonice, et cui primo vacatura praebenda, vel beneficium debeatur; vel forsitan ita condictum est inter ipsos, ut in assequtione praebendarum vel beneficiorum ibi vacantium, nullus alteri praeferatur; illi tantum, usque ad quaternarium numerum in singulis Ecclesiis, ubi talis receptio facta fuerit, ius habeant canonice, qui capitulis, vel maiori et saniori parti eorum, aut aliis ad quos spectat receptio magis idonei videbuntur; quos infra tres menses post publicationem praesentium eadem capitula, vel maior et sanior pars eorum, aut illi, ad quos canonicorum praedictorum receptio pertinet, approbent digniores. Aliquando ex tunc proximus eis superior hos approbandi liberam habeat facultatem, et provideatur eis iuxta ordinem, quem disponent capitula, vel maior et sanior pars ipsorum, vel illi, ad quos spectat provisio, aut proxime superior, si ipsi super hoc fuerint negligentes de praebendis, vel beneficiis primo in eisdem Ecclesiis vacaturis. Caveant autem taliter praelati, capitula, et caeterarum Ecclesiarum collegia, in quibus certus est praebendarum vel beneficiorum numerus institutus, ne aliquem nulla in eorum Ecclesia praebenda vacante, motu proprio recipiant in canonicum, et in fratrem, ut canonicam possint effugere ultionem, et nos super hoc providere aliter non cogamur. Si vero aliqua Ecclesia parvitatem praebendarum vel beneficiorum habuerit, quae in receptione quatuor canonicorum vel clericorum reputet se gravatam, puta, quia habet citra denarium praebendarum vel beneficiorum numerum institutum, si super hoc ad Sedem Apostolicam voluerit habere recursum, nos prout expedire videbimus, curabimus providere.

De non recipiendis ad beneficia antequam vacent.

Datum Neapoli nonis aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 5 aprilis 1255, pontif. anno I.

VII.

Revocatio indultorum conferendi quaecumque beneficia cum vacaverint, et expectativarum ad eadem etiam post adeptam possessionem (1).

SUMMARIUM

Expectativae nonnullae ab Innocentio concessae. — Quam incongrue. — Irritantur.

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis prioribus, decanis, archidiaconis, et aliis Ecclesiarum praelatis, necnon capitulis, conventibus, et collegiis eorumdem, salutem et apostolicam benedictionem.

Expectativae nonnullae ab Innocentio concessae.

Discrimen praeteriti temporis, et inhiatio inverecunda petentium ambitione non carens felicis recordationis Innocentium Papam praedecessorem nostrum, fortius hactenus constrinxerunt, ut multis diversa concederet, quae forsitan alias non fuerat concessurus, et frequenter idem

(1) Ex Regest. Vatic.

ad ea, in quibus sua non dirigebatur intentio ratione locorum et personarum, ac etiam huiusmodi periculosi temporis cogebatur. Indulsisse siquidem aliquibus generales litteras, vel etiam speciales sub tenoribus diversis et formis idem dicitur praedecessor, super archiepiscopatibus, episcopatibus, abbatiis et prioratibus, ut cum eos vacare contingeret, conferrentur eisdem. De inferioribus etiam beneficiis puta decanatibus, archidiaconatibus, et aliis personatibus, Ecclesiis parochialibus et aliis beneficiis cum cura propriis nominibus designatis, aut ea demonstratione, quae nominis vice fungitur, asseritur concessisse, ut cum ea vacare contingeret, certis assignarentur personis, pro quibus nominatim direxerat scripta sua: quae indulta odiosa videntur, propter ambitionis vitium, qua insatiabilis fit anxietas noxiae voluntatis, et propter machinationem in mortem alterius, et plena divini animadversione iudicii, et tristissimi eventus, cum ex hoc desiderare quis mortem proximi videatur in cuius locum et beneficium se crediderit successurum, et de rebus viventium spes futurae successionis, imo fiducia quodammodo tribuatur. Nos igitur huic morbo remedio celeri occurrere cupientes, cum locum in Ecclesia Dei futurae successionis expectatio sibi non debeat vendicare, quam ipsi etiam gentiles in suis legibus condemnarunt, de fratrum nostrorum consilio litteras super praefatis archiepiscopatibus, episcopatibus, abbatiis et prioratibus sub quacumque forma obtentas, sive generales fuerint, vel etiam speciales, ac aliis inferioribus beneficiis supradictis sub forma expressa superius impetratas, et indulta huiusmodi, et quidquid ex eis sequutum est, vel ob ea, nisi impetratores huiusmodi per litteras sic concessas adepti iam fuerint dignitates, beneficia, vel alia supradicta, et in possessionem fuerint, eorumdem iuribus carere decernimus, et in posterum non valere, praesertim cum idem praedecessor, sicut accepimus, intentionem habuerit super hoc salubre adhibere remedium, et ad revocationem eorum ante suum obitum intendebat.

Quam incongrue.

Irritantur

Datum Neapoli nonis aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die, annoque eodem.

VIII.

Quod ad Ecclesias promoti infra sex menses munus consecrationis suscipere teneantur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Terminus de electis indictus ad consecrationem suscipiendam. — Poenae contra inobedientes.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis capitulis, conventibus et collegiis Ecclesiarum cathedralium, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ad Romanam Ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater omnium christifidelium, et magistra, cura principalis pertineat earumdem; decens, imo urgens est inter caeteras administrationis, curas ex vi curae ipsius officii, sponsis Ecclesiarum munus consecrationis impendere, ut consumetur spirituale meritum inter ipsos, ne sponsae viduatae pastoribus ex hoc patiantur in temporalibus et spiritualibus laesionem, et Dominici gregis oves lupus rapax invadat, qui circuit quaerens quem devoret incessanter. Unde quia plurimi in cathedralium Ecclesiarum electos assumpti consecrationem suam non absque suarum Ecclesiarum periculo suscipere distulerunt hactenus, et protelant, propter quod grave passae sunt, et sustinent Ecclesiae dispendium in utrisque; nos sub cuius cura Ecclesiae ipsae consistunt, volentes ipsarum indemnitatibus occurrere, ut tenemur, de fratrum nostrorum

Exordium.

Terminus de electis indictus ad consecrationem suscipiendam.

(1) Ex Regest. Vatic.

consilio ex nunc terminum sex mensium omnium cathedralium Ecclesiarum electis duximus statuendum, infra quem munus consecrationis suscipiant reverenter. Alioquin nisi legitimo impedimento detenti fuerint ab administratione spiritualium, et temporalium noverint se suspensos, quod si non suscepto consecrationis munere, ultra praedictum terminum retinuerint Ecclesias aliis sex mensibus viduatas, ex tunc eisdem Ecclesiis auctoritate praesentium noverint se privatos, et capitula, et collegia, et conventus ad quos electio pertinet praedictorum, sibi providendi de aliis, auctoritate nostra, liberam habeant facultatem.

Poenae contra inobedientes.

Non obstante indulgentia eis a quocumque, et sub quacumque verborum forma concessa, per quam adversus statutum huiusmodi possent in aliquo se tueri.

Datum Neapoli nonis aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 5 aprilis 1255, pontif. anno I.

IX.

Confirmatio Universitatis Studii generalis in civitate Salamantina erecti (1).

SUMMARIUM

Procemium. — A Castellae rege institutum Studium Salamantinum. — Confirmatur. Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio regi Castellae ac Legionis illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium.

Inter ea, quae placita nos oblectatione laetificant, grandi cor nostrum reficitur gaudio, et laetitia exultat optata, cum eos, qui coelesti sunt providentia praediti (2) ad populorum regimen et regnorum, ad communem subiectorum suorum profectum intentos conspicimus, ipsosque ad publicae utilitatis provectus sollicitos intuemur: probabile namque argumentum tribuitur, et spes certa, quod tali regimine ipse regum et regnorum Dominus honoretur, et tam reges et regna, quam populi floridis et fructuosis proficiant incrementis. Sane laetanter accepimus et utique acceptamus, quod prudenter attendentes, quod multitudo sapientium sanitas est regnorum, quodque non minus prudentum consilio, quam strenuitate vel fortitudine robustorum regnorum ipsorum moderamina disponantur, ac per hoc desiderantes regna tibi divini muneris largitate concessa inextinguibili sapientiae lumine illustrari, eaque sanis peritorum consiliis et maturitate fulciri, apud Salamantinam civitatem, ut fertur, uberrima, et locum in regno tuo salubritate aereis, et quibuslibet opportunitatibus praelectum, venerabilis fratris nostri episcopi et dilectorum filiorum capituli Salamantin. accedente consilio et assensu, generale studium a doctoribus et docendis in posterum frequentetur, humiliter postulasti a nobis, apostolico id munimine roborari. Nos igitur tuae intentionis propositum dignis in Domino laudibus commendantes, tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc a te de assensu episcopi et capituli praedictorum factum est, ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus.

A Castellae rege institutum studium Salamantinum.

Confirmatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae.

Datum Neapoli octavo idus aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 6 aprilis 1255, pontif. anno I.

(1) Ex Regest. Vatic. (2) Forsitan leg. *praepositi*.

X.

Confirmatio regulae S. Augustini pro ordine fratrum et militum hospitalis leprosorum Sancti Lazari Hierosolymitani.

Alexander episcopus servus servorum Dei, magistro et fratribus hospitalis leprosorum S. Lazari Hierosolymitani ordinis Sancti Augustini, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, regulam beati Augustini, quam vos asseritis esse professos, sicut eam hactenus servastis, vobis auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus, eadem auctoritate nihilominus statuentes, ut regula ipsa a vobis et successoribus vestris perpetuis futuris temporibus observetur.

Nulli *etc.*

Datum Neapoli undecimo aprilis, anno primo.

Dat. die 11 aprilis 1255, pontif. anno I.

XI.

Quaedam Parisiensis Universitatis statuta contra fratres ordinum Mendicantium probat, nonnulla temperat, caetera rescindit (1).

SUMMARIUM

Universitatis Parisiensis encomium. — 1. Quae Gregorius IX in gratiam Universitatis sanxerat refert. — Fratres Praedicat. et Minoritae ab ea repulsi ad Summum Pontificem appellant. — 2. Innocentius IV discordias Universitatis sedat. — 3. Statuta ab Universitate edita contra Mendicantes. — 4. De his per FF. Praedicatores et Minoritas ad Sedem Apostolicam appellatum. — 5. Ab Innocentio utraque pars citata. — 6. Alexander Papa decernit ut supra. — 7. De licentiandis. — 8. De facultate cancellarii. — 9. De baccalariis. — 10. De magistris. — 11. De cessatione scholarum. — Clausula derogans.

(1) Ex Waddingo ad annum 1255.

Alexander episcopus servus servorum Dei, universis magistris et scholaribus Parisiensibus.

Quasi lignum vitae in paradiso Dei, et quasi lucerna fulgoris in domo Domini est in sancta Ecclesia Parisiensi studii disciplina. *Universitatis Parisiensis encomium.* Haec quippe velut foecunda eruditionis parens ad irrigandum sterilem orbis faciem, fluvios de fontibus sapientiae salutaris cum impetu foras mittens ubique terrarum Dei laetificat civitatem, et in refrigerium animarum flagrantium siti iustitiae, aquas doctrinae dividit publice in plateis. Ibi nimirum ordinatus est per providentiam Conditoris ad opus ad (1) custodiam doctorum ordo praecipuus, ut ad vitae fructum rationabilis creaturae deducat affectum, ne in gustum mortis vetita veteris praevaricationis illecebra seducatur. Ibi humanum genus originalis ignorantiae caecitate deforme per cognitionem veri luminis, qua scientia pietatis assequitur, reddita visionis specie reformatur. Ibi praecipue dat Dominus Sponsae os et sapientiam ac linguam mysticis eloquiis eruditam, cui resistere nequit omnis adversitas improborum. Ut igitur consortii vestri communicabile ac commune omnibus bonum, omni pacis custodia servare curemus et favorabilibus patrociniis communire, ne in commune publicae salutis exitium illud aemula charitatis et unionis invida Sathanae labefactare possit astutia; instructa quippe modis innumerabilibus ad nocendum, in nobis, quos licet indignos cunctis mortalibus Dei dignatio superintendere voluit de superno fastigio domus suae, praecipua sollicitudinis vigilantia excitatur, et cor nostrum urit curae stimulus specialis.

§ 1. Olim sane, sicut accepimus, cum

(1) Legendum loco *ad opus ad custodiam*, forsan *ad illius custodiam*.

quibusdam scholaribus Universitatis vestrae collegis fuissent a vigilibus civitatis Parisien. atroces iniuriae irrogatae, uno illorum occiso, reliquis graviter vulneratis, et in carcerem et vincula coniectis, demum vos, quibus, ut dicitur, felicis recordationis Gregorius Papa praedecessor noster indulsit, ut si vobis vel alicui vestrum iniuria vel excessus inferatur enormis, utpote mortis vel mutilationis membri cuiusquam, nisi, congrua monitione praemissa, infra quindecim dies fuerit satisfactum, licitum sit vobis usque ad satisfactionem condignam suspendere lectiones; attendentes, quod licet iidem scholares, quos sacrilega carceravit iniuria, ut asseritur, vobis fuissent in crastino redditi semivivi, iustitiae tamen executio in iniuriam huiusmodi praesumptores videbatur ultra debitum prorogari, scholas a lectionibus suspendistis; verum cum nec sic iustitiae debitum proveniret, vos tantae enormitatis articulo suggerente, de communi consilio ad dictas iniurias secundum Deum et iustitiam, quantum vobis foret licitum, si iudicis tepesceret officium, prosequendas et ad quasdam ordinationes alias vos per obligationem roboratam iuramentis adhibitis astrinxistis. Et quia super his dilecti filii Bonushomo et Elias Praedicatorum ordinis fratres, scholas regentes Parisiis in theologica facultate, ex certis causis ordinationibus et obligationi huiusmodi se subiicere noluerunt ad Sedem Apostolicam appellando, eos beneficio Societatis in Magistralibus privavistis, ipsosque privatos publice nunciantes, iniunxistis districte, ut scholares lectiones eorum de caetero non audirent, ne ipsorum auditores a poena, quam Universitas infligere talibus consuevit, se possent per ignorantiam excusare.

Quae Gregorius IX in gratiam Universitatis sanxerat refert.

Fratres Praedicat. et Minoritae ab ea repulsi ad Summum Pontificem appellant.

§ 2. Demum cum iidem fratres super hoc, ad dictae Sedis praesidium confugissent, fel. rec. Innocentius Papa praedecessor noster, audito, quod inter vos et cives, qui praedictas iniurias irrogaverant, discordia per satisfactionem fuerat iam sopita, volens de medio vestrum controversiae submovere materiam et pacifice reformare mutuae charitatis affectum, ipsos fratres ad vestrum collegium et consortium restituit de gratia speciali, prohibitionem, seu mandatum factum scholaribus auditoribus eorumdem penitus revocando, ac dando vobis litteris in mandatis, ut praedictos fratres sine difficultate seu dilatione resumentes, ad statum pristinum, et ad collegium magistrorum, ac Universitatis consortium admittentes, eos occasione praemissorum nullatenus vexaretis; venerabilibus fratribus nostris, Silvanecten. et Ebroicen. episcopis super hoc mandati apostolici executoribus deputatis. At licet ad vos mandatum restitutionis et revocationis huiusmodi pervenisse dicatur, ipsi tamen fratres usque nunc adipisci efficax suae restitutionis commodum, vobis quaedam obiicientibus, nequiverunt.

Innocentius IV discordias Universitatis sedat.

§ 3. Caeterum vos filii magistri in Theologia Parisiis tunc regentes, haec statuta deliberatione habita edidistis, ut videlicet de caetero religiosus aliquis non habens collegium Parisiis, et qui est a iure publice docere prohibitum, ad Societatem Magistrorum nullatenus admittatur, utque singula religiosorum collegia singulis magistris actu regentibus, et unica schola de caetero sint contenta. Ne quoque aliquis baccalaureus in theologica facultate promoveatur ad cathedram, nisi prius examinaverit semetipsum, saltem aliquos libros theologiae glossatos et sententias in scholis alicuius magistri actu legentis diligenter legendo. Quod si aliquis contra dictas ordinationes vestras venire praesumpserit, ei societas vestra, tam in principiis, quam in aliis subtraheretur omnino. Quicumque vero baccalaureus licentiatus fuerit, et huic ordinationi consensum praestare noluerit requisitus, eum statuistis excludi a consortio magistrorum, et eidem tam in principiis, quam in aliis Societatem magistralem penitus denegari: praemissis statutis Universitatis,

Statuta ab Universitate edita contra Mendicantes.

ut dicitur, accedente consensu, reverentia tamen et obedientia Sedis Apostolicae, ac aliorum, quibus obedire tenemini, semper salva. Statuistis insuper ne ullus magister in quacumque facultate ad collegium magistrorum vel consortium Universitatis eorum aliquatenus admittatur, nisi prius in plena congregatione magistrorum vel saltem coram tribus magistris suae facultatis ad hoc specialiter deputatis iurasset statuta vestra licita et honesta, et vobis expedientia, se firmiter servaturum. Secreta quoque et consilia vestra post inhibitionem sibi factam a vobis, fideliter celaturum: quodque obligationibus vestris licitis et honestis, ac vobis expedientibus, praecipue ex tenore privilegiorum vestrorum capientibus pacifice concorditer consentiet. Et ut hoc firmius servaretur, addidistis, ut nullus magister principium alicuius baccallarii tenere, vel eius principio interesse praesumat, nisi prius ei constiterit, quod idem baccallarius ad praedicta modo praehabito sic ligatus, nec idem baccallarius si alio modo incaeperit, magister aliquatenus a vobis habeatur. Statuistis praeterea, ut si cessante Studio Parisien. ob causas consimiles vel alias rationabiles, aliquis interim baccallarius in aliqua facultate de novo solemniter incipere, vel aliquis eorum, qui primum rexerunt, suas interim resumere praesumpserint lectiones, ex tunc a consortio vestro in perpetuum excludatur, nec Parisiis, seu alibi, ubi studium transferri contigerit, inter magistros seu scholares aliquatenus admittatur, et poena consimili scholario, qui interim causa studii Parisios venire praesumpserit, puniretur, nisi transgressores praedicti praesumptionem suam ad arbitrium Universitatis vestrae curaverint emendare, et haec ordinastis, et statuistis sub poena, quam infligere potestis, inviolabiliter observanda; nihilominus recensentes excommunicationis sententiam, quae in transgressores praemissorum extitit, ut proponitur, promulgata, ab omnibus inviolabiliter observari, salvis omnibus iure ac libertate canonicis Parisien. quantum ad omnia, in quibus, et per quae a vestris ordinationibus et statutis auctoritate apostolica, seu quacumque alia sunt exempti.

§ 4. Porro dilectis filiis priore Praedicatorum et guardiano Minorum fratrum suam ad Sedem praetactam, refugium oppressorum, deferentibus quaestionem, quod vos occasione statutorum huiusmodi a vobis, eis exclusis, pro vestro libito editorum, ipsos, et liberum et quietum statum magistrorum, et fratrum eorumdem ordinum Parisiis studio insistentium, ac scholarium suorum indebite turbabatis, praefatus Innocentius nec expediens reputans, neque decens praedictis omnibus pressuras huiusmodi, vel molestias irrogari, vobis suis dedit litteris in mandatis, ut ab ipsorum quibuslibet novis molestiis et inquietationibus, praedictis statutis nequaquam obstantibus, desistentes, nihilominus penitus usque ad festum Assumptionis B. Virginis proximo tunc venturum, in eorum, vel pristini status ipsorum praesumperetis praeiudicium attentare.

De his per FF Praedicatores et Minoritas ad Sedem Apostolicam appellatum.

§ 5. Et quoniam inter vos et fratres praedictos idem Innocentius omnem scandali et discordiae cupiebat materiam amputare, ut sub vinculo pacis pacificis scientiae studiis vacaretis, supradictis episcopis per sua scripta mandavit, ut tam vos, quam fratres eosdem, ex parte sua peremptorie citare curarent, quod in praemisso festo (nisi sub iisdem interim proveniret concordia) per procuratores idoneos ad ipsius praesentiam veniretis, ut super praemissis quod utile, salubre et conveniens prospiceret, auctore Domino, ordinaret, nec permitterent idem episcopi, fratres eosdem a vobis contra praemissa medio tempore molestari.

Ab Innocentio utraque pars citata.

§ 6. Denique idem praedecessor morte praeventus nihil potuit iuxta pium conceptum animi sui super eodem negotio definire, sicque nos habuit in huiusmodi sollicitudinis cura, sicut et in caeteris

Alexander PP decernit ut supra.

pastoralis angustiae laboribus, licet immeritos, successores. Vestrum itaque sufficiens ad ordinationem suscipiendam habentes mandatum, et praedictorum prioris et fratrum procuratoribus, necnon et dilecto filio magistro ordinis Praedicatorum, qui cum illis postulabat hoc ipsum in nostra praesentia constitutis, praemissa omnia et processus habitos, diligenter inspeximus, quaecumque in auditorio nostro super his utrinque fuere proposita diligenter intelleximus, et tandem per viam pacis, quae processus est gratiae, ad dirimendum inter partes exortae controversiae scrupulos, nos, Domino dirigente, aliqua ex praemissis ordinationibus et statutis a vobis editis, ut salubrius maneant et utilius commoditati proficiant generali, de fratrum nostrorum consilio moderanda providimus. Caetera vero ne rigore districtionis unitatem communionis exasperent, resecanda

De licentiandis.

§ 7. Etenim circa id quod statuere voluistis, ne ullus religiosus, nullum Parisiis habens collegium et a iure publice docere prohibitus, in magistrorum collegium ullatenus admittatur, et singula religiosorum collegia singulis magistris actu regentibus, et unica schola de caetero sint contenta, consideranda ea nobis diligenter occurrunt, quae memoratus Gregorius circa statutum scholarium et scholarum Parisien. statuisse dicitur observanda; videlicet, quod quilibet cancellarius Parisien. deinceps creandus coram episcopo, vel de ipsius mandato in capitulo Parisiensi vocatus ad hoc et praesentibus pro universitate scholarium duobus magistris, in sua institutione curabit, quod ad regimen theologiae et decretorum bona fide secundum scientiam suam loco et tempore secundum statutum civitatis et honorem, ac honestatem, facultatum ipsarum, nonnisi dignis licentiam largiretur, nec admitteret indignos, personarum et nationum acceptione submota. Ante vero quam quemquam licentiet, infra tres menses a tempore petitae licentiae, tam ab omnibus magistris theologiae in civitate praesentibus, quam aliis viris honestis et litteratis, per quos veritas sciri possit, de vita, scientia et facundia, necnon proposito, et spe proficiendi, ac aliis, quae sunt in talibus requirenda, diligenter inquirat, et inquisitione sic facta, quid deceat et quid expediat bona fide det vel neget, secundum scientiam suam, petenti licentiam postulatam. Magistri vero theologiae, et decretorum, quando incipiunt legere, praestabunt publice iuramentum, quod super praemissis fidele testimonium perhibebunt. Cancellarius quoque iurabit, quod consilia magistrorum in malum eorum nullatenus revelabit Parisien. canonicis, libertate ac iure in incipiendo habitis in sua manentibus firmitate.

De facultate cancellarii.

§ 8. Cum ergo ex constitutione huiusmodi liqueat manifeste, quae in licentiando scholares ad scholarum regimen cancellario sit facultas, et quanta sibi super hoc religio fidei et circumspectionis necessitas indicatur, videri potest acutius intuenti, auctoritati constitutionis apostolicae, quae statui scholarum et scholarium providens certos cancellarii officio terminos potestatis indulget, per constitutionem vestram in propagandi studii dispendium derogari. Volumus itaque cancellarii potestatem in constitutione saepefati Gregorii, circa statutum Parisien. studii declaratam, nulla imminutione convelli. Ipse tamen circa licentiandos, tam de saecularibus, quam de regularibus non solum ea, quae attendenda in constitutione ipsius Gregorii exprimuntur, verum etiam statum et necessitatem Ecclesiae generalis, et populorum salutem diligenter attendat, et iis, quos suffragantibus meritis et suadentibus circumstantiis viderit ad magisterium promovendos, sic faveat, quod capacem sensum a natura sortiri ad profectum scientiae proposito studiosis magistralis tituli praemio provocentur, et ad gubernaculorum officia, quae intra sanctam Ecclesiam saepius

immineut, personis idoneis dispensanda suppetere possit virorum copia probatorum, praesertim in arte artium, quae profecto est regimen animarum. Ex eo autem, quod aliqua saecularium vel religiosorum collegia de licentia cancellarii plures meruerunt habere magistros hactenus, aut scholas, nolumus eis circa proprietatem vel possessionem habendi huiusmodi ius in posterum provenisse: sicut iis, qui non plures, vel nullum hactenus habuisse noscuntur, volumus ex hoc viam aliquam habendi, vel plures praecludi, si cancellarius omnibus, quae considerari debent inspectis, alicuius, vel plurium licentiam eis viderit, prout sibi competit, concedendam.

De baccalariis. § 9. Illud autem, quod de baccalariis statuistis ad magistralem theologicae facultatis cathedram, nisi aliquos eius facultatis libros glossatos, et sententias in scholis alicuius magistri actu regentis legerint, nullatenus admittendis, sic duximus temperandum, ut repelli tales non debeant, si ubicumque Parisiis, dummodo in loco publico et honesto eos praetactos libros legisse patuerit. Nec etiam hoc ipsum probationis experimentum exigi volumus circa illos, de quibus alias manifeste constiterit, quod ad scholarum regimen sint idonei comprobati.

De magistris. § 10. Statutum vero quo decrevistis, ne ullus magister in facultate quacumque ad consortium magistrorum, vel collegium Universitatis aliquatenus admittatur, nisi prius in plena congregatione magistrorum, vel saltem coram tribus magistris suae facultatis ad hoc specialiter deputatis, praestito iuramento, quod secreta et consilia vestra post inhibitionem sibi factam a vobis bona fide celabit, alioquin poenae subiaceat in statuto huiusmodi constitutae; hoc moderamine mitigamus, saluti animarum et conscientiarum, ac famae periculis praecaventes: ut si talibus ardua et difficilia negotia ab Universitate commissa fuerint in secreto tenenda, illa sic teneantur bona fide celare, quod nemini ea in eiusdem Universitatis dispendium revelabunt, nisi forte talia essent, quae non possent sine animarum periculo substineri.

De cessatione scholarum. § 11. Denique super cessatione scholarum, non obstante alia ordinatione, vel contraria constitutione a nobis edita, eam formam dumtaxat observari volentes, quam praefatus Gregorius in constitutione, quam super hoc edidit, noscitur tradidisse, quod videlicet si forte vobis hospitiorum subtrahatur taxatio, aut, quod absit, vobis vel alicui vestrum iniuria, vel excessus inferatur enormis, utpote mortis, vel membri mutilationis, nisi congrua monitione praemissa, infra quindecim dies fuerit satisfactum, liceat vobis usque ad satisfactionem condignam suspendere lectiones, et si alicui vestrum indebite carcerari contigerit, fas sit vobis, nisi monitione praehabita, cesset iniuria, statim a lectione cessare, si tamen id videritis expedire. Eidem formae adiiciendo statuimus, ut cum pro aliqua ex causis in eadem Gregorii constitutione contentis, Universitas vestra lectiones duxerit suspendendas, omnes magistri tam regulares, quam saeculares ipsas suspendere teneantur, eas nisi cum Universitate minime resumpturi. Sane si super observantia huius statuti de lectionibus suspendendis et eius quod praemittitur, videlicet de secretis, et consiliis Universitatis minime revelandis, aliquam obligationem videritis deliberatione provida statuendam, qua tam praesentes magistri, quam posteri ad ea explicite ac specialiter astringatur, vobis, dummodo duae partes magistrorum theologicae facultatis, et eo modo duae partes magistrorum singularum facultatum, reliquarum videlicet canonistarum, physicorum, et etiam artistarum suum super hoc voluerint praestare consensum, id faciendi liberam concedi-

mus facultatem. His itaque statutis et ordinationibus secundum moderationem nostram robur inviolabilis observantiae habituris, caetera pro pace vestra suadente Providentiae consilio, resecamus, denunciantes ne magistri regulares vel saeculares ea servare teneantur ex debito praestiti iuramenti, vel ad ea observanda in posterum sacramento ligentur, libertatibus Parisien. Ecclesiae in omnibus et per omnia semper salvis, et in aliis Universitatis vestrae privilegiis et immunitatibus in suo nihilominus robore duraturis. Praedictos insuper Praedicatorum ordinis fratres theologiae facultatis magistros ad magistrorum consortium, ipsosque, ac auditores eorum ad Universitatis collegium de nostrae potestatis plenitudine restituentes omnino, et decernentes ad eadem consortium et collegium a vobis in dulcedinis ubere sine difficultate qualibet admittendos, omnes sententias privationis, seu separationis a consortio Universitatis, vel similibus, sive poenas alias in eosdem fratres et scholares eorum, praemissorum occasione prolatas penitus revocamus: non obstantibus statutis quibuscumque, iuramento, poena, sive obligatione vel confirmatione qualibet roboratis, aut litteris a Sede Apostolica impetratis, vel de caetero impetrandis, quae de praesenti ordinatione, ac providentiae nostrae statuto plenam et expressam non fecerint mentionem.

Clausula derogans.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae ordinationis, constitutionis et revocationis infringere. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Neapoli, decimo octavo kalendas maii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 14 aprilis 1255, pontif. anno I.

XII.

Quod contra Franciae regem, eiusque in regno successores a nemine censurae publicari possint absque Sedis Apostolicae licentia speciali (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Privilegium. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio illustri regi Franciae, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Sublime regni Franciae solium praeeminentiae coruscans titulis, generositate, magnanimitate, ac strenuitate clarius caeteris et excelsius innotescit; sed dum fidei suae solem, devotionis ignem, et speculum operum, quibus praefulget, attendimus, aspicimus ipsum iis tribus luminaribus copiosius radiare, ac exempli fulgorem ad alios effundere potiorem. Claritate quippe sanguinis rutilat, sed animi puritate perlucet: magnum quidem est dignitatis honore, sed gestorum nobilitate magnificum; conspicuum, inquam, altitudine status, sed praecellentia bonitatis illustre. Convenit itaque, ut hoc genus regum tam insigne, tot utique praeeminentiis et meritis insignitum singularium privilegiorum insigniis in signum praecipue benevolentiae ac gratiae specialiter designemus; maxime quia ex hoc genere suscepit Mater Ecclesia, et suscipit filios benedictionis et gaudii, filios factis et fama pollentes, filios opportuni auxilii et favoris, quia in hoc genere favum delibat dulciorem reverentiae filialis, quia de hoc haurit continue amoenum innatae sinceritatis odorem. Hinc est igitur, quod nos genus ipsum eximiae dono gratiae honorantes, tuis devotis precibus inclinati, auctoritate apostolica indulgemus, ut nullus ordinariam iurisdictionem habens, nullusque Apostolicae Sedis legatus, aut delegatus, vel subdelegatus ab eorum aliquo, seu exequtor, aut conservator a Sede deputatus eadem, in tuam,

Privilegium

(1) Ex Regest. Vatic.

vel charissimae in Christo filiae nostrae Margharitae illustris reginae Franciae, uxoris tuae, aut successorum tuorum, qui legitime in praedicto Franciae regno succedent, personas, interdicti, vel excommunicationis sententiam valeat promulgare, sine speciali eiusdem Sedis licentia, vel mandato plenam et expressam faciente de praesentibus mentionem.

Decernentes huiusmodi sententias, si contra hoc indultum prolatae fuerint, irritas et inanes.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Neapoli septimo kalendas maii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 25 aprilis 1255, pontif. anno I.

XIII.

Confirmatio concordiae inter fratres Carthusianos initae pro bono regimine totius ordinis (1).

SUMMARIUM

Fratres Carthusienses quaerunt de ordinatione capituli generalis. — Statuitur iisdem quaedam servanda methodus. — Qua tamen se gravari queruntur. — Alia praescribitur methodus. — Superius dicta enarrantur. — Claustrales non admittendi cum prioribus ad definiendum. — Idem confirmatum ab Innocentio. — Fratres Carthusiae hoc decreto gravati Sedem Apostolicam interpellant. — Iudicium de hac re cardinali commissum. — Compositionem ineunt Carthusiani. — Concordia. — Confirmatur a cardinali delegato. — Obstantium derogatio. — Instrumenti legalizatio. — Clausulae pontificiae.

(1) Ex Regest. Vatic.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Carthusiae, ac Carthusien. ordinis universis prioribus et fratribus, salutem et apostolicam benedictionem.

Orta dudum inter vos, fili prior, et fratres Carthusiae ex parte una, et vos, filii priores Carthusien. ordinis, ex altera, super processibus et ordinatione vestri generalis capituli materia quaestionis, felicis recordationis Innocentius Papa praedecessor noster dilecto filio nostro Ioanni tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali commisit, ut sine iudicii strepitu corrigeret super hoc ea, quae ad utilitatem ipsius ordinis, et super statu ipsius capituli corrigenda erant, vel etiam reformanda, qui super iis quamdam ordinationem fecit, quam idem praedecessor auctoritate apostolica confirmavit. Et licet huiusmodi ordinatio in eodem capitulo tunc proximo celebrato fuerit observata; vos tamen, fratres Carthusiae, asserentes vos ex praedicta ordinatione gravatos, ad nostram super hoc providentiam recurristis. Cum itaque huiusmodi negotium eidem cardinali commiserimus iudicio vel concordia terminandum, idem cardinalis negotium ipsum per quamdam ordinationem de consensu partium terminavit, prout in instrumento publico confecto, exinde sigillato ipsius cardinalis sigillo plenius continetur. Nos itaque quod super hoc ab eodem cardinale factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum praesentibus inseri facientes, qui talis est:

Fratres Carthusienses quaerunt de ordinatione capituli generalis

Statuitur iisdem quaedam servanda methodus.

Qua tamen se gravari queruntur.

Alia praescribitur methodus.

In nomine Domini. Amen.

Quanto, dilecti filii fratres Carthusien. ordinis, per meritorum suffragia sanctae conversationis exempla, et per incrementa sapientiae salutaris in aedificationem Ecclesiae Christi ferventer assurgunt, tanto attentius convenit eorum prospici commodis et provideri quieti, ut tamquam

pacis intimae zelatores tranquille dispositi et disposite ordinati per pacem pectoris interius acquisitam ad pacis aeternae pulchritudinem cum obtinendi fiducia fideliter valeant inhiare. Sed frequenter humani generis inimicus draco, ille in malitia veteranus, qui de firmamento coeli tertiam partem stellarum secum traxisse legitur, illos adhuc ignitis discordiae telis et limatis dissensionum aculeis versipelliter aggredi non veretur, qui in caliginoso miseriae praesentis ergastulo quasi stellae lucentes resplendent aliis per exempli famam laudabilem, et sibi nihilominus per nitentis conscientiae puritatem, inter quos praedicti fratres merito numerantur praefulgentes multiplici radiorum iubare, qui suae conversationis fulgoribus illustrant efficaciter orbem terrae. Verum, quia dicti draconis nequitia operante, inter praefatos fratres suborta fuit materia quaestionis, praecipue super processibus et ordinatione sui generalis capituli, felicis recordationis dominus Innocentius Papa quartus motu proprio, non instinctu alieno, nobis, fratri Ioanni miseratione divina tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, tamquam ex proprio commisit officio sine strepitu iudicii, partibus non vocatis, ea, quae ad utilitatem ipsius ordinis et super statu capituli generalis corrigenda erant, vel etiam reformanda. Dedit insuper potestatem et mandatum, ut ad ea statuenda et ordinanda, quae decus ordinis et decorem prospicerent, nostra sollicitudo prudenter intenderet et intentio vigilaret.

Superius dicta enarrantur.

Nos vero, sicut simplicitati religionis congruere videbatur, iuris ordine servato, sententialiter ordinavimus monachos claustrales non debere admitti cum prioribus ordinis ad diffiniendum, sedente generali capitulo, nec ad aliquid cum eisdem statuendum, cum tales priores obligent universos, nec fas sit iuxta legitimas sanctiones, ut dominium habeat par in parem, et multo minus minimus in maiorem, et huiusmodi constitutiones editae vel edendae, non a minoribus ad maiores, sed a maioribus derivare debeant ad minores.

Claustrales non admittendi cum prioribus ad definiendum.

Ordinatione tandem hoc modo publicata, per dictum dominum Innocentium scienter confirmata, sic acceptata fuit in proximo sequenti capitulo, quod per ipsam et secundum ipsam, illa vice, diffinitores et ipse prior Carthusiae in diffiniendo et statuendo totaliter et finaliter processerunt; sed celebrato per hunc modum generale capitulo, fratres domus Carthusiae per nostram ordinationem se gravatos asserentes, procuratorem suum ad Curiam destinarunt, qui cum indefessa clamoris instantia et importunitate diuturna super hoc petiit a Summo Pontifice, sine culpa sua gravatis misericorditer provideri, pro sua parte non impudenter adiiciens, quod cum ipsi fuerint in possessione vel quasi ponendi, vel habendi quatuor monachos cum quatuor prioribus, qui diffiniunt, illa possessione per nostram ordinationem extiterunt indebite spoliati.

Idem confirmatum ab Innocentio.

Fratres Carthusiae hoc decreto gravati Sedem Apostolicam interpellant.

Summus vero Pontifex, videlicet dominus Alexander quartus, totum commisit negotium nostrae providentiae pace vel iudicio terminandum. Nos vero, vocatis partibus, quae fuerunt evocandae et auditis de plano, quae fuerunt hinc inde coram nobis proposita, festinanter et utiliter intendebamus totam controversiam secundum allegata et proposita terminare, sed utraeque partes comperto per coniecturas nostrae voluntatis proposito, verentes praestolari sententiae calculum, antequam aggrederemur pronunciantis officium, in subscriptam pacis formulam unanimiter et equanimiter concordarunt, videlicet: quod singulis annis, collecto capitulo generali apud Carthusiam, primus prior Carthusiae unum discretum et idoneum diffinitorem nominet electorem suum, quem voluerit de monachis Carthusiae, vel de prioribus in eodem capitulo congregatis. Deinde quinque priores primarum domorum ipsius ordinis singulariter singuli diffinitorum singulos alios nominent electores, sive de prioribus, sive de Carthusiae monachis in eo-

Iudicium de hac re cardinali commissum.

Compositionem ineunt Carthusiani.

Concordia.

dem capitulo constitutis, hoc pensato de equali et debita portione, ut quinque praedicti priores, qui diffinitorum electores nominant, annis mutentur singulis, successive domorum ordine conservato, descendendo semper per singulos priores usque ad ultimum inclusive, et postmodum a capite incohando, priore Carthusiae non mutato. Sex igitur electores statim postquam, ut supradictum est, nominati fuerint, recedant in locum ad hoc specialiter deputatum, et brevi tractatu inter se habito, absque ulla personarum, partium, nationum, vel conditionum acceptione, eligant octo diffinitores pro suae voluntatis arbitrio, sive de se ipsis, sive de prioribus, sive de monachis Carthusiae in eodem capitulo congregatis, quos, teste fideli conscientia, suo crediderint iudicio qualibet exceptione digniores; quibus electis, unus eligentium diffinitores ipsos per hunc modum electos vice sua, et collegarum suorum in communi mox audientia publicabit. Qui diffinitores electi et nominati habebunt plenitudinem potestatis, una cum priore Carthusiae ordinare, statuere et diffinire, quae secundum Deum, et propositi Carthusien. observationem melius et utilius in ipso capitulo viderint ordinanda; ita quod quidquid a priore Carthusiae cum quatuor de praelibatis diffinitoribus ad minus, vel cum pluribus diffinitum fuerit vel statutum, plenam habebit in toto ordine firmitatem. Quinque vero vel sex sine praedicto priore Carthusiae, nihil cum effectu poterunt ordinare; sed septem vel octo si aliquid ordinaverint vel statuerint, quod priori Carthusiae memorato non placeat, tunc eligantur duo arbitri, unus ex parte prioris Carthusiae, et alius ex parte diffinitorum, et tertius sit communis de toto electus monachorum Carthusiae, et priorum collegio, ita tamen quod nullus sit de diffinitoribus saepedictis, et quidquid ipsi tres super ordinatione illorum septem vel octo diffinitorum dixerint esse tenendum utile vel expediens, vel etiam respuendum, erit ratum et firmum, et per totum ordinem inviolabiliter observandum; alias vero non privata capitula super annuum, ut eorum alludamus vocabulo, celebrabuntur in illa forma, quam generale capitulum ordinabit. Nos vero, praedictus cardinalis, supradictam concordiam factam de communi partium voluntate potissimum acceptantes, ipsam volumus et mandamus auctoritate domini Papae, et de consilio cardinalium illibatam atque firmam in sui roboris consistentia perpetuo permanere. Contradictores et rebelles sub interminatione anathematis compescendo. Non obstante ordinatione nostra, de qua mentionem fecimus, vel aliquo actu contrario, vel confirmatione domini Papae, vel quibuscumque litteris super ipsis impetratis, vel etiam impetrandis, vel quibuscumque confessionibus, vel responsionibus coram nobis in iudicio, vel extra iudicium promulgatis, per quas nolumus in posterum, extra vel ultra praesentem ordinationem alicui partium ius acquiri, vel praeiudicium generari. Supplentes auctoritate domini Papae, et de ipsius plenitudine omnem defectum, si quis fuit in procuratoribus partium, vel in procuratoriis eorumdem. Actum est hoc Neapoli in hospitio nostro, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, indictione decimatertia mense aprilis, die decimaquarta, pontificatus domini Alexandri Papae quarti anno primo. Praesentibus fratre Riccardo monacho Fossaenovae, cappellano nostro, fratre Mauro monacho Sancti Sebastiani Neapolitan., et Guillelmo de Cabilone clerico nostro. Ad maiorem autem fidem huic ordinationi in posterum adhibendam, ipsam cum nostri sigilli appensione per Leonardum infrascriptum tabellionem redigi fecimus in publica documenta. Ego Leonardus imperiali auctoritate notarius praedictae ordinationi interfui, et ipsam de mandato et auctoritate praedicti domini Ioannis cardinalis scripsi et publicavi.

Confirmatur a cardinali delegato.

Obstantium derogatio

Instrumenti legalizatio.

Clausulae pontificiae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Neapoli quarto kalendas maii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 28 aprilis 1255, pontif. anno I.

XIV.

Declarationes quorumdam articulorum contentorum in constitutione Innocentii IV, num. XXVII contra haereticos, quae legitur supra fol. 552, Ad extirpanda.

SUMMARIUM

Innocentius PP. statuit, ut a potestatibus civitatum eligerentur ministri Inquisitionis: — Et fieret syndicatus contra praecedentem potestatem. — 1. Declarat Alexander, iis renuentibus, a quibus huiusmodi electio fieri debeat.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Praedicatorum, inquisitoribus haereticorum in provincia Lombardiae, salutem et apostolicam benedictionem.

Innocentius PP. statuit, ut a potestatibus civitatum eligerentur ministri Inquisitionis:

Cum secundum tenorem constitutionum felicis recordationis Innocentii Papae praedecessoris nostri, quas in capitularibus civitatum et locorum Italiae annotari mandavit, contineatur, quod quilibet potestas, seu rector cuiuslibet civitatis, seu loci, infra tertium diem post introitum regiminis sui, duodecim viros probos et catholicos, et duos notarios, et duos servitores, vel quotquot fuerint necessarii, instituere teneatur, quos dioecesanus, si praesens extiterit, et interesse voluerit, et duo fratres Praedicatores et duo Minores (ad hoc a suis superioribus, si conventus ibi fuerint eorumdem ordinis, deputati) duxerint eligendos, per quos inquirantur haeretici, et etiam capiantur. Teneatur insuper idem potestas vel rector infra decem dies sui regiminis, syndicare praecedentem proxime potestatem, vel rectorem, et etiam eius assessores, per tres viros catholicos et fideles electos ad hoc per dioecesanum si fuerit praesens, et per fratres Praedicatores et Minores, de omnibus, quae in constitutionibus praefatis et legibus, contra haereticos et eorum complices editis continentur. Et sicut ad audientiam ipsius nostri praedecessoris pervenit, earumdem constitutionum super his plerumque impeditur effectus, pro eo scilicet, quod interdum illi, qui praedictos viros debent eligere, electioni huiusmodi non possunt interesse, vel nolunt:

Et fieret syndicatus contra praecedentem potestatem:

Declarat Alexander iis renuentibus a quibus huiusmodi electio fieri debeat.

§ 1. Nos ad instar praedecessoris eiusdem, super his, sicut convenit, providere volentes, statuimus, ut si dioecesanus, et fratres Minores praedictae electioni praedictorum virorum noluerint, vel non potuerint interesse, per aliquem vestrum, seu illos, quibus id duxeritis committendum, in locis, in quibus Inquisitionis officium exercetis, eligere personas seu viros huiusmodi libere valeatis, vobis, et vestrum singulis auctoritate praesentium indulgemus. Non obstante iuramento, quod praedicti potestates et rectores de observandis praefatis constitutionibus exhibere tenentur, a quo ipsos, quantum ad hos articulos, sive casus, duximus absolvendos.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Neapoli secundo kal. maii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 30 aprilis 1255, pontif. anno I.

Sequuntur aliae declarationes super nonnullis dubiis.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Primum dubium. — 2. Responsio. — 3. Secundum dubium. — 4.

Tertium dubium. — 5. Responsio ad haec duo. — 6. Quartum dubium. — 7. Responsio. — 8. Quintum dubium. — 9. Responsio. — 10. Huiusmodi declarationes civitatum capitularibus inscribendae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus Praedicatoribus, inquisitoribus haereticae pravitatis, in Lombardia et Marchia Ianuensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Felicis recordationis Innocentius Papa praedecessor noster, dudum constitutiones quasdam edidit, secundum quas rigor debet exerceri canonicus in extirpandis ex agro fidelium zizaniis haereticae pravitatis: quarum aliquae videntur ambiguae, super quibus nostrae responsionis oraculum implorastis. Ne igitur ipsarum constitutionum obscuritas, commissae vobis sollicitudini perniciosas vineæ Domini pie persequendi capiendique vulpeculas, obstaculum obiiciat tarditatis: quinque ipsarum constitutionum capitula, quae vobis dubia videbantur, auctoritate praesentium, de fratrum nostrorum consilio, duximus declaranda.

Primum dubium.

§ 1. Primum sane dubitationis vestrae capitulum continet, quod tam duodecim viri, quam notarii et servitores eorumdem, ad capiendum haereticos deputati, simul et divisim plenariam praecipiendi, sub poena et banno, quae ad officium suum pertinent, habeant potestatem. Potestas vero talis loci, vel rector, teneatur habere firma et rata omnia praecepta, quae occasione officii sui fecerint duo ex ipsis officialibus, sive plures, et poenas exigere non servantium.

Responsio.

§ 2. Hoc itaque, quod de poena et banno dictum est, de illis dumtaxat interpretamur intelligi, quae consequenter in eisdem constitutionibus sunt expressae. Possunt autem praedicti officiales communitati, burgo et villae praecipere sub poena et banno, usque ad ducentas marchas argenti, et ultra, ad arbitrium potestatis loci eiusdem, quod potestati vel dioecesano, aut eius vicario, seu inquisitoribus haereticorum, praesentabunt infra praefigendum eis terminum competentem, omnes haereticos et haereticas, quos sibi dicti officiales duxerint assignandos. Et potestas loci a non servantibus poenam huiusmodi exigere teneatur.

Secundum dubium.

§ 3. Secundum vero est, quod domus, in qua prohibiti fuerint haereticorum captores, sine spe reædificandi funditus destruatur, et bona, quae ibi reperta fuerint, fiant capientium, ac si haeretici fuissent ibidem inventi.

Tertium dubium.

§ 4. Quodque habet, quod domus, in qua repertus fuerit aliquis haereticus, seu haeretica, sine ulla reædificandi spe funditus destruatur, nisi dominus domus ibidem procuraverit reperiri; et si dominus domus illius alias domos habuerit contiguas illi domui, omnes illae domus similiter destruantur, et bona, quae fuerint inventa in domo illa et in domibus illi adhaerentibus, publicentur, et fiant auferentium, nisi auferentes fuerint in officio constituti.

Responsio ad haec duo.

§ 5. Haec autem duo capitula uno declarationis Sedis Apostolicae radio lucidantes volumus absolvere, ut poenae taxatae per constitutiones easdem in praemissis casibus infligantur, nisi dioecesanis, vel in eorum absentia, vicariis ipsorum, una cum inquisitoribus inquisitorum, vel solis ipsis dioecesanis (cum ipsorum inquisitorum praesentia de facili haberi non poterit) legitime constiterit praefatarum domorum dominos, in his casibus penitus innocentes, et prorsus inculpabiles extitisse: ac etiam eos non esse credentes, vel receptatores, aut defensores, sive fautores haereticorum seu de haeretica labe suspectos. Bona vero, quae inventa fuerint in domibus supradictis, debent in his casibus similiter publicari, nisi legitime constiterit per testes fide dignos, et omni exceptione maiores, ipsa bona esse aliarum personarum, quam dominorum domuum earumdem.

Quartum dubium.

§ 6. Quartum vero vestrae dubitationis capitulum enodamus, quod videlicet, si dominus domus pro eo quod in ipsa repertus fuerit haereticus vel haeretica, sine spe reædificationis funditus destruendae, habeat alias domos illi domui demoliendae contiguas, omnes illae similiter destruantur.

Responsio.

§ 7. Illud de appendiciis domus illius debere intelligi declaramus, ut scilicet, domus illa cum aliis eiusdem, domui ipsi contiguis, hoc est, ipsa et ipsius etiam appendicia, cum eadem sive in domo, sive in appendiciis eius, haereticus vel haeretica repertus fuerit, destruantur; cum domus, quamvis diversis mansionibus distinguatur, una nihilominus sit censenda.

Quintum dubium.

§ 8. In quinto autem dubitationis capitulo legitur, quod teneatur potestas seu rector infra decem dies sui regiminis syndicare præcedentem proxime potestatem vel rectorem, et eius etiam assessores, per tres viros catholicos et fideles electos ad hoc per dioecesanum, et per fratres Praedicatores et Minores, de omnibus his, quae in statutis ipsis, sive constitutionibus et legibus contra haereticos et eorum complices editis continentur.

Responsio

§ 9. Hunc itaque dubitationis articulum declarantes respondemus, quod una cum dioecesano loci, fratres praedictorum ordinum, a priore et guardiano suis, vel ab eorum altero, si ibidem alterius dumtaxat eorumdem ordinum conventus extiterit, assumendi, viros eligant supradictos. Si vero neutrius ordinis conventus ibi forsitan habeatur, ad solum dioecesanum eorumdem virorum electio pertinebit.

Huiusmodi declarationes civitatum capitularibus inscribendae.

§ 10. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus eadem capitula constitutionum praedictarum accipientes iuxta declarationis apostolicae intellectum, tenorem praesentium, simul cum eisdem constitutionibus, faciatis de verbo ad verbum in capitularibus civitatum ad tollendas de aliorum cordibus ambiguitates huiusmodi, annotari.

Datum Lateran. secundo nonas martii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 6 martii 1255 (1), pontif. anno III.

XV.

Confirmatio bonorum omnium, ac privilegiorum concessio monasterio S. Matthæi de Castello ordinis Cassinensis (2).

SUMMARIUM

Exordium. — Monasterium sub S. A. protectione suscipiens, — Bona omnia ei confirmat. — Novalia eximit a decimis. — Nonnulla concedit privilegia. — Abbatem a monachis statuit eligendum. — In locis monasterii violentias exerceri prohibet. — Libertates, immunitates *etc.* confirmat eidem. — Alexandri PP. subscriptio — Et sigillum — Et S. R. E. card. subscriptiones.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii S. Matthaei servorum Dei de Castello, eiusque fratribus tam praesentibus, quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Exordium

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse praesidium, ne cuiuslibet temeritas, aut eos a proposito revocet, aut robur (quod absit) sanctae religionis infringat.

Monasterium sub S. A. protectione suscipiens.

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et monasterium Sancti Matthæi servorum Dei de Castello, in quo divino estis obsequio mancipati, ad instar felicis recordationis Alexandri Papae praedecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti

(1) Leg. 1257. (R. T.) (2) Ex originali edidit Gattula, Hist. Cassinen., saec. VII, pag 405.

regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, et quaecumque bona idem monasterium in praesentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo praefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis: decimas, quas habetis in castro Sancti Victoris..... illa, quae Baria nuncupatur, ecclesiam Sancti Martini de Monte, Montau cum ecclesia Sancti Antonii de Rocca Albani ab eadem Ecclesia dependente, et omnibus pertinentiis suis; Sanctae Mariae de Radicto, Sanctae Crucis de Petra Petrusa, Sancti Salvatoris, Sancti Petri de Colletraverso, Sancti Christofori de Monte Toruculi, et Sancti Leonardi de Muscufo ecclesias cum terris, vineis, possessionibus, et omnibus pertinentiis earumdem; domos, terras et possessiones, quas habetis in Sancto Germano et territorio eius; domos, terras, vineas, possessiones et oliveta quae habetis in civitate et territorio Venafren, domos, terras, vineas et possessiones, quas habetis in civitate et territorio Aquinat., domos, terras, possessiones et oliveta, quae habetis in castris Sancto Helya, Sancto Victore, Sancto Petro in Fine, Pinnatario, et Pedemonte, ac Bariae et Pedemontis villis vulgariter nominatis, et territoriis eorumdem; terras, quas habetis in Monte Sancti Benedicti, sive Terragio; iustitiam panis et vini cum hominibus, quam de veteri concessione hactenus observata diebus singulis a Cassinen. monasterio recipitis, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, quae propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas vel primitias exigere vel extorquere praesumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e saeculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in monasterio vestro professionem fas sit sine abbatis sui licentia, nisi arctioris vitae obtentu, de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare; dummodo causam non dederitis interdicto. Decimas praeterea et possessiones ad ius Ecclesiarum vestrarum spectantes, quae a laicis detinentur, redimendi, et legitime liberandi de manibus eorum, et ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti, aut etiam publice usurarii, nullus obsistat. Salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum maior pars consilii sanioris secundum Deum et beati Benedicti regulam providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestrae paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapi-

Bona omnia ei confirmat.

Novalia eximit a decimis.

Nonnulla concedit privilegia.

Abbatem a monachis statuit eligendum.

In locis monasterii violentias exerceri prohibet.


nam seu furtum facere.... apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere; praeterea omnes libertates et immunitates a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus monasterio vestro concessas, necnon immunitates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, libertatem etiam et consuetudines a bonae memoriae Rainaldo abbate praedicti Casinensis monasterii, cum assensu capituli sui rationabiliter vobis concessas et hactenus observatas, vobis et monasterio vestro auctoritate apostolica nihilominus confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate, et in omnibus iure et reverentia monasterii Cassinen., et in praedictis decimis moderatione concilii generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a Sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus, et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Libertates, immunitates, etc. confirmat eidem.

Ego Alexander catholicae Ecclesiae episcopus subscripsi.

Alexandri PP. subscriptio.





Et sigillum

Ego Odo Tusculanus episcopus subscripsi.

Et S. R. Eccl. cardinal. subscriptiones.

Ego Stephanus Praenestinus episcopus subscripsi.

Ego frater Ioannes tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis subscripsi.

Ego frater Ugo tituli Sanctae Sabinae presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Ricardus Sancti Angeli diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Petrus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Ioannes Sancti Nicolai in Carcere Tulliano.

Dat. Anagniae per manum Guillelmi magistri Scholarum Parmensium Sanctae Romanae Ecclesiae vice-cancellarii tertio idus iulii, indictione decima tertia, incarnationis dominicae anno 1255, pontificatus vero domini Alexandri Papae quarti anno primo.

Dat. die 13 iulii 1255, pontif. anno I.

XVI.

Fratribus ordinis Eremitarum Sancti Augustini diversa vestium species assignatur iuxta diversos professorum, conversorum et novitiorum gradus (1).

SUMMARIUM

Exordium. — A cardinali protectore eis assignata habitus forma: — Quod roborat

(1) Ex originali edidit Empolus in Bullario Ordinis.

Papa. — Cardinalis eiusdem litterae. — Signa in vestibus ad discrimen. — Professorum habitus, — Novitiorum, — Conversorum. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori generali, et universis prioribus, et fratribus Eremitis ordinis Sancti Augustini, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Pia desideria devotorum eo debemus benigno favore prosequi, quo in ipsis Dei gloria et animarum salus noscitur contineri. Sane dilectus filius noster R. Sancti Angeli diaconus cardinalis, cui ordo vester a Sede Apostolica est commissus, ad differentiam aliorum ordinum certum habitum deferendum, tam a professis fratribus et conversis, quam a novitiis dicti ordinis de consilio discretorum quorundam fratrum vestrorum, vobis provida deliberatione concessit, prout in patentibus litteris confectis exinde ipsius cardinalis sigillo munitis plenius continetur.

A cardinali protectore eis assignata habitus forma

Quod roborat Papa.

Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quidquid ab eodem cardinali super hoc factum est, ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus: litterarum ipsarum tenorem de verbo ad verbum praesentibus inseri facientes: qui talis est:

Cardinalis eiusdem litterae

Riccardus miseratione divina Sancti Angeli diaconus cardinalis. Viris religiosis suis in Christo dilectis priori generali, et universis prioribus et fratribus Eremitis ordinis Sancti Augustini tam praesentibus quam futuris, salutem in auctoritate salutis.

Signa in vestibus ad discrimen

Si ad certam Domini vocationem nullius excusationis patrocinium praetendentes vos abnegastis et vestra, eligendo per religionis auctoritatem divinum pabulum promereri: docet vos taliter gubernari constitutionum habenis, quod certos terminos constitutos, tentationibus instigati, aliquando transgredi non possitis impunes, certis signis in vestro habitu insigniti.

Sane cum ordo vester nobis sit a domino Papa comissus, illa statuere ac cogitare cogimur, per quae vobis salus proveniat et honestas. Unde habito consilio quorumdam fratrum vestrorum discretorum, tenore praesentium duximus statuendum: Quod fratres vestri ordinis professi deferant cucullas nigras, prout haberi poterunt in cuiuslibet provincia, tamen tinctas, vel accidentaliter coloratas, desuper corrigiis cinctas, et in manu crocias, in quarum superiori parte non sit curvum lignulum, sed directum: scapularia vero alba cingulis desuper cincta. Novitii autem ferant cappam nigram usque ad talos, tunicam albam, et scapulare album, corrigiam, et crociam memoratam. Conversorum vero habitus sit portare superiorem tunicam nigram, scapulare vero nigrum, et capucium nigrum, et crocias supradictas: quae curetis studio vigili (dante Domino) observare. In huius vero rei testimonium praesentes litteras fecimus nostri sigilli munimine roborari.

Professorum habitus

Novitiorum.

Conversorum.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Anagniae undecimo kalendas augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 22 iulii 1255, pontif. anno I.

XVII.

Confirmatio statutorum in capitulo generali ordinis S. Augustini editorum pro recto gubernio totius ordinis (1).

SUMMARIUM

Exordium. — In quolibet conventu unus eligendus ad deferendum prioris excessus. — De definitorum electione et officio. — De discretis. — Poenae contra transgres

(1) Ex Regest. Vatic.

sores statutorum. — Proprium non habendum. — De vita communi. — De visitatoribus. — De prioribus conventualibus. — Supradicta statuta confirmantur. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis generali, et caeteris prioribus, ac universis fratribus ordinis Eremitarum Sancti Augustini tam praesentibus, quam futuris, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Iis quae pro animarum salute, ac profectu obsequentium Domino a viris religiosis provide statuuntur libenter adiicimus apostolici muniminis firmitatem, ut intemerata consistant, quae nostro fuerint praesidio communita. Sane congregati nuper in vestro generali capitulo deliberatione provida statuistis, ut de singulis locis eiusdem ordinis unus discretus frater electus singulis annis a suo collegio vel conventu cum priore conventuali ad generale seu provinciale capitulum vadat, excessus ipsius prioris per visitatorem, secundum statuta ordinis et regulam non correctos sub sigillo eiusdem conventus vel collegii secum portans, a praedictis tandem diffinitoribus corrigendos. In eligendis quoque diffinitoribus ipsius ordinis taliter providistis, ut de singulis visitatoribus dicti ordinis duo discreti fratres ipsius ordinis in diffinitores huiusmodi, unus de subditis ad generale capitulum a conventibus destinatus, alter vero de prioribus eligatur, ita quod assumatur subditus a subditis, et prior a prioribus uniuscuiusque visitationis praedictae Sancti Spiritus gratia invocata, quod sic assumpti postmodum, tam in capite, quam in membris diffiniant, corrigant et reforment prout, secundum Deum et beati Augustini regulam, viderint expedire. Praeterea generalis prior eiusdem ordinis teneatur de qualibet visitatione duos discretos fratres ipsius ordinis eligere, unum de subditis, et alterum de praelatis, qui visitationem suam, hoc est provinciam, vel contratam per viginti dies antequam generale capitulum vel provinciale suscipiat sollicite perlustrantes, excessus visitatorum, si qui fuerint, in scriptis fideliter redigant, et eos ipsius conventus sigilli munimine signent, in quo, vel cuius districtu visitatores huiusmodi deliquerint, puniendos demum in ipso capitulo a praedictis diffinitoribus secundum eiusdem ordinis et regulae instituta. Si vero aliqui fratres eiusdem ordinis contra priorem suum, vel ordinis conspirationem vel coniurationem, seu conventum malignantium fecerint, aut retinuerint, sine superioris licentia, proprium, et a visitatoribus, vel a priore generali seu conventuali diligenter admoniti restituere illud noluerint in manibus praedictorum, ab ordine ipso, et fratrum consortio expellantur. Et, ut fortius a vestris fratribus cuiuslibet temporalis rei abdicetur proprietas, ordinastis, ut nec prior, nec fratres in generali vel provinciali capitulo constituti possint alicui fratrum eiusdem ordinis concedere proprium aliquod, cum sit contra substantiam ordinis, vel usufructum cuiuscumque rei mobilis vel immobilis ex testamento, seu alio quocumque titulo sibi dimissum: facta vero contra hoc super iis, vel aliquo praemissorum concessio habeatur irrita et inanis. Fuit etiam ibi concordi deliberatione provisum, ut omnes priores et subditi, qui convenerint in provinciali vel generali capitulo, vitam ducant communem in omnibus, specialitate ab eis, vel divisione qualibet resecata; visitatores quidem praefati ordinis circa commissum sibi officium solliciti, secundum datam eis a Deo gratiam, existentes, quaerant dumtaxat quae Iesu Christi sunt, non quae sua: praedicationi, exhortationi, correctioni et reformationi vacando, ut fructum referant, qui non perit. Qui vero contrarium egerint, sine voluntate totius capituli vel sanioris partis ipsius, a quibuslibet loci, seu prioribus aut subditis eiusdem ordinis aliquid extorquentes, quod

Marginalia: In quolibet conventu unus eligendus ad deferendum prioris excessus. — De definitorum electione et officio. — De discretis. — Poenae contra transgressores statutorum. — Proprium non habendum. — De vita communi. — De visitatoribus.

acceperunt, restituere compellantur: nihilominus per triennium huiusmodi visitationis officio spoliandi. Priores autem conventuales in concessionibus et confirmationibus ac donationibus et aliis negotiis, quae frequenter incumbunt, fratres suos requirant, cum ipsi caput, et illi membra esse probentur, et cum eorum consilio, vel sanioris partis conventus eadem peragant et pertractent. Quod si aliqui contra hoc venire praesumpserint, visitatoribus ipsis absque fratrum suorum consilio, sicut dictum est superius, aliquid exhibentes, ab administrationum suarum removeantur officio, et per triennium ineligibiles fiant. Alia etiam praeter haec regulariter statuistis, quibus omnibus petiistis robur confirmationis apostolicae adhiberi. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, statuta huiusmodi, sicut pie ac provide facta sunt, rata habentes et grata, ipsa auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

De prioribus conventualibus.

Supradicta statuta confirmantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae.

Datum Anagniae secundo kalendas augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 31 iulii 1255, pontif. anno I.

XVIII.

Revocatio privilegiorum et indultorum quibuscumque personis concessorum: scilicet, quod per Sedem Apostolicam excommunicari vel interdici non possint (1).

SUMMARIUM

Secundum temporis circumstantias concessiones immutandae. — Innocentius multa concessit secundum temporis exigentiam, ac praesertim privilegium (*de quo in rubrica*. — Irritatur. — Clausulae.

(1) Ex Regest. Vatic.

Alexander episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Quia pro qualitate temporis hominum disponuntur agenda, ideo evenit, quod illius mutabilitate mutantur, unde id ipsum, quod alias eo urgente provide actum est, nonnumquam postea eodem exigente contrarium non improvide revocatur. Hinc quidem est, quod nonnulla, quae placuerunt aliquando, postmodum decursis temporibus suismet actoribus displicent, et interdum illud idem valde difficile cernitur, quod ante satis facile videbatur. Hoc autem facit ipsius temporis status instabilis, qui successibus variis circa temporalia et terrena iugiter immutatur: nam cum illius necessitatem et locorom etiam conditionem considerare conveniat, oportet secundum ea ingruentia semper negotia dirigi et disponi. Propter quod felicis recordationis Innocentius Papa praedecessor noster, nimia duri temporis tunc eum importunitate cogente, plura quamquam forte invitus fecisse dignoscitur, quae ipsemet proponebat, succedente opportunitate, utiliter immutare. Quampluribus namque personis, tam ecclesiasticis, quam saecularibus, quod per delegatos, vel conservatores, aut exequtores a Sede Apostolica deputatos, seu per delegatos ab ipsis: aliquibus vero, quod per legatos eiusdem Sedis, vel per ordinarios, aut per delegatos eorum interdici, vel suspendi, seu excommunicari: quodque ipsis ingressus Ecclesiae interdici, et quod terrae suae interdicto ecclesiastico supponi non valeant. Quibusdam quidem ad certum tempus, quibusdam autem sine temporis determinatione, non tam libertate, quam improba petentium instantia, considerata tunc temporis qualitate, concessit. Nos itaque sollicite attendentes, quod ex concessione vel indulto huiusmodi multa malignandi audacia sumi potest, cum haec indul-

Secundum temporis circumstantias concessiones immutandae

Innocentius multa concessit secundum temporis exigentiam, ac praesertim privilegium de quo in rubrica.

gentia contra censuram et auctoritatem ecclesiasticam aperte communiat, laxet nocendi ausum, frenet modestiam, insolentiam armet et iudicialem debilitet potestatem: pensantes etiam, quod contra indulto tali protectos iustitiae debitum exhiberi plene non potest, cum nequeat in ipsos libere iurisdictio exerceri; quia omnino expedit super iis congruum remedium adhibere, omnia indulta huiusmodi quibuscumque personis, sive ecclesiasticis, praelatis et aliis regularibus, et non regularibus, sive saecularibus, principibus videlicet, et aliis minoribus, et quorumcumque locorum capitulis, collegiis, conventibus et communibus seu communitatibus ab eodem praedecessore, vel etiam a nobis concessa, nisi principes ipsi sint reges vel uxores, aut filii, seu fratres regum, aut magnates, sublimesque viri, qui antiquitus a praedicta Sede similem gratiam habuerunt, totaliter auctoritate apostolica revocamus, ita quod deinceps nullum robur, nullumque vigorem obtineant, nec praemissi per ea iuvare se ulterius valeant, vel tueri.

Irritatur.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae revocationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Anagniae quintodecimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 18 augusti 1255, pontif. anno I.

XIX.

Approbatio ut mulieres iam prostitutae, et ad meliorem frugem reversae collocentur in aliquo loco sub regula alicuius ordinis.

SUMMARIUM

Cardinalis S. Laurentii in Lucina mulieres vulgo Repentitas includi statuit: — Idque confirmat Alexander. — Obstantium derogatio.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Ioanni tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam te studiose cognovimus animarum lucra sectari, et misericordiae manum in fauces inferi confidenter iniicere, ut inde ad vitam eripias, qui ad interitum rapiuntur, dignum ducimus votum tuum, cum expedit in huiusmodi pietatis operibus facultatis nostrae viribus adiuvare. Sane nonnullae mulieres in Urbe degentes, quae Repentitae dicuntur, salutari pudore confusae super his, quae in carnis suae corruptione gesserunt, in semitam mandatorum Dei decreverunt convertere de viis inquinationis praeteritae pedes suos, et pro modulo fragilitatis humanae membra sua, quae hactenus iniquitati ad iniquitatem servire fecerunt, de caetero iustitiae in sanctificationem munditiae dedicare. Harum autem conversioni congratulans, et de poenitentia peccantium communicans gaudiis civium supernorum, pia de salute ipsarum sollicitudine cogitasti, quod in aliquo loco ad hoc idoneo disponantur, ubi sequestratae a mundi contagiis Deo vivant, et de cordibus suis crebris fletibus diluant maculas carnalium vitiorum, ut videre Deum, purgatis mentium oculis, mereantur sub religiosa vivendi censura, factae hortus conclusus et fons Domini consignatus. Tuam igitur super hoc piam providentiam commendantes, eamque volentes apostolicis favoribus promovere, mandamus, quatenus eisdem mulieribus, et aliis quae ipsis in hac salutis captandae professione successerint, ecclesiam Sanctae Mariae in Minerva, seu aliam, quam eis magis aptam in Urbe fore cognoveris, cum omnibus hortis, possessionibus, iuribus et pertinentiis suis perpetuo auctoritate nostra concedas: inducens eas in corporalem possessionem eorum, et

Cardinalis S. Laurentii in Lucina mulieres vulgo Repentitas includi statuit;

Idque confirmat Alexander

defendens inductas, ac informans regularibus alicuius approbati ordinis institutis, sub quorum observantia ibidem perpetuo Domino famulentur: clericis Ecclesiae praedictae, vel alterius, quam eis concesseris in aliis Urbis Ecclesiis collocatis, vel reservata ipsis substentatione congrua de proventibus possessionum Ecclesiae sic concessae, donec cuilibet ipsorum provisum fuerit de beneficio ecclesiastico competenti: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante aliqua Sedis Apostolicae indulgentia quibuscumque concessa, seu statuto quocumque, iuramento, confirmatione Sedis praedictae, vel firmitate alia roborato. Invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantium derogatio

Datum Anagniae octavo kalendas octobris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 24 septembris 1255, pont. an. I.

XX.

Canonizatio B. Clarae de civitate Assisii, ordinis monialium Sancti Francisci, eiusque adscriptio in cathalogo Sanctarum Virginum cum festivitatis institututione pro die 12 mensis augusti.

SUMMARIUM

Encomia B. Clarae a nomine sumpta. — 1. Breve eius vitae compendium. — 2. Omnia sua pauperibus elargitur. — 3. Damianitarum ordinis origo. — 4. Mater filiam imitatur. — 5. Qualiter Clara rexerit discipulas. — Eius lectus: — Habitus: — Cibus et potus: — Ieiunia: — Vigiliae et orationes: — Paupertatis studiosa. — 6. Recensentur quaedam eius miracula. — Morbidas sanat sorores. — Oleum divinitus ministratum. — Panis multiplicatus. — A Beatis Virginibus invisitur. — 7. Miracula post excessum. — 9. Inter Sanctas Virgines adscribitur. — 10. Eius festum annue celebrandum. — 11. Indulgentia ad eius sepulchrum.

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis archiepiscopis, et episcopis per regnum Franciae constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Encomia B. Clarae a nomine sumpta.

Clara claris praeclara meritis, magnae in coelo claritate gloriae, ac in terra splendore miraculorum sublimium clare claret. Clarae huius arcta et alta religio hic coruscat; huius sursum aeterni praemii radiat magnitudo, huius virtus signis magnificis mortalibus illucescit. Huic Clarae intitulatum fuit summae privilegium paupertatis; huic in excelso rependitur inaestimabilis copia thesaurorum; huic a catholicis plena devotio et honoris cumulus exhibetur; hanc Claram in alto divinae lucis clarificat plenitudo: hanc christianis populis prodigiorum eius insignia stupenda declarant. O Clara multimodae titulis praedita claritatis. Ante conversionem tuam utique clara, in conversione clarior; in claustrali conversatione praeclara, et post decursum vitae praesentis spatium clarissima illuxisti. Ab hac, inter amoenitates coelestes, suave lilium virginitatis offertur. Ab hac Clara clarum exempli speculum huic saeculo prodiit. Ab hac in terris manifesta subventionum remedia sentiuntur. O admiranda Clarae beata claritas, quae quanto studiosius per singula quaeritur, tanto splendidior in singulis invenitur. Emicuit haec, inquam, in hoc saeculo; in religione praefulsit; in domo illuxit ut radius; in claustro coruscavit ut fulgor; emicuit in vita; post mortem irradiat; claruit in terra; in coelo relucet. O quanta huius vehementia luminis, et quam vehemens istius illuminatio claritatis. Manebat quidem haec lux secretis inclusa claustralibus, et foras micantes radios emittebat. Colligebatur in arcto coenobio, et in amplo saeculo spargebatur. Servabatur intra, et extra manebat. Latebat namque Clara, sed eius via patebat. Silebat Clara, sed sua fama clamabat. Celabatur in cella, et in urbibus docebatur. Nec mirum,

quia lucerna tam accensa, tam lucens, abscondi non poterat, quin splenderet, et clarum in domo Domini daret lumen. Nec recondi poterat vas tot aromatum, quin fragraret, et suavi odore dominicam respergeret mansionem. Imo cum in angusto solitudinis reclusorio alabastrum sui corporis haec dure contereret, tota omnino Ecclesiae aula sanctitatis eius odoribus replebatur.

Breve eius vitae compendium.

§ 1. Sane cum ipsa dum adhuc puella esset in saeculo, hunc mundum fragilem et immundum, mundo calle ab aetate tenera transilire studeret, et pretiosum suae virginitatis thesaurum illibato semper pudore custodiens, claritatis et pietatis operibus vigilanter intenderet, ita quod ex ea grata et laudabilis ad vicinos et alios fama prodiret, beatus Franciscus audito huius famae praeconio, coepit confestim hortari eam, et ad Christi perfectam inducere servitutem. Quae sacris illius monitis mox adhaerens, et mundum cum terrenis omnibus penitus abdicare, ac soli Domino in paupertate voluntaria famulari desiderans, hoc suum fervens desiderium, quam cito potuit, adimplevit.

Omnia sua pauperibus elargitur.

§ 2. Quae tandem cuncta sua bona, ut una secum quicquid etiam habebat, Christi obsequio deputaret, in eleemosynas et pauperum subsidia distribuit et convertit.

Damianitarum ordinis origo.

§ 3. Cumque de saeculi strepitu fugiens, ad quamdam campestrem declinasset Ecclesiam, et ab ipso B. Francisco sacra ibi recepta tonsura, processisset ad aliam, consanguineis eius ipsam exinde reducere molientibus, illa protinus amplectens altare, pannosque apprehendens ipsius, crinium sui capitis incisura detecta, eisdem consanguineis in hoc fortiter restitit et constanter, quia cum iam esset mente integra iuncta Deo, pati non poterat ab eius servitio se divelli. Denique cum ad Ecclesiam Sancti Damiani extra civitatem Assisinatem, unde traxit originem, per eumdem B. Franciscum adducta fuisset, ibi ei Dominus ad amorem et cultum assiduum sui nominis, plures socias aggregavit. Ab hac siquidem insignis et sacer ordo Sancti Damiani per orbem iam longe diffusus, salutare sumpsit exordium. Haec, adhortante ipso B. Francisco, huic novae sanctaeque observantiae sequendum dedit initium. Haec huius magnae religionis fuit primarium et stabile fundamentum. Haec huius alti operis lapis extitit primitivus. Haec genere nobilis, sed conversatione nobilior, virginitatem, quam prius etiam custodiverat, sub hac sanctimoniae regula, praecipue conservavit.

Mater filiam imitatur.

§ 4. Hanc postmodum religionem, mater eius Hortulana nomine, piis intenta operibus, ipsius natae sequendo vestigia, devote suscepit, in qua demum haec optima Hortulana, quae in horto dominico protulit talem plantam, conclusit feliciter dies suos. Post aliquos vero annos, ipsa B. Clara, monasterii et sororum regimen, nimia eiusdem S. Francisci devicta importunitate, recepit.

§ 5. Haec utique fuit arbor procera et eminens, longis distensa ramis, quae in agro Ecclesiae dulcem fructum religionis attulit, et ad cuius delectabilem umbram, sub illius amoenitate fructum huiusmodi libaturae concurrerunt undique multae alumnae fidei, et concurrunt. Haec fuit nova mulier Vallis Spoletanae, quae novum aquae vitalis fontem ad refectionem animarum et commodum propinavit, qui iam per diversos rivulos, in territorium Ecclesiae derivatus, plantaria religionis infudit. Haec fuit altum sanctitatis candelabrum, vehementer in habitaculo Domini rutilans, ad cuius ingentem splendorem plurimae properaverunt et properant, suas de illius lumine lampades accendentes. Haec profecto in agro fidei plantavit et coluit vineam paupertatis, de qua fructus salutis pingues et divites colliguntur. Haec in praedio ecclesiasticae humilitatis hortum constituit, multiplici rerum consertum inopia, in quo magna virtutum copia reperitur. Haec in

religionis districtu arcem arctae abstinentiae fabricavit, in qua larga spiritualis alimoniae refectio ministratur. Haec fuit pauperum primiceria; ducissa humilium; magistra continentium, et poenitentium abbatissa. Haec suum monasterium, creditamque in illo sibi familiam, sollicite ac prudenter in timore ac servitio Domini, et plena ordinis observantia gubernavit, vigil in cura, in ministerio studiosa, in exhortatione attenta, diligens in admonitione, in correctione moderata, temperata in praeceptis, in compassione praestabilis, discreta in silentio, in sermone matura, et consulta in cunctis ad perfectum regimen opportunis, volens magis famulari, quam dominari, et honorare potius, quam honore sustolli. Huius vita erat aliis eruditio et doctrina. In hoc libro vitae, caeterae vivendi regulam didicerunt. In hoc vitae speculo, reliquae vitae semitas inspexere. Corpore namque sistebat in terra, sed animo versabatur in coelo; humilitatis vasculum, armarium castitatis, charitatis ardor, dulcior benignitatis, patientiae robur, nexus pacis et familiaritatis communio; mitis in verbo, lenis in facto, et in omnibus amabilis et accepta. Et ut, carne depressa, convalesceret spiritu, quo quisque hoste suo debilitato, fit fortior, nudum solum et interdum sarmenta pro lecto habebat, et pro pulvinari sub capite durum lignum, unaque tunica cum mantello de vili, despecto et hispido panno contenta. His humilibus indumentis ad operimentum sui corporis utebatur, aspero cilicio de cordulis crinium equorum contexto nonnunquam adhibito iuxta carnem. Arcta quoque in cibo, et in potu districta, tanta se in his fraenabat abstinentia, quod longo tempore, tribus diebus in hebdomada, videlicet secunda, quarta et sexta feria, nihil penitus pro sui corporis alimento gustavit, reliquis nihilominus diebus, adeo se cibariorum parvitate restringens, quod aliae de ipsa quomodo sub tam forti districtione subsistere poterat, mirabantur.

Qualiter Clara rexerit discipulas. *Eius lectus.* *Habitus.* *Cibus et potus.* *Ieiunia.*

Vigiliis insuper et orationibus assidue dedita, in his praecipue diurna et nocturna tempora expendebat. Diutinis tandem perplexa languoribus, cum ad exercitium corporale non posset surgere per se ipsam, sororum suarum suffragio levabatur; et ad tergum eius fulcimentis appositis, propriis manibus laborabat, ne in suis etiam esset infirmitatibus otiosa. Unde de panno lineo huius sui studii et laboris, plura pro altaris sacrificio corporalia fieri fecit, et per plana et montana Assisii diversis Ecclesiis exhiberi. Amatrix vero praecipua, et colona sedula paupertatis, sic illam suo affixit animo, sic eam in suis desideriis alligavit, quod semper in ipsius dilectione, firmiter et ardentior in amplexu, a districta et delectabili eius copula, pro nulla unquam necessitate discessit, nec aliquibus prorsus potuit induci suasibus, ad consentiendum, quod suum monasterium proprias possessiones haberet, quamquam fel. record. Gregorius Papa praedecessor noster, de multa indigentia ipsius monasterii pie cogitans, libenter illi voluerit pro sororum eius sustentatione possessiones sufficientes et congruas deputare.

Vigiliae et orationes. *Paupertatis studiosa.*

§ 6. Verum quia magnum et splendidum luminare supprimi non potest, quin suae radios praeferat claritatis; in ipsius etiam vita, multis et variis miraculis virtus suae sanctitatis effulsit. Nam cuidam de sororibus ipsius monasterii, vocem, quam longo tempore quasi omnino perdiderat, restauravit. Alii, officio linguae penitus destitutae, loquelam restituit expeditam. Alteri autem surdam aperuit ad auditum. Laborantem febre, tumentem hydropisi, plagatam fistula et aliis oppressas languoribus liberavit, facto crucis signaculo super eas. Quemdam fratrum de ordine Minorum sanavit ab insaniae passione. Cum autem quadam vice oleum in monasterio totaliter defecisset, ipsa, vocato fratre, qui erat eidem monasterio pro colligendis eleemosynis deputatus, accepit urceum, atque lavit, vacu-

Recensentur quaedam eius miracula. *Morbidas sanat sorores.* *Oleum divinitus ministratum.*

umque iuxta fores ipsius monasterii posuit, ut illum idem frater pro oleo acquirendo deferret; quem cum vellet ipse apprehendere, invenit eum oleo, beneficio divinae largitatis, impletum. Rursum cum uno die nonnisi unius panis medietas pro refectione sororum in eodem monasterio haberetur, ipsa medietatem eamdem iussit in frustra dividi et sororibus dispensari, quam inter manus frangentis, Ille qui vivus est panis, et dat escam esurientibus, multiplicavit in tantum, quod quinquaginta sufficientes factae fuerunt exinde portiones, et sororibus discumbentibus distributae. Per haec et alia signa conspicua, suorum dum adhuc viveret innotuit præeminentia meritorum. Nam et cum in extremis ageret, candidus beatarum Virginum coetus, micantibus coronis ornatus, in qua una ex ipsis eminentior et fulgidior apparebat, visus est domum intrare, ubi eadem Christi famula decumbebat, et usque ad lectulum eius procedere, ac circa eam quasi visitationis officium, ac confortationis solamen quodam humanitatis studio exhibere.

Panis multiplicatus.

A Beatis Virginibus invisitur.

§ 7. Post obitum vero eius, quidam, qui morbo caduco ruebat, et propter crus contractum gradi non poterat, ad sepulchrum delatus ipsius, fuit ibi, crure ipso quasi fragoris sonitum faciente, ab utraque infirmitate curatus. Curvi renibus, membris contracti, praecipites furia et dementi furore ferales, receperunt ibidem integram sospitatem. Cuidam sua dextera manus, cuius ipse usum ex illata sibi vehementi percussione ita perdiderat, quod nihil omnino per eam veluti prorsus inutilem poterat operari, fuit ad actum suum pristinum, ipsius sanctae meritis, plenarie reformata. Alius, qui diutina caecitate lumen amiserat oculorum, cum ad idem sepulchrum sub ducatu alterius accessisset, recuperato inibi visu, rediit exinde sine duce. His et quamplurimis aliis operibus et miraculis, haec venerabilis virgo resplenduit gloriosis, ut evidenter appareat adimpletum id quod de ipsa mater eius, dum esset ex ea gravida, et oraret, dicitur audivisse: videlicet, quod paritura erat quoddam lumen, quod orbem plurimum illustraret.

Miracula post excessum.

§ 8. Gaudeat itaque Mater Ecclesia, quod talem genuit et educavit filiam, quae tamquam virtutum foecunda parens, multas religionis alumnas suis produxit exemplis, et ad perfectum Christi servitium pleno magisterio informavit. Laetetur et devota turba fidelium, quod rex coelorum et Dominus, sororem ipsorum et sociam, quam in sponsam sibi elegerat, ad suum praecelsum et praeclarum palatium, cum gloria introduxit. Nam et sanctorum congaudent agmina, quod in superna eorum patria, novellae regalis sponsae nuptiae celebrantur.

§ 9. Caeterum, quia congruit, ut quam Dominus exaltavit in coelo, catholica Ecclesia veneretur in terra, quia de sanctitate vitae ac miraculis eius, diligenti et attenta inquisitione, ac examinatione distincta, et solemni discussione praemissis, liquido constitit, licet alias etiam et in propinquis, et in remotis partibus satis essent praecognita lucida eius acta, nos de communi fratrum nostrorum et praelatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium consilio et assensu, de omnipotentia divina confisi, auctoritate beatorum Petri et Pauli apostolorum, ac nostra, ipsam cathalogo sanctarum Virginum duximus adscribendam.

Inter Sanctas Virgines adscribitur.

§ 10. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pridie idus augusti, festum eiusdem Virginis devote solemniter celebretis et faciatis a vestris subditis venerabiliter celebrari, ut ipsam habere mereamini apud Deum piam et sedulam adiutricem.

Eius festum annue celebrandum.

§ 11. Et ut ad venerandum eius sepulchrum avidius et copiosius christiani populi confluat multitudo, ac celebrius ipsius festivitas recolatur, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad illud

Indulgentia ad eius sepulchrum.

cum reverentia, in eiusdem Virginis festo, vel etiam infra ipsius festi octavas, annuatim accesserint, ipsius suffragia humiliter petituri, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum et quadraginta dies de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer relaxamus.

Datum Anagniae, sexto kal. octobris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 26 septembris 1255, pontif. anno I.

XXI.

Diffinitio controversiae super primatu inter Armachanum et Tuamensem archiepiscopos (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Status quaestionis inter utrumque archiepiscopum. — Archiepiscopus Armachanus provinciae primas. — Sibi provinciam Thuamen. subiici petit. — Rationes utraque ex parte adductae, ac diligenti subiectae examini. — Armachano conceditur, ut se vocari possit primas Thuamen. — Stabilitur tempus visitationis provinciae eiusdem, ac forma. — Procurationes ei exhibendae. — Episcopis provinciae Thuamen. conceditur ius appellandi ad archiep. Armachanum. — His tantum contentus esse debet Armachanus. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ecclesia Romana tamquam diligens et attenta mater profectibus semper invigilat aliarum, et si quando inter eas controversiae, sive lites emergunt, ipsa ut in pacis tranquillo congaudeant, et in suavitate quietis devotius Domino famulentur, opportuna remedia interponit. Sane

Status quaestionis inter utrumque archiepiscopum. dudum inter venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum et dilectos filios capitulum Armachan. ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Tuamen. ex altera super iure primatiae, quam idem archiepiscopus Armachan. in provincia Tuamen. habere se asserit, quaestione suborta, et partium procuratoribus propter hoc apud Sedem Apostolicam constitutis, eisque dilecto filio nostro Ioanne Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali auditore concesso; eorumdem archiepiscopi et capituli Ecclesiae Armachan. proposuit procurator, quod cum idem archiepiscopus sit et esse debeat primas eiusdem provinciae, ac in possessione, vel quasi iuris primatiae in ipsa provincia fuerit a longe transactis temporibus, dictusque archiepiscopus Tuamen. eidem Armachan. immediate subesse debeat ratione huiusmodi primatiae, ipse Tuamen. obedientiam et reverentiam, et caetera ipsius primatiae iura praefato Armachan. denegat exhibere. Quare dictus petiit procurator eumdem Tuamen. compelli ad obedientiam et parendum ipsi Armachan. tamquam suo primati, ac ad praestandum sibi plenarie, ut tenetur, obedientiam et reverentiam et alia ipsius primatiae iura, quae in ipso Tuamen. et provincia eius habet et habere debet idem archiepiscopus Armachanus: petiit etiam adiudicari per sententiam ipsi Armachan. ius primatiae in provincia memorata, necnon sententialiter diffiniri eumdem Tuamen. debere ipsi Armachan. ratione dictae primatiae nullo medio subiacere. Lite itaque super his legitime contestata, et ab eodem procuratore ad fundandam praedictorum Armachan. archiepiscopi et capituli rationem, quodam privilegio bonae memoriae Coelestini Papae praedecessoris nostri, et quibusdam aliis scriptis in iudicio exhibitis, ac nonnullis etiam testibus, propter hoc ab ipso productis, nos eisdem privilegio et scriptis et ipsorum dictis testium, ac iis, quae allegata in contrarium a parte altera extiterant, cunctisque rationibus et omnibus, quae hinc inde fuere proposita perspicaciter visis, et plenius intellectis, negotium huiusmodi una cum fratribus

Archiepiscopus Armachan. provinciae primas.

Sibi provinciam Thuamen. subiici petit.

Rationes utraque ex parte adductae, ac diligenti subiectae examini.

(1) Ex Regest. Vatic.

nostris studiose discussimus, et super eo, ut fine possit congruo terminari, consideravimus diligenter. Verum quia pensatis provide ipsius negotii meritis et circumstantiis universis, cognovimus expedire, quod per modum provisionis idem negotium terminetur, elegimus potius per hanc viam imponere finem ei. Auctoritate igitur apostolica de fratrum nostrorum consilio taliter providemus, quod praefatus archiepiscopus Armachanus et singuli sui successores possint se vocare vel appellare, si voluerint, primates provinciae Tuamen., et facere deferri ante se crucem per totam provinciam ipsam quandocumque et quotiescumque ipsos transire contigerit per eamdem. Possint etiam dictam provinciam de quinquennio in quinquennium visitare, ac per viginti et septem dies dumtaxat visitationis officio immorari; ita quod si eos praedictam provinciam, postquam illam causa visitationis intraverint, egredi ex quacumque causa contigerit, priusquam praedictorum viginti septem dierum numerum in visitatione perfecerint, non liceat eis ipsam causa visitationis usque ad aliud quinquennium introire, in quo non amplius quam viginti septem dies ad visitationem habeant exercendam, licet forte de viginti septem diebus praecedentis quinquennii aliqui remanserint ad visitationis officium exequendum, nisi adeo per aliquem vel aliquos de praefata provincia fuerint impediti, quod dictam provinciam exeant, et non possint omnes ipsos dies in visitatione complere, in quo casu licitum sit ipsis, ante aliud quinquennium, ad eamdem redire provinciam ad solum viginti septem dierum residuum percomplendum. In hac quoque sua visitatione illa, quae corrigenda occurrerint, corrigant et reforment de plano per salutaria monita et exhortationes, ac persuasiones attentas, districtionem in hoc ecclesiasticae censurae per se minime adhibendo. Quae vero sic de plano corrigi vel emendari non poterunt, sed alterius

Armachano conceditur, ut vocari possit primas Thuamen.

Stabilitur tempus visitationis provinciae eiusdem, ac forma.

iurisdictionis vel censurae, seu potestatis exequutionem exegerint, dioecesanis denuncient episcopis, videlicet qui in suis dioecesibus; et deinde si negligentes extiterint in hoc archiepiscopo Tuamen.; et quae in ipsis episcopis et in eiusdem archiepiscopi dioecesi, eidem archiepiscopo; et quae in eodem archiepiscopo sic corrigenda fuerint et in aliis etiam eiusdem provinciae, si per eorum superiores, post factam ipsis denunciationem, illa correcta non fuerint, Romano Pontifici, ut per eum, sicut convenit, corrigantur. Per praedictos autem viginti septem dies totidem dumtaxat procurationes in locis recipiant visitatis. Ad quarum exhibitionem tota ipsa provincia teneatur, ut et archiepiscopus, et episcopi, et eorum subditi eiusdem provinciae communiter in his contribuant ac provideant, statuant et ordinent quod eædem procurationes sine difficultate qualibet integre persolvantur. Ita quod in nulla ipsarum procurationum sumptus vel expensae, qui propter hoc fient, duarum marcharum sterlingorum summam vel valorem excedant; praefati vero Armachanus, et eius successores in eos, qui visitationem impediverint, vel procurationes praedicto modo taxatas eis visitantibus exhibere denegaverint, libere possint in singulis visitationibus per excommunicationem, suspensionem et interdictum, censuram ecclesiasticam exercere. Ad haec liceat episcopis suffraganeis archiepiscopi Tuamen. in causis, quas ipsi adversus alios, sive tamquam actores, sive sicut rei coram eodem archiepiscopo habuerint, et suis similiter adversariis in eisdem causis ab ipso Tuamen. ad Armachanum archiepiscopum legitime appellare. Ab aliis autem inferioribus sive subditis, et ab istis etiam in alio casu ad ipsum Armachanum ab eiusdem Tuamen. audientia nullatenus appelletur, eo semper salvo, quod ad Sedem Apostolicam libere possit a quibuslibet, omissis proximis eorum superioribus, appellari. Armachanus vero de

Procurationes ei exhibendae.

Episcopis provinciae Thuamen. conceditur ius appellandi ad archiepiscopum Armachanum.

illis causis, quae per appellationem deferentur ad ipsum, licite cognoscere valeat, habeatque in illis iurisdictionem prosequtioni negotii competentem, persona Tuamen. archiepiscopi manente prorsus libera et exempta, cuius electio per Sedem confirmatur eamdem, a qua pallium recipit, et cui fidelitatis exhibet iuramentum, et his Armachanus ipse contentus in praefatam provinciam, et personas ipsius, ultra quam in superioribus est expressum, nihil iurisdictionis attentet, et ipsa provincia eiusque personae ipsi Armachano ad nulla penitus alia teneantur.

His tantum contentus esse debet Armachanus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae provisionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae.

Datum Anagniae, secundo idus octobris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 14 octobris 1255, pontif. anno I.

XXII.

Comprobatio veritatis stigmatum S. Francisci de Assisio, cum poenarum impositione adversus aliter affirmantes.

SUMMARIUM

Procemium. — 1. B. Franciscus signis et virtutibus clarus. — 2. A Greg. IX sanctorum albo adscriptus. — 3. Stigmatibus miraculose insignitus. — 4. Huius veritatem miraculi testatur Alexander. — 5. Praelatos hortatur, ut eius reverentiam populis inspirent. — 7. Haec miracula impugnantibus poenae infligendae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, et aliis Ecclesiarum praelatis praesentes litteras inspecturis et audituris, salutem et apostolicam benedictionem.

Procemium.

Benigna operatio divinae voluntatis in coelo potens, et innovans singula sapienter, et immutans mirabilia super terram, postquam Dei Filius victor mortis ad Patrem, unde descenderat, vehiculo propriae maiestatis ascendit, mirificae fortitudinis viros ad consummationem sanctorum diversis temporibus suscitavit, a quibus testimonium spei gloriae cum Christo in Deo reconditae firmaretur, et Ecclesiae sanctae ad promissam requiem festinandi in hoc peregrinationis exilio, quod taediosa desiderii eius dilatione protrahitur, per ipsos consolationis solatium perveniret.

B. Franciscus signis et virtutibus clarus.

§ 1. Inter alios autem diebus nostris beatus Franciscus almus Christi confessor apparuit signis et virtutibus gloriosus. Qui clarissimus pie vivendi meritis et exemplis sanctam foecundavit Ecclesiam, et caligantia praesentis aetatis tempora fulgoris sui lampade illustrans, viam iustitiae perfecte praeparans, in eremo altissimae paupertatis, quam ipse currens et alacriter exultans, contra carnem, mundum et daemonem, velut gigas traxit post se de inferi faucibus, et traduxit ad Dominum populum humilem, bonorum operum sectatorem, sicut effusa super faciem orbis terrae copiosa professionis eius religiosa generatio patefacit.

A Gregorio IX sanctorum albo adscriptus.

§ 2. Ut autem ad illuminationem gentium, celebris eius memoria, tamquam rutilum sydus in corusco firmamenti mystici aethere servaretur, multis eum divina potentia adhuc militantem inter homines, et demum in sanctorum agmine triumphantem, dignata est clarificare miraculis, quae fel. rec. Gregorius Papa praedecessor noster, ne illa vel perverteret aemula sanctitatis iniquitas, vel oblivionis digitus, qui rebus gestis cito superducitur, aboleret, solemnissimis inquisitionibus indagata et comperta, fidelissimis documentis fecit ad laudem Dei et augmentum fidei et instructionem salubrem, tam praesentium, quam etiam futurorum, munimentis perpetuis commendari, eumdem confessorum sanctorum cathalogo adscribendo, sicut in plurimis

locis liquido per ipsius praedictas litteras apparet, horum seriem explicite continentes.

Stigmatibus miraculose insignitus

§ 3. Porro quia longum esset nedum exarare per singula, verum etiam succincta relatione perstringere clara virtutis divinae prodigia, quae tam in operationibus sanctitatis, quam etiam in aliis mirabilibus argumentis probaverunt, eumdem Confessorem tenere cum sanctis solium gloriae in excelsis; signanter vobis ante oculos proponere volumus, recolenda frequentius et vehementius admiranda illa satis iocunda dominicae Passionis insignia, quae in eiusdem Sancti corpore, dum adhuc vitali spiritu foveretur, manus coelestis operationis impressit. Viderunt namque oculi fideliter intuentes, et certissimi contrectantium digiti palpaverunt, quod in manibus eius et pedibus, expressa undique similitudine clavorum, de subiecto propriae carnis excrevit, vel de materia novae creationis accrevit; quae equidem idem Sanctus studiose ab oculis hominum, quorum refugiebat gloriam, dum viveret, abscondebat. Inventa est patentius in ipsius defuncti corpore, non inflicta humanitus nec facta, plaga vulneris lateralis, quasi aliquod instar lateris Salvatoris, quod redemptionis et regenerationis humanae in Redemptore nostro protulit sacramentum; quae quidem plaga, sicut quosdam ex fratribus sibi familiariter adhaerentibus latere non potuit, propter defluxum humoris, diu antea viruerat in vivente.

Huius veritatem miraculi testatur Alexander.

§ 4. Haec igitur mira et decora novae demonstrationis indicia, magnae dicuntur esse devotionis divitiae christianis, et inaestimabiles religionis deliciae in spiritualibus communis Ecclesiae orthodoxae thesauris; cum ex his sincera fides accipiat, quod etiam illi fuerint passionis Christi sine extrinseco persecutore consortes, qui pro eius amore carnem suam cum vitiis et concupiscentiis voluntarie crucifigunt. Sane de praefato Sancto, haec certius asserentes, indoctas fabulas, seu vanae adinventionis deliramenta non sequimur, cum ea nobis dudum nota fuerit plenior fides rerum, quando videlicet nos in minoribus constituti, Confessoris eiusdem familiarem ex munere divino meruimus habere notitiam, praefati praedecessoris nostri domesticis obsequiis tunc temporis insistendo.

Praelatos hortatur, ut eius reverentiam populis inspirent.

§ 5. Cum igitur oporteat cavere prudenter, ne tanta patrocinii gratia humano generi coelitus in memorato Confessore collata, in vacuum assumatur, universitatem vestram rogamus, monemus, hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eiusdem Confessoris preciosa merita et miraculorum magnalia et salutarem memoriam celebritate annua, praedicatione frequenti et veneratione recensentes, ad ipsius devotionem et gratiae divinae memoriam subditos vestros celebribus monitis excitetis, ut eo, pro universo fidelium populo, ac praesertim pro his, qui se invocaverint, divinam misericordiam implorante, mereantur supplices, quod operum possibilitas obtinere non potest, eius intercessionibus impetrare.

Haec miracula impugnantibus poenae infligendae.

§ 6. Nemo itaque eidem Sancto audeat de caetero esse molestus in corpore suo Christi triumphalia stigmata praeferenti. Si quis igitur spiritu temerariae praesumptionis insaniens, divini muneris invidus, apostolica iudicia, sacrilegus impugnator, praemissa, vel alia prodigiorum signa, quibus in Ecclesia Dei sanctitas praedicti Confessoris eluxit, improbae contradictionis morsibus obtrectanda crediderit, volumus et mandamus, ut eum sanae menti restituat iudicialis severitas disciplinae: ita quod districta proprii praelati castigatione correctus, Dei opera blasphemare dediscat, et fidei catholicae fructus de pia mirabilium Domini credulitate pullulans, non arescat.

Nulli ergo *etc.*

Datum Anagniae, quarto kal. novembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 29 octobris 1255, pontif. anno I.

XXIII.

Quod fratres Minores conventuales ordinis S. Francisci ad episcopatus et alias dignitates promoti, libros et alia eorum bona ordini resignare teneantur.

SUMMARIUM

Causae legis. — Statutum.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis generali, et provincialibus ministris ordinis fratrum Minorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte vestra nobis fuit intimatum, quod cum contingat interdum ad episcopalem et alias superiores, seu inferiores dignitates aliquos de fratribus vestri ordinis promoveri, ipsi libros et alia, quae tempore suae promotionis habent, licet non ad eos, cum proprium eis habere non liceat, sed ad ordinem pertineant memoratum, propriis usibus applicare praesumunt, in suarum perniciem animarum. Quare suppliciter postulastis a nobis, ut providere super hoc salubriter curaremus. Causae legis.

§ 1. Nos igitur eorumdem fratrum saluti et indemnitati vestri ordinis paterna volentes sollicitudine providere, ut libros et alia, quae ipsos promotionis suae tempore habuisse, seu habere constiterit, tibi, fili generalis minister, vel tuis provincialibus ministris, submota qualibet dilatione, resignent, ipsis fratribus iam promotis in virtute obedientiae, illis autem quos promoveri contigerit, ne resignare differant, auctoritate praesentium duximus iniungendum, nisi forsan vos ipsorum usum eis ad tempus concesseritis de gratia speciali. Statutum.

Datum Laterani nonis decembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 5 decembris 1255, pontif. anno I.

XXIV.

Confirmatio declarationis statutorum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo (1).

SUMMARIUM

Regulae nonnulla dubia ab Innocentio explicata. — Confirmantur. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori generali, et fratribus ordinis Eremitarum de Monte Carmelo, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cum itaque felicis recordationis Innocentius Papa, praedecessor noster, ad vestrae supplicationis instantiam, per dilectum filium Hugonem tituli Sanctae Sabinae presbyterum cardinalem, et venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Anteradensem episcopum, quaedam regulae vestrae dubia declarari et corrigi, ac quaedam ipsius gravia misericorditer fecerit mitigari, prout in litteris inde confectis plenius continetur; nos vestris precibus inclinati, declarationem et correctionem, ac mitigationem huiusmodi, ad instar ipsius praedecessoris, auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Regulae nonnulla dubia ab Innocentio explicata.

Tenorem autem litterarum praedecessoris eiusdem, prout in Regesto ipsius continetur, de verbo ad verbum praesentibus inseri facientes, qui talis est: Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus Eremitis de Monte Carmelo, salutem et apostolicam benedictionem. — Quae honorem *etc. (Videm Innocentio IV, constitut. XIV, pag. 535).* Confirmantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Clausulae.

(1) Ex Regest. Vatic.

beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani tertio nonas februarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 3 februarii 1256, pontif. anno II.

XXV.

Declaratio, quod ex concessionibus per Apostolicam Sedem cuicumque factis, vel faciendis, nullum praeiudicium fratribus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani inferatur, nisi specifica eorum mentio fiat in litteris apostolicis (1).

SUMMARIUM

Hierosolymitanorum equitum encomium. — Privilegium (*de quo in rubrica*). — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro, et fratribus hospitalis Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Hierosolymitanorum equitum encomium. Ipsa nos cogit pietas honestis petitionibus vestris exauditionis gratiam non negare, quibus efficax ex eo favoris patrocinium suffragatur, quod pastorem alium praeter Romanum Pontificem non habentes, pro Terrae Sanctae tutela, cui perpetuum religionis vestrae obsequium dedicastis, in fervore charitatis intrepidae, sub devota Sedis Apostolicae obedientia prudenter exponitis contra impetus infidelium res et vitam. Hoc iam manifeste probavit frequens fratrum vestrorum et numerosus occubitus, qui gloriosa in conspectu Domini morte, per quam aditus vitae patet, de Crucis Christi hostibus hactenus triumpharunt. Hoc nunc clamat in auribus omnium illud, proh dolor! sacri sanguinis profluvium copiosum, quo praecedentibus annis in illis partibus laverunt de modernis fratribus vestris quamplurimi stolas suas. Super quibus nimirum et aliis christifidelibus, quos idem casus evexit ad palmam, percussa vehementer in nobis iaculo intimae compassionis humanitas, ingenitae gravitatis paulisper laxato rigore, superfluentem palpebris Ecclesiae Romanae fontem aperuit lacrymarum, licet ad consolationem invitet exultationis festivae gaudium, quod de ipsis inexterminabilis proculdubio vitae pace fruentibus, coram Deo ducitur in excelsis. Vestris igitur precibus liberaliter annuentes, ad instar felicis recordationis Innocentii Papae, praedecessoris nostri, devotioni vestrae auctoritate praesentium indulgemus, ut per gratias, vel indulgentias seu litteras quaslibet quibuscumque Ecclesiis, aut ecclesiasticis saecularibusve personis sub quacumque forma verborum ab Apostolica Sede concessas, vel etiam concedendas, mentionem non facientes de hospitali vestro, subiectisque sibi domibus et fratribus eorumdem, ac ordine vestro, vobis, vel ipsis nullum praeiudicium generetur, nec gratiae, indulgentiae, ac litterae huiusmodi, ad dictarum domorum et hospitalis, ac ipsorum fratrum dispendium aliquatenus extendantur. Praesentibus post quinquennium minime valituris. Privilegium, de quo in rubrica.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani decimo kalendas martii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 21 februarii 1256, pontif. anno II.

(1) Ex Codice Diplomat. huius Ordinis, tom. I, pag. 275.

XXVI.

Quod abbates a prioribus, quos in suis prioratibus instituunt, nullam pensionem, seu pecuniae quantitatem ante vel post institutionem exigere praesumant (1).

SUMMARIUM

Causae legis. — In collationibus prioratuum nec priores, nec prioratus subiiciendi one-

(1) Ex Regest. Vatic.

ribus. — Poenae violatorum huius legis. — Exempti ratione delicti possunt conveniri coram ordinariis. — Exemptio a iure ordinarii in hoc casu non valet nisi exhibeatur privilegium apostolicum. — Novalium exemptio quomodo intelligenda. — Ordines ab hac lege exempti. — De infeudationibus laicorum. — Decimae per religiosos solvendae. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae legis.

Quia personae religiosae tam exemptae, quam aliae de regno Franciae plura dicuntur praesumere, quae ipsis infamiam pariunt et aliis inferunt laesionem, convenit taliter in hac parte per Apostolicae Sedis diligentiam provideri, quod eædem personae his, quae ad eas pertinent, servata semper religionis honestate, contentae, sic in seipsis debitam in omnibus custodiant modestiam, quod alios scandalis vel dispendiis non conturbent. Intelleximus namque, quod abbates cum prioribus, quos in suis instituunt prioratibus, ante vel post institutionem conveniunt, ut eisdem abbatibus aliqua summa pecuniae, vel certa de eorumdem prioratuum portio persolvatur, sicque ipsis prioribus huiusmodi pecuniam vel portionem, seu annuam forte pensionem impositam, sive reddituum solventibus praefatis abbatibus, consueta hospitalitas et eleemosynae solitae in eisdem prioratibus subtrahuntur, ac diminuitur in illis numerus servitorum, necnon eorumdem prioratuum negotia minus sollicite procurantur, cum contingat ex hoc minus idoneos in illis institui vel ordinari priores. Nonnulli etiam religiosi exempti praetextu quarumdam indulgentiarum seu privilegiorum apostolorum eis, post constitutionem a felicis recordationis Innocentio Papa quarto, praedecessore nostro, circa exemptos editam, concessorum, venire vel agere seu praesumere contra constitutionem asseruntur eamdem. Quamplures insuper, sicut fertur, occasione privilegiorum exemptionis, quae habent, vel habere se dicunt, libertatis suae limites excedentes, privilegia ipsa, ne sciatur ad quae et in quantum se illorum vires extendant, ordinariis locorum ostendere, vel eorum facere copiam contradicunt. Et cum nonnullis religiosis a Sede Apostolica sit indultum, ut novalium decimas pro ea portione, quae veteres illos contingunt, percipere valeant et habere; ipsi, sicut accepimus, praetextu indulgentiae huiusmodi omnes interdum decimas vel maiorem earum partem de novalibus, quemadmodum illas de veteribus consueverunt habere, percipiunt ad praeterita, praesentia et futura novalia eamdem indulgentiam extendentes. Intelleximus etiam, quod cum religiosis generaliter sit a iure prohibitum, ne decimas de manu laicorum recipere sine consensu episcoporum praesumant, plurimi eorum, et praesertim exempti, ad fraudis ingenia se vertentes machinantur cum laicis detinentibus decimas, et dolose procurant, ut fiant infeudationes de ipsis, et iidem laici se illas ab eisdem religiosis tenere in feudum recognoscant, quatenus sic ad religiosos ipsos eædem decimae absque consensu episcoporum valeant pervenire. Si quando etiam terras, quae parrochialibus ecclesiis fuerant decimales, acquirunt, nolunt postea de illis decimas, vel decimam integre, sed aut nihil, aut solam trigesimam vel quadrigesimam exhibere. Cum vero maiores decimas, sive omnes, sive illarum partem acquirunt, vel consequuntur a laicis, si postmodum novalia ibi fiant, satagunt ex illis habere decimas pro ea parte, qua huiusmodi maiores percipiunt, licet ipsi laici nihil omnino petere vel exigere possent de decimis novalium eorumdem. Volentes itaque contra haec, apostolica diligentia, sicut expedit, providere: statuimus, de fratrum nostrorum consilio, ut pure ac munde secundum Deum fiat concessio seu collatio prioratuum, ita quod pretii datione, vel sub pactione nulli tradantur, sed in eorum concessione penitus ista cessent,

In collationibus prioratuum nec priores, nec prioratus [illegible]

prohibentes, ne in fraudem ipsis prioratibus, cum eos vacare contingit, fiat alicuius oneris impositio ad tempus, vel perpetuo duratura, nec etiam postquam in eis priores fuerint instituti, dictis prioratibus, vel ipsis prioribus aliqua per abbates, sive perpetua, sive temporalia in pensionibus, vel quibuscumque aliis praestationibus onera imponantur, per quae in illis cultus divinus circa numerum servitorum, aut consueta hospitalitas minuatur, vel per quae ipsi prioratus seu priores reddantur ad solvendum commode iura episcopalia et prosequendum, ut convenit, eorumdem iura prioratuum, impotentes. Quod si secus praesumptum fuerit, praesumptores huiusmodi non exempti per locorum ordinarios arceantur, et si prioratus fuerit alterius dioecesis, quam monasterii, cui subest, circa prioratum ipsum in his dioecesanus eius provideat, corrigat, ordinet et disponat, et ad illius denunciationem dioecesanus monasterii abbatem eius cohibeat in praemissis. Tales vero praesumptores exempti compescantur per illos, quos ad hoc duxerimus deputandos, cum velimus hac vice certas, prudentes et discretas personas per singulas statuere provincias, quae vice nostra de his circa exemptos de plano cum attentione inquirant, revocantes penitus sic praesumpta, et ipsos exemptos in talibus coercentes. Si vero abbates exempti fuerint, prioratus autem non exempti, dicti abbates per ipsas personas constituendas a nobis, denunciantibus dioecesanis eorumdem prioratuum, compescantur. Statuimus insuper, ut praemissa constitutio ab eodem praedecessore nostro circa exemptos edita, videlicet quod ipsi exempti quantumcumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, sive contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possunt coram locorum ordinariis conveniri, et illi quoad haec suam in ipsos iurisdictionem, prout ius exigit, exercere plenarie in hoc et aliis, quae ipsa constitutio continet, observetur. Non obstantibus quibuslibet privilegiis, sive indulgentiis apostolicis contra eam postmodum impetratis. Decernimus quoque, ut si hi, qui se asserunt per privilegia, vel indulgentias Apostolicae Sedis exemptos, de quorum sua exemptione seu libertate non constat, vel qui videlicet in exemptionis seu libertatis possessione per longa tempora non fuerunt a locorum ordinariis requisiti, huiusmodi privilegia, vel indulgentias, quibus dicunt se fore munitos, saltem quoad illos articulos, super quibus quaestio vel controversia fuerit, ipsis ordinariis in loco congruo et securo, vel aliquibus prudentibus viris, omni suspicione carentibus, ad hoc per dictos ordinarios deputatis, non exhibuerint vel ostenderint, et iidem ordinarii sua iurisdictione usi fuerint contra eos, nequaquam tunc ipsi ordinarii hac occasione per conservatores a Sede illis deputatos eadem molestari valeant, aut aliquatenus impediri, quinimo sententiae, vel processus conservatorum ipsorum, quae, vel qui prolatae seu habiti fuerint contra eosdem ordinarios, in hoc casu omnino non teneant, nullumque robur habeant vel vigorem. Ad haec, statuto perpetuo, declaramus, quod indultum illud apostolicum, quo plerisque conceditur, ut novalium decimas pro ea portione percipere valeant, qua veteres eos contingunt, ad illas novalium decimas, quas tempore illo, quo impetratum vel obtentum extitit hoc indultum, alii possidebant, cum de hoc in ipso mentio nulla fiat, nullatenus se extendit, nec ad alias trium nisi in his tantum locis, ubi veteres, tunc quando dictum indultum impetratum fuit, ipsius impetratores habebant, et pro ea solummodo portione, qua ipsi tempore impetrationis huiusmodi percipiebant antiquas. Statuimus praeterea, quod idem indultum obtentum ab his, qui tempore impetrationis totaliter veteres percipiebant decimas, ultra medietatem decimarum novalium nullatenus extendatur, quia nec est verisimile, vel

Poenae violatorum huius legis.

Exempti ratione delicti possunt conveniri coram ordinariis.

Exemptio a iure ordinarii in hoc casu non valet nisi exhibeatur privilegium apostolicum.

Novalium exemptio quomodo intelligenda

credibile, si tunc de plena et integra perceptione veterum fuisset expressum, quod Apostolica Sedes pariter et similiter novalium decimas in tam grave parochialium Ecclesiarum dispendium indulsisset, quodque ratione talis indulti sive impetrari iam, sive impetrandi deinceps, non possit ulterius in novalibus, quae amodo fient, vendicari, acquiri, vel percipi plusquam medietas decimarum ipsorum, etiamsi amplius in veteribus habeatur: cum non sit dicendum asperum, sed pium potius, et benignum si super decimis futurorum novalium, imo parochialium ecclesiarum gravamini, quod ex distensione indulti huiusmodi posset accidere, taliter obvietur: religiosos tamen Cistercien. et Carthusien. ordinum statuto et declaratione huiusmodi, quantum ad hos duos articulos, videlicet de medietate decimarum novalium comprehendi nolumus vel astringi: ubi autem per huiusmodi decimarum concessiones parochiales Ecclesias adeo gravari contingit, quod earum rectores de ipsarum redditibus congrue substentari, et commode iura episcopalia exhibere non possunt, provideatur et ordinetur taliter, quod eisdem rectoribus tantum de illarum relinquatur proventibus, quod exinde competentem substentationem habere, ac episcopalia iura solvere valeant, aliaque debita onera supportare.

Ordines ab hac lege exempti.

De infeudationibus laicorum.

Sane quamvis forte a religiosis exemptis et aliis fiant infeudationes de decimis detentis a laicis, et iidem laici, quod illas ab ipsis religiosis in feudum teneant, recognoscant, non tamen licet religiosis eisdem post talem infeudationem vel recognitionem sic de facto praesumptam, huiusmodi decimas de manu laicorum ipsorum acquirere, vel recipere, absque dioecesanorum episcoporum assensu. Illas autem decimas intelligimus posse taliter a religiosis de manu laicorum recipi vel acquiri, quae ante Lateranense concilium ipsis laicis in feudum perpetuo fuere concessae. Caeterum iidem religiosi tam exempti, quam non exempti, de terris et possessionibus acquisitis hactenus, et amodo acquirendis decimas integre persolvant illis Ecclesiis, quibus eaedem possessiones et terrae prius fuerant decimales, nisi super hoc speciali iure vel privilegio sint muniti, nec pro eo quod forte in aliquibus parochiis omnes maiores decimas, seu partem illarum acquirunt de manibus laicorum, possunt pro eadem, vel simili portione, si de novo postmodum fiant novalia in eisdem, petere, vel percipere novalium decimas eorumdem, nisi alia rationabilis, per quam hoc facere valeant, causa subsit.

Decimae per religiosos solvendae.

Clausulae

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionum, prohibitionis et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani decimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 23 martii 1256, pontif. anno II.

XXVII.

Quinam conservatores eligi debeant, et quae ab ipsis in eorum officii administratione servanda sint (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Quinam in conservatores eligendi. — Quaenam eorum munia. — Qui vero habere debeant conservatorem. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quia de conservatoribus, quos plerumque Apostolica Sedes ex consueta benignitate concedit, et ipsorum potestate ac processibus plurima referuntur aequitati et modestiae non amica, circa quae festinum Apostolicae providentiae consilium convenit adhiberi, dignum du-

(1) Ex Regest. Vatic.

ximus super his attenta sollicitudine cogitare, ac ad arcendum pro communi commodo et quiete talium immoderantias et excessus opportuna remedia invenire. Statuimus itaque de fratrum nostrorum consilio, quod deinceps soli episcopi, abbates et canonici cathedralium Ecclesiarum, maxime hi, qui sunt in ipsis Ecclesiis dignitatibus praediti, et nullae aliae personae ecclesiasticae conservatores existant. Quodque ulterius inter aliquos reciproca non interveniat conservatio, nec ulli sibi mutuo praesidium conservationis impendant, ita quod nullus deputati sibi conservatoris esse valeat conservator; et cum huiusmodi conservatores a manifestis solum iniuriis et violentiis eos, ad quorum tuitionem deputati sunt, possint defendere, nec ad alia, quae iudicialem indaginem exigunt, suam valeant extendere potestatem, decernimus, quod si de aliis quam manifestis scienter se intromiserint, potestatem vel iurisdictionem aliquam exercendo, eo ipso per unum annum ab officio sint suspensi. Pars autem, quae id procuraverit, expensas alteri propter hoc factas restituere teneatur. Statuimus insuper, quod nulla ecclesiastica, saecularisve persona, exceptis regibus et reginis quantum ad regna sua, qui sicut dignitatis altitudine præeminent, sic praerogativa gratiae ipsos convenit anteferri, conservatorem habeat, qui sub sua iurisdictione, vel de ipsius dominio et districtu ecclesiastico vel temporali consistat. Si vero aliqui tales habentur, tam ipsi, quam omnes alii conservatores a quibuscumque deputati personis, nisi sint episcopi vel abbates, aut Ecclesiarum cathedralium canonici, sint et habeantur, elapso anno, penitus revocati, ita quod ex tunc de huiusmodi conservatione nullatenus se intromittere valeant, nec ullam super hoc habeant, vel retineant potestatem.

Quinam in conservatores eligendi

Quaenam eorum munia.

Qui vere habere debeant conservatorem.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Laterani decimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die annoque eodem.

XXVIII.

Fratres ordinis Servorum Beatae Mariae, eorumque bona sub Apostolicae Sedis protectione recipiuntur, cum paupertatis voti professione (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Fratres huius ordinis cum bonis omnibus sub tutela Sedis Apost. suscipiuntur. — Eorum regulae robur adiicitur apostolicum. — Votum paupertatis ab ipsis emissum.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus Beatae Mariae de Monte Senario, Servis Sanctae Mariae vulgariter nuncupatis, ordinis Sancti Augustini Florentin. dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Deo grata, et hominibus placita sacra vestra religio nos inducit, ut vos qui, huius mundi abnegatis illecebris, perpetuo cupitis Domino sub regulari observantia famulari, favore prosequamur benevolo, vestrisque petitionibus, in quantum digne possumus, annuamus. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, et locum, in quo divino vacatis obsequio, cum omnibus bonis quae in praesentiarum rationabiliter possidet, seu in futurum praestante Domino iustis modis poterit adipisci, ad instar felicis recordationis Innocentii Papae, praedecessoris nostri, sub beati Petri protectione suscipimus, atque nostra. Ad haec cum quaedam statuta regularia salubria et honesta per vos, ut asseritis, in loco praedicto edita, bonae memoriae A... Florentinus episcopus vobis auctoritate ordinaria concesserit, sub beati Augustini

Exordium

Fratres huius ordinis cum bonis omnibus sub tutela Sedis Apostolicae suscipiuntur.

Eorum regulae robur adiicitur apostolicum.

(1) Ex Regest. Vatic.

credibile, si tunc de plena et integra perceptione veterum fuisset expressum, quod Apostolica Sedes pariter et similiter novalium decimas in tam grave parochialium Ecclesiarum dispendium indulsisset, quodque ratione talis indulti sive impetrari iam, sive impetrandi deinceps, non possit ulterius in novalibus, quae amodo fient, vendicari, acquiri, vel percipi plusquam medietas decimarum ipsorum, etiamsi amplius in veteribus habeatur: cum non sit dicendum asperum, sed pium potius, et benignum si super decimis futurorum novalium, imo parochialium ecclesiarum gravamini, quod ex distensione indulti huiusmodi posset accidere, taliter obvietur: religiosos tamen Cistercien. et Carthusien. ordinum statuto et declaratione huiusmodi, quantum ad hos duos articulos, videlicet de medietate decimarum novalium comprehendi nolumus vel astringi: ubi autem per huiusmodi decimarum concessiones parochiales Ecclesias adeo gravari contingit, quod earum rectores de ipsarum redditibus congrue substentari, et commode iura episcopalia exhibere non possunt, provideatur et ordinetur taliter, quod eisdem rectoribus tantum de illarum relinquatur proventibus, quod exinde competentem substentationem habere, ac episcopalia iura solvere valeant, aliaque debita onera supportare.

Ordines ab hac lege exempti.

Sane quamvis forte a religiosis exemptis et aliis fiant infeudationes de decimis detentis a laicis, et iidem laici, quod illas ab ipsis religiosis in feudum teneant, recognoscant, non tamen licet religiosis eisdem post talem infeudationem vel recognitionem sic de facto praesumptam, huiusmodi decimas de manu laicorum ipsorum acquirere, vel recipere, absque dioecesanorum episcoporum assensu. Illas autem decimas intelligimus posse taliter a religiosis de manu laicorum recipi vel acquiri, quae ante Lateranense concilium ipsis laicis in feudum perpetuo fuere concessae. Caeterum iidem religiosi tam exempti, quam non exempti, de terris et possessionibus acquisitis hactenus, et amodo acquirendis decimas integre persolvant illis Ecclesiis, quibus eaedem possessiones et terrae prius fuerant decimales, nisi super hoc speciali iure vel privilegio sint muniti, nec pro eo quod forte in aliquibus parochiis omnes maiores decimas, seu partem illarum acquirunt de manibus laicorum, possunt pro eadem, vel simili portione, si de novo postmodum fiant novalia in eisdem, petere, vel percipere novalium decimas eorumdem, nisi alia rationabilis, per quam hoc facere valeant, causa subsit.

De infeudationibus laicorum.

Decimae per religiosos solvendae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum constitutionum, prohibitionis et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae

Datum Laterani decimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 23 martii 1256, pontif. anno II.

XXVII.

Quinam conservatores eligi debeant, et quae ab ipsis in eorum officii administratione servanda sint (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Quinam in conservatores eligendi. — Quaenam eorum munia. — Qui vero habere debeant conservatorem. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Quia de conservatoribus, quos plerumque Apostolica Sedes ex consueta benignitate concedit, et ipsorum potestate ac processibus plurima referuntur aequitati et modestiae non amica, circa quae festinum Apostolicae providentiae consilium convenit adhiberi, dignum du-

(1) Ex Regest. Vatic.

ximus super his attenta sollicitudine cogitare, ac ad arcendum pro communi commodo et quiete talium immoderantias et excessus opportuna remedia invenire. Statuimus itaque de fratrum nostrorum consilio, quod deinceps soli episcopi, abbates et canonici cathedralium Ecclesiarum, maxime hi, qui sunt in ipsis Ecclesiis dignitatibus praediti, et nullae aliae personae ecclesiasticae conservatores existant. Quodque ulterius inter aliquos reciproca non interveniat conservatio, nec ulli sibi mutuo praesidium conservationis impendant, ita quod nullus deputati sibi conservatoris esse valeat conservator; et cum huiusmodi conservatores a manifestis solum iniuriis et violentiis eos, ad quorum tuitionem deputati sunt, possint defendere, nec ad alia, quae iudicialem indaginem exigunt, suam valeant extendere potestatem, decernimus, quod si de aliis quam manifestis scienter se intromiserint, potestatem vel iurisdictionem aliquam exercendo, eo ipso per unum annum ab officio sint suspensi. Pars autem, quae id procuraverit, expensas alteri propter hoc factas restituere teneatur. Statuimus insuper, quod nulla ecclesiastica, saecularisve persona, exceptis regibus et reginis quantum ad regna sua, qui sicut dignitatis altitudine præeminent, sic praerogativa gratiae ipsos convenit anteferri, conservatorem habeat, qui sub sua iurisdictione, vel de ipsius dominio et districtu ecclesiastico vel temporali consistat. Si vero aliqui tales habentur, tam ipsi, quam omnes alii conservatores a quibuscumque deputati personis, nisi sint episcopi vel abbates, aut Ecclesiarum cathedralium canonici, sint et habeantur, elapso anno, penitus revocati, ita quod ex tunc de huiusmodi conservatione nullatenus se intromittere valeant, nec ullam super hoc habeant, vel retineant potestatem.

Quinam in conservatores eligendi

Quaenam eorum munia.

Qui vere habere debeant conservatorem.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Laterani decimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die annoque eodem.

XXVIII.

Fratres ordinis Servorum Beatae Mariae, eorumque bona sub Apostolicae Sedis protectione recipiuntur, cum paupertatis voti professione (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Fratres huius ordinis cum bonis omnibus sub tutela Sedis Apost. suscipiuntur. — Eorum regulae robur adiicitur apostolicum. — Votum paupertatis ab ipsis emissum.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori et fratribus Beatae Mariae de Monte Senario, Servis Sanctae Mariae vulgariter nuncupatis, ordinis Sancti Augustini Florentin. dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

Deo grata, et hominibus placita sacra vestra religio nos inducit, ut vos qui, huius mundi abnegatis illecebris, perpetuo cupitis Domino sub regulari observantia famulari, favore prosequamur benevolo, vestrisque petitionibus, in quantum digne possumus, annuamus. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, et locum, in quo divino vacatis obsequio, cum omnibus bonis quae in praesentiarum rationabiliter possidet, seu in futurum praestante Domino iustis modis poterit adipisci, ad instar felicis recordationis Innocentii Papae, praedecessoris nostri, sub beati Petri protectione suscipimus, atque nostra. Ad haec cum quaedam statuta regularia salubria et honesta per vos, ut asseritis, in loco praedicto edita, bonae memoriae A... Florentinus episcopus vobis auctoritate ordinaria concesserit, sub beati Augustini

Fratres huius ordinis cum bonis omnibus sub tutela Sedis Apostolicae suscipiuntur.

Eorum regulae robur adiicitur apostolicum.

(1) Ex Regest. Vatic.

regula perpetuis temporibus observanda; ipsaque bonae memoriae Raynerius Sanctae Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis, tunc in partibus illis legationis fungens, officio confirmavit, prout in litteris inde confectis plenius continetur; nos quod tam a vobis, quam ab ipsis episcopo et cardinale factum est super his provide ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus. Litterarum ipsarum tenorem inseri facientes praesentibus ad cauthelam, qui talis est: In Dei nomine. Amen. Millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, nonis octobris, indictione decima. Feliciter praesenti scriptura clarescat, quod coadunati frater Filiolus prior ecclesiae Sanctae Mariae de Monte Senario, et fratres eiusdem loci, qui Servi Sanctae Mariae vocantur, et infrascripti fratres apud locum eorum situm prope civitatem Florentinam in loco dicto Casagio, scilicet frater Alexius, frater Ricoverus, frater Benignus, frater Vigore, frater Bonaventura, frater Rogerius, frater Ioannes, frater Clemente, frater Bartholus, frater Albertinus, frater Nicolaus, frater Ægidius, frater Cambius, frater Matthæus, frater Bonaventura, frater Ildebrandinus, frater Benedictus, frater Iacobus, et frater Mainetus, omnes et singuli ad honorem Dei omnipotentis, et Domini nostri Iesu Christi Filii eius, et ad honorem sanctae atque intemeratae Dei Genetricis Mariae, omniumque sanctorum et sanctarum Dei, et reverentiam sacrosanctae Romanae Ecclesiae de consensu et parabola, atque licentia praedicti eorum prioris et rectoris, et ipse prior cum consensu et voluntate et licentia, atque parabola praedictorum fratrum, libera et spontanea voluntate, promiserunt et voverunt Deo omnipotenti et Beatae Mariae, quod nullo tempore per se, vel priorem, seu custodem ipsorum, vel fratrem, vel syndicum seu procuratorem, vel quamcumque aliam personam aliqua immobilia quaecumque

Votum paupertatis ab ipsis emissum

fuerint vel sint, possidebunt, vel possidere pro se facient, vel quasi possidere, vel dominium, vel quasi dominium habebunt vel retinebunt per se, vel aliquem alium, quod ad ipsum ordinem pertineat, vel pertinere videatur; sed si forte contigerit, quod aliquis quocumque modo ad eorum capitulum vel collegium, vel ad procuratorem seu syndicum ipsorum, vel ad aliquam aliam personam pro ipsis fratribus voluerit, seu disposuerit aliqua immobilia conferre, seu transferre, quod dominium seu possessionem, vel quasi ad ipsos fratres, ut supra dictum est, vel ad capitulum seu collegium ipsorum, vel ad aliquem eorum pervenire non possit; sed illud tale vel talia, quod vel quae conferentur, sit et sint incontinenti et immediate domini Papae, et Ecclesiae sacrosanctae Romanae; ita tamen, quod dominus episcopus, in cuius episcopatu situm esset vel sita, quod vel quae conferentur omnem habeat et plenam iurisdictionem, et ipsius sint fructus et obventiones omnes in ipsis collatis, et ex eis et de eis possit praedictus episcopus disponere et distribuere, atque facere pro salute et remedio animae conferentis, et eleemosyna facienda circa fratres ordinis praelibati seu conventus, tantummodo necessitatis tempore, prout melius eidem visum fuerit; et contra hanc promissionem et votum nihil fieri possit, vel in eius fraudem, vel privilegium aliquod impetrari, vel aliquas litteras a domino Papa, quod praedicta possit infringere vel immutare, sed per omnia saecula saeculorum observari illibata debeant, et teneri. Et si contra praedicta, vel aliquod praedictorum aliquis de supradictis fratribus, seu aliqui, vel de eis, qui dictam religionem vel fraternitatem aut collegium intraverit, fuerit vel fuerint, quod Dei omnipotentis et Domini nostri Iesu Christi, et Beatae Mariae semper Virginis, et omnium sanctorum et sanctarum Dei maledictionem incurrat, et cum pessimo Iuda Scariotes

suam habeat portionem. Insuper praedictus prior, et fratres omnes et singuli omnia et singula suprascripta promiserunt 'ad invicem facere observare et adimplere, et mihi infrascripto notario recipienti pro dicto capitulo et universitate renunciaverunt in omnibus et singulis supradictis decretalibus et decretis, et omni iuri canonum et legum auxilio, quibus contra praedictam se iuvare possent. Acta sunt haec apud ecclesiam praedictorum fratrum sitam prope civitatem Florentinam in loco dicto Casagio: praesentibus testibus Arigo Baldonii de Anguillaria, et Rugero filio Romei de Antilla, et Rustichino filio Gerardi de populo Sancti Felicis in Plaza, et Bonfantino filio Iacobi de Yse. Ego Manfredus, quondam Gerardi, iudex atque notarius praedictis interfui, ideoque publice scripsi rogatus.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Laterani decimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die annoque eodem.

XXIX.

Unio diversarum congregationum Eremitarum sub denominatione fratrum Eremitarum Sancti Augustini, deque huius ordinis regula ac uniformis habitus delatione.

SUMMARIUM

Procemium.— 1. Unus ex diversis familiis constitutus ordo. — 2. Nuncii pro huiusmodi unione Romam accersiti: — 3. Eorumque votum et petitio. — 4. Unicus eligendus prior generalis. — 6. Baculi et ferulae eisdem sublatae. — 7. Quae omnia a Pontifice confirmantur. — 8. Habitus uniformis. — 9. Caeterae domus huic unioni debeant parere.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Lanfranco generali, provincialibus, et prioribus ac universis fratribus ordinis Eremitarum Sancti Augustini, tam praesentibus quam futuris, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet Ecclesiae catholicae integritatem corporis sui sincera membrorum diversitas subministret, et circumamictus species multiplicibus in ea varietatibus decoretur, nihil tamen in ipsa exprimit contrarietatis in continuum, in qua consensum nutrit inextimabilis concordia charitatis, et individuam fovet universitatis conformitas fideique simplicitas unitatem. Verum circa aedificationis fabricam, quae in Templum sanctum in Domino, operariorum eius studio moliente, succrescit, credimus assidue providendum, ut in varietatibus partium, quae ad decorem structurae dominicae adhibentur, sic appareat distincta diversitas, ut non sit confusio indiscreta, nec alterius forma importuna consimilitudine speciem praetendat alterius, sed singula quaeque certum proprii modi ordinem sortiantur. Procemium

§ 1. Hac sane consideratione commoniti, cum consona in vobis Eremitarum appellatio, et parum diversa professio, disparibus titulis, et in aliquibus dissimili habituum schemate discreparet, cogitavimus sponsae Christi, in cuius veste pia sacrae religionis depinxit institutio, coetus vestri convenire decori, si religiosae militiae vestrae castra, quae sub uno vocabulo non magna disciplinae distantia seceruebat, sub communi capite indifferenti, incorporationis foedere iungerentur, et ex pluribus cuneis acies una consurgeret fortior, ad hostiles spiritualis nequitiae impetus conterendos. Unus ex diversis familiis constitutus ordo.

§ 2. Propterea dudum a nobis mandatum apostolicum emanavit, ut de singulis domibus vestris, quarum quaedam S. Guillelmi, quaedam Sancti Augustini ordinum, nonnullae autem fratris Ioannis Boni, aliquae vero de Fabali, aliae vero de Britinis censebantur, et apud homines ambiguis interdum nuncupationibus vacillabant, duo fratres cum pleno mandato Nuncii pro huiusmodi unione Romam accersiti.

ad nostram mitterentur praesentiam, quod nostra circa vos salubriter ordinaret dispositio recepturi.

Eorumque votum et petitio.

§ 3. Cumque fratres huiusmodi ad Sedem Apostolicam accessissent, coram dilecto filio nostro R. S. Angeli diacono cardinale, quem negotio unionis vestrae perficiendo deputavimus vice nostra, sufficientia ad id exhibuere mandata, et in generali capitulo vestro in Urbe celebriter congregato, nomine omnium, a quibus fuerant destinati, et de communi capituli eiusdem assensu, vos et domos vestras in unam ordinis observantiam, et vivendi formulam uniformem redigi, unumque ex eis ovile fieri, generalis prioris praesidentia gubernandum, unanimiter consenserunt, petentes ut per gratiam unionis et conformitatis huiusmodi, eis iuxta conceptum votum paupertatis spontaneæ, perpetua possessionum terrestrium abdicatio remaneret, et ipsis baculos vel ferulas deferendi imposita necessitas tolleretur, collata in cardinalem eumdem providendi vobis ea vice de generali priore totius ordinis nihilominus potestate.

Unicus eligendus prior generalis.

§ 4. Porro idem cardinalis, nostri auctoritate mandati vivo ad eum sermone directi, necnon et concordi eorumdem fratrum, ac praedicti capituli consensione suffultus, universas domos et congregationes vestras, in unam ordinis Eremitarum Sancti Augustini professionem et regularem observantiam perpetuo counivit, sub generalis cura prioris, canonice instituendi pro tempore, prae aliis provincialibus, necnon et conventibus singularum domorum a prioribus regulariter gubernandas.

§ 5. Et ut novam ovilis dominici unionem universalis capitis unitas consummaret, te, dilecte fili frater Lanfrance, in generalem ordinis eiusdem priorem et patrem, Spiritus Sancti gratia invocata, praefecit, ac etiam prout a nobis specialiter in mandatis acceperat, confirmavit:

Baculi et ferulae eisdem sublatae.

§ 6. Vos universos, et successores vestros a baculis vel ferulis deportandis, et quod non cogamini ad recipiendas possessiones aliquas vel habendas decernens perpetuo liberos et exemptos.

Quae omnia a Pontifice confirmantur.

§ 7. Nos igitur praefati cardinalis processum convenientem cum voluntatis vestrae proposito approbantes, praemissa omnia grata habemus et rata, ipsaque auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Habitus uniformis.

§ 8. Insuper autem, personas et domos vestras, sub beatorum Petri et Pauli protectione suscipientes et nostra, praesentium auctoritate statuimus, ut vos, filii priores et fratres, in professione praedicti ordinis in praefato generali capitulo ordinata (quo quidem ordine vos perpetuo censeri volumus, vobiscum super diversarum professionum aut observationum debito, quas antea feceratis, in praedictis, vel aliis ordinibus dispensantes), sub devota generalis prioris, quem nunc vobis divina ordinatio praetulit, eiusque successorum obedientia perpetuo virtutum Domino servientes, nigris dumtaxat, et nullis aliis alterius coloris cucullis, ut uniformis amictus, normam eiusdem in vobis professionis ostendat, utamini de caetero universi.

Caeterae domus huic unioni debeant parere.

§ 9. Et ut haec sancta unio, quam perpetuae pacis tranquillitate gaudere volumus, omnibus integritatis suae perfecta partibus, stabilis perseveret; decernimus, ut omnes domus ordinum suprascriptorum, quorum fratres, iuxta mandati nostri formam, ad nostram praesentiam non venerunt, ipsi unioni tamquam corpori membra, absque diffugio ullius exceptionis, inhaereant, et ad observationem praedictorum omnium teneantur. Alioquin sententiam, quam tu, dilecte fili prior generalis, et successores tui rite tuleritis in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque adsatis factionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Nulli ergo *etc.*

Datum Lateran. quarto nonas maii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 4 maii 1256, pontif. anno II.

XXX.

Civibus Wormatiensibus conceditur, ut trahi extra civitatem ad iudicium nequeant inviti (1).

SUMMARIUM

Privilegium. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis civibus Wormatiensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolicae Sedis benignitas sincere obsequentium vota fidelium favore benevolo prosequi consuevit, et illorum personas, quas in sua devotione promptas invenit et ferventes, quibusdam titulis decentius decorare.

Ut igitur ex devotione, quam ad nos et Romanam Ecclesiam habere noscimini, sentiatis vobis favorem apostolicum accrevisse, vestris precibus inclinati, quod auctoritate litterarum Sedis Apostolicae, quae de hac indulgentia plenam et expressam de verbo ad verbum non fecerint mentionem, trahi extra civitatem Wormatiensem ad iudicium nequeatis inviti, quamdiu parati fueritis coram vestro ordinario de vobis conquerentibus stare iuri, auctoritate vobis praesentium indulgemus; eadem auctoritate nihilominus decernentes, ut si aliquid contra huiusmodi concessionis nostrae tenorem, a quoquam extiterit propria temeritate praesumptum, sit irritum et inane; et si forte aliquae (2) in vos hac occasione prolatae fuerint, nullum robur obtineant firmitatis, mandato Apost. Sedis semper salvo.

Privilegium

Nulli ergo omnino *etc.*

Clausulae.

Datum Anagniae decimotertio kalendas iunii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 20 maii 1256, pontif. anno II.

(1) In Codicillo Diplomat. ad Chronic. Wormatien. edidit Ludewig., Reliqu. mss., tom. II, pag. 229 (2) Deest aliquid.

XXXI.

Concessio exemptionum archihospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe a talleis et collectis (1).

SUMMARIUM

Exemptionis concessio. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus hospitalis nostri Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, salutem et apostolicam benedictionem.

Ut eo libentius pauperum hospitalis vestri consuetis obsequiis insistatis, quo maiorem ab Apostolica Sede fueritis charitatis intuitu favorem et gratiam consequuti; vobis auctoritate praesentium indulgemus, ut quascumque tallias vel collectas, aut exactiones alias vobis a quibuslibet, vel domibus vobis pleno iure subiectis impositas, vel etiam imponendas in pecunia numerata, vel rebus aliis, nulli teneamini exhibere, absque speciali mandato Sedis eiusdem faciente plenam et expressam de hac indulgentia mentionem: districtius inhibentes, ne quis a vobis vel eisdem domibus tallias huiusmodi, vel collectas seu exactiones extorquere praesumat; ac decernentes etiam excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, si quas in vos, vel aliquem vestrum occasione huiusmodi contra praesentis indulgentiae tenorem promulgari contigerit, irritas et inanes.

Exemptionis concessio.

Nulli ergo omnino *etc.*

Clausulae.

Datum Anagniae idibus iunii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 13 iunii 1256, pontif. anno II.

XXXII.

Confirmatio unionis congreg. ordinis Camaldulen. sub regimine prioris eiusdem eremi (2).

SUMMARIUM

Exordium. — Interdicitur ne eremi Camaldulensi ordini subiecti ab eo distrahantur.

(1) Ex Archiv. Vatic. (2) Ibidem.

— Eidem confirmatur monasterium de Urano. — Omnia monasteria priori Camaldulensi subiiciuntur. — Privilegia nonnulla conceduntur. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori Camaldulen., eiusque fratribus tam praesentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Officii nostri nos admonet et invitat auctoritas pro Ecclesiarum statu satagere, et earum quieti ac tranquillitati salubriter auxiliante Domino providere. Dignum namque, et honestati conveniens esse dignoscitur, ut qui ad earum regimen Domino disponente assumpti sumus, eas et a pravorum hominum incursibus tueamur, et beati Petri atque Apostolicae Sedis patrocinio muniamus. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et felicis memoriae Paschalis, Eugenii, Anastasii, Adriani, Alexandri, Clementis, Innocentii, Gregorii et Innocentii quarti praedecessorum nostrorum, Romanorum Pontificum, vestigiis inhaerentes, praecipimus, et praesentis decreti auctoritate sancimus, ne cuiquam omnino personae clerico, monacho, laico cuiuscumque ordinis aut dignitatis, praesentibus aut futuris temporibus, liceat congregationes illas, et loca illa, quae Camaldulen. eremi, sive coenobii disciplinam et ordinem susceperunt, aut sunt in posterum suscepturae, quaeque hodie sub illius regimine continentur, ab eius ullo modo subiectione et unitate dividere. Quae videlicet loca et congregationes conservandae unitatis gratia singularibus visa sunt vocabulis annotanda: in episcopatu Aretin. Ecclesia videlicet Sancti Donati, quae *etc.* (*Reliqua leguntur infra in constitutione XLIV, pag. 657 huiusce Pontificis, incipien.* Officii nostri *etc.*)

Interdicitur ne eremi Camaldulensi ordini subiecti ab eo distrahantur.

Ad haec felicis recordationis Alexandri et Clementis praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, monasterium de Urano vobis et conventui vestro, salvo iure Ravennatis Ecclesiae, auctoritate apostolica confirmamus. Haec igitur omnia cum omnibus ad ipsa monasteria vel ecclesias pertinentibus statuimus, et Apostolicae Sedis auctoritate sancimus tamquam corpus unum sub uno capite, idest sub priore Camaldulen. eremi, temporibus perpetuis permanere, et illius disciplinae observatione persistere, sub illo inquam priore, qui ab ipsius congregationis abbatibus, prioribus et eremitis regulariter fuerit electus. Porro congregationem ipsam ita sub Apostolicae Sedis tutela perpetuo confovendam, decernimus, ut nulli episcoporum facultas sit Ecclesiis, quae a vestrae congregationis fratribus gubernantur, divinum officium interdicere, vel aliquam ex iis ecclesiis seu monasteriis, absque prioris conniventia vel Apostolicae Sedis licentia, excommunicare. Fratribus autem ipsis licentia sit a quo maluerint catholico episcopo consecrationum et ordinationum sacramenta suscipere. Praeterea in communi civitatis seu parochiae, officio interdicto, clausis ianuis, et non admissis dioecesanis Ecclesiarum vestrarum, monachi nequaquam prohibeantur divina officia celebrare. Hoc etiam adiicientes, ut nemini fratrum vestrae congregationis post factam professionem, absque prioris et rationabili fratrum licentia, sit egrediendi facultas. Si vero exire praesumpserit, et secundo, tertiove commonitus redire contempserit, quousque congrue satisfecerit, ipsum excommunicationis sententiae subiugamus. Quicumque vero pro obsequio servorum Dei in eremo Camaldulen. degentium ad aliquas partes porrexerint tam in eundo, quam redeundo a nullo penitus molestentur. Statuimus insuper, ut decimas laborum vestrorum nullus a vobis exigere, vel extorquere praesumat, sed distribuendi eas hospitalibus vestris in usus pauperum, secundum antiquam consuetudinem vestram, liberam habeatis auctoritate apostolica facultatem. Indulgemus etiam vobis

Eidem confirmatur monasterium de Urano.

Omnia monasteria priori Camaldulensi subiiciuntur.

Privilegia nonnulla conceduntur.

ut in conventus vestri praelatis instituendis et amovendis, sicut hactenus dicitur, ab antecessoribus vestris obtentum, liceat et vobis, sine contradictione qualibet, observare. Libertates praeterea et immunitates, necnon antiquas et rationabiles consuetudines monasteriis vestris concessas et hactenus observatas ratas habemus, et eas futuris temporibus illibatas manere sancimus.

Clausulae. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefata monasteria seu Ecclesias temere perturbare, aut earum possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, aut quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur eorum, pro quorum gubernatione et substentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissmo Corpore et Sanguine Dei ac Domini Redemptoris Nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Datum Anagniae per manum magistri Iordani domini Papae subdiaconi et notarii, decimo septimo kalendas iulii, indictione decimaquarta, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, pontificatus vero D. Alexandri Papae quarti anno secundo.

Dat. die 15 iunii 1256, pontif. anno II.

XXXIII.

Prohibitio eligendi vel nominandi Conradum natum quondam Conradi filii Friderici olim imperatoris, in regem Romanorum.

SUMMARIUM

Exordium a communione boni malique Ecclesiae Moguntinae cum Romana petitum. — 1. Quanto adhibenda diligentia in electione regis Romanorum. — Qui sit caeteris praeferendus. — 2. Damna Ecclesiae a Friderico, eiusque affinibus illata commemorat. — 3. Quare excludendus Conradus eius nepos. — 4. Imo, quominus eligatur, prohibetur. — 5. Poenae contra mandato huic pontificio inobedientes.

Alexander episcopus servus servorum Dei, ven. fratri archiepiscopo Moguntino, salutem et apostolicam benedictionem.

Firma profecto consistit domus, quae solidis est fulcita columnis, et Ecclesia tunc multo stabilitur robore, cum praelatorum virtute ac constantia communitur; inter quos quia honore ac potentia eminere dignosceris, conveniens est et debitum, ut favorabilius et vehementius eidem assistas Ecclesiae, ac a te ipsa in opportunitatibus praesidia sentiat potiora. Quia si eius augetur status et optatis proficit incrementis, una tu cum ea suorum profectuum participatione concrescis. Et si, quod absit, aliquibus molestaretur adversis, et sinistris pungeretur eventibus, suae te molestiae minime praeterirent, sed simul cum ipsa gustares suarum amaritudinem punctionum. Imo sicut locum in ea obtines magis conspicuum et excelsum, sic plus te laetificaret prosperitas, et tribulatio conturbaret; nec ipsa quae plurimum in tuis congaudet commodis, de tuis posset adversitatibus graviter non dolere. Quanto autem affectu te ad alios Alemaniae praelatos Romana semper prosecuta fuerit Ecclesia, quantisque circa vos et ipsas Ecclesias studuerit assidue magnificare ac praeservare favoribus, clare liquet: cum numquam in

Exordium a communione boni malique Ecclesiae Moguntinae cum Romana petitum.

beneficiis et gratiis circa vos ipsas Ecclesias defecerit suae irriguum largitatis, nec usquam vobis in necessitatibus, ipsius defuerint auxilia; quae vestri tamquam proprii zelatrix honoris, indefesse curavit, quoties oportuit vestris adesse negotiis, sicut promotrix sollicita et adiutrix per omnia studiosa. Nec immerito, cum in suis agendis vos inter caeteros cooperatores promptos repererit et praecipuos senserit adiutores. Propter quod decet et expedit, ut attente pro ipsius vigiletis honore, quae vestris diligenter intendere utilitatibus non desistit.

Quanto adhibenda diligentia in electione regis Romanorum.

§ 1. Sane intelleximus, quod instat tempus electionis celebrandae de rege in imperatorem postmodum promovendo: super quo tanto propensior adhibenda est diligentia et cautela, quanto altius et difficilius est negotium, quod geritur in hac parte, quantoque res, si aliqua in ea interveniret negligentia, seu improvidentia vel desidia, deteriorem posset habere effectum et exitum noxiorem. Unde hic vehementer vigilandum est, hic perspicaciter intuendum, hic considerandum prudenter, hic mature deliberandum, hic provide praecavendum, hic aperiendi sunt oculi, hic habendae sunt aures intentae, hic mens debet esse non rudis et torpida, sed diligens, pervigil et consulta, ubi de advocato Ecclesiae agitur, de ipsius defensore tractatur, ne pro advocato impugnator, et pro defensore assumatur vel eligatur offensor. Quare undique summae cogitationis praeferenda est acies et circumquaque districta explorandum indagine, ut talis (cooperante Domino) reperiatur et eligatur, qui fidelis et devotus existat, et de prosapia processerit devotorum, ac idoneus et sufficiens merito reputetur ad obtinendum tanti honoris culmen et imperii regimen exercendum.

Qui sit caeteris praeferendus.

Damna Ecclesiae a Friderico, eiusque affinibus illata commemorat.

§ 2. Qualiter autem quondam Fridericus olim Romanorum imperator, et sui progenitores et posteri erga matrem Ecclesiam se gesserint, et qualem ei retributionem pro beneficiis ab ipsa perceptis impenderint, patens est et cognitum toti orbi. Quoniam hi aliorum persecutorum excedentes tyrannidem, gravioribus eam affecerunt iniuriis, et oppressionibus durioribus afflixerunt, et velut in caedem et exterminium eius tendentes, furoris arcum et feritatis gladium acuentes, diris illam ubilibet tribulavere flagellis, et usque ad interiora, profundis illatis vulneribus, sauciarunt. Nam in hoc pravo genere, patrum in filios cum sanguine derivata malitia, sicut carnis propagatione, sic imitatione operum nati genitoribus successerunt. Ex quo liquido perpendi potest et coniici, si ex ipso aliquae posteritatis reliquiae remanserunt, quid sperandum sit in futurum de illis, quid in posterum expectandum. Vita namque ac gesta praedecessorum perversa, iniquitatem praenunciant successoris. Nec horribilis et scelesta illorum memoria, quidquam boni de ipsorum posteritate credere vel sperare permittit. De colubro quidem egreditur regulus et arbor mala noxios fructus profert, pravumque principium numquam bonum pollicetur effectum.

Quare excludendus Conradus eius nepos.

§ 3. Et ideo de Conrado puero, nato quondam Conradi, praedicti Friderici filii, est praecavendum omnino, ne ullo modo intendatur ad eum, nec nominetur ad hoc, nec aliquatenus eligatur: maxime cum propter infantiam, nimiumque defectum aetatis sit ad ista prorsus inhabilis ac ineligibilis penitus puer ipse, nec ius, quod ex electione provenire vel consurgere consuevit, sibi posset competere, nec in sua cadere vel retineri persona; cum propter puerilem aetatem, quae discretione caret, et legitimum consensum vel dissensum non habet, electioni, si de ipso fieret, consentire non posset, nec ipsius consensus aliquam haberet efficaciam vel vigorem. Et ex eo etiam idem puer in regem eligi vel nominari non debet, quia cum per electionem huiusmodi de advocato vel defensore idoneo debeat Ecclesiae provideri, et ipse

puer sit omnino ineptus et inutilis ad talis defensionis officium seu ministerium exequendum, oporteret eamdem Ecclesiam, si contingeret eligi dictum puerum, manere diutius, non absque gravibus forte dispendiis, defensionis commodo destitutam. Nec per hoc etiam consuleretur amplo et spacioso regno Theutonico de rege, vel rectore condigno, cum male possit alios regere, qui non novit gubernare seipsum; nec bene, vel digne aliorum gubernaculo præesse valeat, qui regimine ducitur alieno, et cui, propter tot patentes defectus, necessaria est alterius custodia et tutela. Propter quod regnum ipsum, longo tempore, non sine multo discrimine, sub opportuni regiminis expectatione langueret.

Imo, quominus eligatur, prohibetur.

§ 4. Ideoque fraternitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, ac per apostolica tibi scripta in virtute sanctae obedientiae, sub debito fidelitatis, quo nobis, et Ecclesiae Romanae teneris, ac sub poena excommunicationis, quam ex nunc in te proferimus, districte praecipiendo mandamus, quatenus praefatum Conradum puerum nullatenus in regem eligas, nec nomines, neque consentias in eumdem. Ita quod excommunicatus existas, si contra mandatum nostrum facere, vel venire praesumpseris, et eumdem Conradum nominaveris vel elegeris, aut in ipsum consenseris, seu opem, vel operam, consilium, auxilium, vel favorem, ut eligatur, impenderis, et etiam si eius electionem non impediveris toto posse, ut si forte ad ipsius electionem vel nominationem processeris, scias te prius excommunicatione ligatum. Alii vero coelectoribus tuis, tam ecclesiasticis quam saecularibus, auctoritate nostra firmiter inhibeas, ne ipsum ad hoc nominent vel eligant, nec in eum consentiant, promulgando, eadem auctoritate, in eos excommunicationis sententiam, si contra hanc tuam inhibitionem venire tentaverint, imo nostram: ita quod si eum nominare vel eligere, aut in ipsum consentire praesumpserint, noscant se prius excommunicationis vinculo innodatos, ut ex hoc ipso (si de praedicto puero quicquam in hac parte attentatum fuerit) sit prorsus vacuum, irritum et inane.

Poenae contra mandato huic pontificio inobedientes.

§ 5. Mandatum itaque, ac praeceptum super hoc apostolicum sic fideliter, sapienter et efficaciter adimplere studeas, omnem opem et operam adhibeas, ut aliquis fide clarus et devotione sincerus, cui ad id suffragentur merita, eligatur, quod ex iis nos et Romanam Ecclesiam tibi, et Ecclesiae tuae arctius obliges, nosque laetari possimus, id quod in hoc intendimus, tuo solerti studio salubriter provenisse. Ad haec nihilominus in omnes electores, qui memoratum puerum ad hoc nominare, vel eligere, seu in ipsum consentire, aut opem, vel operam, consilium, auxilium, vel favorem, ut eligatur, dare praesumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus. Quam per te, antequam ad nominationem vel electionem aliquam procedatur, reliquis tuis coelectoribus praecipimus nunciari. Quod si non feceris, eo ipso te noveris laqueo excommunicationis adstrictum.

Datum Anagniae decimo quinto kalendas augusti, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 18 iulii 1256, pontif. anno II.

XXXIV.

Priores et fratres Eremitae ordinis Sancti Willelmi recipiuntur sub protectione Sedis Apostolicae, cum nonnullarum gratiarum elargitione (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Ordinem sub protectione suscipit S. A.: — Eiusque eremis bona omnia confirmat. — Nonnulla privilegia concedit, nonnullasque exemptiones. — Nonnulla observanda praescribit. — Alia privilegia. — In spiritualibus subiicit episcopo. — Alia privilegia. — De prioris generalis

(1) Ex Regest. Vatic.

electione. — Loci consulit indemnitati, concessasque confirmat libertates. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori generali, caeterisque prioribus, et fratribus Heremitis Sancti Willelmi, tam praesentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse praesidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacrae religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et eremos vestras in quibus divino vacatis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo eremiticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam, atque institutionem fratrum Sancti Willelmi in eremis ipsis institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona praedictae eremi in praesentiarum iuste et canonice possident, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterunt adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: loca ipsa, in quibus praefatae eremi sitae sunt cum omnibus pertinentiis: videlicet, cum ecclesiis, decimis, ortis, olivetis, pratis, terris, nemoribus, usuagiis et pascuis, in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, quae propriis manibus, aut sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos et absolutos e saeculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eremis vestris professionem, fas sit sine prioris sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eisdem locis discedere; discedentem absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere: quod si quis forte retinere praesumpserit, licitum vobis sit, in ipsos fratres regularem sententiam promulgare: illud districtius inhibentes, ne terras, seu quodlibet beneficium eremis vestris collatum, liceat alicui personaliter dari, seu alio modo alienari absque consensu totius capituli, vel maioris, aut sanioris partis ipsius; si quae vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est factae fuerint, eas irritas esse censemus. Ad haec etiam inhibemus, ne quis frater sub professione eremi vestrae astrictus, sine consensu et licentia prioris et maioris ac sanioris partis capituli vestri pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat ultra summam vestri capituli providentia constitutam, nisi propter manifestam domorum vestrarum utilitatem: quod si quis forte facere praesumpserit, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere. Licitum praeterea sit vobis in causis propriis, sive civilem sive criminalem contineant quaestionem, fratrum vestrorum testimoniis uti, ne pro defectu testium ius vestrum in aliquo valeat deperire. Insuper auctoritate apostolica inhibemus ne ullus episcopus vel quaelibet alia persona ad synodos vel conventus forenses vos ire, vel iudicio saeculari de vestra propria substantia vel possessionibus vestris subiacere compellat: nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, causas tractandi, vel conventus aliquos publicos convocandi venire praesumat, nec regularem prioris vestri electionem impediat, aut de

Ordinem sub protectione suscipit S. A.

Eiusque eremis bona omnia confirmat

Nonnulla privilegia concedit, nonnullasque exemptiones

Nonnulla observanda praescribit.

Alia privilegia.

instituendo, vel removendo, qui pro tempore fuerit, contra statuta ordinis vestri se aliquatenus intromittat. Crisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes fratrum, qui ad ordines fuerint promovendi, a dioecesanis suscipietis episcopis, siquidem catholici fuerint, et gratiam et communionem sacrosanctae Romanae Sedis habuerint, et ea vobis voluerint sine pravitate aliqua exhibere; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatis impendat. Prohibemus insuper, ut infra fines parochiarum vestrarum nullus, sine assensu dioecesanorum episcoporum et vestro, capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Romanorum Pontificum. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis nihilominus in vestris eremitoriis, exclusis excommunicatis et interdictis, divina officia celebrare. Porro si episcopi, vel alii Ecclesiarum rectores in domibus vestris, vel personas inibi constitutas suspensionis, excommunicationis, vel interdicti sententias promulgaverint, vel in mercenarios vestros, pro eo quod decimas, sicut dictum est, non persolvitis, sine aliqua occasione eorum, quae ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo, quod aliqua vobis beneficia, vel obsequia ex charitate praestiterint, vel ad laborandum adiuverint in illis diebus, in quibus vos laboratis et alii ferientur, eamdem sententiam protulerint, ipsam, tamquam contra Apostolicae Sedis indulta prolatam, decernimus irritandam. Ad haec novas, et indebitas exactiones ab archiepiscopis et episcopis, archidiaconis seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis, saecularibusve personis a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque in Ecclesiis vestris liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas praeterea, et possessiones ad ius Ecclesiarum vestrarum spectantes, quae a laicis detinentur, redimendi, et legitime liberandi de manibus eorum, et ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero generali priore, vel suorum quolibet successorum, nullus ibidem qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum maior pars consilii sanioris, secundum Deum et beati Benedicti regulam et institutionem fratrum Sancti Guillelmi, providerint eligendum. Paci quoque et tranquillitati vestrae paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum vestrorum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Praeterea omnes libertates et immunitates a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus locis vestris concessas, necnon libertates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatas domos temere perturbare, aut earum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur eorum, pro quorum gubernatione et substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate, et in Ecclesiis parochialibus dioecesanorum episcoporum canonica iustitia, ac in decimis moderatione concilii generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae consti-

In spiritualibus subiicit episcopo. *Alia privilegia.* *De prioris generalis electione.* *Loci consulit indemnitati, concessasque confirmat libertates.* *Clausulae.*

tutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eisdem locis sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen.

Datum Anagniae, per manum magistri Rolandi sanctae Romanae Ecclesiae vicecancellarii, quinto kalendas septembris, indictione decimaquarta, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, pontificatus domini Alexandri Papae quarti anno secundo.

Dat. die 28 augusti 1256, pontif. anno II.

XXXV.

Damnatio libri, De Periculis novissimorum temporum *nuncupati, nonnulla impia, scandalosa et execrabilia continentis.*

SUMMARIUM

Romani Pontificis quo maior potestas, eo maior sollicitudo: — Quoniam omnibus debet Ecclesiis et christifidelibus præesse: — 1. Multaque negocia ad eum deferuntur examinanda. — 2. Daemonis calliditatem exponit zizania semper seminantis. — 4. Librum Guillelmi a S. Amore perniciosum examini se supposuisse ait. — 5. Errores in eo quales. — 6. Damnatur: — 7. Eiusque defensores excommunicantur.

Alexander episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex de summi apostolatus specula urbi et orbi debita servitute prospiciens, cuius occupatur innumeris, et cogitationibus rapitur infinitis, quia eminentior caeteris Sedes eius sollicitudines sibi vehementiores accumulat, et ipsius auctoritas potior, meditationes ei multiplicat ampliores. Quo enim altius praesidet, eo longius latiusque circumspicit, et quanto plus potest officio, tanto maioris vigilantiae sibi sarcina incumbente plus pensat; quoniam maximae dignitati potissima sollicitudo cohaeret, et altiorem honorem onus gravius comitatur, curaque profusior ardentioribus stimulis mentem urget. Unde cum aliis plebium fidelium pastoribus, quibus grex dominicus particulariter est commissus, immineat de suarum Ecclesiarum eminentia vigilanter ad suas oves attendere, incumbit utique Romano Praesuli, cui est grex ipse generaliter creditus, de sublimi Ecclesiarum vertice, Sede scilicet Apostolica, propensius ad illum et instanter intueri; quia cum hi suis limitatis populis praesint, singuli quidem singulis, hic sine distinctione praelatus est Pontifex universis, dominicae quidem vineæ custos generalis et cultor, et totius ovilis catholici, pastorumque omnium Summus Pastor: incumbente namque sibi generali sollicitudine super omnes, cum ex hoc suae mentis intuitum per cuncta diffundere teneatur, stupet nimirum ipsius animus, et sub tam gravis et difficilis curae pondere contremiscit, quod posse sufferre, ut convenit, ius naturae occiduae vix confidit.

Romani Pontificis quo maior potestas eo maior sollicitudo: Quoniam omnibus debet Ecclesiis et christifidelibus præesse:

§ 1. Ad eum namque negotia undique confluunt, perveniunt lites, dubia deferuntur et destinantur implicita et perplexa, nec umquam horam influens torrens cessat, nec huius alti pelagi validae et infestae procellae quiescunt; sed his, quae nunc imminent, expeditis, mox alia subsequuntur. Nec tot implexarum quaestionum nodi decisione apostolica solvi possunt, quin et aliae irretitae et nodosae superveniant, deliberatione matura et consulta definitione solvendae. Immo ex quo de instantibus, difficilibus et obscu-

Multaque negocia ad eum deferuntur examinanda

ris dubietatis caliginem verbo suae declarationis amoverit, statim nova, et recentia turbulenta ingruunt apostolico dilucidanda oraculo, et ambiguis ac incertis mentibus clarae dissertionis lumine reserenanda. Propterea inest Romano Antistiti sollicitudo sine ocio, labor sine quiete, occupatio sine vacatione, exercitium sine tranquillo (1), ingens et sedula meditatio et vigilia sine somno, nec ad modicum etiam cura quotidiana intermissionem habet, instantia, quae nec omittitur aliquo tempore, nec aliquod ipsa tempus omittit, urget continue, quia cogitandi materia semper adest, haec successu temporis desinit, sed cum illius diuturnitate perdurat, quia nec decursu temporum deficiunt negotia, sed assidue illis succedentibus renascuntur.

§ 2. Nam, et hostis antiquus, argutus quidem insidiator, callidusque deceptor animarum, vehementis et ardentis sollicitudinis causam praebet; humanae quippe pacis aemulus, fraternae invidus caritatis, divinorum abactor, dissipator unionum, et tranquilli status fidelium anxius persecutor, interserit odia, rancores ingerit, livores accendit, movet lites, iurgia suscitat, contentiones irritat, parat seditiones et dissensiones procurat, et illorum etiam, qui perfectiores et firmiores esse creduntur, interdum corda subvertit, et ibi magis impietatis suae machinas erigere, ac nequitiae faces accendere nititur, ubi fore plus aestimat malignitatis suae conamina obfutura. Iacit iniquus laqueos, pedicas obiicit, ponit tendiculas, ut prudentiores etiam intercipiat et captivet. Hinc turbationes oriuntur, surgunt inimicitiae, dissidia prodeunt, et scandala generantur; unde sic iam saeculum declinavit ad malum, quod excrescentibus et invalescentibus hinc eo noxiis, quasi vix locus in ipso salutaris invenitur, et exclusa fere inde concordia, quasi stabilem ibi habeat discordia mansionem. Quare oportet cura incessabili vigilare, ut

Daemonis calliditatem exponit zizania semper seminantis.

(1) Legendum forsan *tranquillitate*.

detorta et corrupta per malitiam, bonitatis virtute ratificentur et reformentur; divulsa per odium charitate ligentur, et commota sistant et pausent; habeant turbata tranquillum, et status fidelium semper in melius roboretur.

§ 3. Sane quidam Scripturae sacrae intelligentiam se habere fatentes, sed divertentes a tramite recti sensus, cogitaverunt nuper malitiam, et contra innocentes et rectos iniquitatem maximam sunt locuti: exarserunt in cordibus suis, et in lingua eorum maliloqua, dolum et nequitia concinnavit: surgentes adversus fratres detraxerunt, et contra dilectos matris Ecclesiae filios scandalum posuere.

§ 4. Prodiere, inquam, et in prava commenta ex nimio calore animi proruperunt, libellum quemdam valde perniciosum et detestabilem temere componentes, libellum quidem non rationabilem, sed reprobabilem; non veritatis, sed mendacii; non eruditionis, sed derogationis; non monentem, sed mordentem; non instruentem veraciter, sed fallentem. Quem nos ad Sedem delatum Apostolicam, venerabili fratri episcopo Tusculano, et dilectis filiis nostris Innoc. tit. S. Laurentii in Lucina, et Honor. tit. S. Sabinae presbyteris, et Innoc. S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconis card. examinandum commisimus, ut plene ipsum inspicerent, et universa contenta in eo perfecte attenderent et discuterent diligenter.

Librum Guillelmi a S. Amore perniciosum examini se supposuisse ait.

§ 5. Quo studiose perlecto, et mature et districte examinato, nobisque de hoc plenaria facta relatione ab eis, quod in ipso quaedam perversa et reproba contra potestatem et auctoritatem Romani Pont. et coepiscoporum suorum, et nonnulla contra illos, qui propter Deum sub arctissima paupertate mendicant, mundum cum suis opibus voluntaria inopia superantes; alia vero contra eos, qui salutem animarum zelantes ardenter, et sacris studiis procurantes, multos in Ecclesia Dei operantur spirituales profectus, et magnum faciunt ibi fructum; quaedam

Errores in eo quales.

autem contra salutarem pauperum, seu mendicantium religiosorum statum, sicut sunt dilecti filii fratres Praedicatores et Minores, qui vigore spiritus, saeculo cum suis divitiis derelicto, ad solam coelestem patriam tota intentione suspirant; necnon et alia plura inconvenientia, digna utique confutatione ac confusione perpetua, manifeste comperimus contineri. Quodque etiam idem libellus magni scandali foeminarum, et multae turbationis materia existebat, et inducebat etiam dispendium animarum, cum retraheret a devotione solita, et consueta eleemosynarum largitione, ac a conversatione et religionis ingressu fideles.

Damnatur: § 6. Nos libellum eumdem qui sic incipit: *Ecce videntes clamabunt foris*, quique secundum ipsius titulum, *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum* nuncupatur, tamquam iniquum, scelestum et execrabilem, et institutiones ac documenta in eo tradita, utpote prava, falsa et nefaria, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica, duximus reprobanda, et in perpetuum condemnanda, districte praecipientes, ut quicumque libellum ipsum habuerit, eum infra octo dies, ex quo huiusmodi nostram reprobationem et condemnationem sciverit, prorsus in toto et in qualibet sui parte comburere, et omnino abolere procuret.

Eiusque defensores excommunicantur. § 7. Et in illos, qui huiusmodi nostri praecepti fuerint contemptores, excommunicationis sententiam promulgamus, in virtute obedientiae prohibendo, ne quisquam praedictum libellum ore apostolico iam damnatum, approbare vel quomodolibet defensare praesumat. Et si quis praesumpserit, tamquam contumax, inobediens et rebellis Romanae Ecclesiae ab omnibus fidelibus habeatur. Et nos nihilominus alias contra eum taliter procedemus, quod poena condigna temerarium feriet, et alii ea perterriti, a similibus fraenabuntur.

Nulli ergo omnino hominum *etc.* Si quis autem hoc attentare *etc.*

Datum Anagniae tertio nonas octobris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 5 octobris 1256, pontif. anno II.

XXXVI.

Inquisitorum haereticae pravitatis facultas procedendi, etiam irrequisitis dioecesanis, contra haereticos iudicialiter confessos et obstinatos.

SUMMARIUM

Statutum antea ut Inquisitores in iudicio haereticorum consulere deberent ordinarios. — 1. Excipitur casus publici haeretici.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Praedicatorum inquisitoribus haereticae pravitatis in provincia Lombardiae, et Marchiae Ianuensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Statutum antea ut Inquisitores in iudicio haereticorum consulere deberent ordinarios. Ad capiendum vulpeculas, quae vineam Domini satagunt demoliri, totis affectibus intendentes, inquisitionis negotium contra respersos haeretica pravitate in provincia Lombardiae et Marchiae Ianuensi, vobis sub ea forma duximus committendum, ut cum aliqui de partibus illis fuerint haeretici iudicandi, ad id de consilio dioecesanorum locorum vel vicariorum suorum, si forte iidem vicarii, dioecesanis ipsis absentibus, praesentes fuerint, procedatis.

Excipitur casus publici haeretici. § 1. Ut autem in commisso vobis inquisitionis huiusmodi negotio liberius procedere valeatis, procedendi iuxta traditam vobis formam, dioecesanis etiam et vicariis praedictis irrequisitis, contra illos, qui publice pravitatem huiusmodi confessi fuerint in iudicio coram vobis, et sua obstinata malitia ab errore non poterunt revocari, vobis et singulis vestrum plenam et liberam concedimus auctoritate praesentium potestatem.

Datum Lateran. tertio idus ianuarii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 11 ianuarii 1257, pontific. anno III.

XXXVII.

Erectio sedis episcopalis in civitate Aquilae (1).

SUMMARIUM

Terrae Aquilae encomium. — Causae episcopalis dignitatis ei concedendae. — Terram eamdem in civitatem erigit: — Eidem episcopali dignitate concessa.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Communi Aquilan. fidelibus nostris in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Terrae Aquilae encomium. Purae fidei claritate conspicua terra vestra, et lucidis in se ac magnificis proficit actibus, et aliis civitatibus regni Siciliae, spectabili sectandae probitatis exemplo, libertatis amplectendae profectum manifeste propinat; propter quod terrra eadem, quae a moenium fundatione suorum gestorum nobili ingenuitate conspicitur, sic apud proximos et remotos multipliciter redditur suorum processuum strenuitate laudabilis, et pene nos et Apostolicam Sedem praecipuis attollenda favoribus, et gratiis potioribus honoranda, quod non solum per singulas eiusdem regni urbes clarae resonat suae praeconium bonitatis, sed et longius tuba intonat laudis eius, suaque remotius acta volantis famae diffusione notescunt; et nos, dictaque Sedes totis affectibus ducimur, ut congruis eam sublimemus honoribus et condignis gratiis exaltemus.

Causae episcopalis dignitatis ei concedendae. Attendentes igitur sincerae devotionis constantiam, et indeficientis fidei firmitatem, quibus terra eadem erga Romanam Ecclesiam pollere dignoscitur, ac volentes ex hoc affectus nostri plenitudinem, quem habemus ad illam ostendere per effectum. Pensantes etiam, quod omnes fere habitatores Furconis et Amiterni, videlicet ab Urno Putrido, et Beffi, ac Rivo Gambarario usque Cornu et Montem Rigalem incolatum suum ad praedictam terram transtulisse dicuntur: Considerantes insuper, quod vos tamquam orthodoxae cultores et amatores fidei ecclesiam sanctorum Maximi et Georgii de Aquila, quam de novo construitis, et quam cum instantia petitis in cathedralem auctoritate apostolica erigi, bonis vestris temporalibus, secundum facultates vestras, iam laudabiliter dotare coepisits, unum molendinum et dimidium, et duo alia sedilia pro construendis duobus aliis molendinis liberaliter concedendo, prout in instrumento publico confecto exinde plenius perspeximus contineri; vestris supplicationibus inclinati, praedictam terram Aquilae, quam sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, de fratrum nostrorum consilio, et plenitudine potestatis statuimus esse de caetero civitatem, episcopalem dignitatem concedentes eidem; ac Furconensem sedem cum omnibus suis iuribus, dignitatibus et honoribus, praesertim cum ad id venerabilis fratris nostri Berardi episcopi, et dilectorum filiorum magistri Angeli cappellani nostri archipresbyteri, et capituli quondam Furconen. vota concurrant, ad praedictam ecclesiam Sanctorum Maximi et Georgii de Aquila, quam deinceps cathedralem esse decernimus, transferentes, constituendo, ut de caetero loci praesul non Furconen., sed Aquilen. episcopus nominetur.

Terram eamdem in civitatem erigit: — Eidem episcopali dignitate concessa. (marginal notes)

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum protectionis, constitutionis, concessionis et translationis infringere *etc.*

Datum Laterani per manum magistri Rolandi sanctae Romanae Ecclesiae vice cancellarii decimo kalendas martii, indictione decimaquinta, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, pontificatus vero domini Alexandri Papae quarti anno tertio.

Dat. die 20 februarii 1257, pontif. anno III.

(1) Ex Regest. Vatic.

XXXVIII.

Litterae cruciatae contra Boleslaum Calvum Legnicensem ducem (1).

SUMMARIUM

Episcopus Wratislavien. a Boleslao captus, et carceri mancipatus. — Monitus a PP. dux de eo libertati restituendo: — Monita spernens, ab archiep. Gnesnen. excommunicatur. — Censuris contemptis, peiora patrat. — Quam de hac re suscipere debeat Alexander cura. — Monendus itaque de cruciata contra ipsum inducenda. — Indulgentiae crucesignatis concessae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Magdeburgensi et Gnesnensi archiepiscopis, eorumque suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem.

Episcopus Wratislavien. a Boleslao captus et carceri mancipatus.

Non absque multa cordis amaritudine iamdudum accepimus, quod venerabili fratre nostro episcopo Wratislaviensi, ad villam Gorka suae dioecesis, ubi quondam ecclesiam erat consecraturus, divertente, nobilis vir dux Slesiae, associatis sibi quibusdam iniquitatis filiis, eumdem episcopum, praepositum et Herardum presbyterum canonicum Wratislavienses, capere usu sacrilego non expavit, episcopum ipsum ad quoddam castrum suum, reverentia pontificali postposita, fere nudum abducens, degustaturum ibidem angustias carcerales. Propter quod de ipsius ducis, prout ad nostrum spectat officium, salute solliciti, per venerabiles fratres nostros archiepiscopum Gnesnensem, necnon Cracoviensem et Wratislaviensem episcopos moneri eum mandavimus, ut ipsum, ac etiam alios cum eo captos, absque difficultate aliqua, pristinae restituens libertati, eos libere abire permitteret, et de ablatis rebus et irrogatis iniuriis ipsi episcopo, et Ecclesiae restitutionem et satisfactionem plenariam impensurus. Verum eodem duce tam salutaria parvipendendo monita, ac eligente in suo scelere perire potius, quam parere, praefati archiepiscopus et episcopi, prout a nobis in mandatis acceperant, ipsum et omnes eius in hac iniquitate consiliarios et fautores excommunicatos facientes publice nunciari, supposuerunt terram ipsius, necnon et locum, ad quem ipsum declinare contingeret, quamdiu ibi esset, ecclesiastico interdicto: spe tam eis, quam nobis per hoc apposita, quod ipse sic percussus, dolens ad percutientem se cum devotione recurreret, congrua culpae suae requirendo remedia, praesertim cum salubrem nonnunquam sibi doloris immensitas inveniat medicinam.

Monitus a PP. dux de eo libertati restituendo:

Monita spernens, ab archiep. Gnesnen. excommunicatur.

Censuris contemptis, peiora patrat.

Porro idem dux malleum Ecclesiae, velut stipulam reputans, adhuc in sua perseverat obfirmatus malitia, omnino contempta Ecclesiae disciplina; et quod ad cumulum suae damnationis magis accedit, eos nunc validioribus, quam prius, afficit poenis et tormentis: pedes enim ipsius episcopi, qui calceati esse debent in Evangelium pacis, ferreis nexibus alligantur: et qui gregem suum sacrae praedicationis ubere deberet reficere nunc in diri carceris ergastulo detinetur, interdicto sibi cappellani sui suffragio, cui in confessione conscientiam pandere valeat, et cum quo possit interdum saltem missarum officia celebrare. Equidem cum eo et nos talis iniuria vulnerat, et non levem nobis impressura moestitiam, ad procedendum contra ducem ipsum acrius nos invitat. Nam verisimilitudo non tolerat, ut patiente tanto Ecclesiae membro, caput non langueat, aut expers doloris existat. Si ergo commissum est nobis, licet indignis, et curam gregis dominici sollicitam gerere, et medelam sauciatis vulneribus adhibere, quomodo ducem ipsum per mortales campos, per iter mortis ultra patiemur discurrere, quin ipsum ad pascua salutis reducamus? Cumque infirmus salutaria respuat, quaerat noxia, et plerumque desideriis contrariis urgeatur: quomodo ducem ipsum, tamquam laborantem frenesi, impiae relinquemus voluntatis arbitrio, quin ipsi quantumque

(1) Ex Dogloss., Hist. Polon., tom. I, lib. 7.

Quam de hac re suscipere debeat Alexander curam.

invito amara salutis propinemus? ut id ad curam sanus fuisse cognoscat, quod infirmus non poterat praesentire. Sane postquam idem obstinatus spiritualem medicinam respuit, postquam Petri gladium, prout congruit, non attendit; quid superest, nisi ut extrahatur materialis gladius contra ipsum? Et ad quod levi medicamine voluntarius induci non potuit, poenae saltem formidine pertrahatur invitus. En habitatores Poloniae filios speciales relinquemus expositos illi discrimini, quod ex tam detestabili facto ipsorum imminet religioni? Erat enim in tam enormi excessu patientia nostra tanta, ut et negligentiae nomen assumat, et vere patientiae nomen perdat. Et quidem quantumcumque ob generositatem ipsius, et suorum progenitorum merita, hactenus detulissemus eidem, id tamen ulterius non patitur praedicti criminis magnitudo. Accusat enim ipsum carcer, arguunt vincula, ac contra ipsum Deum ac homines provocant ad vindictam. Caeterum more pii patris, qui sententiam cito convertit in veniam, et redire, non perire cupit filium, adhuc experiri, si de fragmentis conscientiae suae, quae velut lagena figula est, grandi contritione confracta, aliqua testa permanserit devotionis igniculi retentiva, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, in virtute sanctae obedientiae vobis districte praecipiendo mandamus, quatenus praefatum ducem super liberatione ipsius episcopi, et aliorum, necnon super praemissis omnibus moneatis, et moneri et induci efficaciter faciatis, quod si monitis vestris (quod absit) pertinaciter aures obduraverit cordis sui, ex tunc singuli vestrum in suis civitatibus et dioecesibus pro liberatione eiusdem episcopi, contra ducem ipsum, iuxta datam vobis a Deo prudentiam, per se vel per alios viros ad hoc idoneos praedicetis verbum Crucis. Nos enim omnibus vere poenitentibus contritis et confessis qui ad praedicationem vestram eam susceperint, et in propriis personis liberationem huiusmodi fuerint prosecuti, illam suorum peccaminum veniam elargimur, quae in Terrae Sanctae subsidium personaliter accedentibus in generali concilio est concessa. Debent enim ad deliberationem huiusmodi fideles Christi non remissi, sed ferventes et voluntarii reperiri, quia per detentionem ipsius Illi gravis irrogatur iniuria, cuius legatione fungitur, et qui in suis ministris honorari se asserit atque sperni.

Monendus itaque de Cruciata contra ipsum inducenda.

Indulgentiae crucesignatis concessae.

Datum Laterani tertio kalendas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 30 martii 1257, pontif. anno III.

XXXIX.

Quod Regulares admitti debeant in Universitate Studiorum Parisien. (1).

SUMMARIUM

Leges contra Regulares ab Universitate Parisien. editae. — Regulares in ea recipiendi. — Studium vero alio non transferendum. — Omnes ordinationes contra constitutiones apostolicas factas irritat. — De publicandis hisce litteris, poenisque comminatis exequendis. — Obstantium derogatio.

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Parisien., salutem et apostolicam benedictionem.

Leges contra Regulares ab Universitate Parisien. editae.

Licet olim pro Studii Parisien. conservatione quaedam circa Studium ipsum de fratrum nostrorum consilio duxerimus ordinanda, prout in litteris nostris exinde confectis, quae *Quasi lignum vitae* incipiunt, plenius continetur; nonnulli tamen magistri et scholares Parisien. quasdam colligationes et obligationes nefarias ad invicem, ut audivimus, inierunt, per quas scholares religiosi et alii non possunt libere, sicut volunt, scholas, maxime sacrae legis pro lectionibus et disputationibus audiendis intrare, alias etiam

(1) Ex Regest. Vatic.

non sine Apostolicae Sedis iniuria et impedimento dicti studii ac salutis animarum dispendio, intentionem nostram circa effectum ordinationis ipsius evacuare multipliciter moliuntur. Volentes igitur et

Regulares in ea recipiendi.

auctoritate praesentium statuentes, quod scholares omnes tam religiosi, qui de praelatorum suorum licentia morantur in Studio, quam etiam saeculares, libere valeant, ubi volunt, lectiones et disputationes audire, quodque praefata nostra ordinatio ab omnibus magistris et scholaribus Parisiis existentibus reverenter et humiliter observetur; necnon quod dilecti filii Praedicatorum et Minorum ordinum fratres, ac alii religiosi, qui Parisiis fuerint pro tempore doctores theologicae facultatis, seu scholares ipsorum, in consortium et collegium, seu societatem aliorum magistrorum et scholarium Parisien. recipiantur, simpliciter et efficaciter habeantur,

Studium vero alio non transferendum.

et quod Parisien. Studium, praeter tenorem ordinationis eiusdem, aut absque Sedis Apostolicae licentia speciali, nullatenus alibi transferatur. Omnes, qui contra hoc salubre statutum nostrum venire, vel occasione praesentium, aut aliarum litterarum nostrarum directarum tibi, quae incipiunt: *Cunctis processibus*, Studium ipsum conturbare praesumpserint, omnibus ecclesiasticis beneficiis decernimus esse privatos, et ab ordinum exequtione sus-

Omnes ordinationes contra constitutiones apostolicas factas irritat.

pensos. Omnes autem obligationes etiam iuramento firmatas a magistris et scholaribus memoratis contra ordinationis, aut litterarum superius expressarum seu praesentium tenorem praesumptas, vel inposterum praesumendas, necnon compositionem inter eosdem fratres Praedicatores ex parte una, et magistros et scholares ex altera, contra ordinationem ipsam, nobis irrequisitis, initam, tamquam iniquam et temerariam penitus irritamus. Ut igitur a supradictorum observantia nullus se possit per ignorantiam excusare, fraternitati tuae per apostolica scripta in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus tenorem praesentium, qualibet occasione et dilatione ac appellatione cessante, per se vel per alios publicare Parisiis non omittens, si qui contra praedictorum aliquod venientes privationem incurrerint memoratam, tu illos, ad quos beneficiorum ipsorum collatio spectare dignoscitur, per litteras tuas sine mora demandes, ut infra quindecim dies, post receptionem ipsarum, omni occasione cessante, beneficia illorum, de quibus videris expedire, conferant personis idoneis et Ecclesiae Romanae devotis. Quod si facere neglexerint, tu illa conferre personis huiusmodi non

De publicandis hisce litteris, poenisque comminatis exequendis.

postponas. Non obstantibus appellationibus et exceptionibus aut occasionibus quibuscumque, sive litteris vel indulgentiis ab Apostolica Sede concessis, per quas praecepti nostri exequtio in hac parte impediri valeat, vel differri, aut de quibus plenam et expressam, seu de verbo ad verbum oporteat in praesentibus fieri mentionem, seu etiam quod dicti fratres omnibus litteris apostolicis impetratis et impetrandis renunciasse dicuntur, quando in compositione huiusmodi consenserunt. Praesertim cum ipsam nullam esse, ac iamdictas apostolicas litteras in suo robore remanere velimus, et ipsas tibi, ac eisdem fratribus ab earum detentoribus exhiberi quos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas. Praeceptum nostrum quod ex toto cordis affectu tibi dirigimus, taliter impleturus, ut efficacis obedientiae gaudeamus in te promptitudinem invenisse. Alias autem pro firmo teneas, quod indignationem nostram contra personam tuam licet, ipsam in Christo sincerissime diligamus, gravissime provocabis. Quod enim super hoc inveneris et feceris, nobis per tuas litteras fideliter intimare procures.

Obstantium derogatio.

Datum Anagniae quinto kalendas iulii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 27 iunii 1257, pontif. an. III.

XL.

Excommunicatio illorum, qui in regno Franciae statuta contra immunitatem ecclesiasticam edita observant (1).

SUMMARIUM

Excommunicatio, (*de qua in rubrica*). — Haec sententia ubilibet publicanda. — Obstantium derogatio. — Poenae contra contumaces.

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis per regnum Franciae constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Excommunicatio, de qua in rubrica.

Improbis quorumdam volentes, prout cum Deo possumus, refragari conatibus, qui ecclesias et personas ecclesiasticas ipsarum, quantum in eis est, libertate subversa, deiicere in divini nominis iniuriam moliuntur; felicis recordationis Honorii et Innocentii Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerendo, excommunicamus omnes illos, qui de caetero servari fecerint statuta edita, usus et consuetudines introductos contra ecclesiasticam libertatem, nisi ea de capitularibus suis infra duos menses post huiusmodi publicationem edicti, nullatenus ulterius resumenda, fecerint amoveri. Excommunicamus quoque statutarios et scriptores statutorum ipsorum, necnon dominos, potestates, consules, rectores et consiliarios locorum, ubi de caetero huiusmodi statuta, usus et consuetudines edita fuerint, vel servata, necnon et illos, qui secundum ea praesumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata.

Haec sententia ubilibet publicanda.

Cum igitur vobis praecipue, quos praedictae libertatis propugnatores esse oportet constantes, ex officio impositae necessitatis incumbat pro sanctuario Domus Domini, ne in conculcationem veniat, resistere viriliter ascendentibus exadverso, ut Ecclesia Dei adversus exteriores insultus muros fortitudinis habere probetur, non parietes inclinatos; fraternitati vestrae per apostolica scripta in virtute obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus edictum huiusmodi tam in provincialibus conciliis et episcopalibus synodis, quam alibi per vestras civitates et dioeceses solemniter publicantes, ipsum contra eos, qui in illud commiserint, inviolabiliter observetis et faciatis usque ad satisfactionem plenariam observari, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo;

Obstantium derogatio.

non obstante si eorum aliquibus sit indultum, quod ipsi excommunicari, vel eorum terrae nequeant subiici ecclesiastico interdicto. Ita tamen quod si quis in laqueum praedictae excommunicationis inciderit, a nemine absque speciali mandato Sedis Apostolicae, nisi forsan in mortis articulo, absolvatur; et si secus praesumptum fuerit, id volumus non tenere.

Poenae contra contumaces.

Quod si forsan super hoc inventi fuerint aliqui pertinaces, eis denunciare curetis expresse, quod ipsi, nisi resipuerint, feudis, si qua tenent, ab Ecclesiis merito ingratitudinis privabuntur, et eorum proles a clericatu et ecclesiasticis beneficiis, praesertim in cathedralibus Ecclesiis, excludentur; cum dignum sit talium posteros ab uberibus piae Matris avelli penitus et arceri, qui eam vipereis audent morsibus lacerare, retributione maligna, pro dilectione odium impendentes. Clerici quoque, qui cum talia committentibus permanent, nisi post propositam, aut saltem publicatam eis super hoc monitionem vestram, ab ipsorum obsequiis omnino recesserint, omnibus ecclesiasticis beneficiis et clericatus privilegio noverint se privandos, cum qui propriae professionis et ordinis insectatores amplectitur, et benedicens inique agentes, favore approbat in suis desideriis peccatores, merito debeat a fructibus suis cognitus reprobari.

Datum Viterbii nonis iulii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 7 iulii 1257, pontif. anno III.

(1) Ex Regest. Vatic.

XLI.

Revocatio indultorum archiepiscopis et episcopis concessorum super non visitatione Sacrorum Liminum ad tempus (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Causae revocationis. — Revocatio. — Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Importuna multorum instantia, quam nequit interdum repulsa repellere, felicis recordationis Innocentium Papam praedecessorem nostrum et nos aliquando coarctavit, ut cum votis eorum benignitas Sedis Apostolicae quodammodo tracta concurreret, non ex voto. Sane nonnulli Causae revocationis Ecclesiarum praelati obtinuerunt sibi per Sedem Apostolicam importune concedi, ut non teneantur Sedem eamdem usque ad certa tempora visitare, contra formam praestiti iuramenti; ex quo illud evenit inconveniens, quod Apostolicae Sedis dignitas rarius visitatur, in derogationem reverentiae, quae ab omnibus debetur eidem, utpote quae mater existit Ecclesiarum omnium et magistra. Nos igitur volentes super hoc salubri remedio providere, ac Romanam Ecclesiam, quae super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, congruis honoribus frequentari, praesertim cum non sit facile recedendum ab eo, quod a praedecessoribus nostris super hoc diu excogitatum Revocatio extitit et obtentum; de fratrum nostrorum consilio indulgentias et concessiones huiusmodi patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et aliis Ecclesiarum praelatis concessas, auctoritate praesentium, revocamus.

Nulli ergo omnino hominum liceat Clausulae hanc paginam nostrae revocationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Viterbii, tertio nonas augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 3 augusti 1257, pontif. anno III.

(1) Ex Regest. Vatic.

XLII.

Quod statuta Communitatis Mantuae, quoquo modo officium sanctae inquisitionis impedientia moderentur, vel abrogentur.

SUMMARIUM

Statuta, (*de quibus in rubrica*). — Mantuano episc. committitur ea moderari, vel irritari curet.

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Mutinen. (1), salutem et apostolicam benedictionem.

Implacida relatio nuper nostrum turbavit auditum, quod videlicet Commun. Mantuan. cum deberent dilectis filiis fratribus Praedicatoribus, inquisitoribus pravitatis haereticae, in illis partibus a Sede Apostolica deputatis, circa extirpationem pravitatis huiusmodi de suis finibus, toto posse assistere tamquam fidei zelatores; ipsi agentes in contrarium, statuta damnabilia ediderunt, per quae negotium fidei, quod per fratres ipsos salubriter geritur, ut in eo procedi libere nequeat, directe impeditur, vel etiam indirecte. Statuta, de quibus in rubrica.

§ 1. Quocirca fraternitati tuae, per apostolica scripta, sub excommunicationis poena firmiter praecipiendo mandamus, quatenus, associatis tecum aliquibus discretis, et Deum timentibus viris, statuta huiusmodi, quae a Mantuanis, vel quibuslibet aliis hominibus, ordinata et facta dicuntur, Mantuae ac in toto ipsius districtu, per quae ipsi negotio possit obstaculum provenire, diligenter inquirere, ac etiam invenire: et quaesita et inventa ad tale reducere, ac reduci facere moderamen procures, quo per ipsa dictorum inquisitorum processus non impediantur Mantuano episcopo committitur ea moderari, vel irritari curet.

(1) Lege forsan *Mantuano*.

in aliquo, vel quomodolibet retardentur, faciens nihilominus, quod statuta quaelibet ipsi negotio contraria, et quibus posset impedimentum aliquod inquisitoribus afferri eisdem, quo minus per eos, iuxta formam sibi a praedicta Sede traditam, procedi libere valeat in eodem, in civitate praefata, vel alibi in ipsius districtu nullatenus observentur. Potestatem, Antianos, et consilium civitatis eiusdem, per excommunicationem in personas eorum et Commune praedictum, per interdicti in civitatem ipsam sententias, ad id, appellatione postposita, compellendo.

Datum Viterbii, decimoquinto kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno III.

Dat. die 18 decembris 1257, pontif. anno III.

XLIII.

Confirmatio privilegiorum archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, eiusque hospitalium et grangiarum, et praecipue Montis Pessulan. subiectorum enumeratio (1).

SUMMARIUM

Hospitalitatis encomium. — Hospitale S. Spiritus in Saxia sub tutela suscipit apostolica. — Bona omnia ei confirmat. — Quae servanda sint in ecclesiis eidem hospitali subiectis. — Hospitale Montispessulan. ab eodem disiunctum; — Eidem vero subiectum. — Uterque magister soli Romano Pontifici subiectus. — Card. protectoris auctoritas qualis. — De receptoribus eleemosynarum. — Privilegia. — In spiritualibus dioecesanis episcopis fratres subiiciuntur. — Alia privilegia. — Post factam professionem nemini ab ordine discedere licet. — Magistro vero licet inutiles *etc.* expellere. — Exemptiones. — Clausulae pro locorum indemnitate.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro hospitalis Sanctae Mariae in Saxia de Urbe, eiusque fratribus tam praesentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter opera pietatis, quae secundum Apostolum promissionem habent vitae, quae nunc est pariter et futurae, hospitalitatem nobis specialiter et frequenter divina Scriptura commendat, utpote quae illa omnia comprehendit, propter quae Dominus in ultimo discussionis examine remuneraturum se bonos, et malos asserit puniturum. Haec enim pascit esurientes, sitientes potat, colligit hospites, nudos vestit, et non solum infirmos visitat, sed eorum in se infirmitates assumens, infirmantium curam agit, in carcere positos subvenit, et quibus vivis in infirmitate communicat, participat in sepultura defunctis. Per hanc quidem angelis receptis hospitio placuerunt cum Abraham et Loth hospitalitati vacantes angelos meruerunt hospitari, per quos Abraham iam senex futurae sobolis promissionem accepit, et Loth fuit de incendio Sodomae liberatus. Duo quoque discipuli, qui Iesum hospitio receperunt, quem in expositione Scripturae non noverant, in panis fractione noverunt. Per hanc superflua divitum, quae congregata forte servarentur ad mortem, in necessitates pauperum erogantur ad vitam. Per hanc terrena in coelestia, et transitoria in aeterna felici commercio commutantur, dum per manus thesaurizamus pauperum in coelis, ubi nec aerugo, nec tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur, et facimus nobis de mammona iniquitatis amicos, qui cum defecerimus, in aeterna tabernacula nos admittant. Haec igitur attendentes, hospitale vestrum, quod non solum pro nostra, sed praedecessorum ac successorum et fratrum nostrorum episcoporum, presbyterorum, atque diaconorum Romanae Ecclesiae cardinalium tam vivorum, quam etiam defunctorum salute, apud Sanctam Mariam in Saxia, locum utique satis idoneum, ad hospitalitatis officium

Hospitalitatis encomium.

Hospitale S. Spiritus in Saxia sub tutel suscipit apostolica.

(1) Ex Regest. Vatic.

exercendum, eleemosynis Ecclesiae Romanae, solemniter est constructum; in quo recipiuntur et reficiuntur pauperes et infirmi, et exhibentur alia opera pietatis, ad exemplar felicis recordationis Innocentii tertii, Honorii et Gregorii, praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut regularis ordo, qui secundum Deum et institutionem fratrum hospitalis Sancti Spiritus ibidem institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona idem hospitale in praesentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum, in quo praefatum hospitale situm est, cum omnibus pertinentiis, ecclesiam Sancti Corradi cum omnibus pertinentiis, Sancti Leonardi Pontisgrandinati, Sancti Egidii de Rapello, Sanctae Crucis de Diatio, Sancti Laurentii extra Diatium, Sanctae Mariae de Capodamele, ac Sancti Spiritus de Claromonte ecclesias cum omnibus pertinentiis earumdem; de Wivtelle de Scofralt, et de Wimpin ecclesias cum omnibus pertinentiis earumdem; de Bravi, de Vallecaia, de Porcaricia, de Paulo et de Osano grangias cum omnibus pertinentiis earumdem; Sancti Spiritus de Miliana, Sancti Spiritus de Argentena, Sancti Spiritus de Laudo, S. Spiritus de Segolva, Sancti Spiritus de Gualtera, Sancti Spiritus de Brageriaco, Sancti Spiritus de Pontebordone, et Sancti Spiritus de Montevalenti hospitalia cum omnibus pertinentiis eorumdem; de Divione, de Dole, de Tornodro, de Basi, de Sancta Severa, et de Bisuntio hospitalia cum pertinentiis eorumdem; ecclesiam et hospitale de Novoforo, et hospitale de Gomunda, de Mennim, de Vienna, et de Cracovia hospitalia cum omnibus pertinentiis eorumdem; grangiam et hospitale, quae habetis in loco, qui vocatur Favento, cum omnibus pertinentiis eorumdem; ecclesiam et hospitale de Calci cum omnibus pertinentiis eorumdem; hospitale de Novo Castro de Susanna, monasterium Sancti Heliae quondam ordinis Sancti Benedicti Nepesin. dioecesis cum ecclesiis, castris, iuribus et pertinentiis suis, quod de fratrum nostrorum consilio vobis, et per vos hospitali vestro duximus conferendum, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis et pascuis in bosco et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis; hoc tamen adiecto, ut in eadem Ecclesia quatuor semper ad minus sint clerici regulam eiusdem hospitalis professi, qui pro nobis et praedecessoribus ac successoribus et fratribus nostris vivis pariter et defunctis specialiter observantes, omnia spiritualia liberaliter administrent, et super illis nullius, nisi Romani Pontificis correctioni subiaceant; ad quem quoties expedierit, monitione praemissa, charitativa fiat a fratribus proclamatio propter Deum, ut ipse, cognita veritate, decernat quod suo prudenti consilio duxerit providendum. Ipsi autem victu et vestitu contenti, quem eis secundum eamdem regulam praecipimus exhiberi, divinis vacent officiis, et intendant ecclesiasticis sacramentis, ita quod de aliis hospitalis negotiis praeter concessionem magistri se nullatenus intromittant; sed omnia dispositioni tuae, fili magister, et successorum tuorum, vel eorum, qui per te, vel per eos ad hoc fuerint deputati, sine contradictione ac murmuratione relinquant. Caeterum quoniam praedictus praedecessor noster Honorius unionem eiusdem hospitalis, et Sancti Spiritus in Montepessulan. vobis et hospitali vestro in spiritualibus et temporalibus perniciosam et damnosam cognovit,

Bona omnia ei confirmat.

Quae servanda sint in ecclesiis eidem hospitali subiectis.

Hospitale Montispessulan. ab eodem disiunctum;

ipsam de consilio fratrum suorum dissolvit, statuens, ut nec istud illi, nec illud isti in aliquo teneatur, nec vobis et illis aliquid sit commune; non obstante privilegio dicti Innocentii, vel suo, si quod super unione ipsa apparuerit impetratum. Verum postmodum rector et fratres praedicti hospitalis de Montepessulan. per procuratorem ad hoc legitime constitutum ipsum hospitale suum cum omnibus domibus sibi subiectis et subiiciendis in posterum, ac universis rebus, iuribus et rationibus suis, auctoritate bonae memoriae Stephani tituli Sanctae Mariae Transtyberim presbyteri, et Raynerii S. Mariae in Cosmedin diaconi cardinalium, quos ad id praefatus deputaverat Gregorius, domui vestrae sponte ac voluntarie submiserunt, ut idem hospitale cum domibus suis vobis et domui vestrae ita sit suppositum et subiectum, sicut domibus hospitalis Hierosolymitan. et Militiae Templi sunt subiectae ac suppositae domus suae. Quam submissionem et subiectionem adiicientes duximus auctoritate apostolica confirmandam. Caeterum cum Ecclesia Sanctae Mariae in Saxia, et hospitale constructum ibidem ad nos nullo mediante pertineant, eo salvo, quod clerici eiusdem Ecclesiae debent ex nostro mandato basilicae Principis Apostolorum in scrutinio, baptismo et lethania, ne disparis conditionis homo praeferatur eidem, et servus, qui alii domino stet, aut cadat, praeponatur hospitali praedicto, quod nostrae tantum est iurisdictioni subiectum, personam tuam, fili magister, et successorum tuorum praedecessores nostri praefati a potestate praelatorum quorumlibet eximere procurarunt. Nos vero sicut persona tua exempta dignoscitur, sic fratres domus hospitalis ipsius a quorumlibet praelatorum eximimus potestate; ita ut nullus in eis interdicti, vel suspensionis, et excommunicationis sententiam sine speciali mandato Sedis Apostolicae audeat promulgare, quam si secus fuerit decernimus non tenere. Et quia in vestra regula continetur, quod correctio clericorum et cura spiritualium ad praeceptorem laicum non pertineat, sed ad cardinalem, qui ad curam hospitalis per Sedem Apostolicam fuerit deputatus, praesentium auctoritate statuimus, ut idem cardinalis, qui pro tempore fuerit, tam in hospitali vestro, quam etiam domibus vobis immediate subiectis, aliquibus de cappellanis vestris presbyteris, qui sint timorati, providi, ac discreti, spiritualium curam committat, qui ipsam libere exercere valeant usque ad suae beneplacitum voluntatis. Si qui vero fratrum vestrorum, qui destinati fuerint ad eleemosynas colligendas, in quamlibet civitatem, castellum, vel villam advenerint, si forte locus ille a divinis officiis fuerit interdictus, pro omnipotentis Dei reverentia in eorum adventu iucundo, semel in anno pulsatis campanis, aperiantur ecclesiae, ut super eleemosynis acquirendis verbum exhortationis ad populum in Ecclesia proponatur. Decernimus insuper, ut receptores fraternitatum, sive collectarum vestrarum, salvo iure dominorum suorum, in beati Petri et nostra protectione consistant, et pace in terris, in quibus fuerint, potiantur. Simili etiam modo sancimus, ut quicumque in vestra fuerit fraternitate receptus, si forsan parochialis Ecclesia, cuius ipse parochianus extiterit, a divinis fuerit officiis interdicta, eumque mori contigerit, ipsi sepultura ecclesiastica non negetur, nisi excommunicatus, aut publice usurarius, vel nominatim fuerit interdictus. Decimas autem de terris et vineis, quas ad opus infirmorum et pauperum propriis manibus aut sumptibus colitis, de terris habitis ante concilium generale, sive de nutrimentis animalium, seu de fructibus hortorum vestrorum nullus exigere vel extorquere praesumat: liceat autem vobis in domibus vestris, quas in praesentiarum habetis, vel in futurum eritis habituri, ad opus vestrum et familiae vestrae, necnon infirmorum et pauperum ibidem manentium oratorium

Eidem vero subiectum.

Uterque magister soli Romano Pontifici subiectus

Card. protectoris auctoritas qualis.

De receptoribus eleemosynarum.

Privilegia.

et cimiterium, sine impedimento cuiuslibet contradictionis, habere. Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ordines fuerint promovendi, a dioecesanis suscipietis episcopis, si quidem catholici fuerint, et communionem sacrosanctae Romanae Sedis habuerint, et ea vobis sine pravitate qualibet voluerint exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, quod postulatur, impendat.

In spiritualibus dioecesanis episcopis fratres subiiciuntur.

Alia privilegia.

Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat in Ecclesiis vestris, clausis ianuis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Liceat quoque vobis liberas et absolutas personas e saeculo fugientes ad conversionem recipere, ac eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in locis vestris professionem, fas sit absque magistri sui licentia inde discedere, nisi arctioris religionis obtentu. Discedentem vero, absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere.

Post factam professionem nemini ab ordine discedere licet

Magistro vero licet inutiles expellere.

Si qui vero fratrum vestrorum post factam professionem, turbatores religionis vestrae, vel inutiles fuerint fortassis inventi, liceat tibi, fili magister, et successoribus tuis eos cum assensu et consilio sanioris partis capituli amovere, ipsisque licentiam dare ad alium ordinem, ubi secundum Deum vivere valeant, transeundi, et loco eorum alios subrogandi, qui unius anni spatio in vestra societate probentur, quo peracto, si mores eorum exegerint, et ipsi utiles fuerint ad servitium hospitalis inventi, professionem faciant regularem.

Exemptiones.

Ad haec districtius inhibemus ne a te, fili magister, vel successoribus tuis et fratribus hospitalis eiusdem exigat ulla ecclesiastica saecularisve persona fidelitates, hominia, iuramenta, vel securitates reliquas, quae a laicis frequentantur. Postremo decimas, quas consilio et assensu episcoporum a clericis vel laicis potueritis obtinere, illasque, quas consentientibus dioecesanis episcopis et clericis, ad quos pertinent, acquiretis, auctoritate vobis apostolica confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat praedictum locum temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva in omnibus Sedis Apostolicae auctoritate. De caetero successores nostros obsecramus et obtestamur in Christo Iesu, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, ut locum vestrum cum personis et rebus ad hospitalitatis officium deputatis tamquam speciales patroni specialiter foveant et defendant. Quoniam etsi certis piis locis teneantur ex apostolicae servitutis officio providere, huic tamen hospitali, quod de bonis Ecclesiae Romanae fundatum est et dotatum, et tam nostris, quam successorum nostrorum diebus credimus ampliandum, curam debeant impendere specialem. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen.

Clausulae pro locorum indemnitate.

Datum Viterbii per manum magistri

Iordani domini Papae subdiaconi et notarii, secundo idus iulii, indictione prima, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, pontificatus vero domini Alexandri Papae quarti anno quarto.

Dat. die 14 iulii 1258, pontif. anno IV.

XLIV.

Unio locorum omnium congregationis Camaldulensis, ordinis Sancti Benedicti, sub regimine prioris eremi Camaldulen., iurisdictioque omnimoda eiusdem prioris in personas dictae congregationis, ac plurimarum gratiarum concessio.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Ordinem in tutelam et proprietatem Sedis Apostolicae suscipit: — 2. Omnesque eremos, caeteraque bona, eadem enumerans, ipsi confirmat. — 3. Omnia monasteria a priore generali regenda: — Qui ab ordinis abbatibus eligatur. — Omnia vero monasteria *etc.* soli Rom. Pontifici subiecta, — 4. Et ab omni alia iurisdictione exempta. — 5. Prioris generalis supra caeteros auctoritas. — 6. Facultas sacramenta saecularibus ministrandi. — 7. 8. 9. Privilegia et exemptiones nonnullae. — 10. Facultas recipiendi in ordine. — 11. Professis vero ab eo discedere non licet. — 12. Nihil de monasteriis alienandum. — 13. Non fideiubendum, aut accipiendum mutuo. — 14. Sententiae contra eos iniuste latae irritae. — 15. 16. 17. Privilegia alia. — 18. Libertates omnes et consuetudines confirmantur. — 19. Clausulae.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori Camaldulensi, ac universis abbatibus, prioribus et abbatissis, eorumque fratribus et sororibus Camalduien. ordinis, tam praesentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Officii nostri cura nos admonet et invitat pro Ecclesiae statu satagere, ac eius quieti et tranquillitati, auxiliante Domino, providere. Dignum namque et honestati conveniens esse dignoscitur, ut qui ad animarum regimen Domino disponente assumpti sumus, eos, et a pravorum hominum incursibus tueamur, et B. Petri atque Apostolicae Sedis patrocinio muniamus.

Ordinem in tutelam et proprietatem Sedis Apostolicae suscipit: § 1. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et Camald. eremum ac monasteria, prioratus, hospitalia et alia loca sibi subiecta specialiter in ius et proprietatem beati Petri suscipimus atque nostram, et praesentis scripti privilegio communimus, ac praecipimus et praesentis decreti auctoritate sancimus ne cuiquam omnino personae, clerico vel monacho cuiuscumque ordinis aut dignitatis, seu laico, praesentibus aut futuris temporibus, liceat congregationes illas et loca illa, quae praefatae eremi sive coenobii disciplinam et ordinem susceperunt, aut sunt in posterum susceptura, quaeque hodie sub illius regimine continentur, ab eius ullo modo subiectione et unitate dividere.

Omnesque eremos, caeteraque bona, eadem enumerans, ipsi confirmat. § 2. Quae videlicet loca et congregationes conservandae unitatis gratia propriis duximus vocabulis exprimenda. In episcopatu Aretino, ecclesiam Sancti Donati, quae Fons Bonus dicitur, cum hospitali et omnibus pertinentiis suis. In ipsa civitate Sancti Petri in Piculo et Sancti Laurentini monasteria cum omnibus pertinentiis eorumdem, ecclesiam Sancti Michaelis, cum omnibus pertinentiis suis et omnibus quae ab episcopis Aretinis eidem Ecclesiae concessa esse noscuntur. Ecclesiam Sancti Martini, quae est iuxta Letarcle, cum omnibus pertinentiis suis. Sylvae Mundae, Sanctae Mariae de Agnano, Sancti Petri de Rota et Sancti Salvatoris, Berardingatum monasteria cum omnibus pertinentiis eorumdem, Sancti Savini in Celio, Sanctae Mariae de Pratalea, Sancti Andreæ de Castilione et S. Quirici de Rosis monasteria, cum omnibus pertinentiis eorum-

dem. Ecclesiam Sancti Nicolai de Curte Luponis cum pertinentiis suis. Eremum et monasterium S. Ægidii de Fleri cum pertinentiis eorumdem. S. Viriani et S. Bartholomaei Anglarii monasteria cum castellis et aliis pertinentiis eorumdem. Plebem Sanctae Mariae de Miciano, cum ecclesiis et aliis pertinentiis suis. Ecclesiam Sancti Ioannis sitam in Castello Anglarii cum pertinentiis suis. De Monte Aureo, de Viario, de Maione et Castello Florentiani ecclesias, cum pertinentiis earumdem. Ecclesiam Sanctae Mariae de Villa, quae dicitur Moncione, cum pertinentiis suis. Ecclesiam S. Vitalis prope Lorentianum, cum pertinentiis suis. De Agna, de Soci et de Coudolese ecclesias cum pertinentiis earumdem. Letanias plebis de Miciano. Visitationes plebium de Buiano et Partinae, quemadmodum est ab Aretinis episcopis ordinatum. Integras decimationes de Agna, Larniani, Pergentinae, Corsiniani et Avanae, et quicquid habetis in curte de Verazano. Item quisquis eidem eremo Camaldulen. decimam suam dare voluerit, quae ab aliquo Aretino episcopo recte ordinata vel donata non fuerit, inde habeat facultatem, sicut ab ipsis Aretinis episcopis constitutum est. Castrum quod vocant Moiona, cum omnibus pertinentiis suis, quod emistis ab Henrico praeposito et caeteris canonicis Aretinis, villam de Moncione, quam emistis ab abbate Sanctae Florae. Quicquid iuris dicta Ecclesia Sancti Donati in Villa de Moione et in Villa de Moncione habet. Monasterium Sanctae Mariae de Thoma, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Castell. monasterium Sanctae Mariae Diciani cum pertinentiis suis, et monasterium S. Sepulchri cum toto burgo S. Sepulchri et omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam Sancti Petri de Planetulo, cum castello Planetuli et omnibus pertinentiis suis. Plebem Sanctae Mariae de Soara et ecclesiam de Valialla cum castello de Valialla et omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Fesul. monasterium S. Mariae in Poplena, et eccles. S. Michaelis iuxta monasterium ipsum. Eccles. S. Bartholomaei de Castro Petronii, S. Margaritae in Pomino, S. Ægidii in Gavifere, S. Nicolai de Monte Zano et Sancti Miniatis de Lonnano ecclesias, cum omnibus pertinentiis earumdem. S. Ioannis de Prato Veteri et S. Petri de Monte Muro monasteria cum omnibus pertinentiis earumdem. In episcopatu Floren. Sancti Petri de Luco, Sancti Salvatoris, Sanctae Mariae Magdalenae de Podio Bonitio et Sancti Andreæ de Candiculis monasteria cum omnibus pertinentiis eorumdem. Eremum de Buldrone cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Lucano, monasterium Sanctae Iocundae, monasterium Sancti Petri in Puteolis, cum cappella burgi Borcariae. Monasterium Sancti Salvatoris de Cantiniano et monasterium Sancti Andreæ de Sylva cum omnibus pertinentiis eorumdem. Hospitale quod habetis iuxta burgum Sancti Genesii. In episcopatu Volat. monasterium S. Iusti prope civitatem eamdem. S. Petri de Cerreto, Sanctae Mariae de Puliciano et S. Petri in Fontiano monasteria cum omnibus pertinentiis eorumdem. In episcopatu Pisarum, Sanctae Mariae de Morona, S. Stephani in Cintorio et S. Savini in Moncione monasteria, cum omnibus pertinentiis eorumdem. In ipsa civitate Sancti Michaelis, S. Fridiani et Sancti Zenonis monasteria, cum omnibus pertinentiis eorumdem. Hospistale situm prope monasterium S. Fridiani. In episcopatu Clusinen. eremum et monasterium S. Petri de Vino, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Massanen. monasterium S. Mamiliani cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Perus. S. Trinitatis, Sanctae Mariae de Monte Tetio, S. Agnetis, S. Severi et Donati ecclesias, cum omnibus pertinentiis earumdem. In episcopatu Assisinaten. monasterium Sancti Angeli de Rosano, cum pertinentiis suis. In episcopatu Tudert. monasterium

S. Antonii cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Urbevetanen. monasterium Sanctae Mariae in Sylva, cum S. Foelicis et S. Crucis, Sanctique Severi ecclesiis, et omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Æsin. monasterium Eremitae et ecclesiam Sancti Georgii, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Auximan. monasterium Sanctae Mariae in Serra, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Ancon. ecclesiam S. Luciae. In episcopatu Pisauren. monasterium Sancti Decentii et eremi Saioli. In archiepiscopatu Raven. monasterium Sancti Apollinaris in Classe cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Montis Feretr. monasterium Sanctae Trinitatis de Monte Herculis. In episcopatu Foropopulien. monasterium de Urano, cum iuribus et pertinentiis suis. Hospitale Aymerici et Ecclesiam S. Paterniani de Ferracciano. In episcopatu Ariminen. eremum Montis Salutis, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Caesen. hospitale de Robereto, ecclesiam Sanctae Mariae, quam habetis in loco, qui dicitur Casale, iuxta civitatem Foroliv. Monasterium S. Mariae de Insula, cum omnibus suis pertinentiis. Eremum de Faiola, monasterium S. Mariae in Trivio. In episc. Faven. monasterium S. Hyppoliti, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam Sancti Eustachii sitam prope civitatem Imolensem. In episcopatu Bononien. S. Archangeli iuxta castellum Brictonum, S. Christinae, S. Damiani et S. Mariae de Bethlehem monasteria, cum omnibus pertinentiis eorumdem. Eremum Bononiensem et hospitale de Ravona, cum pertinentiis suis. In episcopatu Veronen. monasterium Sanctae Mariae de Vangaticia, cum omnibus pertinentiis suis. Monasterium quod Camaldulinum dicitur, cum pertinentiis suis. Ecclesiam S. Viti prope Vicentiam, cum suis pertinentiis. In episcopatu Tarvis. monasterium S. Christinae cum pertinentiis suis. Ecclesiam S. Michaelis in Palude prope Venetias, cum omnibus pertinentiis suis, et eremum S. Mathiae de Murano. In Istria monasterium S. Michaelis de Lemo, cum omnibus pertinentiis suis. In episcop. Senen. S. Georgii de Api et S. Vigilii ecclesias cum omnibus pertinentiis earumdem. In insula Sardiniae monasterium S. Trinitatis de Saccaria, cum omnibus pertinentiis suis. S. Eugeniae, S. Laurentii, S. Michaelis in Vanari, S. Mariae, S. Ioannis in Altasar, S. Mariae in Contra, S. Ioannis, S. Simeonis in Salvanero, S. Nicolai de Trulla, S. Petri in Scanu, S. Pauli in Cortoniano et S. Petri in Olim ecclesias, cum omnibus pertinentiis earumdem. In episcopatu Spoletan. monasterium S. Sylvestri de Monte Subaci, cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Camerinen. monasterium S. Helenae iuxta flumen Æsinum, cum omnibus pertinentiis suis. Eremum Aquae Perellis et eremum de Quadrigatia cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis, pascuis, in monte et plano, in aquis et molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis.

§ 3. Sane statuimus monasteria, prioratus, ecclesias, hospitalia, cappellas et loca praedicta, cum pertinentiis et membris eorum, tamquam corpus unum sub uno capite, sub priore dumtaxat eremi supradictae perpetuis temporibus permanere, ac sub illius disciplinae observatione persistere; sub illo, inquam, priore, qui ab ipsius eremitis et congreg. abbatibus et prioribus ipsius ordinis regulariter fuerit electus. Eremum quoque, monasteria, prioratus, ecclesias, hospitalia, cappellas et loca praescripta, personasque ipsius ordinis ab omni iugo, iurisdictione et lege dioecesana archiepiscoporum, episcoporum, archidiaconorum et quorumlibet ordinariorum iudicum penitus eximimus. Retento nobis et Ecclesiae Romanae annuo censu unius unciae auri in signum perpetuae libertatis, ut vos in speciales filios Apostolicae Sedis as-

Omnia monasteria a priore generali regenda:

Qui ab ordinis abbatibus eligatur

Omnia vero monasteria etc. soli Rom. Pontifici subiecta,

sumpti, nullius alterius iudicium subeatis.

Et ab omni alia iurisdictione exempla

§ 4. Statuimus etiam ut eremus, monasteria, prioratus, ecclesiae, hospitalia, cappellae, ac loca et personae dicti ordinis, tantum Romano Pontifici sint subiecta. Districtius inhibentes, ne quis archiepiscopus, archidiaconus seu quilibet iudex ordinarius, in eremum, monasteria, prioratus, ecclesias, hospitalia, cappellas et loca, seu personas eiusdem ordinis, excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias promulgare, aut in eis correctionis vel visitationis officium, sive iurisdictionem aliquam exercere, aut personas ipsas ad synodum evocare, seu ab eis exactiones vel collectas aliquas exigere vel extorquere praesumant. Non obstante si aliqui archiepiscopi et episcopi contra personas vel loca dicti ordinis, pro subiectione eremi, monasteriorum, prioratuum, eccles., hospit., seu locorum dicti ordinis, moverint quaestionem, decernendo huiusmodi sententias si quas in personas, monaster., prioratus, ecclesias, hospit. et loca praedicta, per archiepiscopos, episcopos, archidiaconos et iudices ordinarios, contra inhibitionem huiusmodi, promulgari contigerit, irritas et inanes, et praedictas personas ad observationem praedictarum sententiarum aliquatenus non teneri.

Prioris generalis supra caeteros auctoritas.

§ 5. Praeterea inhibemus, ne aliqua persona ipsius ordinis, vel alia, monasterium aliquod, ecclesiam, hospitale, cappellam, aut locum aliquem a dictae congregationis unitate removere praesumat, statuentes, ut priori eremi praefatae, qui pro tempore fuerit, tamquam pater dicti ordinis, abbates, priores, monachos, conversos, abbatissas, moniales, conversas, hospitalarios, monasteria et loca ipsius ordinis sine contradictione aliqua visitare, per se, vel alium, aut alios, quos duxerit ad hoc deputandos, ac reformare, praelatos in monasteriis et locis praedictis instituere ac destituere, et electiones eorum confirmare, prout secundum Deum et instituta praefati ordinis viderit expedire, ac omnem iurisdictionem in eos libere valeat exercere.

Facultas sacramenta saecularibus ministrandi.

§ 6. Ad haec concedimus vobis, ut liceat vobis parochianis vestris per monachos et oblatos vestros presbyteros divina officia celebrare ac celebrari facere, iniungere poenitentias, proponere verbum Dei, exhibere alia ecclesiastica sacramenta, contradictione archiepiscoporum, episcoporum et aliorum Ecclesiae praelatorum aliquatenus non obstante.

Privilegia et exemptiones nonnullae.

§ 7. Chrisma vero, Oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum et clericorum, benedictiones abbatum, abbatissarum, monialium, vasorum et vestium recipiendi a quocumque malueritis catholico episcopo gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, qui nostra fretus auctoritate, quod postulatur, vobis impendat.

§ 8. Praeterea cum generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis in monasteriis et locis vestris, exclusis excommunicatis et interdictis, ianuis clausis, non pulsatis campanis, et voce submissa, divina officia celebrare.

§ 9. Porro laborum vestrorum de possessionibus habitis ante concilium generale, ac etiam novalium, quae propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus novalibus aliquis hactenus non percepit, sive de hortis, virgultis et piscationibus, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat.

Facultas recipiendi in ordine.

§ 10. Liceat quoque vobis personas liberas et absolutas e saeculo fugientes, ad conversionem recipere, ac eas, absque contradictione aliqua, retinere.

Professis vero ab eo discedere non licet.

§ 11. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vel sororum vestrorum, post factam in dicta eremo, seu monasteriis, aut locis ipsius ordinis, professionem, fas sit sine prioris eremi praedictae licentia, de eremo, monasteriis vel locis eisdem discedere. Discedentem vero absque litteris dicti prioris nullus audeat retinere. Quod

si quis forte retinere praesumpserit, liceat dicto priori, in ipsos tam praelatos, quam subditos monachos et conversos, abbatissas, moniales, conversas regularem sententiam promulgare.

Nihil de monasteriis alienandum.

§ 12. Illud districtius inhibentes ne alicui praelato et conventui ipsius ordinis, terras, vel beneficium aliquod Ecclesiis vestris collatum, liceat dare, vendere, obligare, alienare sine praedicti prioris licentia speciali. Si quae vero donationes vel alienationes, aliter quam ut dictum est, factae fuerint, eas irritas esse censemus.

Non fideiubendum, aut accipiendum mutuo.

§ 13. Ad haec, prohibemus ne aliquis monachus vel conversus sub professione alicuius domus ordinis eiusdem astrictus, sine consensu et licentia sui praelati ac maioris partis capituli eiusdem domus, pro aliquo fideiubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat ultra summam a capitulo vestro constitutam, nisi propter manifestam domus ipsius utilitatem. Quod si quis facere forte praesumpserit, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere.

Sententiae contra eos iniuste latae irritae.

§ 14. Caeterum si archiepiscopi, vel episcopi, aut aliarum Ecclesiarum rectores in mercenarios, vel familiam vestram, pro eo quod aliqua vobis obsequia ex charitate praestiterint, vel ad laborandum adiuverint, in illis diebus, in quibus vos laboratis et alii feriantur, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiam promulgarint, ipsam, tamquam contra Apostolicae Sedis indulta prolatam, decernimus penitus non tenere, nec litterae illae firmitatem habeant, quas tacito nomine Camaldulensis ordinis, et contra indulta privilegiorum apostolicorum contigerit impetrari.

Privilegia alia.

§ 15. Prohibemus insuper, ut intra fines parochiarum vestrarum nullus sine assensu dioecesani episcopi et vestro cappellam vel oratorium de novo construere audeat.

§ 16. Sepulturam etiam locorum vestrorum liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publice usurarii, nullus obsistat. Salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

§ 17. Paci quoque et tranquillitati vestrae paterna in posterum sollicitudine providentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu granciarum vestrarum, nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere.

Libertates omnes et consuetudines confirmantur.

§ 18. Praeterea omnes libertates et immunitates a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus et aliis archiepiscopis, monasteriis et locis vestris concessas, necnon libertates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus, vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas, ac etiam vestras antiquas et rationabiles consuetudines, auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti privilegio communimus.

Clausulae.

§ 19. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eremum, monasteria, ecclesias et loca praedicta temere perturbare, aut eorum possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione aut substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertioque commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a Sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae subiaceat ultioni.

§ 20. Cunctis autem, qui eisdem locis sua iura servare voluerint, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen.

Datum Viterbii per manum magistri Iordani S. R. E. vice-cancellarii et notarii, decimo kal. augusti, indictione prima, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, pontificatus vero domini Alexandri Papae quarti anno quarto.

Dat. die 23 iulii 1258, pontif. anno IV.

XLV.

Testimonium Alexandri PP. Castrum Acuti pleno iure ad Anagninam Ecclesiam pertinere (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Anagninae Ecclesiae de Alexandro in minoribus agente merita. — Castrum Acuti quomodo ab Anagnina alienatum Ecclesia. — Ad eam pleno iure spectare declaratur.

Alexander episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Ex assumpto apostolatus officio ad universas prospicientes Ecclesias, in eo praecipue debemus vigilantis sollicitudinis adhibere studium circa eas, ut cum Domini adiutorio ipsas in salubri statu regamus, et prospera earum iura opportuno ad hoc impenso munimine integra conservemus, ad vitanda pericula, quae in iis eisdem ingruere possent Ecclesiis, necessaria remedia praevidentes. Hanc inter alias Ecclesias Anagninam nostrae quidem tutricem adolescentiae, ac magistram, affectu nimirum diligimus speciali, et dulcedinis uberum memores, merito vehementer accendimur, ut ipsius honorem et commodum attentius procuremus.

Anagninae Ecclesiae de Alexandro in minoribus agente merita.

Ibi enim bases sumpsimus nostri status, ibi nostrae provectionis exordia pullularunt, ipsa profectibus nostris dedit initium, ipsa ut mater nostra suis beneficiis pueritiam educavit, et ad salutaria documenta ecclesiasticis erudivit; illi nos et in annis teneris, et per incrementa firmioris aetatis sedulum impendimus famulatum, et ab illius procedentes gremio potiorum ministeriorum subivimus onera, de quibus postmodum in sublimiores honores nostri rapuere praecelsi; quare convenit, ut pro eius indemnitate propensius et instantius vigilemus. Quia igitur in ipsa Ecclesia, cuius canonicus fuimus, diu continuam residentiam fecimus, et in suis obsequiis longa decurrimus tempora, et explevimus plures annos, plene utique novimus iura, munimenta super ipsius pertinentiis manifesta sunt nobis, et de suis rationibus plenariam certitudinem obtinemus, sicut qui vidimus et pertractavimus, et qui curae huius plurimum extitimus studiosi, certificati nihilominus ex dictis sinceris et puris assertionibus antiquorum. Unde quia veraciter et pro certo scimus, et tamquam de re omnino notoria et evidentissima plane constat nobis, quod Castrum Acuti Anagninae dioecesis iamdudum ab eadem Ecclesia quondam Ildicio iudici civi Anagnino, et eius successoribus vel haeredibus, seu posteris usque in tertiam generationem sub certo tenore locatum, ad Ecclesiam ipsam pleno iure pertinet, et sui iuris et proprietatis existit, ac ad eam temporale sive saeculare ipsius castri dominium, omnisque illius iurisdictio plene spectat; nos ne de hoc ambigi possit in posterum, ne super eodem castro calumniam aut molestiam aliquo tempore praedicta Ecclesia patiatur, dicimus, assecuramus et firmiter attestamur, quod praefatum Castrum Acuti, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, eiusque proprietas, dominium et iurisdictio integre, ut praemissum est, ad Ecclesiam pertinet memoratam, et ad fir-

Castrum Acuti quomodo ab Anagnina alienatum Ecclesia.

Ad eam pleno iure spectare declaratur.

(1) Ex Tabulario Ecclesiae huius edidit Ughell., Ital. Sac., tom. I.

mam et plenam huius rei certitudinem, ac ad efficacem cauthelam perpetuamque memoriam praesentes testimoniales, quod super has litteras eidem Ecclesiae de apostolica providentia exhibemus, statuimusque itaque auctoritate apostolica, ut hae litterae vim, robur, ac vigorem et valorem legitimarum et sufficientium probationum per omnia prorsus obtineant. Ita quod de hac re, tam in iudicio, quam extra iudicium, etiam si nulla instrumenta seu documenta super hoc apparuerint, solis eisdem litteris firmiter absque ulla dubitatione credatur, ipsaeque de hoc cunctis omnimodam certitudinem tribuant, et faciant plenam fidem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae concessionis paginam infringere *etc.*

Datum Viterbii sexto idus septembris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 8 septembris 1258, pontif. anno IV.

XLVI.

Declaratio quorumdam dubiorum concernentium causam fidei catholicae, et poenas haereticorum, eorumque complicum et fautorum.

SUMMARIUM

1. Relapsus in haeresim quis dicatur: — 2. Etiam qui post abiurationem favet haereticis. — 3. Testes periuri an in fidei causis admittendi. — 4. An inquisitoribus inquirendum sit de sortilegiis. — 5. Haeredes coguntur ad complendam satisfactionem defuncti. — 6. De usurarum quaestionibus non cognoscendum ab inquisitoribus. — 7. Haeredes non cogendi ad poenitentias defuncto non iniunctas. — 8. Facultas inquirendi per se vel per alium quomodo intelligenda. — 9. Clericus perpetuo immurandus degradatur. — 10. Instruentes citatos ab inquisitoribus ad celandam veritatem puniendi. — 11. Religiosi gravius saecularibus puniendi. — 12. Declaratio circa poenas fautorum haereticorum et eorumdem filiorum. — 13. Haec omnia prudenter adimplenda.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Minorum, inquisitoribus haereticae pravitatis in administratione Sancti Francisci, praesentibus ac futuris, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod super nonnullis quaestionum articulis, in quibus causa fidei tangitur, nos consulere voluistis, sollicitudinis vestrae prudentiam in Domino commendamus.

§ 1. Primus igitur vestrae consultationis articulus continebat, utrum dici debeat relapsus in haeresim qui lapsus est in eam post abiurationem ipsius, in qua non invenitur antea commisisse; cum secundum proprietatem verborum non videatur relapsus, qui non fuerat ante lapsus. Ad quod taliter respondemus, quod talis, si tamquam accusatus vel suspectus de haeresi, eam in iudicio abiuravit, et postea committat in ipsa, censeri debet quadam iuris fictione relapsus, licet ante abiurationem suam plene probatum non fuerit crimen haeresis contra ipsum, dummodo huiusmodi prius orta suspicio, violenta fuerit, et certis ac veris indiciis comprobata. Si vero levis et modica, quamquam ex hoc sit gravius puniendus, relapsorum tamen in haeresim non debet poena puniri, ex quo praesumi non potest verisimiliter ante lapsus in eam. *Relapsus in haeresim quis dicatur:*

§ 2. Quaesivistis etiam circa idem, si is qui haeresim abiuravit, et per solam inexcusabilem receptionem vel receptationem, aut deductionem seu associationem vel visitationem haereticorum, sive dationem, vel missionem munerum, aut etiam alias in favorem eorum, qui excusari non possit, sine adoratione tamen (ut verbis vestris utamur) lapsus est postmodum, propter hoc debeat iudicari relapsus: et quidem si legitime constitit, vel etiam nunc constaret, quod tales ante huiusmodi abiurationem in haeresi commisissent, non est dubium eos per hoc fuisse relapsos: quia tunc dubitari non debet, ex approbati a se prius erroris consequentia id fecisse. *Etiam qui post abiurationem favet haereticis.*

Testes periuri an in fidei causis admittendi.

§ 3. Praeterea nonnulli talium, ut proponitis, iurant coram inquisitoribus tam de se, quam de aliis super facto haeresis veritatem dicere, sed periurant, non odio tamen vel pretio, sed timore sui potius, et suorum; corrigunt autem se postmodum super iis contra se ac alios suos complices deponendo. Cum itaque periurus, secundum iura, etiam post poenitentiam in criminalibus a testimonio repellatur, hinc quaeritur, utrum contra illos suos complices sit per testimonia talium procedendum. Super quo taliter respondemus, quod cum crimen huiusmodi sit exceptum, si ex manifestis indiciis apparuerit, tales non animi levitate aut odii fomite ductos, seu corruptos pecunia, sed zelo fidei, tamquam poenitentes propriae culpae, asserere quod talia prius tacuerant, et velint in hoc errorem suum corrigere ac alios nominare, stari debet in favorem fidei, nisi aliud obsisteret, attestationibus eorumdem.

An inquisitoribus inquirendum sit de sortilegiis.

§ 4. Ad illud autem quod quaeritur, utrum ad inquisitores haeresis pertineat de divinationibus et sortilegiis, quae contra aliquos sibi denunciantur, cognoscere ac punire talia exercentes. Brevibus respondetur, quod cum negotium fidei, quod summe privilegiatum existit, per occupationes alias non debeat impediri, inquisitores ipsi de iis, nisi manifeste saperent haeresim, ratione huiusmodi officii sibi commissi, se nullatenus intromittant, sed eos relinquant suis iudicibus poena debita castigandos.

Haeredes coguntur ad complendam satisfactionem defuncti.

§ 5. Quidam insuper (ut adiicitis) pro iis, quae commiserunt in haeresi, astringunt se inquisitoribus sub obligatione bonorum suorum ad recipiendum ab eis poenitentiam et complendam: sed ea, licet iniuncta, non tamen peracta, quin potius in toto vel in parte neglecta, decedunt. Quaeritur ergo, utrum inquisitores ipsi, vel qui in eorum locum succedunt, possint ad satisfaciendum pro ipsis defunctis, haeredes vel detentores bonorum sic decedentium coarctare. Ad quod dicimus, quod si per huiusmodi poenitentiam, aliquod onus ad salutem proficiens impositum fuerit in bonis temporalibus exequendum, ad complementum ipsius per inquisitores cogi debent haeredes, vel alii, ad quos bona talium cum suo onere devenerunt.

De usurarum quaestionibus non cognoscendum ab inquisitoribus.

§ 6. Iniungitur etiam aliquibus ad poenam, in poenitentia pro haeresi, ab ipsius pestis inquisitoribus, ut usuras restituant, ad quod obligaverant in iudicio Ecclesiae se et sua. In quo quaeritur, utrum inquisitores ipsi, vel qui succedunt in locum eorum, ad respondendum coram se conquerentibus de usuris huiusmodi, et ad restitutionem earum, si de ipsis constiterit, possint compellere taliter poenitentes, prout ab eis in aliis iniunctis sibi poenitentiis fieri consuevit. Ad quod respondemus, quaestionem super usuris motam contra tales iudicialiter, non debere audiri ab inquisitoribus haeresis, nec decidi. Nolentes, quod per causas huiusmodi offendiculum negotio fidei praeparetur: eos tamen ad restitutionem usurarum, de quibus constiterit, compellere poterunt, quibus in satisfactionem pro praedicto crimine, huiusmodi restitutionem in poenitentia iniunxerunt.

Haeredes non cogendi ad poenitentias defuncto non iniunctas.

§ 7. Sunt et alii, qui confessi sunt in iudicio de haeresi coram inquisitoribus huiusmodi pravitatis, sed antequam eis iniungeretur poenitentia, decesserunt. Super quo quaeritur si haeredes talium compelli possint ab inquisitoribus, ut ad ipsorum arbitrium satisfaciant pro defunctis. Praecipue cum iidem dum viverent, ad faciendam poenitentiam quam inquisitores eis vellent iniungere, bona sua inquisitoribus obligarint. Cui quaestioni sic duximus respondendum, quod postquam tales non decesserunt haeretici, sed reincorporati potius Ecclesiae unitati, non videmus quod eis post mortem, vel eorum haeredibus, qui ad successionem talium admittuntur, sit satisfactio pro extincto iam crimine iniungenda. In eo

vero eam, in quo haeredes huiusmodi ad successionem non deberent ob culpam sui auctoris admitti, non obstante quod auctoribus ipsis viventibus hoc non fuerit, intercedente ipsorum morte, per sententiam declaratum, ad confiscationem bonorum post mortem nihilominus procedatur.

Facultas inquirendi per se vel per alium quomodo intelligenda.

§ 8. Adiecistis praeterea, negotium seu officium inquisitionis contra haereticos dilecto filio priori fratrum Praedicatorum Parisien. a Sede Apostolica fuisse sub ea forma commissum, ut idem super hoc posset inquirere, tam per se, quam per alios, quos ad hoc idoneos reputaret: in quo quaeritur, utrum tales delegati existant, et quid possint etiam sic electi. Super quo taliter duximus ordinandum, quod idem prior possit tres vel quatuor idoneos ad hoc opus assumere, qui parem cum ipso habeant potestatem, et amovere illos, ac ipsorum loco alios substituere, quotiescumque viderit expedire. Ipsi tamen priori et aliis sic assumptis committendi dumtaxat citationes et examinationes testium, cum de huiusmodi crimine ac circumstantiis eius inquiritur, ac denunciationes sententiarum, quas super iis contra quoslibet contigerit ferri, et iis similia faciendi, conceditur ab eadem Sede facultas.

Clericus, perpetuo immurandus degradatur.

§ 9. Quaestioni vero qua quaeritur, utrum constitutus in sacris, deprehensus in haeresi, et propter hoc immurandus (1) perpetuo, prius sit ab ordinibus a suo episcopo degradandus, antequam tradatur huiusmodi poenitentiae. Respondemus, quod talis, qui est perpetuo immurandus, prius debet a suis ordinibus degradari.

Instruentes citatos ab inquisitoribus ad celandam veritatem puniendi.

§ 10. Nonnulli quoque clerici, et quod est deterius, sacerdotes, praetextu pecuniae, vel alicuius servitii temporalis, inveniuntur aliquando inquisitionis impedire negotium, instruendo citatos haereticorum credentes de celanda veritate, falsitate dicenda, vel eos indebite liberando. De quibus quaeritur utrum inquisitores possint tales capere ac etiam retinere: aut quod sic accepta restituant, coarctare. Dubium itaque non videtur, quod ii, quos constat exercere praemissa, ea faciunt in favorem haereticae pravitatis. Quare possunt a talibus per inquisitores compesci, et poena debita castigari, tam per captionem personarum, quam etiam alias, prout culpa exegerit delinquentis.

Religiosi gravius saecularibus puniendi.

§ 11. Quod autem postmodum quaerebatur, quomodo essent puniendi religiosi, qui inveniuntur in haeresim deliquisse; cum saeculares peccantes in simili casu immurationis, vel alia poena plectantur. Eius solutio satis patet, cum certum sit, tales in hoc, et in consimilibus delinquentes, gravius etiam saecularibus puniendos.

Declaratio circa poenas fautorum haereticorum et eorumdem illorum.

§ 12. Frequenter etiam vobis ab Apostolica Sede committitur, ut tam haereticos, credentes, receptatores, fautores et defensores eorum, quam ipsorum filios et nepotes, ac illos etiam, qui praedictorum interventu vel gratia tales essent adepti, vel assequerentur in posterum, privandi personatibus, dignitatibus et honoribus quibuscumque, ac beneficiis ecclesiasticis, et officiis publicis, de dioecesanorum, vel eis absentibus vicariorum suorum consilio, habeatis liberam facultatem, quod qualiter intelligi debeat, petivistis eiusdem Sedis oraculo declarari. Hoc sane de filiis et nepotibus illorum, credentium, et aliorum huiusmodi, qui modo tales esse probantur, intelligendum esse videtur, non autem illorum, quos emendatos constiterit, et pro culpa huiusmodi ad mandatum Ecclesiae poenitentiam recepisse, quam ipsi vel iam perfecerunt, vel humiliter prosecutioni eius insistunt, vel parati fuerunt, dum viverent, ad recipiendam eamdem. Dioecesani quoque in privandis talibus sunt generaliter requirendi, nisi forsan constaret legitime, quod iidem scienter eis beneficia contulissent; tunc enim eos in

(1) *Immurare*, carcere includere (*Ducange*).

iis requirendos esse non credimus, sed potius a suo iudice puniendos.

Haec omnia prudenter adimplenda. § 13. Vos igitur haec et alia contingentia in hac parte commissum vobis officium, sic prudenter et fideliter exequi procuretis, sic ad ea pure propter Deum, cuius causam geritis, vestra feratur intentio, quod labor vester vobis ad vitae praemium, et aliis ad salutem, quae solum in talibus quaeritur, proficiat animarum.

Datum Viterbii quinto kalendas octobris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 27 septembris 1258, pontif. anno IV.

XLVII.

Infirmi, qui sanae mentis haereticorum consolamentum petunt, non excusantur eo quod, tempore receptae consolationis, sanae mentis non essent, eorumque familiares super hoc in testes non admittendi.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis fratrum Minorum inquisitoribus haereticae pravitatis in administratione S. Francisci, praesentibus et futuris, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod nonnulli de partibus, ubi vobis contra haereticos inquisitionis officium est commissum, in mortis articulo constituti, salutis remedium abhorrentes, Consolatos haereticos ad se introduci faciunt, et ab eis per impositionem manus, desolationis suae consolationem accipiunt, secundum pessimam consuetudinem eorumdem. Sed filii et haeredes sic decedentium propter hoc exhaeredari timentes, ac volentes ob id eorum malitiam excusari, proponunt se velle probare per testes, quod iidem, quando recipiebant consolationem huiusmodi, loquelam amiserant et erant alienati a mente: cum moris sit apud eos (ut dicitur) quod nullum taliter consolentur, qui non sit sanae mentis et memoriam habeat ordinatam. Quare nos consulere voluistis, utrum debeant tales probationes admitti.

§ 1. Nos igitur consultationi vestrae taliter respondemus, ut si legitime constiterit, quod praedicti, dum sanae mentis essent, petierint haereticos Consolatos, sicque viam fuerint universae carnis ingressi, licet consolationem huiusmodi, imo verius desolationem, non sanae mentis effecti, vel post perditam iam loquelam suscepisse dicantur, nulla super hoc probatio admittatur, cum in nullo sic decedentes debeant propterea relevari. In dubio vero admitti poterit: non tamen uxores, filii, seu familiares, aut de suis aliqui, ad hoc probandum recipiantur in testimonium, sed alii testes idonei, et specialiter fidei zelatores, cum contra tales sit non modicum praesumendum: sitque in talibus propter fidei privilegium, cum multa cauthela, summaque diligentia prae caeteris negotiis, procedendum.

Datum Anagniae idibus novembris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 13 novem. 1258, pontif. anno IV.

XLVIII.

De cautione recipienda ab haereticis conversis et eorum fautoribus. Statuitur insuper, ut ex pecunia ex mulctis provenienti expensae Inquisitoribus ministrentur per episcopos.

SUMMARIUM

1. Primum caput. — 2. Caput alterum.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Minorum inquisitoribus haereticae pravitatis in administratione Sancti Francisci, tam praesentibus, quam futuris, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Super extirpatione haereticae pravitatis, hoc a vobis in locis in quibus contra haereticos vobis inquisitionis officium est commissum, statuimus obser- Primum caput

vandum, ut haereticis, credentibus, fautoribus, receptatoribus et defensoribus haereticorum ipsorum, ad mandatum Ecclesiae redeuntibus, sub certa poena pecuniaria inter caetera, quae iniungenda fuerint, iniungatis districte, quod fidem catholicam firmiter teneant, et ulterius haereticis ipsis auxilium, consilium et favorem aliquem non impendant, necnon Ecclesiae mandatis obediant, et observent, quae eis feceritis, vel unus vestrum, occasione ipsius haereticae pravitatis, et ab eisdem cautio exigatur. Nos autem vobis et singulis vestrum, cogendi per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, tam redeuntes ipsos, quam et defensores, si oportuerit, eorumdem, ad praestationem vel solutionem huiusmodi poenae, ad quam se obligaverint, si, quod absit, in dictam poenam inciderint, plenam concedimus auctoritate praesentium, facultatem.

Caput alterum. § 2. Pecunia vero, quae de huiusmodi poenis, vel ex tertia parte mulctarum, vel condemnationum exigendarum a quibuslibet personis et locis, seu bonorum apprehendendorum, occasione haeresis vel haereticorum, secundum tenorem constitutionum nostrarum (quas in eosdem haereticos, fautores eorum, et alios promulgatas, in capitularibus civitatum et locorum aliorum conscribi mandavimus) forte pervenerit, penes tres viros fide probatos a vobis, et a dioecesano, vel eiusdem vicario, si idem praesens non fuerit, eligendos, deponatur fideliter conservanda, et de illa vobis et singulis vestrum necessariae ad prosecutionem negotii contra haereticos expensae sine difficultate aliqua de ipsius dioecesani consilio ministrentur, et eidem dioecesano de iis, quae expendi contigerit, rationis plenariae fidelis computatio exponatur.

Datum Anagniae idibus novembris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 13 novem. 1258, pont. anno IV.

Sequitur alia constitutio super poenarum exactione.

SUMMARIUM

1. Nonnullis pro poenis sibi iniunctis fideiussorias cautiones praestantibus, — 2. Exigi statuit huiusmodi cautiones.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus de ordine Minorum, inquisitoribus haereticae pravitatis in administratione B. Francisci, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Ad audientiam nostram pervenit, quod nonnulli de administratione beati Francisci notati et suspecti de haeretica pravitate, ac fautores et receptatores haereticorum, ad mandatum Ecclesiae redeuntes, interdum se obligant sub certis poenis ad parendum mandatis Ecclesiae, et super hoc praestant vobis fideiussorias cautiones, quorum nonnulli mandatis, quae ipsis facitis, parere recusant. Nonnullis pro poenis sibi iniunctis fideiussorias cautiones praestantibus.

§ 2. Quia vero nostri decet appositione consilii super hoc salubriter providere, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus tales et fideiussores eorum, quod mandatis factis eis per vos et faciendis pareant, monitione praemissa, per impositionem et exactionem poenarum, ad quae se obligant, et etiam per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis: invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Exigi statuit huiusmodi cautiones.

Datum Anagniae decimo kalendas februarii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 23 ianuarii 1260, pontif. anno VI.

XLIX.

Quod praelati ecclesiastici, rectores saeculares, et alii, faveant inquisitoribus haereticae pravitatis, in negotio fidei exequendo.

SUMMARIUM

1. Cum cresceret haeretica pravitas, missos a se ait Minoritas, qui de ea inquirant. —

2. Omnes itaque hortatur, ut eisdem praesto sint.

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, ministris, guardianis, et aliis Ecclesiarum praelatis et rectoribus, necnon et universo clero, tam religiosis cuiuscumque professionis et ordinis, quam saecularibus, in ducatu Spoletano constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum cresceret haeretica pravitas, missos a se nil Minoritas, qui de ea inquirent.

§ 1. Exortis in agro fidei christianae per partes Italiae abundantius solito haereticae pravitatis zizaniis, seminante illa, per temporis impacati malitiam, homine inimico, Sedes Apostolica eius caput fidei et magistra, volens circa zizaniorum extirpationem huiusmodi, per aliquos de fratribus ordinis Minorum, partes suae sollicitudinis adimpleri, dilecto filio . . . . ministro provinciali eiusdem ordinis, in administratione Sancti Francisci mandavit, ut ipse duos ex fratribus suis viros, zelum habentes christianae fidei, et opere ac sermone potentes, assumeret, eisque in partibus vestris, inquisitionis officium contra haereticos, eorumque fautores et complices, iniungere procuraret.

Omnes itaque hortatur, ut eisdem praesto sint.

§ 2. Nos itaque Christi nomen in populo exaltari gaudentes, ac fidei eius massam ab omni, per quod infici valeat, emundari totis affectibus cupientes, universitatem vestram rogamus, monemus, et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus attendentes prudenter, quod inquisitores huiusmodi a praedicto deputati ministro pro defensione ipsius fidei, et cum salute fidelium laborantes, et periculis personas proprias salubriter exponentes, nequeunt ad omnia, quae tanto expediunt negotio, sufficere per seipsos, eisdem et aliis, si quos ad hoc ex ipsius fratribus contigerit deputari, in praedicto exequendo negotio efficaciter assistatis, opportunum sibi consilium, favorem et auxilium impendendo, ita quod exinde vestrae fidei sinceritas merito valeat commendari, nec contingat Dei opus periculose per vestram negligentiam vel incuriam intermitti, quas proculdubio, praeter id quod horrendis notaret maculis infamia negligentes, ultrix omnis inobedientiae ac negligentiae apostolica severitas acri percelleret disciplina.

Datum Anagniae decimo septimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 15 novem. 1258, pontif. anno IV.

L.

Indulgentiae pro inquisitoribus haereticae pravitatis, eorumque notariis, sociis et fautoribus, ac pro omnibus in prosecutione negotii fidei decedentibus.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Indulgentiarum concessio.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis fratrum Minorum inquisitoribus haereticae pravitatis in administratione S. Francisci, praesentibus et futuris, salutem et apostolicam benedictionem.

Firmissime teneat vestra prudentia, et nullatenus dubitet, quod Deus indulgentiarum et pater misericordiae, considerans merita singulorum, contentus nostris indulgentiis non existit, quin benefacientibus gratiam potiorem indulgeat et gloriam superaddat, ad quas per fructum boni operis promerendas, fideles Christi frequenter et libenter nostris remissionibus invitamus. Cum itaque vos propter Deum in negotio fidei laborantes, huiusmodi salutaribus praemiis deceat recreari: Exordium.

§ 1. Nos vobis vere poenitentibus et confessis, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, plenam concedimus veniam peccatorum. Sociis autem ordinis vestri fratribus et notariis Indulgentiarum concessio.

vestris, qui una vobiscum in prosecutione huiusmodi negotii laborabunt, et aliis, qui ad impugnandum haereticos, credentes, receptatores, fautores et defensores eorum, vobis ex animo auxilium praestiterint vel favorem, tres annos de iniuncta sibi poenitentia relaxamus. Et si qui ex eis in prosequutione huiusmodi negotii forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti ac ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus.

Datum Anagniae decimoseptimo kalendas octobris, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 15 septembris 1259, pontif. anno v.

LI.

Inquisitorum haereticae pravitatis facultas cogendi quoscumque magistratus et officiales ad exequendum eorum sententias.

SUMMARIUM

Causae ferendae legis. — 1. Statutum (*de quo in rubrica*). — 2. Obstantium derogatio.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus de ordine Minorum, inquisitoribus haereticae pravitatis in provincia Beati Francisci, salutem et apostolicam benedictionem.

Causae ferendae legis.

Ad audientiam nostram pervenit, quod potestates, rectores, iudices, antiani, officiales, consilia et communitates quorumdam castrorum, locorum et civitatum provinciae Beati Francisci, in qua inquisitio contra haereticos vobis a Sede Apostolica est commissa, circa executiones sententiarum, quas contra notatos suspectos de haeretica pravitate, credentes, fautores et receptatores eorum profertis, a vobis super hoc requisiti, se interdum reddunt difficiles et etiam negligentes. Nos itaque volentes, quod negotium inquisitionis huiusmodi salutarem consequatur effectum, circa ea intendimus animo vigilanti, per quae, submotis quibuslibet obstaculis, praedictum negotium, Deo propitio, de bono in melius dirigatur.

Statutum (de quo in rubrica)

§ 1. Quocirca universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus potestates, rectores, iudices, antianos, officiales quocumque nomine censeantur, consilia et communitates praedictas, quod huiusmodi sententias a vobis latas et ferendas, etiam sublato cuiuslibet dilationis et difficultatis obstaculo, executioni demandent, monitione praemissa, per excommunicationis in personas potestatum, rectorum, iudicum, antianorum, officialium et consiliariorum, ac privationis ab officiis; et in civitates, castra et loca huiusmodi, interdicti sententias, appellatione remota, cogatis.

Obstantium derogatio.

§ 2. Non obstante aliqua indulgentia Sedis Apostolicae, de qua cuiusque tenore oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri, et per quam effectus praesentium impediri valeat vel differri.

Datum Anagniae decimotertio kalendas februarii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 20 ianuarii 1260, pontif. anno vi.

LII.

Inquisitorum haereticae pravitatis auctoritas compellendi quoscumque ad sibi exhibendum scripturas et instrumenta spectantia ad officium sanctae inquisitionis, et convocandi clerum et populum adversus haereticos et eorum fautores.

SUMMARIUM

Facultas compellendi omnes habentes scripturas spectantes ad inquisitionem: — 1. Absolvendique redeuntes ad Fidem; — 2. Convocandi clerum et populum; — 3. Indulgentias elargiendi: — 4. Et summarie contra omnes procedendi: — 5. Quibuscumque non obstantibus.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis ..... fratribus de ordine Minorum, inquisitoribus haereticae pravitatis in administratione Sancti Francisci, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas compellendi omnes habentes scripturas spectantes ad inquisitionem.

Cupientes, ut inquisitionis negotium contra haereticam pravitatem sollicitudini vestrae commissum, ad Dei gloriam et augmentum fidei catholicae, in nostris manibus feliciter prosperetur; compellendi, appellatione remota, per censuram ecclesiasticam, per vos, vel per alios, quos ad hoc idoneos vos, vel alter vestrum duxeritis eligendos, omnes illos, qui scripta vel instrumenta inquisitionis, vel ad eius officium pertinentia, per quoscumque hactenus facta, ac etiam facienda contra haereticos, credentes, receptatores, fautores seu defensores eorum habent vel habuerint, ut ea sine cuiuslibet difficultatis seu dilationis dispendio, vobis vel alteri vestrum exhibeant.

Absolvendique redeuntes ad Fidem;

§ 1. Necnon absolvendi a sententia excommunicationis omnes illos, qui dimissa haereticorum perfidia, ad unitatem catholicae fidei libere ac humiliter redire voluerint, et credentes, receptatores, fautores ac defensores eorum, ac etiam reconciliandi eos Ecclesiae, a qua noscuntur diabolica suggestione praecisi.

Convocandi clerum et populum;

§ 2. Convocandique clerum et populum civitatum, castrorum, aliorumque locorum contra tales: ita ut in ferendis sententiis contra ipsos possitis peritos et discretos, prout expedierit, advocare.

Indulgentias elargiendi;

§ 3. Dandi quoque omnibus accedentibus ad vocationem huiusmodi, auctoritate nostra, quadraginta dierum indulgentiam.

Et summarie contra omnes procedendi.

§ 4. Procedendi etiam contra illos, quos in dicta provincia commisisse constiterit, licet ad alias partes se duxerint transferendos: necnon et ut in eodem negotio summarie, absque iudiciorum et advocatorum strepitu procedere valeatis, auctoritate praesentium vobis et cuilibet vestrum concedimus facultatem. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 5. Non obstantibus si aliquibus sit indultum ab eadem Sede, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, nisi plenam et expressam, vel de verbo ad verbum fecerint mentionem: et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Datum Anagniae quarto nonas martii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 4 martii 1260, pontif. anno VI.

LIII.

Praelati, ecclesiastici et alii omnes clerici quomodolibet exempti, statim requisiti, provideant inquisitoribus, eorumque sociis, de salvo conductu.

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, archipresbyteris, praepositis, plebanis, et aliis Ecclesiarum praelatis et clericis religiosis et saecularibus, tam exemptis, quam non exemptis per provinciam Romanam, quae continet Urbem cum suo districtu, patrimonium Beati Petri in Thuscia, Sabinam, Reate cum sua dioecesi, Campaniam et Maritimam constitutis, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad extirpandam de partibus vestris haereticam pravitatem totis affectibus intendentes, inquisitionem faciendam in illis partibus contra respersos huiusmodi pravitate, dilecto filio fratri Andreæ de ordine Minorum duximus committendam.

§ 1. Ut igitur idem frater vestro fultus praesidio, in commisso sibi negotio inquisitionis, Deo propitio, valeat prosperari, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, in virtute obedientiae ac sub poena excommunicationis per apostolica vobis scripta praecipiendo man-

dantes, quatenus vos universi et singuli dicto fratri Andreæ et sociis eius, de securo conductu, quotiescumque vos super hoc duxerint requirendos, liberaliter ac sine dilatione de loco ad locum providere curetis: preces nostras et praeceptum taliter impleturi, ut pateat per effectum operis, quod sitis orthodoxae Fidei zelatores, nosque devotionem vestram possimus exinde merito commendare.

Datum Anagniae idibus martii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 15 martii 1260, pontif. anno VI.

LIV.

Declaratio illorum, quae a clero Urbis servari debent in processione, quae fit ad basilicam Sancti Petri die festo Sancti Marci (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Inter capitulum S. Petri et Rom. Fraternitatem super nonnullis suborta quaestio. — De vexillis, crucibus, aliisque insigniis. — De denariis recipiendis. — De crucibus per ordines regulares ferendis.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis rectoribus Romanae Fraternitatis et clero Urbis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Iurgia litium, quibus turbatur in clero nonnumquam unanimitas ecclesiasticae unitatis, libenter Apostolicae Sedis cura studiosa dissolvit, eaque veluti pestiferos charitatis fraternae languores, sanae pacis consilio medicatur, ut in obsequiis munerum divinorum, quae oportet ordinabiliter suaviterque disponi, contentionis zelus sinceritatem non inficiat ministrorum, et ministerii ordinem dissensionis tumultuatio non corrumpat. Ubique sane super hoc vigilantiae nostrae desudare debet attentio, et, quantum posse sinit humana fragilitas, procurare, ut in tranquillitate concordiae Patri luminum devota sacerdotalis militiae agmina famulentur. Super vos autem tanto instantius haec sollicitudo nos urget, quanto propinquius vos affectioni nostrae, curaeque subnectit iniunctum nobis officium apostolicae servitutis, quantoque singularius ecclesiasticorum oculi ex omnibus partibus suis deberent mores vestros, velut quaedam salutaris conditionis exemplaria, intueri. Sane dudum inter vos ex parte una, et dilectos filios capitulum basilicae Principis Apostolorum de Urbe ex altera, super crucibus, insigniis et vexillis portandis ad eamdem basilicam in processione, quae in festo Sancti Marci fieri consuevit, et denariis, qui ecclesiis, monasteriis et cappellis vestris pro salario, quod presbyterium dicitur vulgariter, exhibentur, quaestione suborta, et super hoc nonnullis testibus hinc inde coram deputato a nobis auditore productis, per depositiones eorumdem testium, non potuit plene de partium intentione liquere. Verum quia huiusmodi controversia, quae aliis ponere scandalum et disceptantium laedere poterat charitatem, est potius, prout nobis videtur, providentiae consilio, quam iudicio dirimenda; dignum fuit et congruum, ut de Sede Apostolica pro causa quae quodammodo respicit praedicti apostolorum Principis regni coelestis clavigeri interesse, potestativus reconciliationis sermo in medias partes vestri dissidii prosiliret, et per eum contentionis vestrae murmura perpetuae pacis silentio premerentur. Provida igitur deliberatione decernimus et irrefragabili constitutione sancimus, ut canonici, tam saeculares, quam regulares, et monachi omnium parochialium ecclesiarum, cum crucibus et aliis insigniis consuetis, ecclesiarum vero presbyterorum et diaconorum cardinalium et monasteriorum cum crucibus propriis et vexillis, archipresbyteralium autem ecclesiarum, prioratuum et cap-

Inter capitulum S. Petri et Rom. Fraternitatem super nonnullis suborta quaestio.

De vexillis, crucibus, aliisque insigniis.

(1) Ex Regest. Vatic.

pellarum exemptarum et omnium aliarum, quae duodecim denarios, vel plures pro huiusmodi salario recipiunt, cum propriis omnino crucibus argenteis, aureis, vel aliis quas habent, et cum vexillis, si habent et portare consueverunt. Clerici quoque aliarum cappellarum, quarum singulae tantum octo denarios pro eodem salario recipiunt, vel cum propriis crucibus et vexillis, vel cum alienis etiam, sicut fuit hactenus consuetum, induti vestimentis sericis, aut superpelliciis, sive coctis, in eodem festo vadant processionaliter annuatim ad basilicam supradictam recepturi salarium vel presbyterium consuetum, quod eis per canonicos eiusdem basilicae, et unum de familiaribus nostris volumus exhiberi. Alii autem monachi, fratres Minores, Praedicatores et Eremitae, ac religiosi alii cuiuscumque ordinis, cum crucibus in eodem festo processionaliter vadant ad basilicam memoratam. Quicumque vero fraude seu malitia contra huiusmodi nostram constitutionem venire aut facere, seu ipsam violare praesumpserit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, a qua, nonnisi per Romanum Pontificem, vel eum cui hoc specialiter commiserit, absolvatur.

De denariis recipiendis.

De crucibus per ordines regulares ferendis.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Anagniae duodecimo kalend. maii, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 20 aprilis 1260, pontif. anno VI.

LV.

Quod inquisitores haereticae pravitatis, bona haereticorum confiscata distrahant, et pretium ad opus sanctae Romanae Ecclesiae conservent.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus Andreæ, Gentili, et Bartholomæo, ordinis Minorum, et aliis inquisitoribus haereticae pravitatis in Romana provincia, et administratione B. Francisci, salutem et apostolicam benedictionem.

Discretioni vestrae, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, vendendi ac distrahendi libere bona haereticorum, eorumque fautorum, credentium, receptatorum et defensorum, publicata iam, seu confiscata, et in posterum publicanda et confiscanda, prout commisso vobis fidei negotio expedire videritis, ita quod eorum pretium ad opus Romanae Ecclesiae conservetur, necnon, et contradictores super hoc, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, plenam et liberam concedimus auctoritate praesentium facultatem.

Datum Genuae octavo kalendas octobris, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 24 septem. 1260, pontif. anno VI.

LVI.

Quod inquisitores haereticae pravitatis procedere possint in causis Fidei contra quoscumque etiam exemptos, eligereque notarios etiam regulares, qui in saeculo notarii fuerunt.

SUMMARIUM

Facultas procedendi contra quoscumque etiam exemptos, — Notariosque eligendi.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Praedicatorum, inquisitoribus haereticae pravitatis in Lombardia, Marchia Ianuensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ne commissae vobis contra haereticos inquisitionis officium, quocumque contingat obice praepediri, vobis et singulis vestrum praesentium auctoritate concedimus, ut non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis, quibuscumque personis, cuiusvis conditionis, dignitatis, vel gradus religionis aut ordinis, et praesertim Cistercien., Praedicatorum, Minorum, seu Eremitarum, sive communitatibus vel universitatibus civitatum locorum, specialiter vel generaliter sub quacumque verborum expressione vel forma ab Apostolica Sede concessis, vel amodo

Facultas procedendi contra quoscumque etiam exemptos

concedendis, etiam si dicatur in illis, quod eis per aliquas litteras, totum de verbo ad verbum tenorem non continentes, privilegiorum vel indulgentiarum ipsarum nequeat derogari, maxime quod illi excommunicari, vel ipsorum terrae supponi non possint ecclesiastico interdicto: aut quod praedictorum vel aliorum quorumlibet ordinum fratres, ad executiones negotiorum, aut ad citationes quorumlibet, sive denunciationes sententiarum excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, auctoritate litterarum apostolicarum minime cogi possint, nisi de ipsorum ordinibus et privilegiis vel indulgentiis eis super hoc a Sede Apostolica concessis, habeatur in eisdem litteris mentio specialis; in eodem officio, et contra impedientes illud, vel in eo vobis, iuxta officium et posse suum, a vobis requisitos assistere non curantes, libere iuxta formam vobis per litteras nostras traditam, procedatis: cum ex huiusmodi, vel aliis privilegiis et indulgentiis, nullum vobis in tantae pietatis negotio, velimus obstaculum generari.

Notarioeque eligendi.

Ad haec, si super his quae circa idem officium, illudque contingentia in scriptis fuerint redigenda, tabellionum saecularium copia forte defuerit opportuna, personis regularibus cuiuscumque ordinis, qui tabellionatus officium in saeculo habuisse noscuntur, exercendi illud in his, cum a vobis necessitate huiusmodi suadente fuerint requisiti, auctoritate nostra licentiam concedatis. Quos ad hoc, constitutione canonica vel regulari contraria nequaquam obstante, ex districto volumus iussionis nostrae praecepto teneri. Quod si nec tales habere poteritis, alios duos viros idoneos clericos, vel laicos, quoties talis imminebit necessitas, assumatis: qui simul fideliter ea, quae fuerint a vobis, vel coram nobis ex praedicto officio generali gerenda, conscribant, quorum scripta, quantum ad hunc necessitatis articulum pertinet, ac si unius personae publicae manu confecta fuissent, inconcussam habere decernimus firmitatem. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Datum Anagniae idibus octobris, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 15 octobris 1260, pontif. anno VI.

LVII.

Inquisitores haereticae pravitatis ordinis fratrum Praedicatorum vel Minorum non tenentur obedire praelatis suorum ordinum in concernentibus officium sanctae inquisitionis.

SUMMARIUM

Causa dandi privilegii. — Privilegium.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis universis fratribus Praedicatorum et Minorum ordinum inquisitoribus haereticae pravitatis, per diversas Italiae partes a Sede Apostolica deputatis, et in posterum deputandis, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa dandi privilegii.

Catholicae Fidei negotium, quod plurimum insidet cordi nostro, in vestris prosperari manibus, ac de bono in melius procedere cupientes, ac volentes omne ab eo impedimentum omneque obstaculum removeri: praesentium vobis auctoritate mandamus, quatenus in eodem negotio, de divino et apostolico favore confisi, omni humano timore deposito, constanter ac intrepide procedentes, circa extirpandam haereticam pravitatem, tam de Lombardia et Thuscia, quam de omnibus aliis Italiae partibus, cum omni vigilantia omnique studio laboretis. Et si forsan magister et minister generalis, aliique priores et ministri provinciales, ac custodes seu guardiani aliquorum locorum vestrorum ordinum, praetextu quorumcumque privilegiorum seu indulgentiarum eiusdem Sedis dictis ordinibus concessorum, aut concedendorum in po-

sterum, vobis vel vestrum alicui seu aliquibus iniunxerint, seu quoquomodo praeceperint, ad tempus vel quoad certos articulos, certasve personas, negotio supersedeatis eidem.

Privilegium. Nos vobis universis et singulis, auctoritate apostolica, districtius inhibemus, ne ipsis obedire in hac parte vel intendere quomodolibet praesumatis; nos enim privilegia seu indulgentias huiusmodi, quantum ad hunc articulum, tenore praesentium revocantes, omnes excommunicationis, interdicti et suspensionis sententias, si quas in vos, vel vestrum aliquos hac occasione ferri contigerit, irritas prorsus decernimus et inanes. Nam etsi praedicta Sedes interdum praelatis aliquibus vestrorum ordinum per suas sub certa forma committat litteras, ut ad exercendum inquisitionis officium contra haereticam pravitatem aliquos suorum ordinum fratres assumere valeant, ipsosque cum expedire viderint, amovere, ac alios subrogare; non tamen per hoc, quod ipsis ea dumtaxat de causa in hac parte committitur, quia de fratrum suorum ordinum idoneitate pleniorem habere notitiam praesumantur, aliqua eis super huiusmodi inquisitionis negotio, vobis immediate a praedicta Sede commisso et committendo, facultas vel iurisdictio attribuitur seu potestas.

Datum Laterani, tertio idus decembris, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 11 decembris 1260, pontif. anno VI.

URBANUS IV

PAPA CLXXXII

Anno Domini MCCLXI.

Iacobus, natione Gallus, patria Trecensis, antea Virodunensis episcopus, mox patriarcha Hierosolymitanus, et in partibus septentrionalibus et orientalibus Legatus apostolicus, electus est Romanus Pontifex die 29 augusti 1261, et die 4 sequentis septembris coronatus est, Urbani IV nomine sumpto. Sedit in pontificatu annos III, mensem I, dies IV, imperante in Oriente Michaele Paleologo imperatore. Obiit Perusii die 2 octobris 1264, et sepultus est ibidem in ecclesia cathedrali Sancti Laurentii. Vacavit sedes menses fere V (1).

I.

Encyclicae Urbani IV de sua electione litterae (2).

SUMMARIUM

Exordium — A profunditate divini iudicii petitum. — 1. Qualis sit divina in Pontificum electione dispositio. — 2. Dies obitus Alexandri PP. — Actum a cardinalibus de successore eligendo. — Electio retardata. — 3. Factam narrat sui electionem: — 4. Ac se nonnisi invito tantum onus suscepisse. — 5. Omnes ut pro ipso ad Deum orent, precatur.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, archiepiscopo Remensi, et suffraganeis eius, ac abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis etc. per Remensem provinciam constitutis.

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! (3). Praecelsum quidem thronum coelorum continens, intuensque profundas abyssos, montium ponderans gravitatem et amplitudinem terrae palmo concludens, summa sua sapientia recte universa disponit, ineffabili providentia rationabiliter moderatur, immensa virtute firmiter stabilit, et mira prudentia salubriter dirigit et gubernat. In quibus omnibus est profecto plus admirandum, quam pensandum, plus laudandum, quam scrutandum, plus stupendum, quam loquendum, Exordium A profunditate divini iudicii petitum.

(1) Ut cum Martino Polono conveniam. (2) Ex Raynaldo ad an. 1261. (3) Rom. XI, 33

et plus verendum, quam diffiniendum. In horum quippe investigatione ac discussione sensus caligat hominis, mens hebescit, succumbit ingenium, et deficit intellectus, et quo plus cura haec intenditur, eo minus de his apprehenditur, et in maiorem horum incertitudinem incidit, qui ad eorum notitiam satagit pleniorem: quia in perquirenda divinorum operum ratione temere cogitatur, vigilatur improvide, studetur inaniter, et inutiliter laboratur. Haec divinarum actionum incomprehensibilis altitudo, humanae revera considerationis obtundit aciem, et perspicuum intelligentiae confundit aspectum erga coelestia pariter et terrena, cum viae Conditoris omnium sint adeo absconditae ac inexplorabiles in utrisque, quod omnino ignorantiae nubilo celantur mortalibus, et nunquam eis clarae cognitionis lumine innotescunt.

Qualis sit divina in Pontificum electione dispositio.

§ 1. Altum igitur et arcanum providentiae supernae consilium, opportuna iugiter erga fidelium Ecclesiam opportune prospiciens, mira in ipsa miro modo pro mutabilitate temporum operatur: et quia sibi praelatorum regimen est potissime necessarium, sine quo vix subsisteret inter saeculi tempestates, circa praefectionem ipsius praesulum et pastorum ostendit praecipue suae sapientiae magnitudinem et inscrutabilis beneplacitum voluntatis; ut quae in his sua profunda dispositione cum ratione, licet occulta, ordinat et consumat, sint nimirum hominibus in stuporem. Hinc evenit, quod in cathedra pastorali, quae diversorum substitutione Pontificum varietatem per tempora suscipit personarum, interdum senes iunioribus, et iuvenes aliquando senioribus praeferuntur. Hinc evenit, quod ipsa nonnumquam illos, quos virtutes et scientia magis insigniunt, nonnumquam vero minus talibus insignitos assumit. Hinc etiam evenit, quod aliquando eam hi, de quibus minus creditur et speratur, ascendunt. Simile quoque in præeminenti Apostolorum principis Sede contingit, quod sedentibus in ea pro tempore cursum finientibus vitae suae, alii iuxta provisionem divinam, nutumque coelestem ad culmen apostolicum subrogantur, et suscitantur in Sede ipsa sacerdotes et ministri fideles, qui vigilent super gregem, et iuxta voluntatem Domini operentur. Digne igitur exclamatur: O supereminentia sapientiae Dei, quam profundae sunt cogitationes ipsius, quam sublime et occultum eius consilium, quam inexquisibilis sua dispensatio, et quam impenetrabilis suarum operationum abyssus!

Dies obitus Alexandri PP.

§ 2. Sane felicis recordationis Alexandro Papa praedecessore nostro octavo kalendas iunii, videlicet in festo beati Urbani Papae et martyris, de carnis nexibus liberato, et ad gloriam supernae patriae, sicut speramus, assumpto; ac eius corpore, post celebratas solemnes exequias, in Viterbiensi Ecclesia honorifice, prout decuit, tumulato, fratres nostri episcopi, presbyteri et diaconi cardinales mox pro eligendo successore insimul convenerunt, affectus suos erigentes ad Deum, ut generali Ecclesiae viduatae pastorem idoneum consueta misericordia largiretur. Invocata ergo Sancti Spiritus gratia, ut est moris, inceperunt protinus super electione Summi Pontificis diligentem habere tractatum. Et licet studiose institerint et studuerint instanter, ut cito consequeretur tantum negotium finem bonum, ac divinam clementiam devota et sedula supplicatione pulsaverint, ut illum, qui sibi esset acceptus, et quem apud se ad onus apostolicae servitutis elegerat, ac super cuius meritum considerationis suae radius quiescebat, populo suo in rectorem celeriter concedere dignaretur, fuit tamen eorum in hoc desiderium aliquandiu morae interventione suspensum, et ipsius consummatio negotii per alicuius temporis spatium retardata. Nam cum de summo et universali Praesule, de Patre Patrum, de Pastore Pa-

Actum a cardinalibus de successore eligendo.

Electio retardata.

sterum, vobis vel vestrum alicui seu aliquibus iniunxerint, seu quoquomodo praeceperint, ad tempus vel quoad certos articulos, certasve personas, negotio supersedeatis eidem.

Privilegium. Nos vobis universis et singulis, auctoritate apostolica, districtius inhibemus, ne ipsis obedire in hac parte vel intendere quomodolibet praesumatis; nos enim privilegia seu indulgentias huiusmodi, quantum ad hunc articulum, tenore praesentium revocantes, omnes excommunicationis, interdicti et suspensionis sententias, si quas in vos, vel vestrum aliquos hac occasione ferri contigerit, irritas prorsus decernimus et inanes. Nam etsi praedicta Sedes interdum praelatis aliquibus vestrorum ordinum per suas sub certa forma committat litteras, ut ad exercendum inquisitionis officium contra haereticam pravitatem aliquos suorum ordinum fratres assumere valeant, ipsosque cum expedire viderint, amovere, ac alios subrogare; non tamen per hoc, quod ipsis ea dumtaxat de causa in hac parte committitur, quia de fratrum suorum ordinum idoneitate pleniorem habere notitiam praesumantur, aliqua eis super huiusmodi inquisitionis negotio, vobis immediate a praedicta Sede commisso et committendo, facultas vel iurisdictio attribuitur seu potestas.

Datum Laterani, tertio idus decembris, pontificatus nostri anno sexto.

Dat. die 11 decembris 1260, pontif. anno VI.

URBANUS IV

PAPA CLXXXII

Anno Domini MCCLXI.

Iacobus, natione Gallus, patria Trecensis, antea Virodunensis episcopus, mox patriarcha Hierosolymitanus, et in partibus septentrionalibus et orientalibus Legatus apostolicus, electus est Romanus Pontifex die 29 augusti 1261, et die 4 sequentis septembris coronatus est, Urbani IV nomine sumpto. Sedit in pontificatu annos III, mensem I, dies IV, imperante in Oriente Michaele Paleologo imperatore. Obiit Perusii die 2 octobris 1264, et sepultus est ibidem in ecclesia cathedrali Sancti Laurentii. Vacavit sedes menses fere V (1).

I.

Encyclicae Urbani IV de sua electione litterae (2).

SUMMARIUM

Exordium — A profunditate divini iudicii petitum. — 1. Qualis sit divina in Pontificum electione dispositio. — 2. Dies obitus Alexandri PP. — Actum a cardinalibus de successore eligendo. — Electio retardata. — 3. Factam narrat sui electionem: — 4. Ac se nonnisi invito tantum onus suscepisse. — 5. Omnes ut pro ipso ad Deum orent, precatur.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, archiepiscopo Remensi, et suffraganeis eius, ac abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis etc. per Remensem provinciam constitutis.

Exordium. O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius! (3). Praecelsum quidem thronum coelorum continens, intuensque profundas abyssos, montium ponderans gravitatem et amplitudinem terrae palmo concludens, A profunditate divini iudicii petitum. summa sua sapientia recte universa disponit, ineffabili providentia rationabiliter moderatur, immensa virtute firmiter stabilit, et mira prudentia salubriter dirigit et gubernat. In quibus omnibus est profecto plus admirandum, quam pensandum, plus laudandum, quam scrutandum, plus stupendum, quam loquendum,

(1) Ut cum Martino Polono conveniam. (2) Ex Raynaldo ad an. 1261. (3) Rom. XI, 33

et plus verendum, quam diffiniendum. In horum quippe investigatione ac discussione sensus caligat hominis, mens hebescit, succumbit ingenium, et deficit intellectus, et quo plus cura haec intenditur, eo minus de his apprehenditur, et in maiorem horum incertitudinem incidit, qui ad eorum notitiam satagit pleniorem: quia in perquirenda divinorum operum ratione temere cogitatur, vigilatur improvide, studetur inaniter, et inutiliter laboratur. Haec divinarum actionum incomprehensibilis altitudo, humanae revera considerationis obtundit aciem, et perspicuum intelligentiae confundit aspectum erga coelestia pariter et terrena, cum viae Conditoris omnium sint adeo absconditae ac inexplorabiles in utrisque, quod omnino ignorantiae nubilo celantur mortalibus, et nunquam eis clarae cognitionis lumine innotescunt.

Qualis sit divina in Pontificum electione dispositio.

§ 1. Altum igitur et arcanum providentiae supernae consilium, opportuna iugiter erga fidelium Ecclesiam opportune prospiciens, mira in ipsa miro modo pro mutabilitate temporum operatur: et quia sibi praelatorum regimen est potissime necessarium, sine quo vix subsisteret inter saeculi tempestates, circa praefectionem ipsius praesulum et pastorum ostendit praecipue suae sapientiae magnitudinem et inscrutabilis beneplacitum voluntatis; ut quae in his sua profunda dispositione cum ratione, licet occulta, ordinat et consumat, sint nimirum hominibus in stuporem. Hinc evenit, quod in cathedra pastorali, quae diversorum substitutione Pontificum varietatem per tempora suscipit personarum, interdum senes iunioribus, et iuvenes aliquando senioribus praeferuntur. Hinc evenit, quod ipsa nonnumquam illos, quos virtutes et scientia magis insigniunt, nonnumquam vero minus talibus insignitos assumit. Hinc etiam evenit, quod aliquando eam hi, de quibus minus creditur et speratur, ascendunt. Simile quoque in præeminenti Apostolorum principis Sede contingit, quod sedentibus in ea pro tempore cursum finientibus vitae suae, alii iuxta provisionem divinam, nutumque coelestem ad culmen apostolicum subrogantur, et suscitantur in Sede ipsa sacerdotes et ministri fideles, qui vigilent super gregem, et iuxta voluntatem Domini operentur. Digne igitur exclamatur: O supereminentia sapientiae Dei, quam profundae sunt cogitationes ipsius, quam sublime et occultum eius consilium, quam inexquisibilis sua dispensatio, et quam impenetrabilis suarum operationum abyssus!

Dies obitus Alexandri PP.

§ 2. Sane felicis recordationis Alexandro Papa praedecessore nostro octavo kalendas iunii, videlicet in festo beati Urbani Papae et martyris, de carnis nexibus liberato, et ad gloriam supernae patriae, sicut speramus, assumpto; ac eius corpore, post celebratas solemnes exequias, in Viterbiensi Ecclesia honorifice, prout decuit, tumulato, fratres nostri episcopi, presbyteri et diaconi cardinales mox pro eligendo successore insimul convenerunt, affectus suos erigentes ad Deum, ut generali Ecclesiae viduatae pastorem idoneum consueta misericordia largiretur. Invocata ergo Sancti Spiritus gratia, ut est moris, inceperunt protinus super electione Summi Pontificis diligentem habere tractatum. Et licet studiose institerint et studuerint instanter, ut cito consequeretur tantum negotium finem bonum, ac divinam clementiam devota et sedula supplicatione pulsaverint, ut illum, qui sibi esset acceptus, et quem apud se ad onus apostolicae servitutis elegerat, ac super cuius meritum considerationis suae radius quiescebat, populo suo in rectorem celeriter concedere dignaretur, fuit tamen eorum in hoc desiderium aliquandiu morae interventione suspensum, et ipsius consummatio negotii per alicuius temporis spatium retardata. Nam cum de summo et universali Praesule, de Patre Patrum, de Pastore Pa-

Actum a cardinalibus de successore eligendo.

Electio retardata.

storum et Christi vicario ac successore praefati Apostolorum principis ageretur, maiorem utique providentiam et ampliorem deliberationem res tam ardua requirebat.

§ 3. Demum autem post multam di-
F clam narrat su electionem: scussionem, longumque tractatum, ad personam nostram, cum tunc Ecclesiae Hierosolymitanae gerentes regimen, pro suis negotiis apud Sedem Apostolicam moraremur, sua unanimiter corda et animos concorditer converterunt, direxerunt vota et firmavere consensus. Et quamvis inter eos essent, qui veluti digniores scivissent et potuissent plenius et laudabilius tantum officium exercere; quamquam etiam multos extra suum collegium eorum anxiae, cogitationi et explorationi solerti mundus offerret, quibus utpote potioribus magis decuisset imponi tantae sarcinam dignitatis; ipsi tamen nostram insufficientiam aliorum sufficientiae praetulerunt, nos ad summi pontificatus apicem communiter eligentes.

§ 4. Considerantibus itaque nobis dif-
Ac se nonnisi invito tantum onus suscepisse ficultatem huiusmodi officii, et laborem ac apostolicae cathedrae praecellentiam, quae in se praesidentem sicut altiori praefert honore, sic premit onere graviori, et attendentibus imperfectionem nostram multiplicem, ac tanti ponderis molem imbecillitati nostrae penitus importabilem, concussum est intra nos nimio stupore cor nostrum, et expavimus ac haesitavimus vehementer, quoniam vix particulares ferre valentes vigilias, ad universalem speculam vocabamur, et intolerabile apostolici ministerii iugum inferebatur instanter debilitatis nostrae cervici, ac meritorum suffragium non habentes angebamur, ad suscipiendas apostoli Petri claves, et gerendum ligandi atque solvendi pontificium super omnes. Verumtamen ne videremur opus divinae providentiae impedire, aut nolle voluntatem nostram suo beneplacito conformare, ac ne corda electorum concordia, per dissensum nostrum, ad discordiam verteremus, voluntatibus tandem acquievimus eorumdem, submittentes nostros impotentes humeros ad portandum: non quod de aliqua nostra virtute fiduciam habeamus, sed quia speramus in Illo, qui confidentes in se non deserit, imo propitius adest eis auxiliis opportunis; qui Ecclesiam sponsam suam de sublimi coeli solio intuetur misericorditer et tuetur, ac pietatis suae beneficiis non desinit exaltare.

§ 5. Vestris igitur, et aliorum suffragiis Omnes ut pro ipso ad Deum orent, precatur.
propter imperfectionem nostram plurimum indigentes, universitatem vestram fiducialiter requirimus, et attentius exhortamur, quatenus assidua nos apud Deum intercessione iuvetis, solventes pro nostro auxilio linguas in preces, et in orationes labia exercentes, humilitatem nostram sibi affectuosis supplicationibus commendando, et deprecationibus penes ipsum instando devotis, ut super nos imbrem gratiae suae pluat, et rorem solitae benignitatis infundat, quod, actus nostros dirigentes ad ipsum, Ecclesiam suam, quam nobis committere voluit, salubriter regere, ac de universo ipsius grege, vigilantiae nostrae credito, curam gerere debitam, sicut expedit, valeamus. Nos vero firmiter in animo gerimus vobis et vestris Ecclesiis benignis adesse praesidiis, vestrumque profectum condignis favoribus procurare.

Datum Viterbii mense septembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. mense septembris 1261, pont. anno I.

II.

Approbatio ordinis Militiae Beatae Mariae Virginis gloriosae sub regulari observantia beati Augustini (1).

SUMMARIUM

1. Prooemium. — 2. A quibus haec fuerit instituta Militia, pro qua regulae a Papa petitae. — 3. Nomen Militiae quale. — 4. Regula.

(1) Ex Regest Vatic.

— 5. Regularium vestitus. — 6. De recipiendis in ordine. — 7. Tempus probationis. — Professionis faciendae formula. — 8. Nemini nisi ad arctiorem ordinem pateat transitus. — 9. De Fratrum Conventualium vestibus. — Arma militaria et insignia. — 10. Quando liceat armorum delatio. — 11. De ieiuniis. — Quando cum eis, et a quibus dispensandum. — 12. De cibo. — 13. De celebratione divinorum Officiorum per clericos, et oratione fratrum. — 14. De Confessione et Communione. — 15. Quae ab iis sint fugienda. — 17. De electione prioris conventualis. — 18. Capitulum generale singulis annis celebrandum; et quae in eo agenda. — 19. De fratribus coniugatis. — 20. Eorum habitus. — 21. Modus eos recipiendi. — 22. Forma professionis. — 23. Nulli ab ordine exire liceat. — 24. Eorum habitus. — 25. Ieiunia et orationes. — Cibi. — 26. Bis in mense in conventibus conveniant ad audiendum verbum Dei. — 27. Ex his qui Regulares fieri volunt, recipiendi. — 28. Vestes uxorum fratrum. — 29. Fratres uxorati subsint episcopis. — 30. De generalis praelati electione. — 31. De vocalibus Capituli. — 32. Visitatio quolibet anno peragenda. — In statutis ordinis fratres ad correctionem tantum obligantur.

Alexander episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Sol ille verus perpetuo fulgore coruscans, lux quidem clarissima summae lucis et fons luminis defectum vel immutationem penitus nescientis, fidelium corda in hac ima et caliginosa valle sub carnis mole degentium infusione invisibili suae admirabilis claritatis illustrat, et saepe nobiles et potentes micantioribus contingens radiis, in eorum mentes lucem ingerit potiorem: per quam iidem intuitu perspicaciori sublimius contemplantes, altiora liberius comprehendunt, et celsiora etiam de his subtilius eligunt et ardentius amplectuntur: adeo quod, et ad suavem gustum et amorem coelestium alios suo salutari exemplo vehementer animant et inducunt.

A quibus haec uerit instituta Militia, pro qua regulae a Papa petitae.

§ 2. Hac siquidem luce profusi nobiles viri Lodderengus de Andalo, Gruamons de Cazanimicis cives Bononienses, Scelanca civis Reginus, Raynerius de Adelardis civis Mutinen., et alii plures de civitatibus eorumdem, qui huius saeculi spretis vanitatibus, in otio dulcis contemplationis divinis perseveranter vacare laudibus ferventi spiritu appetunt, nobis devote ac humiliter supplicarunt, ut eis et omnibus inclytum Christo cum ipsis cupientibus impendere famulatum, aliquam certam regulam, seu vivendi regulariter formulam specialem, sub cuius observantia salubri virtutum Domino magis placere valeant, statuere ac condere curaremus.

Nomen Militiae quale.

§ 3. Nos itaque piis eorum supplicationibus et salubribus desideriis favorabiliter annuentes, infrascriptam regulam studiose compositam praefatis nobilibus omnibusque illam profiteri, et sub ipsa divinis omnino se beneplacitis dedicare volentibus, de fratrum nostrorum consilio perpetuis temporibus observandam: quam utique regulam appellari volumus ordinem Militiae Beatae Mariae Virginis gloriosae, ut qui professi fuerint hanc regulam, tamquam speciali et perpetuo designato ordine taliter nuncupentur, videlicet fratres ordinis Militiae Beatae Mariae Virginis gloriosae.

Regula.

§ 4. Regula vero talis est: fratres, milites, clerici et laici, qui in conventibus seu conventualibus ecclesiis dicti ordinis fuerint, professionem regularem faciant secundum regulam beati Augustini, prout in forma inferius adnotata expressum esse dignoscitur: vivant sub obedientia praelati sui in omnimoda castitate et in habitu honesto, et in aliis etiam honestatibus eis competentibus; infrascriptum modum ieiunandi, et cibariorum usum observent, et proprium a se studeant abdicare. Non vadat aliquis sine socio fratre vel religiosa persona, videlicet ipsius ordinis de loco ad locum, neque septa monasterii sui absque licentia sui prioris egredi quoquo modo praesumat. Omnes simul in communi dormitorio iaceant, et

in communi refectorio comedant: infirmis et hospitibus ac etiam laborantibus dumtaxat exceptis, qui remaneant in provisione prioris sive eorum praelati.

Regularium vestitus

§ 5. Possint etiam huiusmodi fratres praeter mantellum et guascapum habere cappam clausam de camelino, vel de alio panno grisei coloris, illaque uti quando voluerint: clerici autem camisia de panno lineo aut guarnello albo, vel superpelliciis, et cappa clausa utantur: quibus etiam liceat pro loco et tempore uti superpelliciis sine cappa.

De recipiendis in ordine.

§ 6. Si quis ergo voluerit hanc vitam eligere, et fuerit idoneus, recipiatur in ordine de praelati licentia generalis, vel eius, cui generalis ipse super hoc commiserit vices suas, fratrum loci illius, in quo recipi debet, vel maioris partis eorum requisito et habito consilio et assensu. Nullus recipiatur in ordine, qui sit vel habeatur quomodolibet de haeretica pravitate suspectus, aut qui sit aere alieno gravatus, vel qui aliqua de bonis alienis habeat acquisita per usurariam pravitatem, aut per alium illicitum vel iniustum modum, per se vel per illum, qui ex testamento, vel ab intestato successit, nisi prius restituerit quod sic illicite ac iniuste accepit et habet, aut plenam et sufficientem securitatem satisfaciendi de his generali priori vel praelato duxerit exhibendam.

Tempus probationis.

§ 7. Huiusmodi autem modus et forma circa receptionem conventualium fratrum, clericorum et laicorum firmiter observetur. Recipiendus vero probationis habeat unum annum, quo finito, secundum subscriptam formam professionem faciat, et ad obedientiam admittatur. Forma autem talis est: Ego frater N. promitto Deo et beatae Mariae semper Virgini in manibus N. prioris vel praelati, et tibi N. modo priori sive praelato, tuisque successoribus canonice intrantibus obedientiam secundum regulam B. Augustini, servata tamen forma institutionis vitae fratrum ordinis Militiae B. Mariae Virginis gloriosae eisdem ordini ac fratribus a sanctissimo Patre domino Urbano Papa quarto tradita et concessa.

Professionis faciendae formula.

Nemini nisi ad arctiorem ordinem pateat transitus.

§ 8. Nulli autem liceat ab huiusmodi ordine seu religione exire, nisi forsitan ad arctiorem ordinem seu religionem, petita tamen a generali praelato licentia, voluerit se transferre.

De fratrum conventualium vestibus

§ 9. Fratres Milites, qui in conventibus commorantur, habeant tunicam interiorem de panno laneo albo, vel pignolato, super qua uti possint guarnatia similis coloris, aut de camelino, seu alio panno coloris grisei. Habeant etiam de panno huiusmodi grisei coloris, vel de camelino vel de albo colore mantellum, et hi qui voluerint uti caputiis, habeant illa, dummodo sint de panno albo, aut de panno grisei coloris, seu de camelino. Quando vero aequitant, guascapis grisei coloris uti valeant. Manicas autem tunicarum et supertunicalium clausas portent, calceamentis utantur honestis, non curiosis, nec sculptis cum ferreto seu alias; chirotecas simplices de corio aut de lana possint habere ac illis uti ubique, praeterquam in monasterio et ecclesiis; habeant quoque corrigias de corio non manubriatas, et pellibus tantum agninis utantur. Habeant insuper scuta et galeas, sellas et alia insignia militaria albi coloris cum cruce rubea, et duabus stellis similiter rubeis; utraque vero stella sit super utrumque brachium crucis, una videlicet a dextero latere et alia a sinistro. Frena equorum suorum non sint deaurata vel deargentata, sed simplicia tantum, et habeant de ferro calcaria nullatenus deaurata vel deargentata.

Arma militaria et insignia

Quando liceat armorum delatio.

§ 10. Liceat autem eis arma portare pro defensione catholicae fidei et ecclesiasticae libertatis, cum eis per Romanam Ecclesiam fuerit specialiter demandatum; pro sedandis etiam tumultibus civitatum arma protegentia tantum de sui dioecesani licentia portare valeant, et in manu virgam ligneam sine ferro. Caveant tamen, quod ad favorem vel iniuriam ali-

quorum huiusmodi licentiam non extendant. In locis vero dubiis, et propter viarum pericula possint ob rationabilem causam de sui maioris sive praelati voluntate defensionis arma occulte deferre.

De ieiuniis. § 11. Ieiunent fratres in omnibus ieiuniis ab Ecclesia institutis, videlicet in maiori quadragesima, in quatuor temporibus, in vigiliis Assumptionis B. Mariae Virginis et Apostolorum, exceptis vigiliis beatorum Iacobi et Philippi. In vigiliis quoque festivitatum Omnium Sanctorum, S. Laurentii et beati Ioannis Baptistae. In quadragesima Sancti Martini ieiunent quarta et sexta feria cuiuslibet septimanae, usque ad primam dominicam de Adventu, ac deinde ieiunent singulis diebus, usque ad festum Natalis Domini; in quibus utique diebus cibis quadragesimalibus semper utantur. Occasione vero infirmitatis aut alicuius alterius necessitatis non teneantur fratres ad ieiunium corporale; in illis autem ieiuniis, quae ab Ecclesia instituta non sunt, occasione laboris, seu debilitatis vel minutionis, aut alicuius solemnitatis, seu ex alia iusta causa, possit praelatus cum fratribus dispensare.

Quando cum eis, et a quibus dispensandum.

De cibo. § 12. Nullo vero tempore die lunae aut die mercurii carnes comedantur a fratribus in conventu, nisi forte Nativitatis Domini, aut alia solemnis festivitas occurreret tali die; in die sabbatho a carnibus et lardo et sagimine abstineant omnino, nec utantur fratres sexta feria ovis vel lacticiniis, nisi prior sive praelatus ex aliqua iusta causa super hoc viderit fore cum aliquibus dispensandum.

De celebratione divinorum Officiorum per clericos, et oratione fratrum. § 13. Clerici divina officia studeant celebrare: alii vero fratres, qui non sunt clerici et sciunt legere, dicant, si voluerint, Officium beatae Mariae Virginis; alioquin tam ii, quam illi, qui legere nesciunt, dicant pro matutinis duodecim *Pater noster* cum totidem *Ave Maria*, et pro vesperis similiter dicant totidem. Pro qualibet vero aliarum horarum, scilicet prima, tertia, sexta, nona et completorio dicant septem *Pater noster* et septies *Ave Maria*, et omnes fratres missam audiant, si commode poterunt, omni die.

De Confessione et Communione. § 14. Et cum peccata in Confessione laventur, omnes fratres studeant confiteri frequenter et pure, ac ter ad minus in anno, videlicet in festivitatibus Natalis et Resurrectionis Domini ac Pentecostes, Eucharistiam, scilicet Corpus Domini nostri Iesu Christi, facta prius generali Confessione, cum omni devotione recipiant, nisi forte aliquis de sui praelati licentia ex aliqua iusta causa hoc duxerit differendum.

Quae ab iis sint fugienda. § 15. Caveant omnes fratres ne vadant ad convivia militum seu aliarum saecularium personarum, aut ad nuptias, seu ad aliqua spectacula inhonesta; histrionibus non donent aliquid, nec a suis familiaribus donari faciant: in triviis aut porticibus more saecularium in colloquiis non morentur, quoniam ex hoc religiosae vitae honestas et fama posset non modicum denigrari.

§ 16. Non recipiant officia publica, scilicet potestarias civitatum vel castrorum, aliorumve locorum, aut aliud officium, quod pertineat ad commune, nec associent aliquos aliquorum locorum regimina exercentes; non sint de consilio civitatum, seu aliquorum aliorum locorum aut partium aliquarum in eisdem civitatibus vel locis sibi invicem adversantium, nec eant ad huiusmodi consilia, nisi pro negotio fidei vel ecclesiasticae libertatis, aut pro bono pacis, seu pro aliis operibus pietatis, vel mandato Sedis Apostolicae speciali; nullum potestatibus, seu rectoribus civitatum seu locorum quorumcumque aliorum exhibeant iuramentum, et a quocumque alio iuramento, quantum cum Deo poterunt, studeant abstinere.

De electione prioris conventualis. § 17. Electio conventualis praelati spectet ad fratres conventuales tantum qui, facta professione, in conventibus commorentur, nec possint ipse conventualis vel generalis praelatus, aut fratres aliqui conventuales aut alii vendere, distrahere,

donare, permutare, aut alias quomodolibet alienare, vel pignori obligare quidquam de possessionibus Ecclesiarum suarum, seu etiam de mobilibus in dispendium conventus vel ordinis, neque contrahere debita onerosa sine licentia capituli generalis, in quo utique capitulo singulis annis fiat super his per generalem et diffinitores ipsius inquisitio specialis, nec possit generalis in ordine, nisi cum fratribus in ipso capitulo generali convenientibus, et conventualis in conventu suo, nisi de fratrum eiusdem conventus, aut maioris partis ipsorum consilio et assensu facere vel edere aliquod statutum generale seu praeceptum.

Capitulum generale singulis annis celebrandum: et quae in eo agenda.

§ 18. Singulis autem annis fiat generale capitulum, et in ipso capitulo diffiniatur de alio capitulo celebrando anno sequenti, nisi hoc ex aliqua iusta causa fuerit differendum; et in ipso capitulo possit generalis praelatus cum consilio et assensu fratrum ibidem convenientium, vel maioris partis ipsorum, constitutiones condere et mutare conditas, et addere, minuere, corrigere in ipsis et interpretari easdem, dummodo in his nihil fiat, quod sit contra Sedem Apostolicam, vel regularibus obviet institutis, et quidquid ab eodem generali praelato taliter factum fuerit, ab omnibus fratribus ordinis inviolabiliter observetur.

De fratribus coniugatis.

§ 19. Fratres praedicti ordinis coniugati, et alii, qui in domibus propriis voluerint commorari, promissionem faciant secundum formam inferius adnotatam, vivant sub obedientia praelatorum suorum, salvo iure matrimonii contracti aut etiam contrahendi, et in coniugali vel perpetua castitate, si non habentes uxores, sine uxoribus voluerint permanere. In ieiunandi modo et in habitu honesto et in aliis etiam honestatibus eis competentibus, prout inferius in his, quae ad eos pertinent, continetur.

Eorum habitus.

§ 20. Possint huiusmodi fratres praeter mantellum et guascapum ordinis habere cappam clausam de panno grisei coloris, aut etiam de camelino.

Modus eos recipiendi.

§ 21. Si quis ergo coniugatus seu alius voluerit hanc eligere vitam, et fuerit idoneus, recipiatur in ordine, de praelati licentia generalis aut eius, cui idem generalis super hoc commiserit vices suas, requisito et habito consilio et assensu fratrum loci illius, in quo fuerit moraturus, si fratres inibi fuerint, et observetur alius circa receptionem ipsius totaliter modus, qui circa receptionem fratrum conventualium superius est expressus.

Forma professionis.

§ 22. Recipiendus vero probationis habeat annum, quo finito, promissionem faciat secundum subscriptam formam, et ad obedientiam admittatur. Forma autem promissionis huiusmodi fratrum, qui in propriis domibus commorantur, talis est: Ego frater.... promitto Deo et beatae Mariae semper Virgini obedientiam in manibus N. prioris, sive praelati, et tibi N. priori, sive praelato, tuisque successoribus canonice intrantibus secundum formam institutionis vitae fratrum ordinis Militiae Beatae Mariae Virginis gloriosae eisdem ordini ac fratribus a sanctissimo Patre domino Urbano Papa quarto traditam et concessam, salvo iure matrimonii, in quo sum vel in quo ero.

Nulli ab ordine exire liceat.

§ 23. Nulli autem ab huiusmodi ordine seu religione exire liceat, nisi forsitan voluerit ad arctiorem ordinem, petita tamen a generali licentia, se transferre.

Eorum habitus.

§ 24. Induantur huiusmodi fratres coniugati et alii, qui in domibus propriis commorantur, et utantur caeteris, prout superius in capitulo de habitu conventualium continetur: quod capitulum sic incipit: Fratres milites, qui in conventibus commorantur, habeant tunicam *etc.*, hoc tantum adiecto, quod possint habere et ubique, si voluerint, portare guascapum de camelino seu de alio panno grisei coloris.

Ieiunia et orationes.

§ 25. Ieiunent huiusmodi fratres secundum formam ieiunii superius traditam fratribus conventualibus in praemisso ca-

pitulo, quod sic incipit: *Ieiunent fratres in omnibus ieiuniis etc.*, et observetur ab eis totaliter quidquid in ipso capitulo, tam circa ieiunium et abstinentiam, quam circa horas nocturnas et diurnas dicendas ab eis, et etiam circa audiendam Missam, et confessiones faciendas, et receptionem Corporis Christi. Observetur quoque ab eis firmiter et totaliter quidquid in praescripto capitulo, quod sic incipit: *Caveant omnes fratres ne vadant ad convivia Militum,* continetur. Liceat tamen eis in die lunae comedere carnes, sed sani fratres die mercurii carnibus non utantur, nisi forte Nativitatis Domini, aut alia solemnis festivitas occurreret tali die, nec aliquis huiusmodi fratrum per civitatem aut per alium locum solus incedat, sed habeat secum alium fratrem eiusdem ordinis aut alium honestum socium, scilicet hominem bonae famae, de domo sua ad ecclesiam et ad agros suos sine socio possit ire, petita et obtenta licentia sui praelati.

Cibi.

Bis in mense in conventibus conveniant ad audiendum verbum Dei

§ 26. Semel vel bis in mense secundum beneplacitum sui praelati conveniant huiusmodi fratres cum conventualibus in domo conventuali, si sit in civitate vel castro, aut alio loco ubi ipsi degunt, sive in eadem dioecesi ad audiendum verbum Dei, et ad tractandum de his, quae ad honestatem status sui viderint expedire, nisi praelatus hoc ex aliqua iusta causa duxerit differendum, verumtamen ad morandum in conventibus, vel ubi extra domos suas compelli non possint; sed ad conveniendum pro audiendo verbo Dei, et pro habendo tractatu de his, quae ad honestatem status sui pertinent, et etiam ad eundum ad capitula generalia valeant coarctari; possint etiam, si voluerint, in maiori, et Sancti Martini quadragesimis, in Quatuor Temporibus et in vigiliis festivitatum principalium, et in eisdem festivitatibus esse cum fratribus in conventu, choro et in refectorio, et in capitulo loci suae civitatis aut dioecesis eiusdem.

Ex his qui regulares fieri volunt, recipiendi.

§ 27. Si qui huiusmodi fratrum, qui in domibus suis vivunt, voluerint conventuales effici et professionem facere regularem iuxta formam beati Augustini superius adnotatam, sine contradictione aliqua recipiantur in alio conventu secundum beneplacitum generalis praelati. Hoc autem in uxoratis locum habeat, postquam uxores eorum mortuae fuerint, aut religionem intraverint, seu fuerint in tali aetate constitutae, quod de ipsis, si in saeculo remanserint, aliqua non possit haberi suspicio, vel postquam eædem uxores liberam super hoc concesserint licentiam viris suis, in quibus uxoratis seu coniugatis cum in conventibus recipi voluerint, quoad uxores, forma iuris totaliter observetur.

Vestes uxorum fratrum.

§ 28. Uxores huiusmodi fratrum induantur vestibus de camelino, vel de alio panno grisei vel albi coloris. In optione tamen ipsarum sit habere unum vel plures ex praedictis coloribus in vestibus suis, dummodo vel tunicae, vel supertunicalia, vel mantelli unius tantum ex coloribus praemissis existant, pellibus utantur agninis, et habeant bindas aut ligaturas simplices, nec indecenter coloratas, ad quod teneantur omnino, postquam maritis suis professionem facientibus, ut supradictum est, praestabunt assensum.

Fratres uxorati subsint episcopis.

§ 29. Huiusmodi autem fratres uxorati et alii, qui in suis domibus morabuntur, in omnibus et per omnia subsint propriis episcopis et aliis praelatis ecclesiasticis, sicut prius.

De generalis praelati electione.

§ 30. Generalis praelatus huius ordinis eligatur in capitulo generali a fratribus tam conventualibus, quam aliis, qui morantur extra conventum, et ex fratribus militibus tantum, qui facta professione, morantur in monasterio, assumatur, cuius electio praesentetur Romano Pontifici confirmanda; ille qui electus fuerit ab omnibus fratribus dicti capituli, vel a maiori parte ipsorum, post confirmationem electionis suae ab Apostolica Sede obtentam, pro generali praelato ipsius

ordinis habeatur, ac caeteri fratres eiusdem ordinis teneantur ex tunc ei firmiter obedire in his, quae promiserunt se Altissimo servaturos.

De vocalibus capituli.

§ 31. Ad huius autem generale capitulum, cum fuerit celebrandum, mittantur duo fratres de quolibet loco dicti ordinis aut de qualibet civitate electi a conventualibus et ab aliis fratribus, qui in civitatibus aut locis aliis illius dioecesis, in qua situs est locus conventualis, in propriis domibus commorantur.

Visitatio quolibet anno peragenda.

§ 32. Singulis annis visitentur fratres omnes tam conventuales, quam alii in singulis locis eorum per generalem praelatum, vel per aliquem alium dicti ordinis, secundum quod eidem generali melius videbitur expedire; generalis vero et illi qui præerunt fratribus ipsius ordinis in singulis locis sollicite vigilent et attendant qualiter iidem fratres ea, quae Altissimo promiserunt, et qualiter huiusmodi regulam observare procurent: vigilent etiam, et attendant qualiter fratres ipsi de bono in melius semper proficiant, et qualiter negligentes et delinquentes corripiantur, et provideant taliter circa eos, quod ex huiusmodi religione odor bonae vitae proveniat et sanctitatis exemplum. Provideant insuper ne per scandala et insolentias aliquorum caeteri eiusdem ordinis fratres possint quomodolibet infamari. Ne vero praelati vel maiores dicti ordinis voluntate pro lege utantur in corripiendis excessibus subditorum, si quidem excessus aliquorum graves et notorii fuerint, circa correctionem eorum requirant et habeant fratrum suorum seniorum et graviorum consilium et assensum, ut, iuxta modum culparum, possit convenienter correctionis remedium adhiberi. In aliquibus statutis et ordinationibus dicti ordinis, exceptis his, quae continentur in praescripta forma professionis et obedientiae, aliisque quorum transgressio obligatoria est ad culpam, non obligentur fratres ad poenam mortalis peccati, sed solum ad poenam correctionis et disciplinae, dummodo parati sint pro negligentia et transgressione eorum, quae in huiusmodi regula continentur, satisfactionem eis iniunctam humiliter suscipere, ac obedienter et efficaciter adimplere, cooperante ipsius gratia Domini et Redemptoris nostri Iesu Christi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum.

In statutis ordinis fratres ad correctionem tantum obligantur

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere *etc.*

Datum Viterbii decimo kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 23 decemb. 1261, pontif. anno I.

III.

Canonizatio Sancti Richardi episcopi Cicestren. in Anglia, eiusque relatio in numerum sanctorum confessorum, cum institutione festivitatis pro die tertia mensis aprilis.

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. B. Richardi encomium. — 2. Eius virtutes in iuventute. — 3. Celibatum servat. — 4. In partem sollicitudinis a B. Edmundo Cantuarien. vocatus, quam bene se gesserit. — In inferioribus administrationibus qualis fuerit. — 6. In episcopatu Cicestren. qualis. — Eius vigiliae, — Et carnis maceratio. — Miracula nonnulla patrat adhuc vivens. — 7. Panis multiplicatus ad refectionem pauperum. — 8. Horam mortis praedicit. — 9. Eius mortui corporis pulchritudo. — 10. Paralyticum gressui reddit. — 11. Fistulas desiccat. — 12. Tres mortuos suscitat. — 13. Exanimem natum vivificat. — 14. Alexander PP. super his inquiri mandat. — 16. Cathalogo sanctorum adscribitur. — 17. Anniversaria eius celebranda festivitas. — 18. Eius visitantibus sepulchrum indulgentia conceditur.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, ven. fratribus archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidia-

conis, praepositis, archipresbyteris et aliis Ecclesiarum praelatis, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Exultet angelica turba coelorum, exultent divina mysteria; Summi namque Regis victoria et salutaris suae Passionis effectus in humani relucent generis creatura. Exultent in gloria Sancti et in suis laetentur cubilibus, de novo Coeli concive, qui habitator dudum domus luteæ terrenum fundamentum habentis, post carnem cum vitiis, mundum cum delitiis superatos, post habitum de hoste antiquo triumphum, corporis ergastulo resoluto, factus compatriota coelestium, coelesti quiescit in patria, sydereas incolit mansiones. Exultet Mater Ecclesia novae prolis foecunditate iucunda, cuius meritis fidem catholicam supra firmam petram stabili firmitate firmatam, claris inspicit clarere prodigiis, et signis insignibus insigniri, quibus fallaces haereticorum confutantur fallaciae, iudaeorum confunditur obstinata protervia, inexcusabilis ignorantia paganorum, omni prorsus excusationis velamento (1) frangitur. Anglia prorumpat et iubilum, in celebri memoria se virum produxisse meditetur angelicum, consortem gloriae angelorum. Exultet et gaudeat Cicestren. Ecclesia, quae tantum meruit habere pastorem, qui eam vivus salutaribus instituit monitis, laudabilibus instruxit exemplis; moriens favore munit apud homines, intercessionibus protegit apud Deum. Gaudens igitur et exultans cum iucunditate, commemoret se illum in terris habuisse patronum, cuius in coelo patrocinio communitur. Plaudant et iubilent profusis cuncti christicolae gaudiis, dum passiones huius saeculi ad aeternam considerant gloriam profecisse, ut temporalibus poenis affecti, aeternis gaudiis potiantur, dum mundi, mundanorumque contemptum, ad aeternae haereditatis participium convalescere intueantur, ut terrena spernentes, superna participent et fiant Christi Domini cohaeredes. Plaudant itaque manibus, exultationis voce iubilent, plausus exultet operum, iubilet vox psalmorum, piis plaudant manus operibus, orationum devota tripudia voces sonent, resonent cymbala bene sonantia, labia cordi concinna. Concors concrepet harmonia, cor amet, lingua clamet, manus operetur instanter. Laeti diem agant laetitiae plebs et clerus, ex immensitate gratiae mensuram laudis et laetitiae metiantur. Laudent igitur Dominum secundum multitudinem infinitae suae magnitudinis sine fine.

B. Richardi encomium. § 1. Laudent eum in venerandae memoriae B. Richardo quondam episcopo Cicestren. mirabilem, quem ipse sua immensa bonitate, virtutum operatione mirificans, et gratia sanitatum, sic immensis illustravit miraculis, quod in diversitate graduum sui status, in gratia et gloria gradatim ascendit. In subiectionis namque statu, quasi stella matutina promicuit in medio nebulae, dum in ipsa iuvenilis aetatis ignorantia, innocentiae firmato vestigio, imitando vixit exemplo. In praelationis gradu, quasi luna in diebus suis plena resplenduit, potius de virtutum crescentium meritis incrementa suscipiens, quam de auctae gloria dignitatis. Post felicem vero transitum de hac vita, quasi sol refulgens, sic ipse in templo Dei refulsit, dum signis evidentibus, quasi radiantibus solis radiis coruscavit. Felix principium, feliciori continuatum medio, felicissimo meruit fine concludi, cuius vitae talis exitus debebatur. Sic debuit ei Largitor bonorum omnium praesentis curricula vitae decurrere, ut mundo moriens ipsi Deo, felicius vivere mereretur. Cuius vitam, per quam verae vitis palmes effectus, vivit aeterna plantatus in vita. Cuius processum, per quem sibi ad coeleste palatium misericordiarum Pater paravit accessum, cuius miranda miracula, quibus miraculose per ipsius merita dominantium Dominus suam mirificavit Ecclesiam, ad

(1) Deest forsitan *sublato*.

suae laudis praeconium, ad instruendum novis propugnaculis christianae religionis aedificium, ad praesentium et futurorum instructionem et gaudium, grato compendio, gratia divina favente sermoni, compendiosus sermo perstringet.

Eius virtutes in iuventute.

§ 2. Hic nempe a primaevae iuventutis suae primitiis, Ducis illius ducatu deductus, illius Regis rectus et directus regimine, in cuius cellaria ipsum sequens, ipsi obsequens, semper optavit anxius, et tandem obtinuit, ut credimus firmiter, gloriosius introduci. Vacans studiose virtutibus, virtutum Domino votive reddidit vota sua omnia; quae iuvenilis aetas perniciose solet amplecti, velut in annosa iam constitutus aetate, discreta maturitate devitans. Continentiae studuit, adolescentiae ac iuventutis vias incertas, adeo impolluto nixus calle transire, quod famam suam ab omni contagii carnalis infamia servavit illaesam.

Celibatum servat

§ 3. Quin etiam a fratre primogenito per grati obsequii eius inducto gratiam, non seducto per alicuius calliditatis astutiam, cum oblatione cedendi patrimonii, quod secundum morem patriae idem frater totaliter obtinebat, invitatus ad coniugale cuiusdam nobilis puellae consortium, mundi huius, corde mundo, immundis declinatis illecebris, ut in sortem Domini cederet, cessit huiusmodi cessioni, et animam suam firmo proposito coelesti Sponso desponsans, sponsae terrenae sponsalia sponte sprevit, ad castitatis aspirans privilegium, non execrans carnalis matrimonii sacramentum. O negotiatio provida, o utilis et ingeniosa mercatio! terrena pro coelestibus commutavit, transitoria pro mansuris, temporalia pro aeternis. Contempsit temporale patrimonium, ut particeps fieret haereditatis aeternae; carnalis coniugii voluptates appetentibus anxias, satietatis poenitudine plenas, abhorruit, ut immaculati thori delicias, desiderantibus suaves et placidas fruentibus, gratas et avidas obtineret.

In partem sollicitudinis a B. Edmundo Cantuarien. vocatus, quam bene se gesserit

§ 4. Et ut eo plenius in incoepta negotiatione proficeret, quo uberius scientia et virtutibus impleretur, impendit studio sollicitas operas, virtutibus se virtuose devovit. Et quia vas novum, animum scilicet peccatorum maculis non infectum, vero attulit Elyseo, ipse sapientiae sal misit in illud, ipsumque virtutibus, ac famae nitentis oleo adeo foecundavit, quod proficiens prae coætaneis suis, in litterarum scientia, in tantum virtutibus profecit et fama, quod inter caeteros, imo cum caeteris, B. Edmundus tunc Cantuarien. archiepiscopus, currens in scientiae suae praeconio et laudabilis conversationis odore, ipsum in participem singularis familiaritatis, et ad officium cancellariae Cantuarien. assumpsit. Cumque datam illi a Domino gratiam, pleniorem exolveret familiaris experientia, quam vulgaris fama promiserat, circa totius archiepiscopatus administrationem ipsius ministerio utebatur. Ipsum suam dexteram reputabat, fidum sui pectus consilii, fidelem ministrum iustitiae, ac eruditam linguam fructuosae doctrinae.

In inferioribus administrationibus qualis fuerit.

§ 5. In his autem et aliis inferioribus administrationibus suae curae commissis, Vir Dei, divina ipsum prosequente gratia, talitermini stravit, quod in veracitate sermonis, censurae iustitia, mansuetudinis lenitate, exhibuit, omnibus utilem, pauperes humilitatis cultu, omnibus se amabilem auxilio, divites consilio refovendo, in iis, quasi stella matutina resplendens, suis crescentibus meritis in plenae lunae claritatem excrevit. Licet enim soleant interdum virtutes tepescere et otio cedere, desideratae dignitatis culmine accedente, dum student aliqui vivere quietius, et persistant in optata et obtenta dignitate diutius; in isto tamen, cum altioris gradus incremento, creverunt.

In episcopatu Cicestren. qualis.

§ 6. Ipse namque vocatus ad regimen Ecclesiae Cicestren., factus est solito longe magis vigil ad curam, non segnis ad opus, suavis ad mores. Ex tunc ei fuit pauperum cura maior, habitus abiectior, gestus et affatus humilior. Ex tunc

ipse in persecutionum perpessione fortior, in libertatis ecclesiasticae defensione constantior, in iustitiae censura inflexibilior, in oratione ferventior, in eleemosynarum largitione profusior, in proprii corporis castigatione rigidior, districtior in observantia disciplinae, in carnis et spiritus lucta prudentior. Horum colluctatione frequenter in ipsa luctatus, prudenter attendit, studuit lucrari prudenter, carnem coegit servire spiritui, abiecit ancillam et filium eius, carnem et carnis incentiva prosternens vigiliis, quas, spreto cubili, pervigil observabat, refocillavit spiritum, pavit ieiuniis, multa orationum assiduitate nutrivit. O virum industrium, o circumspecti athletae prudentiam! Carni arma debilitationis imposuit, ut armis fortitudinis spiritus armaretur. Illi dedit arma terrestria, ut spiritus arma coelestia commodius toleraret. Ut enim carnis carie caute careret effectu, vere Mardochaeus effectus, ipsius et nomen et omen assumpsit, dum nominis interpretationem implevit, impudentis carnis factus amara contritio, et ipsam amare conterens impudentem. Posuit enim vestimentum eius cilicium, et ipsius stimulos corigia ligneis et ferreis pungente stimulis se nudum comprimendo repressit, loricamque superinduens, arma macerationis adiecit. O pugnantis cauta sagacitas, sagaxque cauthela, o dolus bonus in hostem! Sic amavit adversarium, ut armis debilitaret armatum, cum debilitato secure confligeret, in conflictu quietius vinceret, de armato virtuosius victoriam obtineret. Haec miranda, haec laudanda belli victoria, non in exercitus multitudine, sed de coelo veniens fortitudo. Hoc opus Illius, in cuius conspectu non est differentia in multis liberare vel paucis. Hoc opus Illius, qui docuit lucernam accensam non poni sub modio, sed candelabro superponi. Hoc Illius opus, qui quod verbo docuit, opere in B. Richardo complevit. Ipse enim Pater luminum, qui dedit per tenebras mundi huius in suo lumine ambulare, in ipso meritorum lucernam accendit, ipse illam candelabro mirabilium operum superimposuit, ut per clara merita, quasi luna resplendens, tandem per miraculorum evidentiam in solis fulgorem proficeret et quasi sol in templo christianae fidei refulgeret, nec laterent in abditis tantae opera claritatis, quae idem Summus Opifex per eum non solum cum ipso regnantem, sed etiam adhuc, licet praeter carnem, tamen in carne viventem, dignatus est mirabiliter operari, patientibus ad beneficium, videntibus et audientibus ad mirandum imitationis exemplum et proficiendi doctrinam. Quorum de multis aliqua, onerosae multitudinis vitandae gratia, brevis series reserabit.

Eius vigiliae, *Et carnis maceratio.* *Miracula nonnulla patrat adhuc vivens.*

§ 7. Quodam siquidem edulitatis tempore ad eiusdem beati viri eleemosynam inopinata concurrente inopum copia, panem qui ad nonaginta refectionem pauperum, distributione solita extimatus, occurrentis multitudinis vix parti minimae concurrebat in numero, vivus Panis, qui de coelo descendit, ad ipsius benedictionem abundare fecit in tantum, quod praeter extimationem astantium, refectis abunde fere tribus millibus pauperum consuetas recipientium portiones, de supernae abundantia pietatis superabundaverunt partes, quae secundum eamdem distributionem, centum adhuc pauperes refecissent.

Panis multiplicatus ad refectionem pauperum.

§ 8. Hic resolutionis sui corporis tempore propinquante, per plures dies ante horam mortis certam, licet ipsa nihil incertius, facti subsecuta veritate dictum certificante, praedixit.

Horam mortis praedicit.

§ 9. Post cuius transitum, corpus ipsius antea gravatum vigiliis, terrae duritia, in qua frequenter solebat decubare, confractum, ieiuniis maceratum, macerationibus multis afflictum, praeter humanum morem, nitidissimum apparuit, ut probaretur pressuris talibus non oppressum, sed potius expolitum.

Eius mortui corporis pulchritudo.

§ 10. Ad ipsius invocationem, con-

Paralyticum gressui reddit. tractus cuius membra naturaliter gressui ministrantia, ita totaliter plurium annorum paralysis inveterata contraxerat, ut eisdem, membris huius ministerio ineptis redditis, nulla omnino daretur gradiendi facultas, Ille cuius mira sunt opera, subito membris ipsis in solitam virtutem erectis, in liberi gressus libertatem erexit.

§ 11. Antiquatas fistulas plurium ossium extractione concavas, et sine spe sanitatis stillantes saniem, eiusdem Sancti meritis, ulceribus etiam repente sanatis, divinae pietatis affluentia desiccavit. *Fistulas desiccat.*

§ 12. Tres mortuos, quorum unum currentis currus per medium rota compresserat, reliquos vero febris extinxerat, Ille, qui mortem moriendo destruxit, precibus sub eiusdem porrectis, nomine inclinatus, suscitavit ad vitam. *Tres mortuos suscitat.*

§ 13. Et quod non est praetereundum silentio, sed solemni vulgandum gaudio, in humanum corpusculum e vestigio inhumandum, utpote de corpore matris natum exanime, de utero transferendum ad tumulum, eius invocato nomine, animam viventem animarum Creator infundit. *Exanimem natum vivificat.*

§ 14. Sane iis et aliis miris operibus Sancti huius astruentibus sanctitatem et christianae fidei veritatem, miraculorum lingua loquente, concurrit undique populus, crevit devotio, laudatur Dominus de salutiferis gratiis, salutis Auctori gratiae referuntur. Invaluit super his fama communis, et celebris in auribus felic. record. Alexandri Papae praedecessoris nostri, de Anglorum tabernaculis vox exultationis et salutis intonuit. Ad ipsum charissimi in Christo filii nostri N. regis illustris, praelatorum et aliorum magnatum Angliae, supplicationis humilis instans clamor ascendit, praedecessoris ipsius auctoritate, inquisitionem fieri super praedictis obtinuit. Nos et fratres nostros, per praelatos, religiosos, comites, barones, et alios fide dignos in inquisitione ipsa probata veritas et auctoritate nostra, primo per ven. fratrem nostrum N. episcopum Tusculan., ac demum per nos, et eosdem fratres diligenti examinatione discussa, de Sancti eiusdem vita mirabili, miraculis et meritis gloriosis instruxit. *Alexander PP. super his inquiri mandat.*

§ 15. Exultet itaque coelum laudibus, resultet terra gaudiis, et huius Sancti solemnia laeto concentu concinat populus christianus. Molliatur duritia iudaeorum, paganorum ignorantia instruatur, sileant haereses, haereticorum dolosa labia conticescant, nec moliantur amplius dolosae vulpeculae religionis christianae segetem, caudis ignitis et dolosis fraudibus, demoliri. Virtutem vereantur Ecclesiae tanti ac talis et similium patronorum defensione munitae, nec ipsorum praesumptuosa temeritas de caetero in ipsam praesumat insidias, evidentium operum, et signorum propugnaculis tantis instructam; signis saltem evidentibus acquiescant, qui in veri dogmatis testimoniis non quiescunt. Operibus saltem credant, qui pertinaciter evangelicae doctrinae non credunt. Avertantur ab errorum inviis, veritatis convertantur ad viam, ut in Domini veritate directi, rectius huius B. viri vias fidei, et operis vestigiis investigent, ipsumque sequi studeant, qui ambulans in via immaculata, Domino fideliter ministravit.

§ 16. Caeterum, quia sicut de ipso pro certo tenet concepta ex his certa et indubitata credulitas, Rex coelestis sic eum honorari decrevit in coelis, ut aeternae claritatis lumine, quasi regiis vestimentis amictus et sempiternae gloriae diademate decoratus, sedi supernae quietis insideat; decet ut nostro ministerio per omnem christiani cultus ambitum vehiculo debitae venerationis incedens, pro- *Cathalogo sanctorum adscribitur.*

fusis per orbem gaudiis et effusis undique laudibus, honoretur in terris. Propter quod de fratrum eorumdem ac praelatorum, apud Sedem Apostolicam existentium, unanimi consilio et concordi consensu, in festo B. Vincentii undecimo kalendas februarii, eum hostis humani generis, carnis et mundi victorem, sanctorum cathalogo cum celebri gaudio duximus adscribendum.

Anniversaria eius celebranda festivitas.

§ 17. Ideoque universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus tertia nonas aprilis (quo utique die ipsius beatus spiritus de vitae praesentis exilio transivit ad patriam, et mundi huius egressus tenebras, ac luminis abyssum ingressus, ad inaccessibilem lucem accessit, ipsam felix habitans et habetur feliciter ab eadem) celebriter eius festa celebria, modulatis vocibus et cordibus, annis singulis celebretis, et a vestris faciatis subditis celebrari, ut eumdem gloriosum Confessorem et inclytum venerantes in terris, sentiatis intercessorem assiduum et defensorem perpetuum in excelsis.

Eius visitantibus sepulchrum indulgentia conceditur.

§ 18. Ut autem ad venerabile sepulchrum ipsius, eo affluentius quo utilius confluat populi multitudo, et colatur solemnius eiusdem Confessoris veneranda solemnitas, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui cum devotione ad illud in die solemnitatis ipsius accesserint eius implorando suffragia, singulis annis quibus illuc venerint de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum et quadraginta dies; accedentibus autem ad praedictum sepulchrum infra eiusdem festi quindenam, quadraginta dies de iniuncta eis poenitentia misericorditer relaxamus.

Datum Viterbii decimo kalendas martii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 20 februarii 1261, pontif. anno I.

IV.

Inquisitorum haereticae pravitatis auctoritas circa processum et examen testium, observantiamque legum editarum contra haereticos, et punitionem Praedicatorum et aliorum ipsis inquisitoribus inobedientium (1).

SUMMARIUM

Cura servandae Italiae ab haeresis labe. — 1. Loca inquisitoribus assignata. — 2. Contra culpabiles procedendum omnino: — 3. Non obstantibus specialibus commissionibus, dioecesanorum processib., *etc.* — 4. Redeuntes recipiendi. — 5. Non puniendi vero haeretici, dioecesanis inconsultis. — 6. Testes coram duabus personis examinandi. — 7. Depositiones per notarios conscribendae: — 8. Qui etiam regulares et clerici esse possint. — 9. Testium nomina non publicanda. — 10. Ad consulendum quemlibet cogere possint inquisitores. — 11. In negocio inquisitionis summarie procedendum. — 12. Leges contra haereticos latae servandae. — 13. Indulgentiae negocio inquisitionis incumbentibus propositae. — 14. Quaestuarios Praedicatores censuris percellendi data facultas, — 15. Et procedendi contra negocium huiusmodi impedientes. — 16. Obstantium derogatio.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Praedicatorum, inquisitoribus haereticae pravitatis in Lombardia et Marchia Ianuensi deputatis auctoritate apostolica, et in posterum deputandis, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet ex omnibus mundi partibus, quae christiana religione censentur, teneamur ex officii nostri debito extirpare lethiferam pestem haereticae pravitatis: in Italia tamen imminet nobis haec sollicitudo

Cura servandae Italiae ab haeresis labe.

(1) Leges ab imperatore Friderico latas contra haereticos confirmavit Innocentius PP. II, Constit. II hoc tomo, pag. 503. Leges autem alias contra eosdem sanxit idem Innocentius, Constitut. XXIV, pag. 547, Constit. XL, pag. 588, easque declaravit Alexander IV, Constit. XIV, pag. 611, Constit. XLVI, pag. 663 et seq.

propensius, ubi eamdem pestem propter malitiam temporis, qui in detrimentum fidei catholicae perversa genimina germinavit, ex vicinitate persensimus abundantius succrevisse.

Loca inquisitoribus assignata.

§ 1. Ut igitur inquisitionis officium contra haereticos in provincia Lombardiae, videlicet a Bononia et Ferraria inclusive, usque ad ultimos fines superiorum partium eiusdem provinciae ac Marchia Ianuensi, auctoritate apostolica possit efficacius adimpleri: discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus in charitate Dei, hominum timore postposito, virtutem spiritus induentes, ex alto praedictum officium ubique infra praefatos limites, simul vel separatim, aut singulariter prout negotii utilitas suadebit, sub mercedis aeternae, sic efficaciter prosequi et exequi studeatis, ut per sollicitudinis vestrae prudentiam, de praedictis Lombardia et Marchia, radix iniquitatis haereticae succidatur: et vinea Domini, exterminatis vulpeculis, quae perversis morsibus demoliuntur eamdem, fructus afferat catholicae puritatis.

Contra culpabiles procedendum omnino:

§ 2. Si quos autem de pravitate praedicta culpabiles inveneritis vel infectos, seu etiam infamatos, contra ipsos (nisi examinati absolute velint mandatis Ecclesiae obedire) necnon et contra receptatores, defensores et fautores eorum, iuxta sanctiones canonicas, auctoritate apostolica, hominum metu divino timori postposito, procedatis.

Non obstantibus specialibus commissionibus dioecesanorum processibus, etc.

§ 3. Non obstantibus aliquibus litteris, ad quoscumque alios de Lombardia et Marchia praedictis (exceptis locorum dioecesanis) super huiusmodi negotio ab Apostolica Sede directis, quarum deinceps ad inquisitiones huiusmodi faciendas nolumus auctoritate procedi, quinimo ne procedatur per illas districtius inhibemus. Nec praetextu commissionis specialiter eisdem dioecesanis super hoc factae, vestros processus in eorumdem dioecesanorum civitatibus et dioecesibus volumus impediri. Nec per hoc quod fidei negotium generaliter in ipsis Lombardia et Marchia vobis committimus, commissiones a praefata Sede dioecesanis eisdem factas, si forsan illarum, seu etiam ordinaria velint auctoritate procedere, intendimus revocare. Verumtamen sive auctoritate ordinaria, sive ex delegatione praedictae Sedis, iidem dioecesani in huiusmodi negotio processerint, nequaquam volumus, vel per concursum processuum, vel alias quomodolibet, vestros impediri processus, quin dioecesanorum ipsorum processibus non obstantibus, in eodem negotio procedere libere valeatis.

Redeuntes recipiendi.

§ 4. Si vero aliqui ex praedictis, haeretica labe penitus abiurata, redire voluerint ad ecclesiasticam unitatem, eis iuxta formam Ecclesiae, absolutionis beneficium impendatis, et iniungatis eisdem, quod iniungi talibus consuevit; proviso solerter, ne simulata conversione redeant fraudulenter, et vos, imo potius se ipsos fallentes, sub agni specie gerant lupum.

Non puniendi vero haeretici, dioecesanis inconsultis.

§ 5. Quod si aliqui fuerint iudicandi haeretici, vel incarcerationis poena perpetuae alicui pro huiusmodi crimine fuerit infligenda, ad id per vos de dioecesanorum vel vicariorum suorum, si ipsis dioecesanis absentibus praesentes fuerint, consilio procedatur; ut in tantae animadversionis iudicio non postponenda Pontificum auctoritas intercedat.

Testes coram duabus personis examinandi.

§ 6. Verum quia in tam gravi crimine, cum multa oportet cautela procedi, ut in reos sine ullo proferatur errore durae ac dignae severitas ultionis, volumus et mandamus, ut vos vel illi, quos ad hoc duxeritis deputandos, in examinatione testium, quos recipi super crimine praedicto ipsumque contingentibus oportuerit, adhibeatis duas religiosas et discretas personas, in quarum praesentia, per publicam, si commode potest haberi, personam, aut per duos viros idoneos, fideliter eorumdem depositiones testium conscribantur.

§ 7. Ad conscribendas quoque huius-

Depositiones per notarios conscribendae: modi depositiones testium, et ad faciendum omnia, quae in commisso vobis officio, ad scriniarii seu tabellionis officium pertinent, teneri districte praecipimus, cum per vos seu deputatos ad hoc a vobis requisiti fuerint, omnes et singulos vestri ordinis fratres, qui dum essent in saeculo, huiusmodi tabellionatus officium habuisse et exercuisse noscuntur, et illos etiam, quibus idem tabellionatus officium, ratione praefati negotii fidei, fuit a dicta Sede commissum et in posterum committetur.

Qui etiam regulares et clerici esse possint. § 8. Concedentes huiusmodi fratribus, necnon et aliis religiosis quibuslibet, qui similiter dum essent in saeculo, dictum tabellionatus officium habuerunt et exercuerunt: quibuscumque etiam clericis saecularibus, officium ipsum habentibus, etiamsi idem fratres religiosi et clerici sint in sacris ordinibus constituti, exercendi libere officium ipsum, quoad praemissa, non obstante aliquo contrario statuto, canonis vel ordinis, quocumque vallato munimine, plenariam facultatem..

Testium nomina non publicanda. § 9. Quod si testibus, quos a vobis recipi, vel ab alio vice vestra super eodem crimine examinari contigerit, ex publicatione nominum eorumdem, videritis periculum imminere, ipsorum nomina non publice, sed secrete, coram aliquibus personis providis et honestis, religiosis et aliis ad hoc vocatis, de quorum consilio ad sententiam vel condemnationem procedi volumus, exprimantur; et sic non obstante quod illis, contra quos huiusmodi testes deposuerint, eorum nomina non fuerint publicata, ad cognitionem iudicis instruendam, adhibeatur plena fides testium depositionibus eorumdem.

Ad consulendum quemlibet cogere possint inquisitores. § 10. Ut ergo commissi vobis officii debitum utilius et liberius exequamini, committendi citationes testium, examinationes, cum de huiusmodi crimine ac ipsius circumstantiis duxeritis inquirendum, et denunciationes sententiarum, quas in quoslibet hac de causa tuleritis; accersendi quoque, prout expedierit, peritos quoslibet, ut vobis in ferendis huiusmdi sententiis praebeant consilium opportunum ac vobis assistant, convocandi etiam clerum et populum civitatum, castrorum, aliorumque locorum, prout dicto negotio fidei videritis expedire:

In negocio inquisitionis summarie procedendum. § 11. Insuper, in dicto negotio, de plano, absque iudiciorum et advocatorum strepitu, ac contra illos, quos in praedictis Lombardia et Marchia Ianuensi in haereseos crimine commisisse constiterit, licet ad alias partes se transferendos duxerint, procedendi:

Leges contra haereticos latae servandae. § 12. Necnon, faciendi observari inviolabiliter omnes constitutiones apostolicas et leges imperiales per quondam Federicum olim Romanorum imperatorem, tunc in devotione Romanae Ecclesiae persistentem, Paduae promulgatas adversus huiusmodi pestem haereticae pravitatis: Necnon elargiendi viginti vel quadraginta dierum indulgentiarum, quotiens opportunum videritis, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui ad vestram convocationem propter hoc faciendam, accesserint, plena sit vobis et singulis vestrum praesentium tenore facultas.

Indulgentiae negocio inquisitionis incumbentibus propositae. § 13. Vobis autem pro huiusmodi negotio laborantibus, illam peccatorum veniam indulgemus, quae succurrentibus Terrae Sanctae in generali concilio est concessa; sociis vero vestri ordinis et notariis vestris, qui una vobiscum in prosecutione huiusmodi negotii laborabunt, et omnibus, qui personaliter vobis astiterint in eodem negotio, et qui ad impugnandum haereticos, fautores, receptatores et defensores eorum, vobis ex animo praestiterint consilium, auxilium vel favorem, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, tres annos de iniunctis sibi poenitentiis relaxamus. Et si qui ex his in prosecutione huiusmodi negotii forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus.

Quaestuarios Praedicatores censuris percellendi data facultas.

§ 14. Compescendi praeterea, munitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, Praedicatores quaestuarios a praedicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet (quorum interest tantum charitativa subsidia, simpliciter petere, ac indulgentiam, si quam forte habent, exponere), liberam vobis et singulis vestris concedimus, auctoritate praesentium, facultatem.

Et procedendi contra negocium huiusmodi impedientes.

§ 15. Caeterum si forte, quod non credimus, aliqui cuiuscumque conditionis, huic negotio vobis commisso se opponere, seu illud praesumpserint aliquatenus impedire, ut non possit procedi in eodem: imo nisi requisiti, illud foverint, et iuxta officium et posse suum, singuli iuverint studiose, contra eos tamquam contra haereticorum fautores et defensores, secundum sanctiones canonicas, freti eadem auctoritate, intrepide procedatis. Nos enim nihilominus ad reprimendam tam superbam et perniciosam audaciam, et omnimode confundendam, in illos gladium ecclesiasticae potestatis acriter exercemus, et reges, et principes, aliosque christifideles, sive pro Terrae Sanctae succursu, sive alias pro Christi servitio Crucis charactere insignitos, necnon et caeteros catholicos, prout expedire viderimus, invocabimus contra eos, ut coelum et terra adversus detestabilem temeritatem ipsorum pariter moveantur. Denique ut circa praemissa plene vobis et singulis vestrum coercitionis expedita et inviolabilis adsit auctoritas, volumus, ut ea omnia viriliter exequamini, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Obstantium derogatio.

§ 16. Non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis, quibuscumque personis, cuiusvis conditionis, dignitatis vel gradus, religionis vel ordinis, et praesertim Cisterciensium, Praedicatorum, Minorum seu Eremitarum: sive communitatibus vel universitatibus civitatum et locorum, specialiter vel generaliter, sub quacumque verborum expressione vel forma a memorata Sede concessis vel in posterum concedendis: etiamsi dicatur in illis, quod eis per aliquas litteras totum de verbo ad verbum tenorem non continentes, privilegiorum vel indulgentiarum ipsorum nequeat derogari; et illis maxime privilegiis et indulgentiis quibus ab ipsa Sede concessum est aliquibus, seu concedetur deinceps, quod excommunicari vel ipsorum terrae supponi non possint ecclesiastico interdicto: aut Praedicatorum vel aliorum quorumlibet ordinum fratres, ad executiones negotiorum aut ad citationes quorumlibet, sive denunciationes sententiarum excommunicationis, suspensionis vel interdicti, auctoritate litterarum apostolicarum minime cogi possint, nisi de ipsorum ordinibus et privilegiis vel indulgentiis, eis super hoc a dicta Sede concessis, eadem habeatur in eisdem litteris mentio specialis (cum ex huiusmodi vel aliis privilegiis, nullum in tantae vobis pietatis negotio velimus obstaculum interponi) et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Datum Viterbii decimo tertio kalendas aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 20 martii 1262, pontif. anno I.

V.

Mandatur archiepiscopo Moguntino, ut sententiam excommunicationis publicari faciat contra electores, si Conradum Conradi, Friderici olim imperatoris filii, natum in imperatorem eligant (1).

SUMMARIUM

Exponit suam de inducenda in Ecclesia Dei pace sollicitudinem. — Alexandri PP. de negocio imperii cura. — Eius ad Moguntinum archiep. super hac re litterae. — Iniuncta ei lex curandi, ne Conradus in

(1) Ex Regest. Vatic. — Non absimilem legem electoribus imposuit Alexander IV, Constit. XXXIII, hoc tomo, pag. 659.

imperatorem eligeretur: — Et electores censuris ab huiusmodi electione coerceret. Alexandri processum ratificat Urbanus: — Eademque mandat Moguntino.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo Moguntino, salutem et apostolicam benedictionem.

Exponit suam de inducenda in Ecclesia Dei pace sollicitudinem.

Postquam supernus ille luminum Pater, a quo data optima et dona perfecta proveniunt, et qui coelum implet et terram disponens suaviter omnia, nos licet immeritos super haereditatem suam unxit in principem, et in eminenti summi apostolatus cathedra collocavit, mens nostra quantumcumque in ipso nostrae novae promotionis initio se circumquaque conspiceret, diversarum cogitationum multiplicumque curarum obsidione vallatam, intermissis caeteris particulariter incumbentibus ei negotiis, de generali statu reipublicae christianitatis coepit principaliter esse sollicita, vias et modos perquirendo varios, quibus tranquillitatem et pacem nobis, et Ecclesiae, ac mundo, diris guerrarum commotionibus et periculosis discordiarum divisionibus lacerato parare, ac quietem christiano populo, quem alterni bellorum incursus continue hactenus vexaverunt, Illo nobis favente ac cooperante, qui mari et ventis imperat, et statuit procellas in auras, exhibere possemus.

Cumque Romanae archivis Ecclesiae reseratis praedecessorum nostrorum Romanorum, videlicet gesta et regesta Pontificum nostra ob hoc specialiter sollicitudo revolveret, cum omni diligentia et attentione disquirens, si forsitan ex eorumdem praedecessorum processibus aliquid nobis occurreret, per quod possemus sufficienter instrui, qualiter valeret ac deberet per nos huiusmodi tam pium, tam utile, tamque salubre negotium promoveri; demum tenor quarumdam litterarum felicis recordationis Alexandri PP. praedecessoris nostri nostris se obtutibus obtulit, per quem utique tenorem nobis

Alexandri PP. de negocio imperii cura.

constitit evidenter, quod idem praedecessor intellecto, quod instabat tunc tempus electionis celebrandae de rege Romanorum, in imperatorem postmodum promovendo; considerans, quod super hoc tanto propensior adhibenda erat diligentia et cauthela, quanto altius et difficilius erat negotium, quod in hac parte tunc temporis gerebatur, quantoque res, si aliqua in ea interveniret negligentia seu providentia vel desidia, deteriorem habere posset effectum et exitum graviorem; pensans etiam, quod hic erat vehementer vigilandum, hic perspicaciter intuendum, hic considerandum prudenter, hic mature deliberandum, hic provide praecavendum, hic erant aperiendi oculi, hic habendae aures intentae, hic mens esse debebat non rudis et torpida, sed diligens, pervigil et consulta, ubi de advocato agebatur Ecclesiae, et de defensore tractabatur ipsius, ne pro advocato impugnator, et pro defensore assumeretur vel eligeretur offensor; propter quod undique summae cogitationis erat acies perferenda, et circumquaque districta explorandum indagine, ut talis, cooperante Domino, reperiretur et eligeretur, qui fidelis et devotus existeret, et de prosapia procederet devotorum, ac idoneus et sufficiens reputaretur merito ad obtinendum tanti honoris culmen et imperii regimen exercendum; bonae memoriae archiepiscopo Maguntino praedecessori tuo per huiusmodi exposuit litteras, quod patens erat et cognitum toti orbi, qualiter quondam Fridericus olim Romanorum imperator, eiusque progenitores et posteri erga Matrem Ecclesiam se gesserint, et qualem ei retributionem de beneficiis ab ipsa perceptis impenderint; cum hi aliorum persequutorum excedentes tyrannidem, gravioribus eam affecerunt iniuriis, et oppressionibus durioribus afflixerunt, et velut in caedem et exterminium eius tendentes furoris arcum, et feritatis gladium acuentes, diris illam ubilibet tribulavere flagellis. et usque ad interiora profundis

Eius ad Moguntinum archiep. super hac re litterae.

illatis vulneribus sauciarunt: nam in hoc pravo genere, patrum in filios cum sanguine derivata malitia, sicut carnis propagatione, sic imitatione operum, nati genitoribus successerunt; ex quo liquido perpendi et coniici poterat, si ex ipso aliquae posteritatis reliquiae remanserant, quid sperandum esset in futurum de illis, quid in posterum expectandum. Vita namque ac gesta praedecessorum perversa iniquitatem praenunciant successoris, nec horribilis eorum memoria quidquam boni de eorum posteritate credere vel sperare permittit. De colubro quidem egreditur regulus, et arbor mala noxios fructus profert, pravumque principium numquam bonum pollicetur effectum, et ideo videns idem praedecessor noster, quod de Conrado puero, nato quondam Conradi, praedicti Friderici filii, erat praecavendum omnino, ne ullo modo intenderetur ad eum, nec nominaretur ad hoc, neque aliquatenus eligeretur; maxime cum propter infantiam nimiumque defectum aetatis esset ad ista prorsus inhabilis ac ineligibilis puer ipse; nec ius, quod ex electione provenire vel consurgere consuevit, sibi competere poterat, nec in sua cadere vel retineri persona, cum propter puerilem aetatem, quae discretione carebat, consensum non haberet legitimum, vel dissensum, et electioni, si de illo fieret, consentire non posset, nec ipsius consensus aliquam haberet efficaciam vel vigorem. Attendens quoque dictus praedecessor noster, quod ex eo etiam idem puer in regem nominari vel eligi non debebat, quia cum per electionem huiusmodi de advocato vel defensore idoneo deberet Ecclesiae provideri, et ipse puer esset omnimode ineptus et inutilis ad talis defensionis officium seu ministerium exequendum, oporteret eamdem Ecclesiam, si contingeret eligi dictum puerum, manere diutius, non absque gravibus forte dispendiis, defensionis commodo destitutam; nec per hoc etiam consuleretur amplo et spatioso regno

Iniunctis et lex curandi ne Conradus in imperatorem eligeretur.

Theutoniae de rege vel rectore condigno, cum male posset alios regere, qui non noverat gubernare seipsum, nec bene vel digne aliorum gubernaculo præesse valeret, qui alieno regimine ducebatur; propter quod regnum ipsum longo tempore, non sine multo discrimine, sub opportuni regiminis expectatione langueret: praedicto archiepiscopo suis (sub certa forma in virtute obedientiae sub debito fidelitatis, quo sibi et Romanae Ecclesiae tenebatur, ac sub poena excommunicationis, quam ex tunc in ipsum protulit), districte dedit litteris in perceptis, ut praefatum Conradum puerum nullatenus in regem eligeret vel nominaret, neque consentiret in ipsum; ita quod excommunicatus existeret, si contra mandatum suum facere vel venire praesumeret, et eumdem Conradum nominaret vel eligeret aut consentiret in eum, seu opem vel operam, consilium, auxilium vel favorem ut eligeretur, impenderet; et etiamsi eius electionem et nominationem toto posse non impediret, ut si forte ad ipsius electionem vel nominationem procederet, sciret se prius excommunicatione ligatum. Aliis vero coelectoribus suis tam ecclesiasticis quam saecularibus auctoritate apostolica firmiter inhiberet, ne ipsum Conradum ad hoc nominarent vel eligerent, nec in eum consentirent, promulgando eadem auctoritate in eos excommunicationis sententiam, si contra hanc inhibitionem venire tentarent; ita quod si eum nominare vel eligere, aut in ipsum consentire praesumerent, noscerent se prius excommunicationis vinculo innodatos, ut ex hoc ipso si de dicto puero quidquam in hac parte attentatum foret, esset prorsus vacuum, irritum et inane. Praecepit etiam idem praedecessor noster, ut idem Maguntinus archiepiscopus mandatum et praeceptum super hoc apostolicum sic fideliter, sic sapienter et efficaciter adimplere studeret, quod ex his idem archiepiscopus dictum praedecessorem nostrum, et Romanam Ecclesiam

Et electores censuris ad huiusmodi electionem coerceret.

sibi et Ecclesiae suae arctius obligaret; ac praefatus praedecessor noster laetari posset id, quod in hoc intendebat, eius solerti studio salubriter provenisse. Ad haec nihilominus idem praedecessor noster in omnes electores, qui memoratum puerum ad hoc nominare vel eligere, seu in ipsum consentire, aut ope vel opera consilium, auxilium vel favorem, ut eligeretur, dare praesumerent, excommunicationis sententiam promulgavit; quam praecepit per eumdem praedecessorem, tuum, antequam ad nominationem vel electionem aliquam procederetur, suis coelectoribus nunciari, quod si dictus praedecessor tuus non faceret, eo ipso se nosceret excommunicationis vinculo adstrictum.

Alexandri processum ratificat Urbanus.

Nos igitur attendentes, quod idem Alexander praedecessor noster ad praemissa cum omni providentia, circumspectione, attentione, maturitate ac deliberatione processit, ac praevidentes pericula, quae memoratae Romanae imminerent Ecclesiae, si dictus Conradus puer ullo unquam tempore assumeretur ad huiusmodi regiam, vel imperatoriam dignitatem; et cupientes talibus periculis apostolica sollicitudine praecavere, huiusmodi eiusdem Alexandri praedecessoris nostri processum, de fratrum nostrorum consilio ex certa scientia, ratificamus et approbamus, ac auctoritate apostolica confirmamus.

Eademque andat Moguntino.

Verum quia dictus praedecessor tuus de carnis ergastulo migravit, ut speramus, ad Dominum; non dubitantes, ne tu, qui eidem tam in honore, quam in onere successisti, huiusmodi processus inscius et ignarus existas, processum ipsum in personam tuam duximus innovandum; ideoque fraternitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta in virtute obedientiae, et sub debito fidelitatis, quo nobis, et Ecclesiae Romanae teneris, ac sub poena excommunicationis, quam ex tunc in te proferimus, districte praecipiendo mandamus, quatenus memoratum Conradum puerum nullo unquam tempore in regem eligas, nec nomines, neque consentias in eumdem; ita quod excommunicatus existas, si contra mandatum nostrum facere vel venire praesumpseris, et eumdem Conradum nominaveris vel elegeris, aut in ipsum consenseris, seu opem vel operam, consilium, auxilium vel favorem ut eligatur impenderis, et etiamsi eius nominationem et electionem non impediveris toto posse, aut si ad ipsius electionem vel nominationem aliquo tempore forte processeris, scias te prius excommunicatione ligatum. Aliis vero principibus coelectoribus tuis tam ecclesiasticis, quam saecularibus auctoritate nostra firmiter inhibeas, ne ipsum ad hoc nominent vel eligant, nec in eum consentiant, promulgando eadem auctoritate in eos excommunicationis sententiam, si contra hanc tuam inhibitionem venire tentaverint, imo nostram, ita quod si eum ullo unquam tempore nominare vel eligere, aut in ipsum consentire praesumpserint, noscant se prius excommunicationis vinculo alligatos, ut ex hoc ipso, si de praedicto Conrado quidquam in hac parte attentatum fuerit, sit prorsus vacuum, irritum et inane. Mandatum itaque, ac praeceptum super hoc apostolicum sic fideliter, sapienter et efficaciter adimpleas, quod ex his nos et praefatam Romanam Ecclesiam tibi et Ecclesiae tuae arctius obliges, nosque gaudere possimus, id quod in hoc intendimus, tuo solerti studio salubriter provenisse.

Caeterum nihilominus in omnes electores, qui nominatum puerum ad hoc nominare, vel eligere, seu in ipsum consentire, aut opem vel operam, consilium, auxilium vel favorem, ut eligatur, dare praesumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus, quam statim per te, antequam ad nominationem vel electionem aliquam aliquo tempore procedatur, reliquis tuis coelectoribus praecipimus nuntiari, quod si non feceris, eo ipso te

noveris excommunicationis laqueo innodatum.

Datum Viterbii tertio nonas iunii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 3 iunii 1262, pontif. anno I.

VI.

Inquisitores haereticae pravitatis et eorum notarii, a quocumque officiali Sedis Apostolicae delegato non possunt excommunicari, suspendi, vel interdici, absque eiusdem Sedis licentia speciali.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Praedicatorum inquisitoribus haereticae pravitatis, in regno et dominio charissimi in Christo filii nostri illustris regis Aragonum deputatis a Sede Apostolica, et in posterum deputandis, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Ne inquisitionis negotium contra damnatam haeresim prudentiae vestrae commissum impediri (quod absit) propter aliquorum astutiam, vel etiam retardari contingat, vobis auctoritate praesentium indulgemus, ut nullus Sedis Apostolicae delegatus vel subdelegatus ab eo, conservator aut etiam executor a Sede Apostolica deputatus eadem, seu etiam deputandus, in vos, vel quatuor notarios, sive scriptores vestros, super his vobis fideliter obsequentes, quamdiu in prosecutione huiusmodi negotii vos et ipsi fueritis, possit excommunicationis, vel suspensionis, aut interdicti sententiam promulgare, absque speciali mandato praedictae Sedis, faciente plenam et expressam de hac indulgentia mentionem.

§ 2. Decernentes irritum et inane, si secus fuerit attentatum.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum apud Montem Flasconem secundo nonas augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 4 augusti 1262, pontif. anno I.

VII.

Quod inquisitores haereticae pravitatis, et eorum socii ordinis fratrum Praedicatorum mutuo se possint ab excommunicatione absolvere, irregularitatibus dispensare, a quibus per priores eiusdem ordinis absolvi possent.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Praedicatorum inquisitoribus haereticae pravitatis in regno et dominio charissimi in Christo filii nostri illustris regis Aragonum deputatis a Sancta Sede Apostolica, et in posterum deputandis, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Ut negotium Fidei valeatis liberius promovere, vobis auctoritate praesentium indulgemus, ut si vos et fratres vestri ordinis socios vestros excommunicationis sententiam et irregularitatem incurrere aliquibus casibus ex humana fragilitate contingat, vel recolatis etiam incurrisse, quia propter iniunctum vobis officium ad priores vestros de levi super hoc recurrere non potestis, mutuo vos super his absolvere, iuxta formam Ecclesiae, et vobis cum auctoritate nostra dispensare possitis, in casibus in quibus dictis prioribus, ut dicitur, est ab Apostolica Sede concessum.

Nulli ergo *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum apud Montem Flasconem secundo nonas augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 4 augusti 1262, pontif. anno I.

VIII.

Exemptiones et immunitates congregationis monachorum Montis Virginis, ordinis Sancti Benedicti (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Exemptio a quacumque canonis solutione. — 2. Confirmatio libertatum omnium. — 3. Clausulae.

(1) Congregationem hanc approbavit Coelestinus III, Constit. XXIV, pag. 107.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati, et conventui monasterii Montis Virginis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti Avellanae dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Cum a nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum.

§ 1. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, privilegium Alexandri Papae fel. mem. antecessoris nostri, in quo liquido cognoscentes quod dictum coenobium cum omnibus ecclesiis et locis suis subditis, nullo mediante, ad Romanam Ecclesiam pertineret, et quod non licet alicui, archiepiscopo sive episcopo, vel alii ecclesiasticae personae, eidem monasterio et eius ecclesiis excommunicationes et suspensiones indicere, ut fratres illic Domino servientes ab omni potestate et iurisdictione ac dominio archiepiscoporum et episcoporum sive aliarum personarum liberi, Ecclesiae Romanae libertatis gratia potirentur: et licet non habeatur in eo mentio dioecesani episcopi, in cuius dioecesi dictum monasterium est fundatum, et de solutione canonis debiti ipsi dioecesano episcopo, sive alii cuicumque ecclesiasticae personae ab ipso coenobio, vel ecclesiis et locis ipsi coenobio subditis, eo non obstante, auctoritate apostolica et speciali privilegio, vos et ecclesias et loca ipsi coenobio subdita ab onere praestationis et exsolutionis cuiuslibet canonis liberamus et eximimus: volentes vos multa libertatis praerogativa gaudere, et soli Romanae Ecclesiae censuales existere, pro indicio perceptae libertatis ab Apostolica Sede, prout contineri cognovimus tenore dicti privilegii, quod sine reprehensione bullae, chartae, vel litterae apparebat.

Exemptio a quacumque canonis solutione.

§ 2. Et omnes immunitates et libertates a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, vobis vel monasterio vestro concessas: nec non libertates et exemptiones saecularium exactionum a regibus et principibus, vel aliis Christi fidelibus, rationabiliter vobis aut monasterio vestro indultas, sicut ea iuste et pacifice obtinetis, vobis, et per vos eidem monasterio auctoritate apostolica concedimus et confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus.

Confirmatio libertatum omnium.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, concessionis et indulgentiae infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae.

Datum apud Urbem Veterem quinto idus ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 9 ianuarii 1263, pontif. anno II.

IX.

Magistris et scholaribus Studii Palentin. conceduntur privilegia et exemptiones ad instar Universitatis Parisien. (1).

SUMMARIUM

Celebris quondam Palentina Universitas. — Supplicatum Papae pro reformanda. — Privilegiorum communicatio.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis capitulo Palentin., salutem et apostolicam benedictionem.

Colebat hactenus deliciarum hortum civitas Palentin. de sub cuius portis fons irriguus emanabatur (2); hortus ille profecto fructus uberes producebat, quorum suavitatem et dulcedinem ad diversas mundi partes fontis affluentia derivabat. Erat enim in eadem civitate, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, scien-

Celebris quondam Palentina Universitas.

(1) Ex Regest. Vatic. (2) Leg. *emanabat*.

tiarum studium generale rudes erudiens, reddens debiles virtuosos, et viros efficiens virtutum varietate foecundos, horumque gratiosa foecunditas litterarum dogmate plurimos instruebat; et quia per hoc non solum Palentia, sed tota solebat Hispania spiritualis et temporalis percipere commoditatis augmentum, supplicastis humiliter, ut ad reformationem praedicti Studii, quod est non sine multo eiusdem provinciae dispendio dissolutum, apostolici favoris partes interponere curaremus.

Supplicatum Papae pro reformanda.

Cum igitur, sicut accepimus ipsius Studii reformatio possit eidem provinciae multipliciter existere fructuosa, nos nolentes, quod lucerna tantae claritatis in commune multorum dispendium sic extincta remaneat; sed cupientes potius partes nostras adiicere, ut solito fortius attendatur, tuis, frater episcope, supplicationibus inclinati, omnibus et singulis doctoribus et scholaribus, quos in eadem civitate in quacumque facultate studere contigerit, quod illis privilegiis, indulgentiis, libertatibus et immunitatibus gaudeant, quibus magistri et scholares gaudent Parisiis, vel in aliis locis, in quibus habetur studium generale, auctoritate praesentium indulgemus.

Privilegiorum communicatio.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere *etc.*

Datum apud Urbem Veterem secundo idus maii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 14 maii 1263, pontif. an. II.

X.

Quod ecclesiastici per se ad saecularia iudicia delegata vel ordinaria iurisdictione relicta trahi minime possint (1).

SUMMARIUM

1. Quam sit grave ecclesiasticos ad saecularia iudicia trahi: — 2. Et laicos in iis immisceri. — 3. Prohibitio (*de qua in rubrica*).

(1) Ex Regest. Vatic.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, et aliis Ecclesiarum praelatis, capitulis et clericis universis exemptis et non exemptis, per Tarraconensem provinciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Quamvis sit grave nimis et divini plenum adversione iudicii, quod aliqui laici falcem in messem Domini sacrilegis ausibus ingerentes, personas ecclesiasticas suis subiiciendo iudiciis, in periculum Fidei ecclesiasticam moliuntur subvertere libertatem; hoc tamen ardentius zelum commovet ultionis, quod iidem laici sui fomentum erroris dicuntur in clero aliquoties invenire, dum clerici a clericis, et quod est gravius, religiosis, non solum inviti, sed interdum voluntarii, spretis ecclesiasticis tribunalibus, ad publica iudicia pertrahuntur.

Quam sit grave ecclesiasticos ad saecularia iudicia trahi:

§ 2. Ad aures namque apostolatus nostri pervenit, quod nonnulli vestrum foro ecclesiastico super iis, quae ad illud pertinent, se mutuo pertrahunt ad iudicium saeculare. Aliqui vero iudicium ecclesiasticum retardare vel totaliter impedire volentes, regias prohibitiones contra alios impetrare praesumunt, aliquoties rem litigiosam per regem ipsum et alias saeculares personas occupari temere procurando.

Et laicos in iis immisceri.

§ 3. Quia igitur illud indignum est, et divini iudicii animadversione dignissimum, et ideo minime tolerandum, universitati vestrae districtius inhibemus, ne aliquis vestrum in contemptum publici beneficii, quod clericorum collegio ita inviolabiliter est indultum, ut ei privatis aliquorum pactis vel consensibus nequeat derogari, alios, suo relicto iudice, ad publica tradere iudicia praetextu consuetudinis, qua quidam se super hoc, ut dicitur, munire contendunt, quamvis in talibus aliqua consuetudo convalescere nequeat, vel impetrare prohibitiones aut occupationes procurare huiusmodi non praesumat. Nos enim timentes, ne vos

Prohibitio (de qua in rubrica).

nisi haec corrigatis, et nos si ea neglexerimus incorrecta, indignationem aeterni Iudicis incurramus; venerabili fratri nostro archiepiscopo Tarraconen. per nostras damus litteras in mandatis, ut contra omnes, quos circa praedicta culpabiles invenerit, auctoritate nostra procedat iuxta canonicas sanctiones, contradictores auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Datum apud Urbemveterem secundo idus iunii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 12 iunii 1263, pontif. anno II.

XI.

Quod ad Ecclesiarum regimina promoti illa dumtaxat beneficia retinere possint, quae suae promotionis tempore canonice retinebant (1).

SUMMARIUM

1. Causae decreti. — 2. Decretum.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Causae decreti. § 1. Contingit interdum, quod a Sede Apostolica nonnullis in episcopos electis conceditur, ut ipsi usque ad certum tempus, vel ad Romani Pontificis beneplacitum voluntatis possint retinere omnia beneficia ecclesiastica, quae promotionis suae tempore obtinebant. Huiusmodi autem concessionis praetextu plerumque quaestionis materia suscitatur, quibusdam minus rationabiliter asserentibus, quod etiam ad illa beneficia, quae talis electus concessionis ipsius tempore minus canonice retinebat, eadem concessio se extendit.

Decretum. § 2. Nos itaque ad omnem ambiguitatem tollendam tenore praesentium declaramus, quod huiusmodi concessio extendatur ad illa dumtaxat beneficia, quae ab electis ipsis canonice obtinentur.

(1) Ex Regest. Vatic.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum apud Urbemveterem quinto idus iulii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 11 iulii 1263, pontif. anno II.

XII.

Civitas Recanaten. Romanae Ecclesiae rebellis episcopali dignitate privatur (1).

SUMMARIUM

1. Recanatenses cum Ecclesiae hostibus iuncti. — Contra Marchiam Anconitanam conspirant. — Moniti saepius ut resipiscerent, — 2. Monita spernunt. — Dignitate episcopali privantur.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad certitudinem praesentium, et memoriam futurorum.

§ 1. Cives Recanatenses antiquae devotionis et fidei quam ad Romanam gerere consueverunt Ecclesiam, prorsus obliti, et favorabilium gratiarum, quibus Sedes Apostolica eos eorumque terram, erigendo inibi Ecclesiam cathedralem, ac decorando terram ipsam episcopalis titulo dignitatis, multipliciter honoravit, immemores et ingrati, contra nos et camdem Ecclesiam calcaneo rebellionis erecto, sic eiusdem Ecclesiae persequtoribus pertinaciter in ipsius Ecclesiae dispendium adhaeserunt, sicque patenter et ferventer cum eisdem persequtoribus in nocumentum fidelium ipsius Ecclesiae de Anconitana Marchia conspirarunt; quod ad offendendum in illis nos et praedictam Ecclesiam sua principaliter et totaliter studia convertentes, quantumcumque ad eos clamaverimus, ut conversi ab erroris invio, quo damnabiliter cum persequtoribus ipsis incedunt, ad dulces et suaves ipsius Ecclesiae reverterentur amplexus, noluerunt hactenus vocem nostrae piae revocationis audire, sed ad gravioris exagerationem offensae, adversariis ipsius

Recanatenses cum Ecclesiae hostibus iuncti.

Contra Marchiam Anconitanam conspirant.

(1) Ex Regest. Vatic.

Ecclesiae maiora semper continuaverunt et continuant incrementa favoris, qui eorum telis armati, fortius et crudelius ad totius depressionem insiliunt regionis. Et licet, eorum culpis exigentibus, digne ac dure potuissemus ab olim procedere contra ipsos; volentes tamen misericorditer experiri, utrum in eisdem civibus scintilla devotionis aliqua remansisset, quae salubribus excitata monitis, in debitae resurgeret charitatis ardorem, illorumque corda, ex rebellionis iam tepefacta rigore, in vigorem pristinum et amorem Ecclesiae praedictae reduceret; cives ipsos per dilectum filium Manfredum Veronensem electum capitaneum et rectorem praedictae Marchiae ac ducatus Spoletan. sub certa forma moneri, ut infra quindecim dies post monitionem huiusmodi, relictis eisdem persequutoribus, praecise ad nostra et ipsius Ecclesiae mandata redirent, eisque praedici fecimus et etiam comminari, quod, si infra huiusmodi terminum, talibus monitis non parerent, nos ex tunc civitatem Recanatensem episcopali dignitate, qua iidem propter ipsorum infidelitatem, et alias etiam venerabilem fratrem nostrum Recanatensem episcopum habendo contemptui, reddebant penitus se indignos, apostolica auctoritate privare, et alias contra ipsos et eamdem civitatem dure ac aspere, spiritualiter et temporaliter, prout videremus expediens, procedere curaremus.

Moniti saepius ut resipiscerent;

§ 2. Sed dicti cives Recanatenses, quia eorum mentes adeo sunt ad rebellionis pertinaciam induratae, quod nullius possunt superinfusione olei quomodolibet emolliri, huiusmodi monitis et comminationibus vilipensis, infra praedictum terminum, et etiam post terminum ipsum, per quatuor mensium spatium expectati, redire ad mandatum nostrum et ipsius Ecclesiae non curarunt, imo Ecclesiam ipsam in suis fidelibus durius vexare postmodum praesumpserunt. Propter quod nos non valentes ulterius absque gravi Christi offensa eorum iniquitates et infidelitates amplius tolerare, ac considerantes, quod ferro scindenda sunt vulnera, quae fomentorum non recipiunt medicinam, praedictam civitatem Recanatensem, de fratrum nostrorum consilio, episcopali dignitate perpetuo sine aliqua spe restitutionis apostolica auctoritate privamus: statuentes, ut nullis unquam futuris temporibus civitas eadem ad huiusmodi episcopalem dignitatem valeat reassumi.

Moniti spernunt

Dignitate episcopali privantur.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum apud Urbemveterem sexto kalendas augusti, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 27 iulii 1263, pontif. anno II.

XIII.

Diffinitio controversiae inter Riccardum comitem Corrubiae (1), et Castellae ac Legionis regem, ut uterque denominetur in Romanorum regem electus (2).

SUMMARIUM

1. Causae ferendae definitionis. — Argumenta pro Riccardo Anglo, ut electus Romanorum rex nuncupetur. — 2. Quid Alphonso regi obiectum. — 3. Contraria pro Alphonso argumenta. — Comiti obiecta. — 5. Definit Pontifex utrumque electi Romanorum regis titulo decorandum.

Urbanus episcopus servus servorum Dei.

Diffinitio inter fratres super nominatione electorum in imperatorem.

§ 1. Ordinato nuper imperii negotio, prout, consideratis diligenter petitionibus partium vestrisque consiliis, credidimus expedire, dubitatio incidit, quo titulo uterque ad idem imperium electorum in nostris litteris sit censendus. Pro parte siquidem dilecti filii magnifici viri Riccardi comitis Corrubiae dicebatur ipsum in eisdem litteris in Romanorum regem electum et coronatum nominari debere, cum per felicis recordationis Alexandrum Papam praedecessorem, et a nobis etiam

Causae ferendae definitionis.

Argumenta pro Riccardo Anglo, ut electus Romanorum rex nuncupetur.

(1) Leg. *Cornubiae* hic et passim in Bulla.
(2) Ex Regest. Vatic.

in quibusdam nostris litteris ad ipsum, licet super alio directis negotio, sic extiterit nominatus; sicque cum iam sit in possessione, vel quasi huiusmodi tituli, non potest de caetero ei talis titulus sine iniuria detrahi, nec est aliquatenus detrahendus, praesertim cum nonnulli ex vobis tempore praedecessoris eiusdem, super hoc deliberatione praehabita, ipsum taliter nominaverint.

Quid Alphonso regi obiectum.

§ 2. Charissimo autem in Christo filio nostro regi Castellae illustri pro eo non deberi talis titulus videbatur, quia idem rex, nec quoad hunc titulum, cum nunquam per Papales litteras taliter intitulatus extiterit, nec quoad alia fuit in aliquo possessionem, vel quasi regni Alamaniae assequtus, nec debet status pendentis negotii cum alterutrius partis praeiudicio immutari.

Contraria pro Alphonso argumenta:

§ 3. Pro memorato vero rege Castellae suggerebatur e contra, nullo modo comiti memorato, sed ipsi regi regni Alamaniae titulum adscribendum, cum plures de principibus electoribus vota sua direxerint in regem eumdem, et ipsum ad praedicta regnum et imperium legitime duxerint eligendum. Praefato vero comiti, nec per electionem, quae de ipso facta dicitur, cum nulla fuerit in regno et imperio supradictis, nec per superius allegata pro ipso in regio titulo sit ius aliquod acquisitum. Litterae namque dicti praedecessoris, nullum sibi quoad regium titulum ius dederunt, cum sint litterae placentia quaedam, ne dicamus adulatoria, non diffinitionem aliquam continentes, quod etiam ex eo apparet, quia licet super hoc per ipsum praedecessorem et fratres suos fuerit interdum deliberatio habita, numquam tamen fuit aliquid diffinitum, et ideo non est verisimile, quod per dictas litteras voluerit super eodem aliquid diffinire; unde per easdem litteras nulla necessitas nobis indicitur observandi, quod continetur in eis, vel ipsius praedecessoris in hoc vestigiis inhaerendi. Nec litterae nostrae si etiam, ut dicitur, processerunt, ad id aliquid operantur, tum quia non super imperii negotio, sed super quadam pecuniae quantitate, quae ab ipso comite venerabili fratri nostro Portuen. episcopo debita dicebatur, confectae dicuntur, propter quod super alio fidem non faciunt, nec ius tribuunt, sicut per instrumentum super alio confectum, in quo vir et mulier se coniuges nominant, matrimonium non probatur, tum quia si data earumdem litterarum, si forsan appareant, attendatur, aperte liquebit, quod eo tempore transierunt, quando nos, qui non fueramus de collegio cardinalium, super huiusmodi negotio non eramus, nec esse poteramus instructi: cardinalium etiam quorumdam litterae, per quas ipsi comiti sub regio nomine scriptum fuisse dicitur, nequaquam in hoc suffragari videntur eidem, cum non fuerint, habita communi deliberatione, nec de omnium consensu, concessae. Quod etiam ex eo apparet, quod non omnium cardinalium, sed aliquorum tantummodo sigilla eisdem litteris fuissé dicuntur appensa.

Comiti obiecta.

§ 4. Cum igitur ex praedictis praedecessoris nostris vel cardinalium litteris nullum sit dicto comiti circa titulum, de quo agitur, ius vel possessio acquisita, nulla dici posset iniuria, vel detractio fieri, si de caetero in litteris dirigendis ad eum idem titulus minime poneretur; nec status instantis negotii censeri posset in ipsius comitis praeiudicium immutari, si praedicto regi, qui, sicut praedicitur, propter electorum pluralitatem potior allegatur in iure, adderetur electi titulus, cum rei veritate concurrens, sed allegatio immutationis huiusmodi eidem comiti potius efficaciter videtur obstare, pro eo, quod adscriptio tituli quam per litteras dicti praedecessoris nostri et cardinalium sibi factam allegat pendente negotio non cognitionaliter, nec partibus constitutis cominus facta fuit.

§ 5. Nos itaque iis et aliis, quae circa haec moveri poterant, plene discussis; Definit Pontifex utramque

electi Romanorum regis titulo decorandum. auditis quoque vestris consiliis; ut lignum in medio Paradisi positum veraciter praesentemus, medium decrevimus eligendum, nec subinclinari ad dexteram vel sinistram. Et ideo cum tam memoratus comes, quam praefatus rex electi fuerint, nos veritatem sequentes, sine alterutrius partis praeiudicio utrumque ipsorum decrevimus in nostris litteris nominandum in Romanorum regem electum.

Datum apud Urbemveterem, septimo idus augusti, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 7 augusti 1263, pontif. anno II.

XIV.

Approbatio loci sepulturae in insula Gadicen a Castellae et Legionis rege pro sui corporis condendis reliquiis electi, quae insula episcopali ornatur dignitate (1).

SUMMARIUM

1. Exordium — Alphonsus Castellae rex de religione optime meritus. — 2. Sepulchrum eligit in insula Gadicensi; — Urbanus episcopali eam ornat dignitate. — 3. Confirmat quoque regiam de sepultura dispositionem. — Clausulae.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio regi Castellae et Legionis illustri; salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. § 1. Excelsum fecit in terris, qui habitat in altissimis Deus pro eo potissime regnum tuum ipsius terminos dilatando magnifice, quod regia Celsitudo suam, ab Ipso qui eam sibi tribuit, potentiam, gratitudine debita recognoscens, non ad oppressionem fidelium, sed propagationem fidei et divini cultum nominis per populorum multiplicationem fidelium augumentandum adversus nationes exteras iugiter experitur. Ex hoc namque ipse

Alphonsus Castellae rex de religione optime meritus

(1) Ex Regest. Vatic.

Deus, tam progenitores tuos, quam et tuam magnificentiam exultationis et laetitiae oleo prae participibus tuis ungens, tibi nomen fecit grande supra nomen magnorum, qui sunt in terra, tibi et dicto regno in rore coeli et terrae pinguedine uberrime benedictione impensa: propter quod Romana Ecclesia mater tua super te filio benedicto et christianissimo principe iocundatur et gaudet, ac preces ad Deum fundit assiduas, ut ab omni te adversitate custodiens concedat, quod per regnum temporale, quod obtines, felici commercio tibi pateat expeditius transitus ad aeternum.

§ 2. Et quidem plura sunt et maxima, quae de regalis excellentiae virtuosis et strenuis actibus recenseri possunt; sed admirandum nostris nuper venit insinuatione regia sensibus, et stupendum propositum, quod de regalis corporis sepultura non a suggestione humana, sed a spiritu Domini concepisti, per quod liquido datur intelligi, quod pro fide dilatanda catholica et fidelium robore decertare cupias etiam rebus humanis exemptus, ut quod vivens regium corpus nondum efficere potuit efficaciter, exanime in tuae salutis compendium prosequatur. Nam cum insula Gadicen. in qua, ut asseritur, est maris portus accommodus et tranquillus propter Mediterranei structuram, maris Africae sit infesta plurimum, et ad eius conquisitionem ianua possit esse fidelibus, si super excrescentibus christianis incolis repleatur; tu id tamquam fidelissimus princeps attendens prudenter, ut tua clara memoria, postquam in Domino requieveris, reges, qui tibi successerint, ad ipsius loci custodiam et augumentum animet et inducat, ac propter hoc fideles populi libentius inibi eligant incolatum, apud ecclesiam Sanctae Crucis, quam in ipsa insula loco dicto Calrz, ut taceamus de fulciendis nunc per te herculeis aedificiis et moenibus restaurandis antiquis miro facis opere fabricari, quam nos ad tuam instantiam per nostras litteras Pon-

Sepulchrum eligit in insula Gadicensi:

Urbanus episcopali eam ornat dignitate.

tificalis Cathedrae titulo decorari mandamus, elegisti deliberatione pia et provida sepulturam, a nobis suppliciter postulans, ut quod a te de sepultura huiusmodi pro fidei, fideliumque favore factum est, apostolicae acceptationis robore munientes id adimpleri districtius mandaremus:

Confirmat quoque regiam de sepultura dispositionem. § 3. Nos itaque, cum nullus ibi de tuis maioribus, cuius ad id affectione traharis, fuerit tumulatus, verisimili coniectura tenentes, quod haec laudabilis et accepta Deo, ut credimus, dispositio regiae sepulturae de fidei et charitatis fervore tantum processit, tuis postulationibus annuendo, eam gratam et acceptam habemus, auctoritate praesentium universis clericis et laicis, quorum intererit, sub poena excommunicationis districtius iniungentes, ut te circa sepulturam ipsam in dispositione huiusmodi finaliter perdurante, cum de hac luce Deo vocante migraveris, corpus tuum honorifice in dicta ecclesia Sanctae Crucis, quantum in ipsis fuerit, faciant sepeliri, nec aliquatenus super hoc venire praesumant contra regiam voluntatem.

Clausulae Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae acceptationis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis *etc.*

Datum apud Urbemveterem duodecimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 21 augusti 1263, pontif. anno II.

XV.

Quod ecclesiastici in causis, quae ad Forum ecclesiasticum pertinent, ad saeculare iudicium ab aliis non trahantur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae sanciendi decreti. — 2. Decretum.

(1) Ex Regest. Vatic. — Ecclesiasticis, ne se ad saecularia iudicia trahant, interdictum ab eodem Urbano vidimus, Constit. X.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, et aliis Ecclesiarum praelatis, seu rectoribus, ac universis clericis per Hiberniam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Provisionis nostrae provenire debet auxilio, ut libertas ecclesiastica semper in melius Deo favente proficiat, et si quid obstare dignoscitur, per nos sollicite corrigatur.

Causae sanciendi decreti. § 1. Sane mirantes saepe audivimus et referimus conturbati, quod nonnulli vestrum libertatem ipsam, quam deberent assidue cum omni diligentia promovere, novis adinventionibus conculcare gestiunt, et alias deprimere nequiter non verentur, dum alter alium super decimis, testamentis, ac rebus aliis et actionibus personalibus, quae ad Forum ecclesiasticum dumtaxat pertinent, relicto ecclesiastico, iudices in Foro saeculari convenire praesumit; et si quando inter aliquos vestrum causa spectans ad eumdem Forum ecclesiasticum coram delegatis Apostolicae Sedis vel locorum ordinariis agitatur, reus malitiose procurat eisdem delegatis aut ordinariis inhibitionem regiam, dirigi ne in causa, quae coram eis pendere dignoscitur, ulterius procedatur, actore quandoque coacto propter hoc suo iuri cedere, vel ad forum non debitum declinare.

Decretum. § 2. Quia vero tantae temeritatis excessui per Apostolicae Sedis providentiam decet modis omnibus obviare, universitati vestrae auctoritate apostolica districtius inhibemus, quatenus a praemissis, et aliis, quae praedictae repugnant privilegio libertatis vel impediunt effectum iustitiae, penitus desistatis; quinimo circa defensionem et promotionem libertatis eiusdem ita, mente vigili et constanti animo, desudetis, quod exinde vobis praemium divinae gratiae ac nostri favoris augumentum digne valeat provenire; alias

autem ommittere nullo modo poterimus, quin per disciplinam rigidam et personis metuendam improvidis ostendamus, quod illos cor nostrum pupugisse duris arbitramur aculeis, qui iustitiae vigorem impediunt, vel saepedictae robur nituntur elidere libertatis.

Datum apud Urbemveterem kalendis decembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 1 decembris 1263, pontif. anno III.

XVI.

Quod castra, feuda, terras et alia in Campania et Maritima consistentia nonnisi personis de eisdem provinciis oriundis vendi, donari seu infeudari possint (1).

SUMMARIUM

1. Poenae contra huic statuto inobedientes. — 2. Irritatio contractuum contra hanc legem factorum.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Poenae contra huic statuto inobedientes.

§ 1. Romanae Ecclesiae, cuius regimini licet immeriti auctore Domino praesidemus, indemnitatibus praecavere, ac prospero et tranquillo provinciae Campaniae Maritimaeque statui apostolica sollicitudine providere volentes, universis baronibus, militibus, civibus et generaliter omnibus utriusque sexus Campaniae et Maritimae praedictarum: unicuique baroni et baronissae sub mille; militi vero et mulieri de militari genere prodeunti, sub quingentarum; singulis autem civibus et aliis quibuscumque utriusque sexus sub trecentarum librarum provinien. poenis, auctoritate apostolica districtius inhibemus, ne castra, feuda, homines, vassallos, terras, domos, vineas aut possessiones alias seu alia quaecumque bona immobilia seu iura ipsorum in partibus earumdem Campaniae vel Maritimae consistentia, alicui vel aliquibus ecclesiasticis saecularibusve personis cuiuscumque status, dignitatis, ordinis vel conditionis existant, quae non sint de eisdem Campania vel Maritima, et exinde oriundae, et quae etiam non sint de foro rectoris eiusdem provinciae, vendere, distrahere, donare, permutare, locare, aut ad censum vel emphyteusim dare, aut alio quocumque modo vel titulo alienare praesumant.

Irritatio contractuum contra hanc legem factorum.

§ 2. Nos enim ex tunc omnem contractum, si quem contra huiusmodi nostram inhibitionem fieri vel celebrari contigerit, irritum penitus, vacuum decernimus et inanem, ac nullius prorsus existere firmitatis.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum apud Urbemveterem quarto idus decembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 10 decembris 1263, pontif. anno III.

(1) Ex Regest. Vatic.

XVII.

Privata Recanatensi civitate episcopali dignitate, Auximanae restituitur cum omnibus iuribus etc. (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Auximani episcopatu privati propter rebellionem; et dignitas Recanatensibus data. — Auximanorum poenitentia et emendatio. — Recanatensium ingratitudo. — Dempta itaque iis, ea dignitas Auximanis restituitur, — Datusque eisdem Benvenutus episcopus. — Obedientia ei praestanda.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis clero civitatis et dioecesis Auximanae, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Recti statera iudicii aequo tunc examine temperatur, cum digna virtutibus

(1) Ex Bolland. Martii, tom. III, pag. 393. — Auximanam civitatem, episcopali privatam dignitate, Humanatensi episcopo addixit Innocentius IV, Constit. XV, pag. 536. Recanatensibus vero ademptam dignitatem eamdem ab Urbano legimus superius Constit. num. XIII, pag. 697.

praemia, et congrua vitiis stipendia recompensat: sic enim quibusque quod suum est ex ordine reddente iustitia, obsequiis videlicet gratiam, et iniuriis talionem, ad benemerendum lentos movent exempla mercedum, et in delicta pronos interdum ab incentivo pravae aemulationis metus cohibet ultionis.

Auximani episcopatu privati propter rebellionem; et dignitas Recanatensibus data.

Olim siquidem erga cives Auximanos et incolas castri Recanatensis, Humanatensis dioecesis, Apostolica Sedes eorum mater, huiusmodi utens iudicii aequitate, quia iidem cives in devotionis et rebellionis assumpserant spiritum contra illam, civitatem eorum episcopali dignitate privavit, ac eam cum tota dioecesi sua ad castrum praedictum, cuius tunc incolae dictae Sedis erant devoti, transtulit civitatem ipsam, et Ecclesiam Auximanam venerabili fratri nostro episcopo et Ecclesiae Humanatensi in recompensationem dicti castri, quod Humanatensis dioecesis tunc erat, in spiritualibus submittendo.

Auximanorum poenitentia et emendatio.

Porro praedicti cives Auximani in devotionis et rebellionis huiusmodi notam, per humilem, promptam et devotam obedientiam, ac multa grataque obsequia modernis temporibus expiarunt. Nam pro tuendis eiusdem Sedis iuribus et honore, et patriae libertate pugnantes, gravia rerum damna, et personarum sustinuere pericula, et quasi quotidie sustinent, illata eis ab ipsius Sedis persecutoribus, et filiis indevotis; dicti vero Recanatensis

Recanatensium ingratitudo.

castri incolae in sensum dati reprobum, Dei et eiusdem Sedis reverentia et timore postpositis, et ad rebellionis superbiam spiritu affirmato, persecutori Sedis eiusdem, reverentia et timore postpositis, et ad rebellionis super spiritu affirmato, persecutori Sedis eiusdem contra eam, ipsiusque fideles damnabiliter adhaerere praesumunt: propterea tamquam accepti a praefata Sede beneficii immemores et ingrati, reddiderunt facta sibi huiusmodi gratia se indignos, meritoque privandos. Id itaque nos et fratres nostri provide attendentes, et considerantes prudenter, quod favorem devotio promeretur, quodque urgendi sunt impugnatores Ecclesiae condignae punitionis aculeo, ut si existat possibile, a sua resiliant pravitate, atque ad studium devotionis debitae, vitaeque laudabilis se convertant, praedictum castrum et ipsius homines, propter indevotionem et ingratitudinem eorumdem perpetuo de ipsorum fratrum consilio et apostolicae plenitudine potestatis supra dicta episcopali dignitate privavimus, eamque dignitatem, non obstantibus privatione ac submissione praemissis, civitati eidem plenarie, dictaeque Auximanae Ecclesiae integre, praedictorum civium exigentibus meritis, restituimus, prout eas habuerunt ab antiquo, civitatem ipsam, et habitatores eius, et praedictam Auximanam Ecclesiam ab omni iurisdictione episcopi et Ecclesiae Humanatensis penitus eximendo.

Dempta itaque iis ea dignitas Auximanis restituitur.

Datusque eisdem Benvenutus episcopus.

Caeterum volentes regimen Ecclesiae Auximanae tali per apostolicam providentiam committi personae, quae tanto congrueret oneri et honori, dilectum filium Benvenutum, Auximanum electum, tunc capellanum nostrum et archidiaconum Anconitanum, moribus et vita conspicuum, litterali scientia praeditum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, virum utique secundum cor nostrum, ipsi Auximanae Ecclesiae de praedictorum fratrum nostrorum consensu in episcopum praeficimus et pastorem, firmam spem fiduciamque tenentes, quod per suam industriam, divina praecedente gratia et favore apostolico subsequente, commissa sibi saepedicta Auximana Ecclesia spiritualibus et temporalibus proficere incrementis, et memorata civitas in statu reformari prospero, et in devotione ac fidelitate dictae Sedis valeat roborari.

Obedientia ei praestanda.

Quocirca universitatem vestram monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eumdem electum, tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote su-

suscipientes, obedientiam sibi et reverentiam debitam impendatis, ipsius salutaribus monitis et mandatis humiliter intendendo; alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino ad satisfactionem condignam observari.

Datum apud Urbem Veterem tertio idus martii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 13 martii 1264, pontif. anno III.

XVIII.

Condemnantur omnia statuta et conspirationes a magnatibus regni Angliae Oxoniae factae (1).

SUMMARIUM

Urbani de regni Angliae tranquillitate sollicitudo. — Statuta nonnulla Oxonii contra **eam** facta a magnatibus, — Irritata ab Urbano. — Haec irritatio per delegat. apostol. publicanda. — Obstantium derogatio.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri (Bonifacio) archiepiscopo Cantuarien. et dilecto filio ... abbati S. Dionysii in Francia Parisien. dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Urbani de regni Angliae tranquillitate sollicitudo.

Charissimum in Christo filium nostrum *(Henricum)* regem Anglorum illustrem, et regnum eius, quod Deo et Apostolicae Sedi multa fore dignoscitur subiectione devotum, necnon incolas ipsius regni tamquam dictae Sedis filios speciales paternae dilectionis brachiis amplectentes, desideramus eis statum procurare pacificum, ipsorumque dispendiis Deo propitio salubriter obviare.

Statuta nonnulla Oxoni contra eam facta a magnatibus,

Cum igitur, sicut ad nostrum pervenit auditum, nonnulli magnates et alii eiusdem regni diversas provisiones, ordinationes, obligationes, coniurationes, colligationes et conspirationes, et nonnulla statuta ad invicem apud Oxoniam fecerint, vallantes ea propriis iuramentis, et diversarum adiectione poenarum, nos intelligentes, quod ex his in eodem regno gravis extitit turbationis materia suscitata, quodque illa possunt praedictae Sedi multipliciter generare praeiudicium et libertati ecclesiasticae non modicum detrimentum; cupientes quoque ut regnum ipsum, extincto dissensionis et scandali fomite, in tranquillitate persistat, et pacis affluat ubertate; provisiones, ordinationes, statuta, obligationes, coniurationes, colligationes et conspirationes huiusmodi, quocumque nomine censeantur, de potestatis apostolicae plenitudine cassavimus et irritavimus, cassa, et irrita, et nullius firmitatis existere nunciavimus, poenas quascumque super hoc adiectas, et iuramenta praestita relaxantes, ac decernentes quoscumque ad observationem iuramentorum huiusmodi et ad poenas easdem aliquatenus non teneri.

Irritata ab Urbano.

Haec irritatio per delegat. apostol. publicanda.

Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos, vel alium seu alios, provisiones, ordinationes, obligationes, coniurationes, colligationes, conspirationes et statuta huiusmodi in locis, in quibus expedire videritis, publice et solemniter cassa et irrita nunciantes, venerabilibus fratribus nostris universis archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis, abbatibus, prioribus ac aliis Ecclesiarum praelatis, necnon comitibus, baronibus, magnatibus, et aliis praedicti regni personis ecclesiasticis et saecularibus cuiuscumque dignitatis, status, ordinis et conditionis fuerint, firmiter praecipiatis ex parte nostra, ut provisiones, ordinationes, obligationes, coniurationes, colligationes, conspirationes et statuta praemissa pro cassis et irritis penitus habeant, eis nihilominus districtius inhibendo, ne contra cassationis et irritationis nostrae tenorem aliquid attentare praesumant.

Obstantium derogatio.

Illos autem, qui contra cassationem, irritationem, seu praeceptum aut inhibi-

(1) Edidit Wilkins, Concil. Britan., tom. I, pag. 760

tionem huiusmodi quomodolibet venire praesumpserint, a tali praesumptione auctoritate nostra, appellatione postposita, compescatis, non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, interdici nequeant, aut suspendi, et indulgentia dictae Sedis, qua illis de regno Angliae dicitur esse concessum, ut extra regnum ipsum vel citra mare Anglicanum in causam trahi vel ad iudicium evocari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia indulgentia dictae Sedis cuiuscumque tenoris existat, per quam mandati nostri executio possit quomodolibet impediri, et de qua in nostris litteris fieri mentio debeat specialis, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, et illa, quam felicis recordationis Innocentius Papa praedecessor noster edidisse dignoscitur de aliquibus per generalem clausulam, quidam alii ultra quatuor ad iudicium non trahendis.

Datum apud Urbem Veterem nono kalendas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 24 martii 1264, pontif. anno III.

XIX.

Institutio festivitatis Sanctissimi Corporis Christi pro feria quinta post octavam Pentecostes quotannis solemniter celebrandae.

SUMMARIUM

Eucharistiae sacramentum. — 1. Causae instituendae solemnis festivitatis. — 2. Institutio festivitatis singulis annis feria V post octavam Pentecostes. — 3. Adhortatio ad eam devote celebrandam. — 4. Indulgentiae eam celebrantibus.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et aliis Ecclesiarum praelatis, ad quos litterae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Transiturus de hoc mundo ad Patrem Salvator noster Dominus Iesus Christus, cum tempus suae Passionis instaret, sumpta Coena in memoriam mortis suae, instituit summum et magnificum sui Corporis et Sanguinis sacramentum, Corpus in cibum, et Sanguinem in poculum tribuendo. Nam quotiens hunc Panem manducamus et Calicem bibimus, mortem Domini annunciamus. In institutione quidem huius Sacramenti dixit Ipse Apostolis: Hoc facite in meam commemorationem; ut praecipuum et insigne memoriale sui amoris eximii, quo nos dilexit, esset nobis hoc praecelsum et venerabile Sacramentum; memoriale, inquam, mirabile ac stupendum, delectabile, suave, tutissimum, ac super omnia preciosum, in quo innovata sunt signa et mirabilia immutata, in quo habetur omne delectamentum, et omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur, in quo utique vitae suffragium consequimur et salutis. Hoc est memoriale dulcissimum, memoriale salvificum, in quo gratam Redemptionis nostrae recensemus memoriam, in quo a malo retrahimur, et in bono confortamur, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementa, in quo profecto proficimus ipsius corporali praesentia Salvatoris. Alia namque, quorum memoriam agimus, spiritu menteque complectimur: sed non propter hoc realem eorum praesentiam obtinemus. In hac vero sacramentali Christi commemoratione, Iesus Christus praesens, sub alia quidem forma, in propria vero substantia est nobiscum. Ascensurus enim in coelum, dixit Apostolis et eorum sequacibus: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; benigna ipsos promissione confortans,

Eucharistiae sacramentum.

quod remaneret et esset cum eis etiam praesentia corporali. O digna et nunquam intermittenda memoria, in qua mortem nostram recolimus mortuam, nostrumque interitum interiisse, ac lignum vivificum ligno Crucis affixum, fructum nobis attulisse salutis. Haec est commemoratio gloriosa, quae fidelium animos replet gaudio salutari, et cum infusione laetitiae devotionis lacrymas subministrat. Exultamus nimirum nostram memorando liberationem, et recolendo Passionem Dominicam, per quam liberati sumus, vix lacrymas continemus. In hac itaque sacratissima commemoratione adsunt nobis suavitatis gaudium simul et lacrymae: quia et in ea congaudemus lacrymantes, et lacrymamur devote gaudentes, laetas habendo lacrymas et laetitiam lacrymantem, nam et cor ingenti perfusum gaudio, dulces per oculos stillat guttas. O divini amoris immensitas, divinae pietatis superabundantia, divinae affluentia largitatis! Dedit enim nobis Dominus omnia, quae subiecit sub pedibus nostris, et super universas terrae creaturas contulit nobis dominii principatum. Ex ministris etiam spirituum superiorum nobilitat et sublimat hominis dignitatem. Administratorii namque sunt omnes in ministerium, propter eos, qui haereditatem salutis capiunt, destinati. Et cum tam copiosa fuerit erga nos eius munificentia, volens adhuc ipse in nobis suam exuberantem charitatem praecipua liberalitate monstrare, semetipsum nobis exhibuit, et transcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, attribuit se in cibum. O singularis et admiranda liberalitas, ubi donator venit in donum, et datum est idem penitus cum datore! Quam larga et prodiga largitas, cum tribuit quis se ipsum! Dedit igitur nobis se in pabulum, ut, quia per mortem homo corruerat, et per cibum ipse relevaretur ad vitam. Cecidit homo per cibum ligni mortiferum, relevatus est homo per cibum ligni vitalis. In illo pependit esca mortis, in isto pependit vitae alimentum. Illius esus meruit laesionem, istius gustus intulit sanitatem. Gustus sauciavit, et gustus sanavit. Vide, quia unde vulnus est ortum, prodiit et medela; et unde mors subiit, exinde vita evenit. De illo siquidem gustu dicitur: Quacumque die comederis, morte morieris; de isto vero loquitur: Si quis comederit ex hoc pane, vivet in aeternum. Hic est cibus, qui plene reficit, vere nutrit, summeque impinguat non corpus, sed cor, non carnem, sed escam, non ventrem, sed mentem. Homini ergo, qui spirituali alimonia indigebat, Salvator ipse misericors, de nobiliori et potentiori huius mundi alimento pro animae refectione pia dispositione providit; decens quoque liberalitas extitit, et conveniens operatio pietatis, ut Verbum Dei aeternum, quod rationabilis creaturae cibus est, et refectio, factum caro, se rationabili creaturae carni et corpori, homo videlicet, in edulium largiretur: panem enim angelorum manducavit homo, et ideo Salvator ait: Caro mea vere est cibus. Hic panis sumitur, sed vere non consumitur; manducatur, sed non transmutatur, quia in edentem minime transformatur, sed si digne recipitur, sibi recipiens conformatur. O excellentissimum Sacramentum, o adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, praecipuis magnificandum laudibus, dignis praeconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, devotis prosequendum obsequiis et sinceris mentibus retinendum! O memoriale nobilissimum intimis commendandum praecordiis, firmiter animo alligandum, diligenter reservandum in cordis utero, et meditatione ac celebritate sedula recensendum! Huius memorialis continuam debemus celebrare memoriam, ut Illius cuius ipsum fore memoriale cognoscimus, semper memores existamus, quia cuius donum vel munus frequentius aspicitur, huius memoria strictius retinetur.

Causae instituendae solemnis festivitatis.

§ 1. Licet igitur hoc memoriale Sacramentum in quotidianis missarum solemniis frequentetur, conveniens tamen arbitramur et dignum, ut de ipso semel saltem in anno, ad confundendam specialiter haereticorum perfidiam et insaniam, memoria solemnior et celebrior habeatur. In die namque Coenae Domini, quo die ipse Christus hoc instituit Sacramentum, universalis Ecclesia pro poenitentium reconciliatione, sacri confectione Chrismatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum, et aliis quamplurimum occupata, plene vacare non potest celebrationi huius maximi Sacramenti. Hoc enim circa sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipsa observat Ecclesia, ut quamvis in letaniis et missis ac aliis etiam ipsorum memoriam saepius renovemus, nihilominus tamen ipsorum natalitia certis diebus per annum solemnius recolat, festa propter hoc eisdem diebus specialia celebrando. Et quia in his festis circa solemnitatis debitum, aliquid per negligentiam aut rei familiaris occupationem, aut alias, ex humana fragilitate omittitur, statuit ipsa mater Ecclesia certum diem, in qua generaliter omnium Sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipsorum celebratione communi, quicquid in propriis ipsorum festivitatibus omissum existeret, solveretur. Potissime igitur exequendum est erga hoc vivificum Sacramentum Corporis et Sanguinis Iesu Christi, qui est Sanctorum omnium gloria et corona, ut festivitate ac celebritate praefulgeat speciali, quatenus in eo quod in aliis missarum officiis circa solemnitatem est forsitan praetermissum, devota diligentia suppleatur, et fideles, festivitate ipsa instante, intra se praeterita memorantes, id quod in ipsis missarum solemniis saecularibus forsan agendis impliciti, aut alias ex negligentia vel fragilitate humana minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate spiritus et animi puritate restaurent. Intelleximus autem olim dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam catholicis divinitus revelatum, festum huiusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum.

Institutio festivitatis singulis annis feria V post octavam Pentecostes.

§ 2. Nos itaque ad corroborationem et exaltationem catholicae fidei, digne ac rationabiliter duximus statuendum, ut de tanto Sacramento praeter quotidianam memoriam, quam de ipso facit Ecclesia, solemnior et specialior annuatim memoria celebretur, certum ad hoc designantes et describentes diem, videlicet feriam quintam proximam post octavam Pentecostes, ut in ipsa quinta feria devotae turbae fidelium propter hoc ad Ecclesias affectuosae concurrant, et tam clerici, quam populi gaudentes, in cantica laudum surgant. Tunc enim omnium corda et vota, ora et labia, hymnos persolvant laetitiae salutaris; tunc psallat fides; spes tripudiet; exultet charitas; devotio plaudat; iubilet chorus; puritas iucundetur. Tunc singuli, alacri animo, pronaque voluntate conveniant sua studia laudabiliter exequendo, tanti festi solemnitatem celebrantes. Et utinam ad Christi servitium sic eius fideles ardor inflammet, ut per haec et alia proficientibus ipsis meritorum cumulis apud eum, qui sese dedit pro eis in pretium, tribuitque se ipsis in pabulum, tandem post huius vitae decursum eis se in praemium largiatur.

Adhortatio ad eam devote celebrandam.

§ 3. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur in Domino, et per apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, in remissionem peccatorum iniungentes, quatenus tam excelsum et tam gloriosum festum, praedicta quinta feria singulis annis, devote et solemniter celebretis, et faciatis studiose per universas ecclesias civitatum vestrarum et dioecesum celebrari; subditos vestros in dominica dictam quintam feriam proxime praecedente, salutaribus monitis sollicite per vos et per alios exhortantes, ut per veram et puram confessionem, eleemosynarum largitionem, attentas et sedulas

orationes, et alia devotionis et pietatis opera, taliter se studeant praeparare, quod huius pretiosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reverenter, ac eius virtute augumentum consequi gratiarum.

Indulgentiae eam celebrantibus.

§ 4. Nos enim christifideles ad colendum tantum festum et celebrandum, donis volentes spiritualibus animare, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui matutinali officio festi eiusdem, in ecclesia in qua idem celebrabitur interfuerint, centum; qui vero missae, totidem; qui autem in primis ipius festi vesperis interfuerint, similiter centum; qui vero in secundis, totidem; illis vero, qui primae, tertiae, sextae, nonae ac completorii officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum, quadraginta; illis autem, qui per octavas illius festi, matutinalibus, vespertinis, missae ac praedictarum horarum officiis interfuerint, centum dies, singulis octavarum ipsarum diebus, in omnipotentis Dei misericordia ac beatorum apostolorum eius Petri et Pauli auctoritate confisi, de iniunctis sibi poenitentiis relaxamus.

Datum *etc.* (1).

Datum anno 1264.

XX.

Privilegium abbatis congregationis monachorum Montis Virginis, ordinis Sancti Benedicti, utendi mitra, baculo, benedictione solemni, et aliis pontificalibus (2).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae dandi privilegii. — 2. Privilegium. — Clausulae.

(1) Vide Raynaldum ad hunc annum, et Pagium in Vita Urbani. (2) Vide quae praeposuimus Constit. huius Pontificis VIII, pag. 694.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii Montis Virginis ad Rom. Eccl. nullo medio pertinen. ordinis S. Benedicti Avellanae dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Ecclesia Romana velut circumspecta mater et provida, nonnullas Ecclesias tamquam filias praedilectas maioribus effert honoribus, munere praevenit gratiae potioris, et gratioribus insignit titulis dignitatum, ut sicut venustatis et sapientiae filiae, in matris obedientiam et reverentiam semper promptae habeantur ferventes et studiosae ad ipsius servitia, beneplacita et mandata.

Causae dandi privilegii.

§ 1. Cum igitur monasterium vestrum, utpote, sicut a fide dignis accepimus, pia religione conspicuum, et a fidelibus populis illarum partium venerabiliter frequentatum ac perspectum, ipsum, ex praerogativa specialis dilectionis et gratiae, sinceritatis brachiis amplexamur. Vestris propter hoc honoribus et utilitatibus libenter intendimus, sperantes vos haberi deinceps in Apostolicae Sedis obsequiis, ex impensis vobis acceptioribus ab ea beneficiis, honoris et gratiae promptiores.

Privilegium.

§ 2. Nos itaque ob devotionem B. Mariae Virginis gloriosae, in cuius honore dictum monasterium est fundatum, vestris supplicationibus inclinati, usum mitrae, baculi, anuli, sandalium, chirothecarum, tunicae, dalmaticae; benedictione solemni ad populum, ordinatione minorum ordinum, indulgentia quadraginta dierum; benedicere etiam calices et omnia alia ornamenta ecclesiastica, et cognoscere de matrimonio inter vassallos, in quibus habetis spiritualia, tibi, fili abbas, et successoribus tuis in perpetuum (quos potius signitis intendere cupimus, dummodo tibi et eisdem successoribus sit, more ac modo debito, munus benedictionis impensum, et te ac eos constet existere sacerdotes) auctoritate praesentium concedimus de gratia speciali.

Clausulae.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum li-

ceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum apud Urbem Veterem secundo idus septembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 12 septembris 1263, pont. anno III.

XXI.

Institutio secundae regulae ordinis sororum Sanctae Clarae nuncupatarum, seu mitigatio primae regulae a B. Francisco pro eiusmodi sororibus traditae (1).

SUMMARIUM

Ordo hic a S. Clara institutus. — 1. Sororibus vero sub diversis nominibus diversae datae regulae. — 2. Causae harum dandarum regularum. — 3. Ordinem S. Clarae nuncupari mandat Urbanus: — 4. Eique privilegia omnia confirmat, — 5. Unamque omnibus regulam tradit. — De obedientia, paupertate et castitate. — De clausura. — De recipiendis servientibus. — De admissione sororum in ordine, — Et professione. — De vestibus. — De lectulis et dormitorio. — De recitatione Officii. — De Sacramentis recipiendis, ministro et tempore. — De exercitiis corporalibus, laboribus, *etc.*, in quibus omnia debent esse communia. — De silentio, et quando ab eo sit dispensandum. — De modo colloquendi et alloquendi. — De ieiuniis, abstinentia a carne, et facultate abbatissae in hoc dispensandi. — De infirmarum cura. — De ostio interiori, eiusque custodia et custodis qualitatibus. — De rota, eiusque custodia. — De ostio exteriori. — De locutorio, crate, horumque custodia. — De crate ad communionem suscipiendam. — De ingressu extranearum personarum. — De sororum servientium egressu pro monasterii necessitatibus. — De cappellani et conversorum vita, moribus et vestibus. — De procuratore, eiusque officio. — De electione abbatissae, munere, auctoritate et qualitatibus. — Quae a monialibus sint fugienda. — Accessus personalis ad Sedem Apostolicam eis omnino prohibetur. — De visitatione et visitatoris officio et potestate. — De cardinalis protectoris auctoritate. — De regulae observantia.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus universis abbatissis, et sororibus inclusis, ordinis S. Clarae, salutem et apostolicam benedictionem.

Beata Clara, virtute clarens et nomine, gratiae divinae inspiratione praeventa et almi Christi confessoris B. Francisci exemplis laudabilibus informata, ac salutaribus instituta doctrinis, ut se mundam Domino conservaret, mundi huius contemptis opibus, operibusque vitatis, religiose vivere sapienter elegit, et habitu sacrae religionis assumpto, arctam viam mandatorum Domini, quae gradientes in ipsa ducit ad vitam, dilatato corde cucurrit. Hanc petram, Christus lapidem esse voluit in vestri ordinis structura primarium. In ipsa evidenter ostendit, quod in huius structura sibi complacuit. Eam siquidem sanctitatis erexit in titulum, ut quae munditia vitae claruit, celebritate clareret, ac eumdem vestrum ordinem, qui sanctum et laudabile sumpsit in eius persona principium, ipsius quasi constituentis sic sapienter approbatae patronae merita, in venerabilem venerandumque probarent. *Ordo hic a S. Clara institutus.*

§ 1. In hoc autem ordine, vos et alias ipsum profitentes, sub nominationum varietate, interdum sorores, quandoque dominas, plerumque moniales, nonnumquam pauperes inclusas ordinis S. Damiani contigit hactenus nominari. Vobisque, sub horum et aliorum diversitate nominum, diversa privilegia, indulgentiae ac litterae a Sede Apostolica sunt concessa, et tam a fel. recordat. Gregorio Papa praedecessore nostro, tunc Ostiensi *Sororibus vero sub diversis nominibus diversae datae regulae.*

(1) S. Damiani monialibus regulam tradidit Innocentius IV, Constit. XIII, pag. 527. Traditam vero sanctae Clarae et sororibus a Sancto Francisco confirmavit idem Pontifex, Constit. XXXIII, pag 570.

episcopo et vestri ordinis curam gerente, quam aliis, variae datae sunt regulae et formae vivendi, quarum observantiis se vestrum aliquae solemniter obligavere.

Causae harum dandarum regularum.

§ 2. Propter quod, dilectae in Domino filiae, fuit nobis humiliter supplicatum, ut eumdem vestrum ordinem curaremus certi nominis titulo insignire, vosque ab huius observantiarum diversitatibus et votis super eis emissis misericorditer absolventes, certam vobis vivendi formam, ad tollendum omnem de vestris conscientiis scrupulum, largiremur.

Ordinem S. Clarae nuncupari mandat Urbanus.

§ 3. Nos itaque decens arbitrantes et congruum, ut idem ordo vester, qui, ut praemittitur, in B. Clara felicia suae institutionis sumpsit auspicia, cuiusque (ut firmiter credimus) apud Deum meritis et intercessione protegitur, et apud homines laudibus attollitur et favoribus ampliatur, eius insigniatur et nomine; ipsum de fratrum nostrorum consilio de caetero decrevimus ordinem S. Clarae uniformiter nominandum.

Eique privilegia omnia confirmat.

§ 4. Statuentes quod immunitates, libertates, privilegia, indulgentiae ac litterae quaecumque vobis seu eidem ordini a praefata Sede, sub quacumque nominatione concessa, id robur obtineant firmitatis, et ita per omnia ipsis uti possitis, ac si a principio huius nominis titulo et sub hac nominatione fuissent.

Unamque omnibus regulam tradit.

§ 5. Ut autem bene et iucunde habitetis in unum, nec sub praedictarum observantiarum differentia a modo vivendi videamini differentes, sed ambuletis in domo Domini cum consensu; nos, inspectis omnibus regulis praedictis et formis, ac specialiter illam, quam praefatus praedecessor tunc Ostiensis episcopus vobis dedisse cognoscitur, diligentius attendentes, regulam sive formam vivendi praesentibus annotatam, vobis et iis, quae vobis successerint, de eorumdem fratrum consilio, praesentium tenore concedimus et etiam confirmamus, in singulis monasteriis vestri ordinis perpetuis temporibus observandam, illas ex vobis, quae ipsam regulam sive formam per nos vobis concessam et confirmatam, professae fuerint, ab omnibus aliis regulis, formis et votis praemissis, de apostolicae potestatis plenitudine absolventes.

Quae regula talis est.

Cap. 1.

De obedientia, paupertate et castitate.

Omnes, quae saeculi vanitate relicta, religionem vestram assumere voluerint et tenere, hanc eas legem vitae et disciplinae oportet et convenit observare, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate sub clausura.

Cap. 2.

De clausura

Omni namque tempore vitae suae hanc vitam profitentes, clausae manere firmiter teneantur infra murorum ambitum et intrinsecam clausuram monasterii deputatum, nisi forsan (quod absit) superveniret inevitabilis et periculosa necessitas, sicut exustionis ignis, vel incursus hostilis, seu alicuius huiusmodi, quae dilationem nullo caperet modo, ad egrediendi licentiam postulandam. In quibus casibus transferant se sorores ad locum alium competentem, in quo, quantum commode fieri poterit, clausae morentur, quousque eis de monasterio sit provisum. Et propter huiusmodi necessitatis evidentiam, nulla eis conceditur licentia vel facultas extra praedictam clausuram ulterius exeundi, nisi forte de mandato aut auctoritate cardinalis Romanae Ecclesiae, cui a Sede Apostolica generaliter fuerit iste ordo commissus, ad aliquem locum aliquae mittentur, causa plantandi vel aedificandi eamdem religionem, vel reformandi aliquod monasterium eiusdem ordinis, seu causa regiminis, aut correctionis, aut alicuius valde evidentis et gravis dispendii evitandi, vel nisi de eiusdem cardinalis mandato aut auctoritate, monasterio primo rationabili causa relicto, totus conventus ad monasterium aliud se transferret. Possint autem in singulis monasteriis recipi aliquae, licet paucae, sub ser-

De recipiendis servientibus. vitialium nomine, vel sororum, ad huiusmodi observantiam professionis astringendae, praeterquam ad articulum de clausura; quae de mandato vel licentia abbatissae interdum poterunt egredi ad negotia monasterii procuranda. Morientes vero tam sorores, quam servitiales huiusmodi infra claustrum, prout convenit, tumulentur.

Cap. 3.

Omnibus hanc religionem assumere cupientibus, quae fuerint admittendae, priusquam habitum mutent et religionem assumant, dura eis et aspera proponantur, per quae itur ad Deum, et quae secundum hanc religionem necesse habuerint firmiter observare, ne de ignorantia postea se excusent. Non recipiatur aliqua, quae vel longiori aetate, vel infirmitate aliqua, vel fatua simplicitate ad huiusmodi vitae observantiam insufficiens et non idonea censeatur, nisi forte cum, aliqua interdum causa rationabili exigente, de mandato vel auctoritate dicti cardinalis alicui fuerit dispensandum. Per tales enim status et vigor religionis saepius dissolvitur et turbatur: unde in personis recipiendis diligenti studio et cauthela debet huiusmodi occasio devitari. Abbatissa nullam propria auctoritate recipiat, sine consensu omnium sororum suarum, vel ad minus duarum partium earumdem. Omnes vero ex more intra claustrum receptae, tonsis crinibus, citius deponant habitum saecularem; quibus deputetur magistra, quae eas informet regularibus disciplinis. Ad tractatus quoque capituli infra annum nullatenus admittantur. Completo vero unius anni spatio, si aetatis legitimae fuerint, professionem in manibus abbatissae coram conventu faciant in hunc modum: Ego soror N. promitto Deo et beatissimae Mariae semper Virgini et beato Francisco et beatae Clarae, et omnibus Sanctis, et tibi, dominae abbatissae, vivere sub regula a domino Urbano Papa quarto ordini nostro concessa, toto tempore vitae meae, in obedientia, sine proprio et in castitate, et etiam, secundum quod per eamdem regulam ordinatur, sub clausura. Idem similiter profitendi modus in servitialibus vel sororibus, quae de licentia abbatissae egredi possunt exterius, praeter articulum de clausura, per omnia observetur.

(De admissione sororum in ordine. — Et professione.)

Cap. 4.

Omnes sorores communiter capillos suos usque ad aures certis temporibus tondeant in rotundum. Et unaquaeque soror praeter cilitium, si voluerit, vel staminetum, duas tunicas, vel etiam plures, secundum quod visum fuerit abbatissae, habere valeat, ac mantellum post collum hinc inde connexum: et haec indumenta sint de panno religioso et vili tam pretio, quam colore, iuxta diversarum consuetudinem regionum, nimia brevitate, vel longitudine non notanda, ut et in operiendis pedibus debita servetur honestas et curiosae longitudinis superfluitas penitus evitetur. Tunica quoque superior sit tam in manicis, quam in busto, latitudinis et amplitudinis congruentis, ut habitus exterioris honestas intrinsece attestetur. Habeant et scapularia sine caputio, de vili et religioso panno, vel staminea, amplitudinis et longitudinis condecentis, sicut uniuscuiusque qualitas exigit, vel mensura: quibus induantur quando laborant, vel tale aliquid agunt, cum mantellos congrue gestare non possunt. Possint etiam sine ipsis esse aliquando, si visum fuerit abbatissae, cum forte per calorem nimium, vel aliquid aliud, eis gravia multum fuerint ad portandum. Coram extraneis tamen huiusmodi utantur scapularibus cum mantellis. Tunicae quoque superiores, scapularia et mantelli, coloris omnino albi vel nigri aliquatenus non ferantur. Pro cingulo autem cordam postquam professae fuerint, habeant minime curiosam. Vittis aut velis de panno communi omnino albis, non tamen preciosis, aut curiosis, capita sua

(De vestibus.)

cooperiant uniformiter et honeste, ita quod frons, genae et collum et gula sint (ut earum honestati et religioni convenit) cooperta, nec aliter coram extraneis personis audeant apparere. Habeant et velum nigrum, nec preciosum nec curiosum, extensum super capita, ita amplum et longum, quod ex utraque parte descendat usque ad scapulas, et retro parum ultra tunicae caputium protendatur. Sorores vero novitiae album velum eiusdem mensurae et qualitatis debeant deportare. Servitiales autem sorores pannum album non preciosum aut curiosum, ad modum veli super capita sua deferant, tantae longitudinis et amplitudinis, quod scapulas et pectus, praecipue cum exeunt, valeant operire.

Cap. 5.

De lectulis et dormitorio.

Omnes sorores sanae, tam abbatissa quam aliae, vestitae et cinctae iaceant in communi dormitorio, et quaelibet per se lectum habeat ab invicem separatum; lectus tamen abbatissae in tali loco dormitorii disponatur, quod inde caeteros dormitorii lectos sine obstaculo, si commode fieri poterit, valeat intueri. A festo Resurrectionis Dominicae usque ad festum Nativitatis B. Virginis sorores dormiant post prandium usque ad nonam, quae voluerint. Quae vero noluerint, oratione, seu meditatione divina, seu aliis piis quietis laboribus occupentur. Liceat autem unicuique habere sacconem de foeno vel de palea, et cervical de palea aut lana, si culcitras religiosas cum lana habere nequiverint congruenter. Lampas insuper de nocte accensa semper in medio dormitorii habeatur.

Cap. 6.

De recitatione Officii

De divino Officio tam in die, quam in nocte Domino persolvendo, taliter observetur, quod hae, quae legere et canere noverint, secundum consuetudinem ordinis fratrum Minorum cum gravitate tamen et modestia, divinum Officium debeant celebrare. Illitteratae vero dicant vigintiquatuor *Pater noster* pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta et Nona, pro qualibet istarum horarum septem, pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem. Qui modus in Officio B. Virginis per omnia observetur. Pro Defunctis dicant in Vesperis septem *Pater noster* cum *Requiem aeternam*, pro Matutino duodecim, tempore quo sorores litteratae faciunt Officium Mortuorum. Quae vero occasione rationabili non possent aliquando legendo dicere Horas suas, liceat eis sicut illitteratis dicere *Pater noster*.

Cap. 7.

De sacramentis recipiendis, ministro et tempore.

Ubi proprius fuerit cappellanus pro missarum solemniis et divinis officiis celebrandis, habitu et vita religiosus sit, ac bonae famae, nec iuvenilis, sed maturae et idoneæ sit aetatis. Ubi autem non fuerit proprius cappellanus, a quolibet bonae famae et honestae vitae presbytero, sorores missam audire possunt. Poenitentiam vero et alia sacramenta ecclesiastica a fratribus ordinis Minorum dumtaxat recipiant, vel ab eis recipiant, qui de mandato seu auctoritate cardinalis, cui generaliter fuerit iste ordo commissus, ea exhibendi potestatem habuerint, nisi forte in necessitatis articulo fuerit aliqua constituta, et copiam habere fratrum nequiverit praedictorum. Cum aliqua sacerdoti de confessione loqui voluerit, per locutorium sola soli confessionem faciat sacerdoti, et per illud eidem de his, quae ad confessionem pertinent, tunc loquatur. Confessionem autem regulae omnes faciant ad minus singulis mensibus, et sic confessione praemissa in sequentibus solemnitatibus, videlicet in Nativitate Domini, Purificatione B. Mariae, in initio Quadragesimae, Resurrectionis Domini, Pentecostes, in festis Sanctorum Petri et Pauli, S. Clarae, S. Francisci et Omnium Sanctorum, recipiant Dominici Corporis Sacramentum.

Si tamen aliqua soror tanta fuerit corporis infirmitate detenta, quod ad locutorium commode venire non possit, et necessitatem habuerit confiteri, vel Dominici Corporis, seu alia recipere sacramenta, exhibiturus huiusmodi alba et stola et manipulo, cum duobus idoneis et religiosis sociis, vel uno ad minus, alba, vel saltem superpelliceo vestitus, ingrediantur et morentur induti, et audita confessione, vel alio tradito sacramento, sicut ingressi fuerint, sic egrediantur induti, nec moram ibi faciant longiorem. Caveant etiam, ut quamdiu intra monasterium fuerint, nullatenus ad invicem separentur, quin semper mutuo possint libere se videre. Sic quoque se habeant in animae commendatione. Porro ad exequias circa sepulturam agendas, sacerdos non ingrediatur claustrum, sed exterius in cappella quod ad officium pertinet, exequatur. Tametsi abbatissae et conventui visum fuerit quod ad exequias debeat introire, modo supradicto cum sociis intret indutus, et sepulta mortua, cum eis exeat sine mora. Si autem necesse fuerit, ut ingrediantur aliqui ad faciendam vel ad aperiendam sepulturam, seu postmodum coaptandam, et abbatissae et conventui visum fuerit hoc expediens propter imbecillitatem sororum, sit sacerdoti vel alicui alii ad hoc idoneo et honesto cum uno socio, vel duobus, licitum introire.

CAP. 8.

De exercitiis corporalibus, laboribus, etc., in quibus omnia debent esse communia.

Si aliquae iuveniles, vel grandiores, capaces ingenii fuerint, eas instrui faciat, si sibi videbitur abbatissa, magistram eis deputans idoneam et discretam, per quam tam in cantu, quam in divinis officiis instruantur. Sorores vero et servitiales, horis et locis institutis prout ordinatum fuerit, utilibus et honestis laboribus occupentur, sub illa providentia, quod excluso ocio, animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent caetera temporalia deservire. Verum quia multitudini sub huius religionis observantia congrue omnia debent esse communia, nec cuiquam licet aliquid esse suum, caveant sollicite, ne occasione laborum huiusmodi, seu mercedis receptae pro ipsis, cupiditatis vel proprietatis cuiuspiam, seu notabilis specialitatis subrepat morbus.

CAP. 9.

De silentio, et quando ab eo sit dispensandum.

Silentium continuum sic continue ab omnibus teneatur, ut nec sibi invicem, nec alicui alii sine licentia eis loqui liceat, exceptis iis, quibus magisterium aliquod, vel opus iniunctum fuerit, quod non possit cum silentio exerceri; iis quidem simul loqui liceat de iis, quae ad officium, vel opus suum pertinent, ubi et quando et qualiter visum fuerit abbatissae. Sorores tamen debiles et infirmae, ac servientes eisdem, pro recreatione ac ipsarum servitio, in infirmitorio loqui possint. In duplicibus quoque festis, ac apostolorum solemnitatibus, et aliis quibusdam diebus, quibus visum fuerit abbatissae, in certo loco ad hoc signato, ab hora nona usque ad vesperam, vel aliqua alia hora competenti, loqui possint de Domino Iesu Christo, ac solemnitate, ac piis sanctorum exemplis, et de aliis licitis et honestis. Ab hora quoque Completorii usque ad Tertiam, exceptis servitialibus, extra monasterium abbatissa, absque causa rationabili, loquendi licentiam non concedat. In aliis vero temporibus, atque locis, sic attendat sollicite abbatissa de causa, ubi, et quando, et qualiter sorores licentiet ad loquendum, quod regularis observantia, quae non mediocriter a silentio, quod est cultus iustitiae, dignoscitur, nullatenus relaxetur.

CAP. 10.

De modo colloquendi et alloquendi.

Omnes autem studeant uti signis religiosis pariter et honestis. Sane quando aliqua persona religiosa, seu saecularis, vel cuiuslibet dignitatis, alicui de sororibus loqui petierit, nuncietur primitus ab-

batissae, et si ipsa concesserit, accedens ad locutorium, duas alias ad minus habeat secum semper, quibus iusserit abbatissa, quae loquentem videant et audire valeant, quae dicuntur. Ad cratem vero loqui aliquatenus non praesumant, nisi praesentibus duabus ad minus per abbatissam ad hoc specialiter deputatis. Caveant tamen sibi sorores, quae cum aliquo loqui habent, ne, per verba inutilia, inaniter se diffundant, nec etiam trahant in locutionibus moram longam. Hoc namque ab omnibus firmiter observetur, ut quando de confessione sacerdoti interius infirma fuerit aliqua locutura, ad minus non loquatur, nisi cum duabus non longe sedentibus, quae confitentem et confessorem videre possint, et ab eisdem pariter videri. Hanc autem loquendi legem et ipsa abbatissa diligenter custodiat, ut omnino materia detractionis omnibus auferatur, excepto quod cum sororibus suis, horis et locis competentibus loqui potest, sicut ei secundum Deum visum fuerit expedire.

Cap. 11.

De ieiuniis, abstinentia a carne, et facultate abbatissae in hoc dispensandi

Sorores autem omnes et servitiales, infirmis exceptis, a festo Nativitatis gloriosae Virginis Mariae usque ad festum Resurrectionis Dominicae, nisi diebus dominicis et die Nativitatis Domini, continuum servent ieiunium: a Resurrectione vero Dominica usque ad festum Nativitatis Beatae Virginis teneantur sexta feria ieiunare. Omni quoque tempore, praeter infirmas infirmitatis suae tempore, ab esu carnium abstineant. Cum debilibus autem dispensare valeat abbatissa, prout eorum debilitati viderit expedire. Ovis vero et caseo et lacticiniis licite possint uti, praeterquam ab Adventu usque ad Nativitatem Domini, et a Dominica Quinquagesimae usque ad Pascha, necnon et sexta feria et ieiuniis ab Ecclesia generaliter institutis. Cum servitialibus tamen sororibus, circa praedictum ieiunium, praeterquam in Adventu et sexta feria, possit abbatissa misericorditer dispensare; etiam possit circa praedictum ieiunium cum adolescentibus ac debilibus et senili aetate confectis, prout earum debilitati ac imbecillitati viderit expedire. Sanae quoque sorores ieiunare non teneantur minutionis suae tempore, quod in triduo terminetur, extra maiorem quadragesimam et sextam feriam, Adventum Domini, et ieiunia ab Ecclesia generaliter instituta. Caveat autem abbatissa, ne ultra quam ter in anno minutionem permittat communiter celebrari, nisi certa necessitas plus requirat, nec a persona extranea maxime minutionem recipiat, ubi commode poterit evitare.

Cap. 12.

De infirmarum cura.

De infirmis vero cura et diligentia maxima habeatur, et secundum quod possibile fuerit et decuerit, tam in cibariis, quae earum requirit infirmitas, quam in aliis necessariis, in fervore charitatis, benigne ac sollicite eis per omnia serviatur. Quae infirmae proprium habeant lectum, si umquam fieri potest, ubi a sanis maneant separatae, ne illarum ordinem confundere valeant vel turbare.

Cap. 13.

De ostio interiori, eiusque custodia et custodis qualitatibus.

In quolibet monasterio unum tantum ostium habeant ad intrandum claustrum et exeundum, cum opportunum fuerit, iuxta legem de ingressu et egressu positam in hac forma. In quo ostio nullum sit ostiolum vel fenestra, et istud ostium in sublimi quanto magis fieri poterit congruenter, ita quod ad ipsum per scalam levatoriam exterius ascendatur, quae scala per catenam ferream ex parte sororum studiose ligata, a Completorio dicto usque ad Primam sequentis diei continue sit suspensa, et tempore diurnae dormitionis et visitationis (1), nisi aliud interdum evidens requirat necessitas vel utilitas manifesta. Ad praedictum autem ostium custodiendum, aliqua talis

(1) Legendum forsitan *comestionis*.

ex sororibus deputetur, quae Deum timeat, sit matura moribus, sit diligens ac discreta, sitque convenientis aetatis, quae unam ipsius ostii clavem sic diligenter custodiat, ut numquam ea vel eius socia ignorante, ostium aliquando valeat aperiri. Reliquam vero clavem diversam ab illa custodiat abbatissa. Sit et alia aeque idonea ei socia deputata, quae eius vicem in omnibus exequatur, cum ipsa, aliqua rationabili causa vel occupatione necessaria, occupata fuerit vel detenta. Caveant autem studiosissime, et procurent, ne unquam ostium stet apertum, nisi quantum minus fieri poterit congruenter. Sit autem ostium seris ferreis et vectibus optime communitum, et sine custodia, apertum vel clausum, minime dimittatur, neque etiam ad momentum, nisi una clave in die, et in nocte duabus, sit firmiter obseratum. Nec omni pulsanti aperiatur statim, nisi indubitanter cognoverit, quod talis sit, quod sine dubitatione aliqua, secundum mandatum, quod de ingressuris in hac regula continetur, debeat aperiri. Et nulli liceat ibi loqui, nisi soli ostiariae de his, quae ad officium pertinebunt. Quod si aliquando intra monasterium opus aliquod fuerit faciendum, ad quod agendum saeculares aliquos vel quascumque personas alias oporteat introire, provideat abbatissa sollicite, ut tunc, dum opus scilicet exercetur, alia persona conveniens ad custodiendum ostium statuatur, quae sic personis ad opus deputatis aperiat, quod alias intrare penitus non permittat. Nam sorores ipsae, et tunc et semper, quantumcumque rationabiliter praevalent, studiosissime caveant, ne a saecularibus vel extraneis personis videantur.

Cap. 14.

De rota, eiusque custodia.

Caeterum, cum praefatum ostium aliis aperiri nolimus, nisi pro illis tantum, quae per rotam, vel aliunde decenter nequeant expediri; mandamus, quod in singulis monasteriis in exteriori muro clausurae intrinsecae, in loco siquidem competenti, manifesto a parte exteriori, et omnino patenti, rota una fortis fieri debeat, latitudinis et altitudinis congruentis, ita quod per eam nulla persona ingredi valeat vel exire, per quam necessaria, tam interius quam exterius, ministrentur; et taliter disponatur, quod per eam, nec intus nec extra, valeat aliquis intueri. Ex utraque etiam parte ostiolum fiat validum, quod de nocte, et in aestate tempore dormitionis, seris ferreis et clavibus clausum et firmatum debeat permanere. Ad cuius custodiam pro expediendis necessariis per eamdem, unam sororem discretam, tam moribus, quam aetate, quae monasterii diligat honestatem, constituat abbatissa, cui soli tantum, vel deputatae sibi sociae, cum congrue non poterit interesse, loqui ibidem et respondere liceat, super iis quae ad suum officium pertinebunt. Ibi autem nulli loqui liceat, nisi esset locutorium occupatum, vel ex alia rationabili causa et necessaria aliquando: semper tamen de licentia abbatissae, quod tamen rarissime fiat, secundum loquendi modum superius praetaxatum.

Cap. 15.

De ostio exteriori

Propter necessitates quoque aliquando imminentes, quae non possunt per supradictum ostium vel rotam commode expediri, permittimus, quod aliud hostium in loco decenti in monasterio fieri possit, per quod certis temporibus intromittantur et emittantur quae fuerint opportuna, quod quidem ostium continue sit clavi, seris ferreis et repagulis communitum. Sitque muro a parte exteriori muratum, ita quod non possit aliquatenus aperiri, vel persona aliqua inde loqui. Possit tamen necessitatum dictarum tempore, ipsius ostii murus dirui, ostium aperiri, nec tunc apertum, nisi quantum minus fieri poterit, sub tamen fida custodia dimittatur. Expeditis itaque necessitatibus ipsis, secundum praedictum

modum remunitum, clavi, seris et repagulis extrinsecus remuretur.

CAP. 16.

De locutorio, crate, horumque custodia.

Locutorium autem commune in cappella, vel potius in claustro, ubi commodius et honestius fieri poterit, disponatur, ne, si forte fieret in cappella, pacem orantium inquietet. Ipsum locutorium sit congruae quantitatis, de lamina ferrea subtiliter perforata, et taliter clavis ferreis coaptata, quod numquam valeat aperiri. Sit quoque ipsa lamina clavis ferreis in longum protensis exterius fortiter communita. Cui pannus niger laneus interius taliter apponatur, quod nec sorores videre extra valeant, nec videri. Ad istud autem locutorium a Completorio, quod dici debet tempore competenti, usque ad Primam diei sequentis, seu tempore comestionis vel dormitionis in aestate, aut quando officium celebratur (nisi pro causa adeo rationabili et necessaria, quae commode differri non possit), nulli licitum erit loqui. Quandocumque vero in concessis temporibus aliqua, vel aliquae habuerint ibi loqui, cum modestia et maturitate loquentes, breviter se expediant, prout decet. Ubi vero propter sororum multitudinem videbitur opportunum, aliud simile locutorium esse possit.

CAP. 17.

De crate ad communionem suscipiendam.

Volumus etiam, ut in muro, qui sorores dividit a cappella, congruentis formae cratis ferrea collocetur, quae sit ex crebris et spissis contortis lineis ferreis, diligenti et forti opere fabricata, et clavis ferreis in longum protensis exterius fortiter communita, vel ex lamina ferrea parvis et minutis foraminibus perforata, cum protensis clavis ferreis, ut dictum est, in cuius medium fiat unum ostiolum de lamina ferrea, per quod communionis tempore possit intromitti calix, et sacerdos mittens manum, possit Dominici Corporis tradere sacramentum; quod quidem clavi ferrea sit semper firmatum, nec aperiatur, nisi quando proponi sororibus contigerit verbum Dei, vel sacramentum Dominici Corporis exhibetur, aut cum quis aliquam ex sororibus suam propinquam consanguineam videre petierit, vel alia causa necessaria id exposcat, quod rarissime fiat et semper de licentia abbatissae. Quae tamen in nullo casu (primis duobus dumtaxat exceptis) licentiam largiatur, nisi prius singulis vicibus de hoc consilium petierit a conventu. Cui crati pannus lineus niger interius taliter apponatur, ut nulla valeat inde aliquid intueri. Habeantur etiam ostia lignea ex parte sororum, cum seris ferreis atque clavi, ut maneant semper clausa pariter et firmata, et non aperiantur, nisi cum divinum celebratur officium, et nisi quando ex dictis causis praefato modo dictum ostiolum contigerit aperiri, et nemo alius per dictam cratem loquatur, nisi aliquando, rationabili causa vel necessaria exigente, alicui de abbatissae licentia raro fuerit concedendum. Et tunc praedicta ostia lignea poterunt aperiri, et quandocumque aliquam personam extraneam ad eas ingredi, vel alias per crates eis loqui contigerit, tegant faciem cum modestia et inclinent, prout religionis convenit honestati.

CAP. 18.

De ingressu extranearum personarum.

De ingressu personarum in monasterium firmiter ac directe praecipimus, ut nulla umquam abbatissa, vel eius sorores, aliquam personam religiosam, seu saecularem, aut cuiuslibet dignitatis, in monasterii clausuram intrinsecam intrare permittant, nec omnino liceat alicui, nisi quibus concessum a Sede Apostolica fuerit, vel a cardinale, cui fuerit sororum Ordo commissus: excipiuntur autem a dicta ingrediendi lege medicus, causa multum gravis infirmatis, et minutor, cum necessitas exegerit, qui non absque duobus sociis de familia monasterii introducantur, nec ab invicem infra monaste-

rium separentur, necnon et illi quos occasione incendii vel ruinae, seu alterius periculi vel dispendii, seu pro tuendis a violentia quorumlibet monasterio vel personis, aut pro aliquo opere exercendo, quod commode extra monasterium fieri non potest, necessitas exegerit introire. Qui omnes, expedito suo ministerio, vel imminenti necessitati satisfacto per ipsos, exeant sine mora. Nulli autem personae extraneæ intra monasterii clausuram liceat comedere vel dormire. Sed et si quis de Sanctae Clarae cardinalibus, ad aliquod monasterium huiusmodi religionis aliquando venerit, et intra claustrum voluerit ingredi, cum reverentia quidem et devotione suscipiatur, sed rogetur, ut cum paucis sociis et honestis debeat introire. Liceat quoque generali ministro ordinis fratrum Minorum, quando ibidem celebrare voluerit, vel proponere sororibus verbum Dei, cum quatuor vel quinque fratribus ipsius ordinis, intra clausuram ingredi monasterii, si quando ei videbitur expedire. Alius autem praelatus, cui aliquando forte de licentia Sedis Apostolicae, vel dicti cardinalis, intrare licuerit, duobus vel tribus tantum religiosis et honestis sociis sit contentus. Quod si forte, pro benedictione vel consecratione sororum, vel in alio modo, concessum fuerit episcopo alicui Missam interius celebrare aliquando, quam paucioribus et honestioribus potuerit sociis sit contentus et ministris. Et hoc quoque ipsum alicui rarius concedatur. Nulla tamen omnino loquatur cum aliqua persona de ingressis, nisi modo praedicto, sive infirma fuerit, sive sana. Illud sane praecipue caveatur, ut ii quibus aliquando concessum fuerit solummodo, vel data licentia in monasterium ingredi, non aliter admittantur, nisi abbatissae et sororibus visum fuerit expedire, cum ex huiusmodi concessionibus vel licentiis, abbatissa vel sorores eos admittere non cogantur, et ut sint tales, de quorum verbis et moribus, necnon vita et habitu aedificari valeant intuentes, et materia iusti scandali exinde nequeat generari. Super concessione vero vel licentia ingressus huiusmodi, ad omne ambiguum removendum, apostolici apices vel cardinalis patentes litterae ostendantur.

Cap. 19.

De sororum servientium egressu pro monasterii necessitatibus.

De servitialibus et sororibus, quae semper manere clausae sicut aliae non tenentur, districtius volumus observari, ut sine licentia, nulla claustrum egrediatur. Et quae emittuntur honestae sint et convenientis aetatis, ac religiosi et maturi aspectus, et calceamentis honestis, tam ipsae, quam sorores illae, quas aliquando emittere contigerit pro casibus supradictis, calceatae incedant. Caeteris vero intus manentibus liceat istud idem. Egredientibus vero assignetur certus terminus redeundi, nec alicui ipsarum concedatur extra monasterium, sine licentia speciali, comedere, bibere vel dormire, nec ab invicem separari, vel alicui in secreto, seu cappellani monasterii vel conversorum domicilium introire; et si aliqua contrarium fecerit, graviter puniatur, et sollicite caveant, ne ad loca suspecta divertant, vel cum personis malae famae familiaritatem habeant, nec in suo reditu saecularia vel inutilia sororibus referant, per quae dissolvi valeant vel turbari. Et quamdiu extra fuerint, taliter studeant se habere, quod de conversatione honesta ipsarum aedificari valeant intuentes, et quicquid eis datum vel promissum fuerit, resignent vel renuncient abbatissae, vel alii, cui in hoc commiserit vices suas.

Cap. 20.

De cappellani et conversorum vita, moribus et vestibus.

Cappellanus si voluerit se monasterio obligare, et aliqui qui monasterii conversi esse voluerint, et abbatissae et conventui visum fuerit eos recipere, anno probationis elapso, promittant obedientiam abbatissae, voventes loci stabilitatem et perpetuo vivere sine proprio, et in

castitate. Tunicas de religioso et vili panno, tam pretio quam colore, iuxta eorum indigentiam habere valeant sine caputio. Quarum manicae breves sint et strictae tantummodo circa manus. Longitudo autem tunicarum sit talis, quod a cavilla pedum distet spatio quatuor digitorum. Cappellanus tamen habere poterit longiorem. Pro cingulo vero corrigiam honestam habeant cum cultello. Caparonem etiam cum caputio super tunicas portent, cuius longitudo genu aliquantulum transeat, et latitudo usque ad caputium protendatur. Minoris tamen latitudinis caparonem, si habere voluerit, poterit cappellanus. Qui etiam cappa honesta, vel mantello post collum, vel ante pectus hinc inde connexo, uti poterit. Superiores autem tunicae et longum caputium, necnon et cappellani cappa et mantellus, non sint de albo, vel penitus nigro panno. Vestiti etiam iaceant, et camisiis lineis non utantur. Calceamenta alta et ampla et antefixa cum caligis habeant, et femoralia portent. Capillos suos usque ad aures certis temporibus tondeant in rotundum. Officium divinum faciant, ut sorores, excepto quod conversi, ad Officium Beatae Virginis et Mortuorum minime teneantur: ieiunium servare debeant ut sorores. Liceat tamen abbatissae super ieiunio regulae, cum eis aestus, vel itineris, aut laboris alterius, seu alia quavis rationabili et honesta causa misericorditer dispensare. Informationi vero, et correctioni visitatoris cappellanus et conversi per omnia sint subiecti. Cui in iis, quae ad visitationis officium pertinent, teneantur firmiter obedire.

CAP. 21.

De procuratore, eiusque officio.

Ad haec, liceat vobis in communi redditus et possessiones recipere et habere, ac ea libere retinere. Pro quibus possessionibus et redditibus monasterii modo debito pertractandis, procurator unus, prudens pariter et fidelis, in singulis monasteriis vestri ordinis habeatur, qui per abbatissam et conventum constitui et amoveri debeat, sicut videbitur expedire. Hic vero taliter institutus de omnibus sibi commissis, receptis pariter et expensis, abbatissae et tribus sororibus ad hoc per conventum specialiter assignatis, et visitatori, cum voluerit, rationem reddere teneatur, et nihil omnino de rebus monasterii vendere, commutare, obligare vel alienare quoquo modo valeat, nisi de licentia abbatissae pariter et conventus. Et quicquid contra hoc attentatum fuerit, irritum decernimus et inane. Possit tamen de mobilibus parum valentibus aliqua parva, ex causa licita, de abbatissae licentia, interdum aliis elargiri. Possit etiam per visitatorem, cum expedire videbitur, amoveri.

CAP. 22.

De electione abbatissae, munere, auctoritate et qualitatibus.

Electio abbatissae libere pertineat ad conventum. Confirmatio vero fiat per cardinalem, cui fuerit iste ordo commissus, vel auctoritate ipsius. Studeant autem sorores talem eligere, quae virtutibus polleat, et sanctis moribus aliis praesit potius, quam officio, et quae communitatem servet in omnibus, vel in moribus; ut eius exemplo provocatae sorores, ex amore magis ei obediant, quam timore. Quaeque singularibus amoribus careat, ne dum in parte plus diligit, in toto scandalum generet. Consoletur afflictas, sit refugium tribulatis, ne si apud eam remedia defuerint sanitatum, desperationis morbus praevaleat in infirmis. Quae humiliter et charitative visitet et corrigat sorores suas, non praecipiendo eis aliquid, quod sit contra animam suam et vestrae professionis formam; non sit praeceps in praecipiendo, ne ex indiscretione praecepti ponat peccati laqueum animabus. Cui, postquam confirmationem receperit, quamdiu in officio permanserit, sorores universae, necnon et familia exterior monasterii, pareant et obediant diligenter. Semel in hebdomada ad minus, abbatissa sorores suas pro ipsarum mo-

nitione, ordinatione et reformatione teneatur ad capitulum convocare. Ubi secundum expressionem publicarum et communium negligentiarum atque culparum, poenae misericorditer imponantur. Conferat etiam cum omnibus sororibus suis, de iis quae occurrunt pro sui monasterii utilitate ac honestate tractanda: saepe enim Dominus quod melius est iuniori revelat. Nullum onerosum vel grave debitum contrahat, nisi per procuratorem de communi consensu sororum, cum manifesta necessitas hoc requirat. Reddat etiam de receptis et expensis, semel ad minus, singulis tribus mensibus, coram conventu, vel saltem quatuor sororibus ab eodem ad hoc specialiter deputatis, debitam rationem. Officiales monasterii instituat de consilio et assensu conventus, vel maioris partis ipsius. Sigillum vero conventus custodiri faciat et servari, secundum ordinationem conventus, et omnem litteram dirigendam ex parte eiusdem conventus, prius coram conventu in capitulo lectam et approbatam a maiori parte sororum, ibidem coram omnibus faciat sigillari. Nulla etiam soror aliquas litteras dirigat seu recipiat, nisi primo eas abbatissa legat, vel ab alia ad haec constituta legantur. Studeat insuper abbatissa sorores reconciliare, si aliquas ad invicem ex aliqua causa vel occasione contigerit conturbari. Soror illa, quae verbo vel signo occasionem turbationis vel scandali alteri dederit, statim antequam offerat munus orationis suae Deo, veniam petens a sorore, quam offendit, coram ea humiliter se prosternat, rogans ut intercedat pro se ad Dominum, quatenus sibi culpam indulgeat, quam commisit; illa vero memor verbi Domini: Nisi dimiseritis ex cordibus vestris, nec Pater vester coelestis dimittet vobis; liberaliter iniuriam remittat sorori veniam postulanti.

Quae a monialibus sint fugienda.

Monemus sorores omnes, et hortamur in Domino Iesu Christo, ut caveant ab omni superbia, vanagloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine huius saeculi, detractione et murmuratione, dissensione et divisione ac omni vitio, pro quo possit displicere in oculis veri Sponsi. Sed magis sollicitae coram Deo servare exteriorem et interiorem in omnibus puritatem, ac semper invicem habere mutuae dilectionis unitatem, quae est vinculum perfectionis, ut in ea radicatae et fundatae, possint ad Agni, Domini nostri Iesu Christi, nuptias cum prudentibus virginibus introire.

Cap. 23.

Accessus personalis ad Sedem Apostolicam eis omnino prohibetur.

Ad haec, ut discursibus dispendiosis materia subtrahatur, in virtute obedientiae, sub poena excommunicationis, quam ipso facto transgredientes, vel non parentes incurrant, districte praecipimus, ut (exceptis dumtaxat servitialibus monasteriorum illorum locorum, in quibus Romana fuerit Ecclesia constituta, quamdiu ibi residentiam fecerit) nulla abbatissa, soror, vel servitialis pro ulla necessitatis causa, ad Sedem Apostolicam personaliter veniat vel accedat, nisi super hoc per apostolicos apices, vel dicti cardinalis patentes litteras, alicui specialis licentia concedatur.

Cap. 24.

De visitatione et visitatoris officio et potestate.

Monasteria huius religionis, per visitatores (qui auctoritatem, formam et modum, a cardinali, cui fuerit a Sede Apostolica vester ordo commissus, recipiant) semel ad minus annis singulis visitentur. Sane circa visitationes huiusmodi, illud est sollicite providendum, ut quicumque vel generalis, vel etiam alicubi aliquando specialis constituendus fuerit visitator, talis debeat constitui, de cuius religiosa vita et moribus notitia plena et securitas habeatur. Qui cum ad monasterium aliquod veniens, fuerit introgressus, sic se per omnia exhibeat et ostendat, ut omnes de bono ad melius provocet, et ad Dei amorem, et intra se mutuam charitatem semper inflammet pariter et ac-

cendat. Et quando monasterii clausuram ad visitandum intraverit, duos religiosos et idoneos socios secum ducat, qui videlicet socii simul maneant, et dum fuerit intra claustrum, ab invicem nullatenus separentur. Visitator autem, regula prius lecta et exposita, ab abbatissa sigillum recipiat, quod ipsa sibi assignare, et absolutionem et concessionem ab abbatissae ministerio petere, absolute ac libere teneatur. Quae si communem vitam non poterit ducere, vel noluerit, per eumdem visitatorem a suo regimine absolvatur, nisi sua mora in officio monasterio dispendiosa non esset, sed necessaria, vel evidenter utilis appareret. Absolvatur etiam per eumdem, si alias non idonea, vel insufficiens ad monasterii regimen videatur; et hoc fiat secundum formam et modum, quos a cardinali supradicto receperit visitator, qui tam de ipsius abbatissae, quam sororum statu, et observantia suae religionis, ab omnibus generaliter et specialiter a singulis inquirat studiosius veritatem, et ubi aliquid reformandum vel corrigendum invenerit, zelo charitatis et amore iustitiae, cum discretione corrigat et reformet, tam in capite, quam in membris, sicut melius viderit expedire. Excessus autem, qui fuerit sufficienter correctus a visitatore, nullatenus iterum corrigatur. Quod si aliquid tale sibi occurrerit, quod per se nequeat emendare, ad superiorem referat, ut corrigatur sicut expedit, eius consilio ac praecepto. Caveat autem abbatissa, ne a se vel ab aliis sororibus, status sui monasterii visitatori aliquatenus abscondatur, quia malum esset indicium, et offensa graviter punienda. Imo volumus et mandamus, ut ea quae secundum vitae suae formam et regularem observantiam, instituenda vel emendanda fuerint, publice ac privatim, sicut melius viderit faciendum, visitatori suggerant et proponant, cui teneantur in omnibus, quae ad officium suae visitationis pertinent, firmiter obedire. Quae autem aliter fecerint, a visitatore, tam abbatissa, quam aliae, debite, prout convenit, puniantur. Omnes autem tam abbatissa, quam sorores, considerent et caveant diligenter, ut nihil aliud, quam amor divinus et suarum sororum correctio ac monasterii reformatio eas moveat ad loquendum. Modum autem loquendi visitator custodiat supradictum, ut videlicet, aut cum omnibus aut cum pluribus simul loquatur, vel secrete cum una, aliis tamen, ad minus duabus, in aspectu eius non longe sedentibus, ut per omnia bonae famae integritas conservetur, nisi ad locutorium cum una vel pluribus loqui voluerit de iis, quae ad officium suum pertinere noscantur. Idem etiam visitator, tam cappellanum, quam conversos, et caeteros de familia extrinseca monasterii visitet, et in eis corrigat et reformet, quae correctionis et reformationis officio noverit indigere; poenas tam amotionis perpetuae a monasterio, licentiando professos ad alia monasteria vel ordines, sicut viderit expedire, quam alias, prout culpae gravitas et qualitas exegerit, imponendo. Ut autem non graventur monasteria in expensis, et visitator omnem notam cuiuspiam suspicionis evitet, volumus omnino, quod visitator, de visitationis officio, quam citius commode poterit, se studeat expedire, quanto rarius absque sui officii dispendio poterit, monasterii clausuram intrinsecus ingressurus.

Cap. 25.

De cardinalis protectoris auctoritate.

Verum ne ab observantia praesentis regulae sive formulae suprascriptae (quam uniformiter ubique ab omnibus volumus et mandamus diligentius observari), pro defectu certi regiminis in posterum recedere vos contingat; aut sub diversorum magisterio, vivendi modus incurrere differentes, dilecto fratri nostro I. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, gubernatori, protectori et correctori ordinis fratrum Minorum, curam et regimen vestri ordinis, necnon et perso-

narum in eis degentium, scilicet capellanorum et conversorum et familiarium, plene duximus committenda, statuentes, ut sub eius, et aliorum cardinalium, qui fuerint pro tempore, gubernationi, protectioni atque correctioni eorumdem fratrum ordinis à Sede Apostolica deputati, obedientia et cura et regimine debeatis de caetero permanere, quibus teneamini firmiter obedire. Et ipsi animarum vestrarum sollicitudinem gerentes et curam, eisdem monasteriis et personis degentibus in eis, cappellanis, conversis et familiae tam per se, quam per viros idoneos, quoties expedire viderint, visitationis officium impendere studeant, corrigendo et reformando ibidem, tam in capite, quam in membris, quae correctionis et reformationis officio noverint indigere. Instituant nihilominus et destituant, ordinent, statuant et disponant, prout secundum Deum viderint expedire.

CAP. 26.

Regulae observantia.

Ut autem vos in hac regula sive formula tamquam in speculo possitis inspicere, nec per oblivionem aliquid negligatis, semel vobis in qualibet quindena legatur, et ubi vos inveneritis ea, quae scripta sunt, facere, agite gratias Deo bonorum omnium largitori. Ubi autem sibi quaecumque viderit aliquid deesse, doleat de praeterito, et caveat de futuro; orans ut ei debitum dimittatur, et in tentationem deinceps non inducatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae institutionis, declarationis et constitutionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum apud Urbem Veterem, decimo quinto kalendas novembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 18 octobris 1264, pontif. anno III.

CLEMENS IV

PAPA CLXXXIII

Anno Domini MCCLXV.

Guido, natione Gallus, ex Oppido S. Ægidii ad Rhodani ripam in provincia Narbonensi, nobili familia Grossa, patre Fulcodio, antea Aniciensis episcopus, deinde archiepiscopus Narbonensis, mox S. R. E. cardinalis Sabinensis, electus est Viterbii Romanus Pontifex mense februario anno 1265, et die 22 (1) eiusdem coronatus, Clementis IV sumpto nomine. Sedit in pontificatu annos III, menses IX, dies VII (2), imperante in Oriente Michaele Palaeologo. Obiit Viterbii die 29 novembris anno 1268, et sepultus est ibidem in ecclesia fratrum Praedicatorum. Vacavit sedes annos fere III.

I.

Encyclicis litteris omnes Ecclesiarum praelatos ad implorandam divinam opem pro Ecclesia bene gubernanda incitat (3).

SUMMARIUM

Dies obitus Urbani PP. — Clementis electio.

Clemens episcopus servus servorum Dei.

His diebus felicis recordationis Urbano Papa praedecessore nostro sexto nonas octobris viam universae carnis ingresso, et sicut de largissima Dei pietate confidimus, post labores ad praemium evocato, tantique patris defuncti corpore, prout est iuris et moris, cum honore et

Dies obitus Urbani PP.

(1) Electioni Clementis assignari certus dies non potest, nisi assentiendum videatur Baronio, qui teste Raynaldo in schedis asserit eumdem electum die 9 februarii. (2) A coronationis die computandos. (3) Ex Raynaldo ad annum 1265, § 4.

cendat. Et quando monasterii clausuram ad visitandum intraverit, duos religiosos et idoneos socios secum ducat, qui videlicet socii simul maneant, et dum fuerit intra claustrum, ab invicem nullatenus separentur. Visitator autem, regula prius lecta et exposita, ab abbatissa sigillum recipiat, quod ipsa sibi assignare, et absolutionem et concessionem ab abbatissae ministerio petere, absolute ac libere teneatur. Quae si communem vitam non poterit ducere, vel noluerit, per eumdem visitatorem a suo regimine absolvatur, nisi sua mora in officio monasterio dispendiosa non esset, sed necessaria, vel evidenter utilis appareret. Absolvatur etiam per eumdem, si alias non idonea, vel insufficiens ad monasterii regimen videatur; et hoc fiat secundum formam et modum, quos a cardinali supradicto receperit visitator, qui tam de ipsius abbatissae, quam sororum statu, et observantia suae religionis, ab omnibus generaliter et specialiter a singulis inquirat studiosius veritatem, et ubi aliquid reformandum vel corrigendum invenerit, zelo charitatis et amore iustitiae, cum discretione corrigat et reformet, tam in capite, quam in membris, sicut melius viderit expedire. Excessus autem, qui fuerit sufficienter correctus a visitatore, nullatenus iterum corrigatur. Quod si aliquid tale sibi occurrerit, quod per se nequeat emendare, ad superiorem referat, ut corrigatur sicut expedit, eius consilio ac praecepto. Caveat autem abbatissa, ne a se vel ab aliis sororibus, status sui monasterii visitatori aliquatenus abscondatur, quia malum esset indicium, et offensa graviter punienda. Imo volumus et mandamus, ut ea quae secundum vitae suae formam et regularem observantiam, instituenda vel emendanda fuerint, publice ac privatim, sicut melius viderit faciendum, visitatori suggerant et proponant, cui teneantur in omnibus, quae ad officium suae visitationis pertinent, firmiter obedire. Quae autem aliter fecerint, a visitatore, tam abbatissa, quam aliae, debite, prout convenit, puniantur. Omnes autem tam abbatissa, quam sorores, considerent et caveant diligenter, ut nihil aliud, quam amor divinus et suarum sororum correctio ac monasterii reformatio eas moveat ad loquendum. Modum autem loquendi visitator custodiat supradictum, ut videlicet, aut cum omnibus aut cum pluribus simul loquatur, vel secrete cum una, aliis tamen, ad minus duabus, in aspectu eius non longe sedentibus, ut per omnia bonae famae integritas conservetur, nisi ad locutorium cum una vel pluribus loqui voluerit de iis, quae ad officium suum pertinere noscantur. Idem etiam visitator, tam cappellanum, quam conversos, et caeteros de familia extrinseca monasterii visitet, et in eis corrigat et reformet, quae correctionis et reformationis officio noverit indigere; poenas tam amotionis perpetuae a monasterio, licentiando professos ad alia monasteria vel ordines, sicut viderit expedire, quam alias, prout culpae gravitas et qualitas exegerit, imponendo. Ut autem non graventur monasteria in expensis, et visitator omnem notam cuiuspiam suspicionis evitet, volumus omnino, quod visitator, de visitationis officio, quam citius commode poterit, se studeat expedire, quanto rarius absque sui officii dispendio poterit, monasterii clausuram intrinsecus ingressurus.

Cap. 25.

De cardinalis protectoris auctoritate.

Verum ne ab observantia praesentis regulae sive formulae suprascriptae (quam uniformiter ubique ab omnibus volumus et mandamus diligentius observari), pro defectu certi regiminis in posterum recedere vos contingat; aut sub diversorum magisterio, vivendi modus incurrere differentes, dilecto fratri nostro I. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, gubernatori, protectori et correctori ordinis fratrum Minorum, curam et regimen vestri ordinis, necnon et perso-

narum in eis degentium, scilicet capellanorum et conversorum et familiarium, plene duximus committenda, statuentes, ut sub eius, et aliorum cardinalium, qui fuerint pro tempore, gubernationi, protectioni atque correctioni eorumdem fratrum ordinis á Sede Apostolica deputati, obedientia et cura et regimine debeatis de caetero permanere, quibus teneamini firmiter obedire. Et ipsi animarum vestrarum sollicitudinem gerentes et curam, eisdem monasteriis et personis degentibus in eis, cappellanis, conversis et familiae tam per se, quam per viros idoneos, quoties expedire viderint, visitationis officium impendere studeant, corrigendo et reformando ibidem, tam in capite, quam in membris, quae correctionis et reformationis officio noverint indigere. Instituant nihilominus et destituant, ordinent, statuant et disponant, prout secundum Deum viderint expedire.

CAP. 26.

Regulae observantia. Ut autem vos in hac regula sive formula tamquam in speculo possitis inspicere, nec per oblivionem aliquid negligatis, semel vobis in qualibet quindena legatur, et ubi vos inveneritis ea, quae scripta sunt, facere, agite gratias Deo bonorum omnium largitori. Ubi autem sibi quaecumque viderit aliquid deesse, doleat de praeterito, et caveat de futuro; orans ut ei debitum dimittatur, et in tentationem deinceps non inducatur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae institutionis, declarationis et constitutionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum apud Urbem Veterem, decimo quinto kalendas novembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 18 octobris 1264, pontif. anno III.

CLEMENS IV

PAPA CLXXXIII

Anno Domini MCCLXV.

Guido, natione Gallus, ex Oppido S. Ægidii ad Rhodani ripam in provincia Narbonensi, nobili familia Grossa, patre Fulcodio, antea Aniciensis episcopus, deinde archiepiscopus Narbonensis, mox S. R. E. cardinalis Sabinensis, electus est Viterbii Romanus Pontifex mense februario anno 1265, et die 22 (1) eiusdem coronatus, Clementis IV sumpto nomine. Sedit in pontificatu annos III, menses IX, dies VII (2), imperante in Oriente Michaele Palaeologo. Obiit Viterbii die 29 novembris anno 1268, et sepultus est ibidem in ecclesia fratrum Praedicatorum. Vacavit sedes annos fere III.

I.

Encyclicis litteris omnes Ecclesiarum praelatos ad implorandam divinam opem pro Ecclesia bene gubernanda incitat (3).

SUMMARIUM

Dies obitus Urbani PP. — Clementis electio.

Clemens episcopus servus servorum Dei.

His diebus felicis recordationis Urbano Papa praedecessore nostro sexto nonas octobris viam universae carnis ingresso, et sicut de largissima Dei pietate confidimus, post labores ad praemium evocato, tantique patris defuncti corpore, prout est iuris et moris, cum honore et Dies obitus Urbani PP.

(1) Electioni Clementis assignari certus dies non potest, nisi assentiendum videatur Baronio, qui teste Raynaldo in schedis asserit eumdem electum die 9 februarii. (2) A coronationis die computandos. (3) Ex Raynaldo ad annum 1265, § 4.

reverentia ecclesiasticae tradito sepulturae, episcopi, presbyteri et diaconi cardinales habito super futuri Pontificis electione tractatu, in nos tandem, licet immeritos, de legatione, quam susceperamus in Angliam, redeuntes, et per aliqua terrarum spatia ab Apostolica Sede remotos suos oculos iniecerunt, nos in Ecclesiae Romanae Pontificem eligentes. Cumque demum Perusium venissemus (1), et insufficientiae nostrae multiplicis non ignari, tam importabilis oneris ferre sarcinam, tamque eminentis honoris fastigium conscendere merito formidantes, demum ad concordium fratrum instantiam tanto supposuimus oneri humeros imbecilles: sollicitudinem nostram proiicientes in illum, et in Eo figentes anchoram spei nostrae, qui dat lasso virtutem, et iis qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat, infirma mundi nonnumquam eligens, ut ad sui nominis gloriam fortia quaeque confundat.

Clementis electio

Rogamus itaque universitatem vestram, et per Dei misericordiam obsecramus, quatenus pensato prudenter, quod vobis praemium supernae charitatis acquiritis, si circa nos divina patientia generalis Ecclesiae regimini praesidentes, plenae devotionis studium exponatis, ab Illo, cuius admiranda potentia per gratiam dat esse fortissima quae sunt fragilia per naturam, impetretis orationum auxilio, ut sollicitudinem nobis ab Ipso creditam sic exequamur exemplis et meritis, quod inde accrescat nomini suo gloria, christianus populus salute et tranquillitate proficiat, et tandem nobis ac vobis aeterni luminis claritas illucescat *etc.*

Datum Perusii octavo kalendas martii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 22 februarii 1265, pontif. anno I.

(1) Ex his argui potest, Clementem consecratum esse Pontificem Perusii.

II.

Constitutio, per quam declaratur Angliae regem eiusque filium Edmundum nunquam fuisse veros Regni Siciliae possessores (1).

SUMMARIUM

1. Habitus tractatus inter S. A. et Angliae regem de regno Siciliae eius filio concedendo. — Relato itaque per legatum apostol. regnum Ædmundo fuisse concessum; — 2. Concessionemque huiusmodi per Innocent. IV fuisse confirmatam: — Alexander IV eam roboravit: nonnullas adiiciens conditiones sub caducitate: — 3. Sed hisce non adimpletis conditionibus: — 4. Vacua declaratur supradicta concessio. — 5. Vana omnino et nulla Innocentii PP. concessio, — 6 et 7. Et quare. — 8. Ab Urbano PP. dies eis indicta ad rationes, si quas haberent, proferendas. — Haec citatio non impedit, quominus S. A. de eodem regno disponere pro libito possit. — Declarat Clemens liberum sibi de eo disponere, — 9. Nullumque ius super illo Angliae regi esse, vel eius filio. — Robur huic declarationi adiicit. — Clausulae. — Clement. PP. et S. R. E. card. subscriptiones.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Olim regno Siciliae ad dispositionem et ordinationem Apostolicae Sedis, ad quam specialiter pertinet, cum iuribus, districtibus et pertinentiis suis plene ac libere devoluto; ac Sede ipsa circa statum ipsius regni sollicite cogitante, illiusque regimen alicui catholico et devoto principi cupiente committere, qui ad laudem Dei, honorem et pacem Ecclesiae, ac tranquillitatem et profectum fidelium ipsius regni eius solio praesideret; tandem inter Sedem ipsam et charissimum in Christo filium nostrum Henricum illustrem regem Angliae, de regno ipso in feudum dilecto filio nobili viro Edmundo, eiusdem regis nato, sub

Habitus tractatus inter S. A., et Angliae regem de regno Siciliae eius filio concedendo.

(1) Ex Dacherii Spicileg., n. e., tom. III, pag. 646

certis conditionibus concedendo, habitus est tractatus. Et quia rex ipse multa erga Romanam Ecclesiam devotione refulget, suumque genus fidei semper claruit puritate, providit tunc Sedes ipsa cum eodem rege tractatum huiusmodi consummare: unde relato et exposito ex parte ipsius Edmundi fel. recordat. Alexandro Papae quarto praedecessori nostro, quod dilectus filius magister Albertus notarius noster tunc Apostolicae Sedis legatus eidem Edmundo et haeredibus suis praedictum regnum Siciliae, ac totam terram, quae est citra Farum, usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiae Romanae cum omnibus iuribus, honoribus, districtibus et pertinentiis suis (exceptis civitate Beneventana, cum ipsis iuribus et pertinentiis universis) in feudum de speciali auctoritate et mandato fel. recordat. Innocentii Papae quarti praedecessoris nostri concesserat, salvis libertatibus et immunitatibus Ecclesiarum praedictorum regni et terrae, tam in electionibus, quam in aliis spectantibus ad easdem.

Relato itaque per legatum apostol. regnum Edmundo fuisse concessum;

§ 2. Quodque idem Innocentius praedecessor concessionem huiusmodi, supplendo defectum si quis in ea fuerit, de plenitudine potestatis auctoritate apostolica confirmarat eidem Edmundo, regnum et terram praedicta in feudum de novo concedens, prout in suis litteris dicebatur plenius contineri. Praefatus Alexander praedecessor concessionem et confirmationem huiusmodi, sub conditionibus in privilegio apostolico inde confecto expressis, ratas et gratas habens, ipsas de fratrum suorum approbavit consilio et assensu; et sub eisdem conditionibus illas auctoritate apostolica innovans, regnum et terram praedicta, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, de fratrum ipsorum consensu, dicto Edmundo ac eius haeredibus utriusque sexus in feudum sub eisdem conditionibus perpetuo concessit et etiam confirmavit. Reservavit autem expresse in eodem privilegio sibi, et in sua voluntate et potestate remansit dicere, pronunciare vel proferre in scriptis vel sine scriptis, de consilio vel sine consilio fratrum suorum, praedictis rege et Edmundo ac alio etiam quocumque, cuius forsitan interesset, nequaquam vocatis, et absque omni iuris solemnitate, approbationem, innovationem, concessionem, confirmationem huiusmodi, quas praefatis Edmundo et haeredibus sub certis conditionibus faciebat, vacuas omnino esse, nullumque robur vel valorem habere, aut revocare, cassare et irritare ipsas, et cassas et irritas nuntiare, si memoratus rex quasdam ex dictis conditionibus, statutis terminis, non impleret; ita quod post huiusmodi pronuntiationem seu irritationem vel dictum, praefatae approbationis innovatio, concessio et confirmatio nullius essent vel haberentur efficaciae vel momenti.

Concessionemque huiusmodi per Innoc. IV fuisse confirmatam:

Alexander IV eam roboravit, nonnullas adiiciens conditiones sub caducitate.

§ 3. Et licet praedicta Sedes plurimum affectaverit, adhibendo quam potuit diligentiam, quod ipsius regni negotium pietatis, rege ac Edmundo prosequentibus illud, laudabiliter proficeret, et per illorum studia et auxilia successibus convalesceret, prosperis, et processibus promoveretur optatis, idque diutius exhuberante circa ipsos apostolica gratia, non sine innumeris et magnis dispendiis, gravibusque periculis et dolenda iactura eiusdem negotii expectarit; eis tamen omnino deficientibus, nec opem aut operam promotioni dicti negotii praebentibus opportuna, neque conditiones adimplentibus supradictas, ipsum negotium speratis suffragiis non adiutum, et continuis impugnatum adversis, profectum non habuit, sed multis debilitatum defectibus periculose languit, et Ecclesia incurrente ac sustinente pro hoc maxima detrimenta.

Sed hisce non adimpletis conditionibus

§ 4. Quia igitur manifestum est et notorium praedictas non fuisse conditiones impletas, et liberum est nobis, et in nostra voluntate ac potestate consistit, eisdem conditionibus non impletis, dicere, pronuntiare

Vacua declaratur supradicta concessio.

in scriptis, vel sine scriptis, de consilio vel sine consilio fratrum nostrorum, praedicto rege ac Edmundo, et quocumque alio non vocatis, et absque omni iuris solemnitate, praefatas approbationem, innovationem, concessionem et confirmationem vacuas prorsus esse, aut revocare ipsas et irritas nuntiare, sicut in ipso privilegio est expressum: nos habito nihilominus fratrum nostrorum consilio et assensu, auctoritate apostolica sententialiter dicimus, pronuntiamus et proferimus praedictas approbationem et innovationem, concessionem et confirmationem vacuas esse omnino, nullumque robur vel valorem habere, ac revocamus, cassamus et irritamus easdem, et cassas et irritas nuntiamus, ita quod deinceps nullius sint vel habeantur efficaciae seu momenti.

Vana omnino et nulla Innocentii PP. concessio:

§ 5. Memorata vero concessio, quae de regno et terra praefatis a praedicto notario, et eiusdem concessionis confirmatio, ac nova de illis concessio, quae a dicto Innocentio Papa de fratrum suorum consilio, nominato Edmundo et eius haeredibus factae fuisse dicuntur, in nullo sibi prodesse ac nullum conferre ius, nullamque utilitatem eidem praestare possunt, nec ullum commodum aut adminiculum vel favorem, cum ab eodem notario talis concessio nunquam processerit, et constet ipsum concessionem huiusmodi non fecisse. Nec prodest, nec iuvat, si forsan huius concessionis tenor eiusdem Innocentii Papae litteris ostendatur insertus, qui facti non continet veritatem insertione huiusmodi, quae non ad publicationem, sed ad confirmationem facta existit, ad probationem minime suffragante; nec confirmatio et suppletio ipsius Innocentii Papae, si sequutae fuerunt, potuerunt praebere concessioni, quae revera nequaquam praecesserat, nec facta fuerat, vim aliquam seu efficaciam vel vigorem; nec suo interventu efficere, quod falsum foret verum, vel id, quod vere non erat, haberet essentiae veritatem: ipsaque confirmatio et suppletio, ac praedicta eiusdem Innocentii Papae nova concessio invalidae sunt penitus et inanes, utpote nullam omnino habentes radicem nec aliquod fundamentum.

Et quare.

§ 6. In iis enim hoc intendebat et agebat idem Innocentius, ut huiusmodi processum memorati notarii firmiter roboraret, cui (cum nullatenus intervenisset) nullus profecto poterat dari robur; et quod fabricatur, cum struitur vel componitur super eo, quod existentiam nullam habet, solidum quidem et stabile non est, sed instabile totaliter et infirmum. At etsi huiusmodi praedicti notarii concessio, quam de speciali auctoritate ac mandato eiusdem Innocentii praecessisse asseritur, facta fuisset; nihilominus tamen vacua et inefficax prorsus esset; cum conditiones apponendae, quarum expressionem et declarationem idem notarius in ipsa concessione reservasse arbitrio certarum dicitur personarum, expressae vel declaratae per ipsas personas non fuerint, nec possint amodo declarari, aliquibus personarum ipsarum de medio iam sublatis, quibus, et reliquis superstitibus, quod simul id facerent, fuerat reservatum; et hoc ipsum de praefata nova concessione ipsius Innocentii merito dici potest, cum idem innovando praemissam eiusdem notarii concessionem, seu quae prius ille concessisse dicebatur, noviter concedendo, ab ipsius intentione notarii, quoad conditiones inserendas minime recesserit, sed fuerit eam potius prosecutus, quamvis, et alias rationabiliter impugnetur, cum Sedes Apostolica in agendis tam arduis multam servare consueverit gravitatem, et ad concessiones rerum sic grandium et sublimium sine maturo consilio et deliberatione solemni ac expresso consensu cardinalium non procedat.

§ 7. Illa denique collatio sive concessio, quam dictus notarius quibusdam a praefato rege constitutis procuratoribus fecisse dicitur, de iam dicto regno tenendo in feudum a memorato Edmundo sub conditionibus per ipsum notarium

et quosdam alios ordinandis, de quibus condictum extiterat, quorumque iam aliqui sunt defuncti: adiecto in ipsa, quod si praedictus Innocentius Papa eam gratam et ratam haberet, et ex certa scientia litterarum ipsius notarii super illa confectarum tenorem de verbo ad verbum suis litteris insereret, valida esset et firma, alioquin cassa et irrita haberetur, et nullius esset omnino momenti, valorem non haberet aliquem vel vigorem; praesertim quia conditiones ipsae, nec ordinatae postea fuerunt, nec possunt ulterius ordinari, sicut ad irritationem alterius concessionis superius est expositum; nec apparet, neque ostenditur huiusmodi collatio seu concessio per eumdem Innocentium confirmata: quare praemissa etiam si forte ipsa, vel aliqua ex eis apparere vel ostendi contingeret, nullum prorsus valorem nullamque firmitatem haberent, nec possent Ecclesiae Romanae circa liberam ipsius regni dispositionem inferre alicuius obstaculi nocumentum.

Ab Urbano PP. dies eis indicta ad rationes, si quas haberent, proferendas.

§ 8. Et quamquam fel. record. Urbanus Papa quartus, praedecessor noster, reservata sibi tractandi, disponendi et ordinandi de ipso regno cum quovis alio principe, vel cum quacumque alia persona mallet, sua eiusdemque Ecclesiae libertate, praefatos regem et Edmundum, de fratrum suorum consilio, auctoritate apostolica per suas citaverit litteras, ut si forsan in praedicto regno, per quamcumque concessionem sive collationem eis, vel ipsorum alteri de praedicto regno ab Apostolica Sede, vel eius nuntiis seu legatis factam, vel ex quacumque alia causa, crederent se aliquod ius habere, infra quatuor menses a die receptionis litterarum ipsarum, quos eis pro peremptorio assignavit termino, per se vel personas idoneas de toto negotio sufficienter instructas, cum omnibus iuribus et monimentis suis apostolico se conspectui praesentarent propondituri ius suum, si quod se in praedicto regno Siciliae habere confiderent, ac facturi de illo fidem plenariam et iustam sententiam recepturi.

Haec citatio non impedit, quominus S. A. de eodem regno disponere pro libito possit.

Huiusmodi tamen citatio et talis causae vel quaestionis suspicio nequaquam impedire possunt super eiusmodi regni ordinatione ipsius Ecclesiae libertatem; cum nec litigiosum factum sit ipsum regnum, de cuius profecto dominio inter petitorem et possessorem quaestio non movetur, nec etiam rebus sic se habentibus, ut nunc sunt, inter eamdem Ecclesiam et praefatum regem Angliae vel dictum Edmundum super ipsius regni dominio lis posset institui; eiusdem regni possessione nec apud nos, nec apud ipsos, vel eorum alterum existente; quae sunt iure cavetur, reali parit et parat adversarium actioni; praesertim cum idem Urbanus, qui securus et certus erat, quod de praedicto regno libere disponere poterat, in huiusmodi citatione, quae de ipsius affluente gratia et benignitate processit, libertatem tractandi, disponendi et ordinandi de ipso regno sibi expresse curaverit reservare. Consideratis itaque praemissis omnibus diligenter, et attenta examinatione discussis, ac vigilanti studio comprehensis, necnon solerter Ecclesiae Romanae perquisitis et inspectis regestis, et ipsius Innocentii PP. ac praedicti notarii processibus, super eodem regno circa praedictum Edmundum habitis, perfecte visis et examinatis, et intente auditis dictis et assertionibus antiquorum ipsius Ecclesiae cardinalium, necnon et ipsius notarii, ac aliorum fide dignorum de ipsa Ecclesia, qui de toto negotio et processibus huiusmodi plenam notitiam habuerunt, ac plenarie intellectis ipsius Ecclesiae super hoc validis munimentis, et pensatis vigilanter omnibus, quae in iis attendenda forent, et cognita plenius veritate; auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio et assensu declaramus, manifestamus, notificamus et denuntiamus, quod licitum et liberum omnino est nobis et Ecclesiae Romanae de praefatis regno Siciliae et terra, omnibusque suis iuribus, districtibus et per-

Declarat Clemens liberum sibi de eo disponere.

tinentiis, quae quidem ad nos et eamdem Ecclesiam specialiter et plenarie spectant, disponere, providere, statuere et ordinare, quodque libere ac plene, absque omni ambiguitate, secura conscientia possumus ipsa in feudum concedere, ac eorum regimen et gubernationem committere prout nobis et ipsi Ecclesiae placuerit et viderimus expedire.

Nullumque ius super illo Angliae regi esse, vel eius filio.

§ 9. Et quod supradictus Edmundus et praefatus rex Angliae, cui nulla tamquam a Sede Apostolica, vel de ipsius mandato aut authoritate de ipsius regno collatio vel concessio facta fuit, seu quaevis alia persona praeter ipsam Ecclesiam in eisdem regno et terra nihil penitus iuris habet; nec ipse Edmundus, nec memoratus rex pater eius, nec aliquis alius possunt nos et eamdem Ecclesiam quomodolibet impedire, nec aliquod unquam interponere obstaculum, quin de ipsis regno et terra pro nostro beneplacito libere ordinemus.

Robur huic declarationi adiicit

Ut autem haec nostra pronuntiatio, prolatio, revocatio, cassatio, irritatio et nuntiatio ac declaratio, manifestatio, notificatio, denuntiatio illibatae perpetuo maneant, et inconcussam semper obtineant firmitatem, eas in praesenti conscribi et annotari pagina fecimus, nostra et fratrum nostrorum subscriptionibus, ad perpetuam memoriam, roborata.

Clausulae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae pronuntiationis, prolationis, revocationis, cassationis, irritationis et nuntiationis, ac declarationis, manifestationis, notificationis ac denuntiationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Clemens PP

Ego Clemens catholicae Ecclesiae episcopus.

et S. R. Eccl. card. subscriptiones

Ego Odo Tusculanus episcopus.

Ego Stephanus Praenestinus episcopus.

Ego frater Ioannes Portuensis episcopus.

Ego Rodulphus Albanensis episcopus.

Ego Anderus tituli Sanctae Praxedis presbyter cardinalis.

Ego frater Guido tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter card.

Ego Guillelmus tituli Sancti Marci presbyter card.

Ego frater Anibaldus basilicae Duodecim Apostolorum presbyter card.

Ego Riccardus Sancti Angeli diaconus cardinalis.

Ego Octavianus Sanctae Mariae in Vialata diaconus card.

Ego Ioannes Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus card.

Ego Ottobonus Sancti Adriani diaconus cardinalis.

Ego Iacobus Sanctae Mariae in Cosmedin diaconus card.

Ego Gottifridus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus card.

Ego Iordanus Sanctorum Cosmae et Damiani diaconus card.

Ego Matthaeus Sanctae Mariae in Porticu diaconus card.

Datum Perusii, quarto kalendas martii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 26 februarii 1265, pontif. anno I.

III.

Restitutio dignitatis episcopalis civitati et Ecclesiae Fulginaten., qua privata fuerat ob adhaesionem Friderico olim imperatori (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Fulginatenses antea episcopatu privati; — 2. Ad fidelitatem revertentes; — 3. Eadem donantur.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium

Sicut magni beneficii indicium est excessibus persequutorum Ecclesiae medicinalis ultionis antidotum obiter adhibere,

(1) Ex Regest. Vatic.

ut quos a fidelitatis debito culpa propriae temeritatis avertit, ad ipsius constantiam congruentis saltem severitatis disciplina convertat; sic maternae pietatis est debitum, iis, qui post indevotionis lapsum et persequtionis excessum fortiores in obsequendi proposito et continuandae in posterum devotionis exhibitione resurgunt, nec eiusdem piae matris Ecclesiae sinum praecludere, nec miserationis ipsius ubera denegare.

Fulginatenses antea episcopatu privati;

§ 1. Sane dudum Apostolica Sedes Ecclesiam et civitatem Fulginat. propter rebellionem et pertinaciam incolarum ipsius, qui spiritu ad superbiam obfirmato et indurato animo quondam Friderico olim Romanorum imperatori et eius fautoribus contra Romanam Ecclesiam adhaerere damnabiliter praesumebant, ipsam una cum illis multipliciter persequentes, episcopali dignitate privavit.

Ad fidelitatem revertentes,

§ 2. Cum autem incolae praedicti suae fidei puritatem, ad quam eidem tenentur Ecclesiae, quamquam taliter nota infidelitatis infecerant, imo notabiliter deformarant, ad devotionem et fidelitatem ipsius Ecclesiae redeuntes, per grata et continuatae postmodum multae devotionis obsequia studuerint reformare, illamque successivis augumentis se continuaturos asserant, et indeficientis continuationis studio augumentare promittant:

Eadem donantur.

§ 3. Nos, more pii patris, offensarum immemores, ubi ad hoc poenitentiae signis congruentibus invitamur, cupientes ipsos in pollicitis magis sollicitos et in proposito huiusmodi beneficiorum liberalitate prompta et promptitudine liberali efficere firmiores, de fratrum nostrorum consilio, civitati et Ecclesiae memoratis praedictam episcopalem dignitatem restituimus de gratia speciali.

Nulli ergo omnino etc.

Datum Perusii, secundo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 31 martii 1265, pontif. anno I.

IV.

Privilegia fratrum Militum hospitalis S. Lazari Hierosolymitani (1).

SUMMARIUM

1. Hisce militibus concessum, ut semel in anno eleemosynas colligant in ecclesiis. — 2. Mandatum, ut iis hoc exequi liceat. — 3. Ab oppressionibus defendantur. — 4. Ad hospitale alios recipere possint. — 5. Sepeliantur gratis. — 6. Decimae ab eis non exigendae. — 7. Coemeteria possint aedificare. — 8. Deponentes habitum coerceantur. — 9. Mortuos sepelire, et collectiones recipere possint, — 10. Et sacris operari in locis interdicto subiectis. — 11. Haec constitutio publicanda. — 12. Clerici hospitali servire possint.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, praepositis, decanis, archipresbyteris, et aliarum Ecclesiarum praelatis, ad quos istae litterae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Hisce militibus concessum, ut semel in anno eleemosynas colligant in Ecclesiis.

§ 1. Cum dilectis filiis, magistro et fratribus Militiae hospitalis Sancti Lazari Hierosolymitani, fuerit a fel. record. Innocentio Papa praedecessore nostro indultum, et a nobis postmodum confirmatum, ut semel in anno recipiantur in ecclesiis ad eleemosynas colligendas: quidam autem vestrum, avaritiae ardore succensi, confratrias suas confraternitati illorum eadem die ipsorum adventu praeponunt: et sic fratres ipsi confusi, aut nihil exinde, aut modicum consequuntur.

Mandatum, ut iis hoc exequi liceat.

§ 2. Quia igitur hoc est indecens, et in contemptum Dei Ecclesiaeque Romanae redundat; praedecessoris ipsius vestigiis inhaerentes, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus atque praecipimus, quatenus cum fratres ipsi loca vestra pro eleemosynis colligendis accesserint, benigne recipiatis et honeste tractetis, eosdem ipsis Ecclesiis vestris

(1) Hunc Ordinem confirmavit **Alexander IV**, Constit. x, pag. 602 huius tomi.

admonere populum, et eleemosynas quaerere permittatis, confratrias quas facere potestis quotidie, ipsorum confratriis, quae semel in anno fiunt, nullatenus praeponentes, ne occasione illarum eleemosynae pauperum Christi depereant, et impediantur opera pietatis.

Ab oppressionibus defendantur

§ 3. De parochianis autem viris, qui domos illorum invadunt per violentiam, vel infringunt, aut indebitis molestiis opprimunt fratres ipsos, et tam deposita, quam res decipiunt eorumdem, cum exinde querimoniam posuerint coram vobis, tam districtam eis iustitiam faciatis, et ita iura eorum defendere et manutenere curetis, quod ipsi ad vos pro defectu iustitiae saepe recurrere non cogantur, et nos sollicitudinem et obedientiam vestram debeamus merito commendare, vosque beneficiorum, quae in sancta domo illa fiunt, participes existatis.

Ad hospitale alios recipere possint.

§ 4. Praeterea, liberas et absolutas personas, quae domum eorum in sanitate vel infirmitate petent, libere, et sine molestia recipi permittatis ab eis, nec ipsos super hoc reciprocetis aliquatenus impedire.

Sepeliantur gratis.

§ 5. Illud etiam non mediocriter movet nos, nec modicum Ecclesiae derogat honestati, quod quidam vestrum contra institutiones sanctorum Patrum in Bodonensi concilio editas, fratrum Militum ac donatorum ipsorum corpora, quum decedunt, nolunt sine pretio sepeliri. Unde quia tam prava exactio et iniqua non est aliquatenus toleranda, in obedientiae vobis virtute praecipimus, ut nullo modo a fratribus et personis praedictis, vel aliis, pro sepultura quidquam exigere vel accipere, nisi ipsa spontanea decedentium liberalitas, vel parentum devotio vobis contulerit, attentetis: sed absque ullo pretio sepeliatis corpora mortuorum, ut si quis ulterius hoc attentaverit, taliter advertatis in eum, quod similia non praesumat.

Decimae ab eis non exigendae.

§ 6. Ad haec, praesentium vobis auctoritate praecipimus, ne ab eis contra tenorem privilegiorum Apostolicae Sedis, de omnibus fructibus terrae, quibus propria industria aut expensis colunt et laborant, ac etiam de nutrimentis animalium suorum, nec de ipsis animalibus decimas exigere praesumatis.

Coemeteria possint aedificare.

§ 7. Cum autem oratoria, vel coemeteria, secundum quod eis est beneficium privilegiorum Ecclesiae Romanae concessum, duxerint construenda, vos, fratres archiepiscopi et episcopi, eis pro se et familia sua tantum oratoria orantium dedicare, ac coemeterium benedicere procuretis, nec aliquis vestrum contra tenorem privilegiorum ipsorum, id impedire audeat aliquatenus, vel turbare.

Deponentes habitum coerceantur.

§ 8. De caetero quoque, fratres seu milites, ac donatos militiae praefati hospitalis in vestris episcopatibus constitutos, qui crucem et divinum habitum deponunt, et quod ac per illecebras simul et vitiorum abrupta vagantur, et illos etiam, qui prioribus suis contumaces et rebelles existunt et bolinas detinent contra voluntatem ipsorum, moneatis instanter, et pro officii vestri debito compellatis, ut habitum depositum reassumentes, in obedientia praelatorum suorum devote et humiliter perseverent, et bolinas sive alia officia per violentiam nullo modo detinere praesumant. Quicumque autem mandatorum vestrorum extiterint contemptores, excommunicationis sententia eos compellatis; quam faciatis usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Praeterea quicumque beneficia persolverint, annuatim eis de beatorum Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, septimam partem iniunctae sibi poenitentiae relaxamus.

Mortuos sepelire, et collectiones recipere possint.

§ 9. Apostolica quoque auctoritate ob reverentiam ipsius ven. hospitalis sancimus, ut his qui eorum fraternitatem assumerint, si forsan Ecclesiae, ad quas pertinent, a divinis officiis fuerint interdictae, ipsosque mori contigerit, sepulturam ecclesiasticam non negetis, nisi excommunicatus, vel nominatim interdi-

ctus, aut etiam publicus usurarius fuerit tumulandus, deferre ad Ecclesias huiusmodi hospitalis, et oblationes tam pro eis quam pro aliis, qui in eorum coemeteriis requiescunt, exhibitas, sine alicuius iudicis praeiudicio retinere. Hoc etiam addito, ut receptiones fraternitatis eiusdem, seu etiam collectarum, salvo iure dominorum suorum, sub B. Petri et nostra protectione consistant.

Et sacris operari in locis interdicto subiectis.

§ 10. Adiicimus insuper, ut si eorumdem fratrum aliqui, qui ad easdem fraternitates missi fuerint vel collectas, in quamlibet civitatem, aut castellum, vel vicum, aut alium locum devenerint, si forte locus ille fuerit divinis officiis interdictus, in eorum iucundo adventu semel aperta ecclesia annuatim, excommunicatis et nominatim interdictis exclusis, divina ibi officia celebrentur, salva in omnibus supradictis declaratione concilii generalis.

Haec constitutio publicanda.

§ 11. Ad maiorem quoque mercedis vestrae augumentum nihilominus, ut supra, mandando praecipimus, quatenus hanc nostram constitutionem per parochias vestras nunciari propriis litteris faciatis.

Clerici hospitali servire possint.

§ 12. Mandamus etiam, ut si qui de clericis Ecclesiarum vestrarum, praedicti hospitalis fratribus cum licentia praelati et capituli sui, sponte ac gratis per annum vel biennium si decreverint deservire, nequaquam impediantur.

Datum Perusii, quinto kalendas maii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 27 aprilis 1265, pontif. anno I.

V.

Declarationes statutorum (quae Charta Charitatis appellantur) ordinis Cisterciensis monachorum Sancti Benedicti, aliaeque ordinationes pro eius bono regimine (1).

SUMMARIUM

Ordinis Cisterciensis encomium. — Primum eius fundamentum, charitas. — 1. Discordia inter eos oritur circa nonnulla regulae capita. — 2. Ad eam componendam incumbit Clemens. — 3. De gubernio monasteriorum, defuncto abbate, donec alius eligatur abbas. — 4. De huiusmodi abbatum peragendae electionis modo. — 5. Abbas Cistercii etiam non confirmatus administrationem monast. suscipere potest. — 6. Forma electionum hactenus servata confirmatur. — 7. Praemittenda electionibus. — 8. De capitulo gen. quotannis celebrando, et definitorum numero. — 9 ad 17. Statuta nonnulla. — 18. De visitatione monasterii Cistercien. — 19. De correctione abbatis et monachorum. — 20. Visitatoribus monasteriorum quid sit praestandum. — 21. Quando officiales removere possint. — 22. De removendis a monasterio aliquo. — 23. De privatim suggestis non procedendum ad punitionem. — 24. Visitatores nihil recipiant nisi in regionibus remotis. — 25. Visitatio intra triduum complenda. — 26. Abbatum depositiones capitulo sequenti referendae. — 27. Causae quibus aliquis abbas deponi debeat. — 28. Deponens iniuste poenae talionis subiaceat, *etc.* — 29. Nullus ordinem potest obligare. — 30. Haec statuta annis singulis recitanda.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ordinis Cisterciensis encomium.

Parvus fons qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus, in aquas plurimas redundavit, Cistercien. est ordo praelucidus, qui a sui ortus exordio parvus et humilis abiectione habitus, tenuitate substantiae, humilitatis professione ac numero professorum, sub fontis metaphora non indigne describitur, cui diversarum ille proprietatum conformitate conformis non immerito comparatur. Hic est enim fons hortorum irriguus, caeteras rigans religiones et ordines, ac in ipsos

(1) Antiquas Ordinis huius consuetudines confirmavit Lucius Papa III, Constit. XII, pag. 30. Ad fugitivos sui Ordinis recipiendos compelli non posse declaravit Innocentius III, Constit. XXXVI, pag. 185. Omniaque eorum privilegia rata habuit Honorius III, Constit. XXX, pag. 347, et a decimarum solutione exemit, Constit. LXXIII, pag. 408

exemplis salutaribus scaturizans. Hic est fons amoenus, varietate virtutum praeclarus, munditie, puritate, pietate patens, indeficiens sanctitate. Horum.... sic excrescere meruit, ut fontis nomen excedens, fluvius censeatur. Cuius processus laudabilis de virtute in virtutem, ut Deum deorum in Sion videat gradiendo, universalis Ecclesiae laetificat unitatem; in qua per meritorum evidentiam, clarae lucis splendorem adeptus, quasi stella matutina resplendens in medio nebulae mundi huius, et in ea splendidos emittens radios instar solis, velut aquaeductus de Paradiso progrediens, in aquas redundat plurimas, hortum plantationum suarum, coetus quidem claustralium, quos produxit, aquis irrigans gratiarum et vino spiritualis laetitiae fructus inebrians partus sui. Huius siquidem ordinis sacra religio, a suae institutionis auspiciis quasi deserta et invia, utpote paucis adhuc initiata cultoribus, tandem honoris et honestatis fructus parturiens, ramos suos, ramos quidem honoris et gratiae, quasi terebinthus extendit, germinans generationes et progenies germinavit. Eapropter laetatur et iubilat laetabunda et laudans, exultat iam in multitudine numerosa spectabilis, quae olim quasi despicabilis in solitudine delitebat. Digne itaque hic ordo dignissimus, dilectus et præelectus a Domino, eidem psallit, et asserit cum Propheta: In terra deserta et invia, sic in sancto tibi desiderio et solido proposito religionis apparui, non ut me in habitu vel ambitu ostentationis, tibi, qui omnia vides, ostenderem; sed ut in humilitatis abiectione tuam viderem, et te misericorditer donante, perciperem gloriam et virtutem. Vidit enim et gavisus est, percepit, ut praemittitur, multae foecunditatis gloriam; nihilominus in charitate fundatur. Primi namque ipsius ordinis architecti, prima quasi eiusdem ordinis fundamenta in charitate iecerunt, eumdem ordinem ad instar Sponsi coelestis, qui in speciosissima Sponsa sua charitatem, ut ipsa fatetur, quod in ea perseverantior fieret, ordinavit, charitativis praeceptis et institutionibus ordinantes. Quibus Charitatis Charta nomen, nec immerito, imponentes, per ipsam ad charitatis conversationem straverunt (1), iuxta Prophetae promissum. Ipsius ordinis lapides ordinantes in illa, quid maioribus, quidve minoribus debeatur, aptius statuentes, ut secundum eiusdem Prophetae vaticinium, ipsius ordinis agni iuxta suum ordinem pascerentur.

Primum eius fundamentum charitas

Discordia inter eos oritur circa nonnulla regulae capita

§ 1. Licet autem ordo praedictus ex charitatis ordinatione firmissimus, et ut castrorum acies ordinata terribilis, continue in spiritualis pugnae procinctu desudans, contra hostes spiritus pugnare didicerit et ipsos etiam expugnare; adhuc tamen Sathan cribrum suum movere non desinit, sed ipsum movet et excutit expectans et expetens, ut excutiat filios excussorum. Adhuc Sisara israelitas, falcatis eos curribus, oppressus insequitur. Adhuc hostis antiquus peculiarem Domini populum (religiosos videlicet) Dominum contemplationis speculatione videntes, et specialiter in eius partem assumptos non cessat impetere, sed totis satagit viribus, variis conatur insidiis, diversis in illos conatibus insilit, ut ipse, a participio gaudii coelestis exclusus, in eis iucunde habitantibus unius moris in domo, charitatem vulneret, unitatem separet, ipsosque separatos in eiusdem pugnae conflictu debiliores efficiat, et ab eis iucunditatem unanimitatis excludat; hoc ipsum insidiose molitus in personas praefati ordinis his diebus, inter ipsas super diversis articulis discordiarum excitata materia, litium satis seminibus et iactis seminariis iurgiorum.

Ad eam componendam incumbit Clemens

§ 2. Nos autem ipsius ordinis sanctitatem et claram famam, cuius odor sicut agri pleni suavitas, cui Dominus benedixit, totam replet Ecclesiam, singulari zelantes affectu, ne vel ipsius sanctitas talibus nutaret insultibus, vel famae claritas

(1) Addendum forsitan *viam*.

detractorum linguis exposita turbaretur, sed singula in eodem ordine locum, ut praemittitur, decenter sortita retineant; sicque contra praedicti Sisarae impetus dimicetur, et ipsum facilius, iuxta Deborae canticum, stellae in suo cursu et ordine manentes expugnent, principiis putavimus obsistendum, exortam in eodem ordine super articulis praedictis dissensionis materiam, vitatis litigiorum anfractibus, et exclusis advocatorum tumultibus, salubris et celeris subscriptae provisionis nostrae compendio decidentes, nunc antiqua ipsius ordinis statuta interpretationis iuvando remedio, nunc eadem apostolica auctoritate firmando, nunc etiam quaedam nova, de unanimi consensu Cistercien., et quatuor infrascriptorum primorum ac aliorum abbatum et quamplurimum personarum ipsius ordinis in nostra constitutarum praesentia, statuendo.

De gubernio monasteriorum defuncto abbate, donec alius eligatur abbas.

§ 3. Licet igitur contineatur in Charta praedicta, quod si qua domus eiusdem ordinis abbate proposito fuerit destituta, maior abbas, de cuius domo domus illa exivit, ordinationis eius habeat omnem curam, donec in ea abbas alius eligatur: domui autem Cistercien., quia mater est omnium, dum proprio abbate caruerit, quatuor primi abbates, scilicet de Firmitate, de Pontigniaco, de Claravalle et de Morimundo, provideant, et super eos sit cura domus illius, donec electus abbas in ea fuerit et statutus: hoc tamen ex usu et consuetudine dicti ordinis generali sic interpretandum duximus, ut videlicet administratione vacantis monasterii remanente penes conventum eiusdem, si qua forsan emerserint difficilia, propter quae vel Cistercien. ad dictos primos quatuor, vel aliorum monasteriorum conventus ad suos abbates duxerint recurrendum, abbates ipsi curam et diligentiam habeant in consilio et auxilio postulantibus, prout eorum requireret necessitas, impendendis. Et licet administrationem penes singulorum monasteriorum vacantium conventus dixerimus secundum morem servatum hactenus remanere, sigillum tamen praedicto monasterio Cistercien., eo vacante, prior ipsius custodiat consignatum et clausum, sicut hactenus fieri consuevit. In aliis vero monasteriis vacantibus sigilla eorum abbates sigillis aliorum abbatum signata teneant et inclusa.

De huiusmodi abbatum peragendae electionis modo.

§ 4. In Charta etiam huiusmodi continetur, quod domo qualibet eiusdem ordinis abbate proprio, ut praedicitur, destituta, electionis die praefixa etiam ex abbatibus, si quos domus illa genuerit, advocentur, et consilio ac voluntate abbatis abbatem eligant abbates et monachi domus illius. Ad electionem autem Cistercien. abbatis praefixa et praenotata die ad minus per quindecim dies, ex abbatibus quorum domus de Cistercio exierunt, et ex aliis quos noverint praedicti abbates et fratres Cistercien. idoneos, convocentur. Et congregati in nomine Domini abbates et monachi Cistercien. abbatem eligant. Super quo contentione orta, quod id non servabatur iuxta ipsius Chartae tenorem; nos attendentes quod quamvis ab antiquo per abbates dicti ordinis ita fuerit ordinatum, id tamen in desuetudinem abiit, et iam de communi consuetudine, soli monachi vacantis monasterii vocem in electione abbatis habere noscuntur, huiusmodi consuetudinem volumus et praecipimus observari, eam laudabilem et rationabilem iudicantes, cum ad ius commune reduxerit, quod fuerat contra iuris communis regulas constitutum; ita quod ea, quae de vocandis aliquibus abbatibus, quorum domus de Cistercio exierunt, quod quidem de abbatibus hactenus est servatum, et caetera, quae de vocatione huiusmodi quoad Cistercien., necnon quoad alia eiusdem ordinis monasteria in Charta, ut praemittitur, continentur, eadem tam in ipso Cistercien., quam in aliis monasteriis inviolabiliter observentur. Licet enim praedicti sic vocandi vocem in electione

non habeant, eorum tamen praesentia posset esse multipliciter fructuosa.

Abbas Cistercii etiam non confirmatus administrationem monast. suscipere potest

§ 5. Caeterum, quia circa electionem abbatis praedicti monasterii Cisterciens. fuit ab aliquibus dubitatum, an possit ex usu aliquo tolerari, quod circa Cistercien. electionem retroactis temporibus est obtentum, videlicet, ut Cistercien. electus, si eius electio fuerit in concordia celebrata, administrare valeat, etiam a nemine confirmatus, et sine confirmatione aliqua curam habeat animarum. Nos ad huiusmodi dubitationem in perpetuum amovendam, statuimus, ut in monasterio Cistercien., celebrata electione concordi, secundum morem hactenus observatum, electus praedicto modo concorditer eo ipso verus sit abbas Cistercii, et administrandi licentiam, curamque animarum habeat, ac in omnibus pro vero abbate perinde habeatur, ac si a Sede Apostolica confirmationis beneficium habuisset, a qua ipsum intelligi volumus et statuimus confirmatum. Licet autem idem abbas Cistercii praedicto modo auctoritate apostolica confirmetur; nihil tamen depereat per hoc eiusdem ordinis libertatis, quam circa cessionem et amotionem abbatis ipsius idem ordo dignoscitur habuisse, quamque ipsi ordini manere volumus illibatam.

Forma electionum hactenus servata confirmatur

§ 6. Et quia praefatus ordo in multa simplicitate fundatus, profecit laudabiliter in eadem, nos circa electiones in monasteriis eiusdem ordinis faciendas, sic personas ipsius ordinis praecedere toleramus, sicut hactenus processerunt, necessitatem servando, solemnitates seu formas contentas in generali concilio eis de gratia remittentes.

Praemittenda electionibus

§ 7. Ordinamus autem quod in maioribus abbatiis generationem habentibus, cum vacaverint, quindecim dierum ad minus ad eligendum terminus assignetur. Et prior superior ac cellerarius vacantis monasterii conveniant de electoribus, quos idem prior, postquam de ipsis convenerint, in capitulo nominabit. Abbates vero, vel visitatores nullum nominent electorem, nec electoribus praedicto modo creatis simul vel singillatim aliquod dent praeceptum, nisi quod in publico eis iniungant arctius, ut secundum suas conscientias provideant vacanti monasterio bona fide. Nec alicuius vacantis monasterii abbas sibi nominari postulet electores, antequam in capitulo nominentur. Nec aliquem ex congregatis ad eligendum electoribus ad se vocet, nec verbo vel scripto aut signo eis vel eorum alicui suam insinuet voluntatem, nec electioni clam vel palam impedimentum aliquod inferat, per quod electorum impediat libertatem. Electam quoque personam, si sufficiens et idonea vacanti monasterio fuerit, non refutet. Et qui contra fecerit graviter puniatur. Nec aliquam personam amoveat ab officio vel de monasterio eiiciat ipsius vacatione durante.

De capitulo generali quotannis celebrando, et definitorum numero.

§ 8. Insuper statuimus et ordinamus, quod in ordine praedicto, iuxta morem laudabilem hactenus observatum, annis singulis generale capitulum celebretur, in quo viginti quinque definitores statuantur, hoc modo. Abbas Cistercien. tanquam pater primus nominet quatuor definitores de generatione sua speciali, quos idoneos esse crediderit ad definitionis officium exercendum. Et exinde praedicti primi quatuor abbates, scilicet quilibet eorum, de generatione sua, quinque dicto abbati Cistercii seorsum vel coram aliis nominabit. Ex quibus quinque abbas Cistercii, uno praetermisso, quatuor eligat, quos sufficientes esse crediderit. Et sic viginti definitores erunt suis quatuor cum caeteris numeratis. Quos et praedictos quatuor primos abbates idem abbas Cistercii in capitulo die secunda capituli nominabit, et definitores instituet, et ipse cum eis vigesimus quintus erit. Si quis vero ex praedictis quatuor primis abbatibus tunc non fuerit in huiusmodi capitulo, idem abbas Cistercien. de generatione absentis assumet quatuor definitores, quos

idoneos extimabit. Ut autem praedicti Cistercien., et quatuor primi abbates Deum habentes prae oculis, odio et amore, ac personarum acceptione postpositis, bona fide procedant, eosque qui nunc sunt, et futuros in postremum ad haec fideliter observanda, sub attestatione divini iudicii et in virtute obedientiae Apostolicae Sedi debitae obligamus.

Statuta nonnulla. § 9. Ordinantes et statuentes quod litterae missae capitulo generali, personae infamiam continentes, legantur coram definitoribus ordinis supradicti.

§ 10. Et quod iudices dati ab eodem capitulo non subdelegent aliis vices suas.

§ 11. Definitores quoque capituli non revocentur, praeter voluntatem definitorum, in loco residentium consueto.

§ 12. Statuta de caetero facienda non obligent nisi in sequentis anni capitulo confirmentur.

§ 13. Et per definitores nihil definiatur prius in capitulo non notatum. Stetur sententiae maioris partis eorum. Cumque ipsorum sententia in discordia venerit, abbas Cistercii reputabitur pro duobus.

§ 14. Definitores vero nominati protestabuntur in capitulo, stando, per iuramentum in verbo sacerdotis, quod iniunctum sibi ministerium ad honorem Dei et utilitatem dicti ordinis fideliter exequentur.

§ 15. Hoc etiam ipse abbas Cisterc. sedendo facere teneatur.

§ 16. De notandis autem his, quae contra memoratum abbatem Cistercii dicta fuerint in capitulo, ita fiat sicut in casu consimili de alio notaretur.

§ 17. Eleemosynae vero, quae mittuntur capitulo generali, recipiantur per duos abbates, quorum unus per eumdem abbatem Cistercii, et alius per praedictos primos quatuor abbates ponantur de caetero alternatim, ita quod quilibet de ipsis illum ponat secundum suum ordinem vice sua.

§ 18. Denique ne in ordine praedicto aliquae possint spinae subcrescere vitiorum, praecipimus praedictum Cistercien. monasterium ab eisdem primis quatuor abbatibus annis singulis visitari. Et nisi de alio die abbas Cistercii cum eis convenerit, in festo B. Mariae Magdalenae fiat huiusmodi visitatio annuatim. Nec dicto abbati Cistercii diem mutare condictam (1) sine causa rationabili et urgente, quam (2) si ei supervenerit, intimet eisdem primis quatuor abbatibus in tempore opportuno, per se vel per nuncium, cum quo iidem abbates de die subroganda tractare valeant et etiam convenire. Qui si cum nuncio concordare nequiverint, ipsimet idem statuant, sive terminum competentem, et eidem abbati Cistercii per eumdem nuncium vel alium intiment, prout viderint expedire. Quae omnia dicti primi quatuor abbates bona fide et absque aliqua captione facere teneantur. Sane cum praedicti quatuor abbates Cistercium visitabunt, abbates et monachi socii visitatorum ipsorum in proclamationibus faciendis, tam in capitulo monachorum, quam etiam conversorum, vocem liberam habeant, licet aliquando, prout feretur, eis fuerit denegata. — De visitatione monasterii Cistercien.

§ 19. Si quid autem in persona abbatis, vel in aliis, in eodem monasterio crediderint reformandum, id eidem abbati suggerant, hoc est cum reverentia et honestate dicant, ac eum benigne moneant et hortentur, ut id emendet in se, vel in aliis faciat emendari. Quod si facere forte noluerit insolenter, vel distulerit negligenter, servetur quod in eadem Charitatis Charta continetur expresse. Videlicet, ut iidem quatuor primi abbates, sub caeterorum abbatum nomine usque quater, ut corrigatur ipse, et alios corrigere curet, admoneant; et caetera, quae de aliis abbatibus in eadem Charta dicuntur, si incorrigibiles apparuerint, circa eum studiose adimpleant. Excepto quod si sponte cedere noluerit, nec deponere, nec contumaci dicere anathema — De correctione abbatis et monachorum.

(1) Add. forsitan *liceat*. (2) Leg. putamus *quae*.

poterunt, donec aut in generali capitulo, aut si illud iam visum fuerit expectari non posse, in conventu alio, convocatis abbatibus, qui de Cistercio exierunt, et aliquibus aliorum, virum inutilem ab officio suo deponant: conventum autem alium intelligimus eorumdem abbatum concordem reditum ad processum huiusmodi faciendum in aliqua eiusdem ordinis abbatia. Eo, circa punitionem Cistercien. abbatis, moderamine adhibendo, quod circa abbates alios inferius est statutum.

Visitatoribus monasteriorum quid sit praestandum.

§ 20. Ne vero visitatores monasteriis, ad quae causa visitationis accesserint, nimium onerosi existant, statuimus et ordinamus, quod maiores abbates cum visitaverint, decem evectionibus sint contenti. Monaci vero qui ad visitandum mittuntur, cum abbate sibi associato senarium evectionum numerum non excedant. Qui autem aliter ex aliqua causa fecerit, praedictum numerum excedendo, veniam inde petat in sequenti capitulo generali. Abbatibus vero, vel visitatoribus cum ad aliquod monasterium visitandum accesserint, in locis dumtaxat tutis et temporibus pacatis, nullus de monasterio ipso occurrere, vel post visitationem eos deducere teneatur. Nullus insuper abbas, vel etiam visitator, in cellariis et domibus, in castris et villis, non habentibus rura et vineas, ex quibus possit hospitalitas exhiberi, sibi provideri postulet, vel occurri. Nec aliquis teneatur ibidem transeuntibus occurrere, vel in aliquo providere. Visitatoribus quoque, seu aliis personis praedicti ordinis, numquam plus quam duae pitantiae piscium ministrentur, nec de pluribus praesumat comedere, cui forte fuerit ministratum. Carnibus, nisi forsan in casu secundum regulam concesso, exclusis omnino et ipsarum esu penitus interdicto, et tunc ille solummodo comedat, quem huiusmodi casus attinget.

§ 21. Abbates et visitatores in visitationibus officiales amovere poterunt, quos ex certis causis noverint amovendos. Ita tamen quod causas depositionum vel amotionum abbati proprio, vel priori, aut locumtenenti, si abbas forte defuerit, prius ostendant. Quod si proprius abbas vel prior accusatum apud abbates vel visitatores sufficienter excusare poterit, de plano sine strepitu, et in ipsa visitatione abbates et visitatores benigne huiusmodi excusationes admittant.

Quando officiales removere possint.

De removendis a monasterio aliquo.

§ 22. Nullus vero monachus vel conversus emittatur ad aliam domum, cuius culpa sine gravi damno vel scandalo in domo propria poterit emendari, et qui emittendi fuerint, de quatuor aut quinque seniorum domus consilio emittantur. Quicumque vero aliquem aliter emiserint, omni sexta feria ieiunent in pane et aqua, donec emissus fuerit revocatus, vel emittens fuerit in certo et firmo proposito revocandi eumdem.

De privatim suggestis non procedendum ad punitionem.

§ 23. Et licet abbates seu visitatores deputati ab eis, secundum formam praedicti ordinis, audire possint statum domorum et personarum in visitationibus publice, vel privatim: tamen super his, quae sibi privatim suggesta fuerint, non procedant ad punitionem personarum, nisi prius coram accusato in praesentia quatuor aut quinque seniorum domus publicata fuerint in secreto. Et tunc de plano et sine strepitu videant si sint vera, et si super eis ad punitionem fuerit procedendum.

Visitatores nihil recipiant nisi in regionibus remotis.

§ 24. Porro ut visitatio in charitate procedat, nulla de caetero in ordine praefato exactio, subventio vel collecta (salvo statuto in eadem Charta Charitatis contento) petatur, vel fiat, a quocumque abbate vel visitatore, sive sit abbas, sive sit monachus, nec aliquis recipere donum suspectum attentet. Illi tamen qui mittentur, vel ibunt ad regiones remotas gratia visitandi, poterunt moderate necessaria recipere ab illis, qui eis ex charitate ac mera liberalitate et sine sui gravamine voluerint subvenire. Qui vero

contra haec aliquid recipere praesumpserint, graviter puniantur.

Visitatio intra triduum complenda.

§ 25. Sane visitatores visitationes suas ultra triduum continuum non protelent. Quodsi ex iuxta et manifesta causa aliter facere compellantur, causam huiusmodi teneantur intimare sequenti capitulo generali.

Abbatum depositiones capitulo sequenti referendae.

§ 26. Caeterum ut circa depositiones abbatum via maliciis praecludatur, statuimus, ut quicumque abbatem aliquem deposuerit, causam depositionis et processum habitum circa ipsam, per litteras, suo et abbatum, qui depositioni eidem interfuerunt, sigillis signatas, in sequenti capitulo generali, nullo etiam requirente vel proclamante, insinuare ac exponere teneatur. Dicti etiam abbates, si praesentes fuerint, processum depositionis eiusdem, et an de consilio eorum sic fuerit processum, exponant, et tunc generale capitulum, utrum depositio iusta vel iniusta fuerit, iudicabit. Quod si praedicti abbates praesentes non fuerint, hoc ipsum per suas patentes litteras generali capitulo explicite attestentur. Et omnes praedicti supra suas conscientias hoc facere teneantur.

Causae quibus aliquis abbas deponi debeat.

§ 27. Et ut in abbatibus praedicti ordinis subtrahatur materia delinquendi, nec ipsi conqueri valeant per eorum abbates se indebite fore gravatos, statuimus et ordinamus, quod abbas subiectum sibi abbatem deponere debeat pro causis dumtaxat inferius annotatis; videlicet pro haeresi; pro simonia manifesta; pro immunditia carnali; pro dilatione (1) sui monasterii, enormiter alienando, vel dissipando bona; pro furto, homicidio, gravi sortilegio, solemni periurio; pro conspiratione, et si falsarius fuerit litterarum Summi Pontificis, vel Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, principum, episcoporum vel abbatum ordinis supradicti, et si contra communia instituta ipsius ordinis privilegia impetraverit vel retinuerit, aut uti praesumpserit impetratis. In aliis autem casibus superius non expressis, iniungat ei abbas, vel visitator, ut veniam petat in sequenti capitulo generali, ad arbitrium ipsius capituli per depositionem vel aliter puniendus.

Deponens iniuste poenae talionis subiaceat, etc.

§ 28. Depositus autem a regimine abbatiae, si sententia depositionis suae apparuerit iniusta, ex ordine et ex causa restituatur per generale capitulum, et deponens ibidem recipiat talionem. Si vero circa huiusmodi depositionis sententias in modo tantum, vel in ordine sit erratum, causa depositionis legitima existente, tunc non restituatur depositus, et deponens circa depositionem ad arbitrium dicti generalis capituli puniatur; in casibus quoque, in quibus, peracta poenitentia, infamia remanet, depositus ineligibilis sit omnino; in illis, in quibus post peractam poenitentiam nulla infamia remanet, postquam impositam poenitentiam peregerit, eligibilis habeatur.

Nullus ordinem potest obligare.

§ 29. Et quia per obligationes ipsius ordinis multa posset idem ordo incurrere detrimenta, statuimus, et ordinamus, et providemus, quod nullus praedictum ordinem valeat obligare.

Haec statuta annis singulis recitanda.

§ 30. Praemissa igitur, quae pro utilitate, honore ac statu prospero dicti ordinis duximus statuenda, universa et singula in perpetuum ab universis personis ipsius ordinis inviolabiliter observari praecipimus, et, ne tradantur oblivioni vel neglectui habeantur, in generali capitulo annis singulis recitari.

Nulli ergo *etc.* Si quis autem *etc.*

Datum Perusii quinto idus iunii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 9 iunii 1265, pontif. anno I.

VI.

De auctoritate et facultatibus ministri generalis, et aliorum praelatorum fratrum Minorum Conventualium ordinis S. Francisci, nonnullisque gratiis et privilegiis eiusdem ordinis.

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Minister generalis electus continuo curam suscipit ordinis. — 2. Re-

(1) Legendum putamus *dilapidatione.*

moveri potest a definitoribus et custodibus. — 3. Vocalibus longe distantibus tempus non currit. — 4. Custodes et guardiani instituti statim capiunt administrationem. — 5. Lectores ubique legunt, exceptis studiis gener. — 6. Praedicatores a quibus examinandi. — 7. Fratres a quolibet episcopo sacris initiandi. — 8. Facultas habendi oratoria — 9. Et sacris operandi in locis interdicto suppositis. — 10. Ibique commorandi et quaestuandi. — 11. Generalis et provinciales possunt suos absolvere et dispensare ab irregularitatibus: — 12. Ipsi vero absolvi possunt a suis fratribus. — 13. Idem ac in § 11. — 14. Multa enumerantur a quibus eximuntur fratres. — 15. Praelati ordinis revocare possunt fratres apud episcopos commorantes, *etc.* — 16. Omnimodamque iurisdictionem habent supra Crucem praedicantes et inquisitores, — 17. Et censuris impetere ab ordine discedentes, — 18. Vel ad alium non statim transeuntes. — 19. Apostatasque persequi, et eos qui licentiati cum sint, alium ordinem ingredi vel profiteri noluerint. — 20. Nemini licitum sit eumdem vel similem habitum portare. — 21. Exemptio a decimis. — 22. Applicare sibi possunt bona intrantium, cum hi nesciunt, quibus restitui debent: — 23. Ac mortuorum corpora suis in Ecclesiis sepelire. — 24. Confratribus vero peccata confiteri tenentur. — 25. Conceduntur eis privilegia nonnulla. — 26. Pro legatis defunctorum nihil solvendum. — 27. Aliqua dimittentes loca de eorum bonis possunt disponere. — 28. Nihil vero pro procurationibus, collectis, subsidiis *etc.* tenentur solvere. — 29. Exemptio ab ordinaria iurisdictione. — 30. Roboratio huiusce constitutionis.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis generali et provincialibus ministris ac universis fratribus ordinis Minorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Virtute conspicuos sacri vestri ordinis professores, qui contemplationi coelestium ferventer invigilant, et piae vitae studio sine intermissione desudant, decet per apostolicae circumspectionis auxilium sic provide dirigi, et sollicite confoveri, ut alicuius praetextu calumniae nullum internae pacis excidium, nullumque religiosi status perferant detrimentum, sed in his robur et vigorem habeant, per quae cultum divini nominis devotis et quietis mentibus invalescant.

Minister generalis electus continuo curam suscipit ordinis (1).

§ 1. Hinc est, quod, quum sicut nobis exponere curastis, tu, fili generalis minister, et praedecessores tui, iuxta eiusdem ordinis consuetudinem observatam hactenus, et a Sede Apostolica toleratam, statim postquam electi secundum praedicti regulam et constitutiones ordinis extitistis, fratrum ipsius curam gesseritis, ministerii officium plene ac libere in omnibus exercentes, iidemque fratres vobis devote et humiliter obedierint ac intenderint reverenter; et in eadem regula sit expressum, ut generalis minister, qui pro tempore fuerit, a ministerii officio amoveri valeat, provincialibus ministris et custodibus in generali capitulo congregatis; nos volentes ambiguitatis scrupulum in hac parte de vestris cordibus amputare, ac ordinem ipsum a Sede approbatum eadem, honestate floridum, praeclarum scientia et virtute foecundum, privilegio apostolicae gratiae attollere singulari, vestris supplicationibus inclinati, devotioni vestrae, ut successores tui, fili generalis magister, qui erunt pro tempore, statim postquam electi secundum regulam et constitutiones fuerint supradictas, eo ipso veri eiusdem ordinis generales ministri effecti curam animarum fratrum ipsius ordinis plene habeant, et libere gerant, ipsosque fratres auctoritate propria ligare ac solvere, necnon in eodem ordine agere valeant, quae ipsi ministri et definitores ad haec electi iuxta praedictas constitutiones eidem ordini et fratribus secundum Deum viderint expedire, aliasque possint officium ministerii licite in omnibus exercere. Iidemque fratres tibi generali ministro et successoribus ipsis devote ac humiliter obediant et intendant.

(1) Vide Concil. Trident., sess. 25, cap. 6.

Removeri potest a definitoribus et custodibus.

§ 2. Et praefati successores, et tu, generalis minister, a provincialibus ministris et custodibus secundum regulam et constitutiones ipsius ordinis absolvi et amoveri possitis auctoritate apostolica indulgemus, ratum habentes et firmum quicquid super praemissis per te, generalis minister, dictosque praedecessores fratres et definitores factum et observatum est hactenus, concessa tibi exequendi officium ministerii, quoad praemissa omnia et alia, libera facultate.

Vocalibus longe distantibus tempus non currit.

§ 3. In electionibus quoque generalis, et provincialium ministrorum ipsius ordinis, fratribus, qui debent electionem huiusmodi celebrare, quum eos frequenter de remotis partibus oporteat convenire, tempus super hoc a iure statutum non currat, nec ipsi in hac parte iuris huiusmodi regulis coarctentur.

Custodes et guardiani instituti statim capiunt administrationem.

§ 4. Custodes vero et guardiani, qui secundum statuta eiusdem ordinis aliter quam per electionem instituuntur, post ipsam institutionem seu provisionem de ipsis factam, curam animarum fratrum sibi subditorum ipsius ordinis habeant, ipsosque ligare ac solvere possint, iuxta ipsius ordinis instituta.

Lectores ubique legunt, exceptis studiis gener.

§ 5. Fratres autem de ordine vestro, quos secundum institutiones ipsius ordinis conventibus vestris deputandos duxeritis in lectores, sine cuiusquam alterius licentia, libere in domibus praedicti ordinis legere ac docere valeant in theologica facultate (illis locis exceptis, in quibus viget studium generale), ac etiam quilibet in facultate ipsa docturus solemniter incipere consuevit.

Praedicatores a quibus examinandi

§ 6. Et quia prohibente regula vestra nulli fratrum Minorum est licitum populo praedicare, nisi a generali ministro vestri ordinis examinatus et approbatus fuerit, et sibi praedicationis officium ab ipso concessum; nos praedictorum fratrum laboribus et periculosis discursibus evitandis, necnon ut animarum salus possit inde facilius provenire, super prohibitione huiusmodi opportunae provisionis remedium apponentes, ut singuli provinciales ministri in suis provinciis cum definitoribus et provincialibus capitulis congregatis, fratres in sacra pagina eruditos examinare et approbare, et eis officium praedicationis Deum habendo prae oculis committere valeant (sicut ex forma regulae minister poterat generalis), plenam auctoritate praesentium concedimus facultatem.

Fratres a quolibet episcopo sacris initiandi (1).

§ 7. Et quia eiusdem ordinis fratres de locis ad loca ipsius ordinis saepius transmittuntur, propter quod stabilem et perpetuam in certis et determinatis eiusdem ordinis domibus non faciunt mansionem; quia etiam bonos et idoneos ac approbatos a vobis fratres facitis ad ordines promoveri, liceat vobis ordinandos fratres eiusdem ordinis quibuscumque malueritis catholicis pontificibus communionem et gratiam Apostolicae Sedis habentibus praesentare. Ipsisque pontificibus praesentatos a vobis fratres sine qualibet examinatione per eosdem pontifices facienda, et absque omni provisione vel obligatione ipsorum ordinandorum fratrum ad ordines promovere.

Facultas habendi oratoria (2)

§ 8. In locis quoque in quibus degitis, liceat vobis habere oratoria in quibus cum altari portatili possitis missarum solemnia et alia divina officia celebrare, ac etiam ecclesiastica recipere sacramenta.

Et sacris operandi in locis interdicto suppositis (3).

§ 9. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, in ecclesiis et oratoriis vestris, ac aliis quibuscumque, quum ad loca perveneritis ecclesiastico supposita interdicto, clausis ianuis, interdictis et excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce liceat vobis celebrare divina officia et ecclesiastica recipere sacramenta; dummodo causam non dederitis interdicto, nec contingat id vobis specialiter interdici, neque ecclesiae et oratoria eadem fuerint specialiter interdicta. His vero, qui vestris immorantur

(1) Vide Concil. Trid., sess. 7, cap. 11 et sess. 23, cap. 12. (2) Ibid., sess. 22, cap. 1. (3) Ibid., sess. 25, cap. 12.

obsequiis, cuncta libere ministrare possitis ecclesiastica sacramenta, et ipsos, quum decesserint, in vestris coemeteriis sepelire. Si quando autem in terras, in quibus residetis, vel earum personas excommunicationis seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri vestris servitiis deputati, negotiorum quoque vestrorum procuratores et operarii, qui in vestris locis eorum operibus personaliter continue institerint, huiusmodi sententiae obnoxii minime habeantur, ibique possint audire divina, iuxta formam, quae locis ipsis in eo casu a Sede Apostolica est concessa; nisi iidem causam dederint, vel excommunicari specialiter seu interdici eosdem contigerit.

Ibique commorandi et quaestuandi

§ 10. Et quia vos extremam patientes pro Christi nomine paupertatem, exhortationis pio studio, bonos ad potiora dirigitis, et errantes in rectitudinis semitam laudabiliter revocatis, concedimus ut in excommunicatorum terris libere commorari, et ab eis tunc et etiam quando per ipsas vos transire contigerit, necessaria vitae deposcere ac recipere valeatis.

Generalis et provinciales possunt suos absolvere et dispensare ab irregularitatibus.

§ 11. Generalis quoque et singuli provinciales ministri, et eorum vicarii ac etiam custodes, in provinciis et custodiis sibi commissis, praedictis fratribus constitutis ibidem, necnon et fratribus aliis eiusdem ordinis interdum ad eos declinantibus, undecumque absolutione et dispensatione indigentibus, sive priusquam intraverint ordinem, sive post, in casibus in quibus excesserint, pro quibus excommunicationis vel interdicti aut suspensionis incurrerint sententias a iure vel a iudice generaliter promulgatas, et huiusmodi sententiis innodati, aut in locis sic suppositis ecclesiastico interdicto divina officia celebrantes vel suscipientes ordines, sic ligati, notam irregularitatis incurrunt, absolutionis et dispensationis beneficium valeant impartiri, nisi adeo gravis fuerit et enormis excessus, quod sint ad eamdem Sedem merito destinandi.

Ipsi vero absolvi possunt a suis fratribus

§ 12. Fratres etiam vestri, quos pro tempore vos generalis et provinciales ministri, necnon et vices vestras gerentes, ac etiam custodes in proprios habueritis confessores, absolutionis et dispensationis beneficium vobis, quum expedierit, valeant impertiri, iuxta formam concessionis super absolutione et dispensatione fratrum eiusdem ordinis superius vobis factae.

Idem ac in § 11

§ 13. Ad haec, volentibus vestro aggregari collegio, qui suspensionis aut interdicti vel excommunicationis sententiis a iure vel a iudice promulgatis generaliter sunt ligati, absolutionis beneficium, observata forma canonica, impertiri, ipsosque in fratres recipere, ac eos, qui post assumptum habitum vel professionem emissam recoluerint se talibus in saeculo fuisse sententiis innodatos, secundum formam ipsam vos, generalis et provinciales ministri et praefati custodes ac vices vestras agentes, valeatis absolvere, et cum irregularibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis, divina praesumpserint officia celebrare vel ordines receperint. Ita tamen, quod si aliqui ex huiusmodi eisdem sententiis propter debitum sunt astricti, satisfaciant, ut tenentur. Volumus autem nihilominus quod postquam fuerint absoluti, huiusmodi volentes aggregari supradicto collegio, nisi mox ordinem vestrum intraverint (etiamsi super hoc eis induciae a praelatis eiusdem ordinis concedantur), eo ipso in pristinas sententias, a quibus eos taliter absolvi contigerit, relabantur. Caeterum vestra discretio caute provideat, ut Apostolicae Sedis, legatorum ipsius et ordinariorum locorum in absolutionibus huiusmodi scandalum evitetur.

Multa enumerantur a quibus eximuntur fratres.

§ 14. Porro quieti vestrae providere volentes, quod per litteras apostolicas dictae Sedis, aut legatorum seu delegatorum ipsius, conveniri a quoquam mi-

nimo valeatis; et quod ad pecuniam colligendam cogi non possitis inviti per litteras ipsius Sedis de caetero impetrandas; quodque nullus vestrum correctionis seu visitationis vel inquisitionis officium, monasteriis vel ecclesiis, seu quibuscumque personis impendere, vel ad cognitiones causarum, citationes partium et denunciationes sententiarum interdicti et excommunicationum procedere aut recipere curam monialium seu religiosarum quarumlibet personarum teneantur per apostolicas litteras impetratas et impetrandas in posterum, nisi huiusmodi apostolicae litterae de hoc indulto et ordine vestro expressam fecerint mentionem, auctoritate vobis apostolica indulgemus. Concedimus etiam, ut ad visitandum aliqua monasteria monialium cuiuscumque ordinis, vel ad audiendum confessiones earum compelli aliquatenus non possitis, nec ad recipiendum commissiones causarum seu sententiarum executiones, vel alia contingentia causas ipsas per litteras praefatae Sedis, in quibus non facta fuerit de indulgentia huiusmodi mentio specialis, sive per legatos vel delegatos ipsius vel etiam per quoscumque. Nullus insuper archiepiscopus vel episcopus, nullusque alius praelatus ecclesiasticus, nec eorum vicarii vel officiales, ad portandum seu deferendum litteras, vel exequendum aut denunciandum sententias contra principes saeculares, communitates, populos seu quoscumque benefactores vestros, nullusque delegatus, vel ordinarius iudex ad faciendum citationes, vel commissiones recipiendas, sive quod sitis in causis aliquibus assessores, seu ad alias lites seu controversias contingentia in causis, quae coram ipsis tractantur, quempiam vestrum compellere valeant, sine praedictae Sedis mandato vel licentia speciali, expressam faciente de hoc indulgentia mentionem. Nec quisquam vestrum parere vel intendere teneatur super his monitionibus, mandatis aut iussionibus eorumdem, aut facere vel implere quod in hac parte duxerint iniungendum.

Praelati ordinis revocare possunt fratres apud episcopos commorantes, etc. (1):

§ 15. Caeterum generalis et provinciales ministri ac ipsorum vicarii, illos ex fratribus, de quibus auctoritate litterarum Sedis Apostolicae, vel legatorum ipsius, archiepiscopis et episcopis, ac aliis quibuscumque provisum extitit vel in posterum contigerit provideri, corrigere, ac etiam, non obstante contradictione aliqua, possint ad suum ordinem revocare; nec per litteras eiusdem Sedis, seu legatorum ipsius iam obtentas, vel de caetero obtinendas, aliquos de fratribus ipsius ordinis praefatis archiepiscopis et episcopis aut aliis teneantur in socios deputare, nisi dictae litterae apostolicae obtinendae de indulto huiusmodi et ordine ipso expressam fecerint mentionem, et alias id honestati ordinis et illorum saluti viderint expedire. Nullus autem legatus, nisi de latere nostro missus, auctoritate litterarum Sedis Apostolicae specialem de hoc indulto et ordine vestro non facientium mentionem, nullusque praelatus, nec aliqua persona religiosa vel saecularis de fratribus eiusdem ordinis, ad sua, seu Ecclesiae negotia procuranda vel secum manendum, aliquos assumere valeat, nisi quos generalis et provincialis minister ipsorum tamquam idoneos et discretos sibi duxerit assignandos: quos etiam subiacere volumus ordinis disciplinae.

Omnimodamque iurisdictionem habent supra Crucem praedicantes et inquisitores.

§ 16. Illos vero ipsius ordinis fratres, qui ad praedicandum Crucem, vel inquirendum contra pravitatem haereticam, seu ad alia huiusmodi negotia, sunt vel fuerint ubicumque a Sede Apostolica deputati, tu, fili generalis minister, tuique successores, removere seu revocare penitus, transferre, ipsisque quod supersedeant iniungere, aliosque substituere quum expedire videritis, libere et licite valeatis, et in eos, si contravenerint, censuram ecclesiasticam exercere, ac quilibet minister provincialis vel eius vicarius

(1) Dicto Concil., sess. 25, cap. 4.

eiusdem ordinis, id ipsum in sua provincia circa fratres ipsius ordinis, quibus ab eadem Sede similia contigerit in illa committi, facere possit. Non obstantibus aliquibus litteris vel indulgentiis apostolicis impetratis, vel etiam in posterum impetrandis, quae de hoc non fecerint mentionem.

Et censuris impetere ab ordine discedentes,

§ 17. Inhibemus quoque ne quis post professionem in ordine vestro factam, sine generalis vel sui provincialis licentia discedat ab ipso, discedentem vero absque cautione litterarum alterius ipsorum, praetextu alicuius privilegii Apostolicae Sedis, nullus audeat retinere. Quod si forte retinere praesumpserit, vobis, generalis et provinciales ministri, dumtaxat licitum sit in ipsos discedentes fratres sententiam excommunicationis promulgare.

Vel ad alium non statim transeuntes;

§ 18. Si vero aliqui de fratribus vestri ordinis, post obtentam licentiam a Sede praedicta, aut a vobis, ad religionem aliam transeundi, infra duos vel tres menses se ad illam religionem suae saluti congruam non contulerint, et ipsius non susceperint habitum regularem, licitum sit vobis, generalis et provinciales ministri, ac vices vestras gerentibus, contra ipsos, tamquam contra alios ordinis vestri apostatas procedere, secundum quod honestati ipsius ordinis videritis expedire. Illud idem intelligi volumus de illis, qui post susceptionem habitus alterius religionis, infra tempus probationis, nulla professione facta, inde praesumpserint resilire.

Apostatasque persequi, et eos qui licentiati cum sint, alium ordinem ingredi vel profiteri noluerint

§ 19. Apostatas quoque vestri ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare et alias subdere disciplinae rigori possitis per vos ac etiam alios in quocumque habitu contigerit inveniri, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Inhibemus etiam ne fratres, quos ab ordine vestro pro suis culpis per generalem seu provinciales ministros aut custodes expelli contigerit, vel qui egressi fuerint, proprio suo motu praedicare, confessiones audire seu docere praesumant, nisi ad alium ordinem, in quo licite huiusmodi exercentur officia, transierint, de vestra vel dictorum ministrorum licentia speciali. Quod si forte ipsi contra huiusmodi inhibitionem nostram aliquid super praemissis temere attentare praesumpserint, ministri ac custodes et eorum vicarii in illos, quos infra fines suarum provinciarum et custodiarum, iuxta consuetudinem ordinis vestri districtos invenerint talia praesumentes, monitione praemissa, auctoritate nostra excommunicationis sententiam valeant promulgare. Electos autem de ordine vestro, vel egressos, qui receptione in eodem ordine suis culpis exigentibus reddiderint se indignos, et alios fratres eiusdem ordinis ex rationabili causa ad quoscumque ordines approbatos, praeterquam ad beati Augustini, Templariorum, Hospitalariorum et aliorum religiosorum arma portantium, ad vitandam occasionem evagandi, generalis et provinciales ministri cum suis testimonialibus litteris auctoritate nostra licentiandi liberam habeant facultatem. Nos enim districtius inhibemus, ne tales ad alium ordinem aliter transire vel aliqui eos recipere seu retinere praesumant absque licentia speciali Sedis Apostolicae faciente de hoc plenariam mentionem.

Nemini licitum sit eumdem, vel similem habitum portare

§ 20. Inhibemus etiam, ut nulli sive sit in religionis ordine, sive extra ordinem constitutus, habitum vestrum, aut ita consimilem, quod propter eum frater Minor credi possit, deferre liceat absque mandato Sedis Apostolicae speciali. Et ut dicta inhibitio maiorem consequatur effectum, statuimus, ut hi qui habitum vestrum, vel sibi praedicto modo consimilem deferre praesumpserint, ad deponendum ipsum per dioecesanos locorum, quum a vobis requisiti fuerint, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellantur.

Exemptio a decimis.

§ 21. Caeterum quum humilitas vestra sibi de latitudine orbis terrae nihil, praeter domos et hortos cum virgultis, prae-

miorum obtentu coelestium, duxerit reservandum, nos pie volentes, quod illorum fructus integre vestrae paupertatis usibus applicentur, ut de dictis hortis et virgultis nullam decimam teneamini exhibere, vobis auctoritate praesentium indulgemus, districtius inhibentes ne quis a vobis de praemissis aliquid exigere vel extorquere praesumat.

Applicare sibi possunt bona intrantium cum bi nesciunt, quibus restitui debent:

§ 22. Quia vero nonnulli vestrae habitum religionis assumentes, diversis personis, quae sciri et inveniri non possunt, interdum aliqua bona restituere tenentur; vobis, ministri et custodes, ac vicariis praedictis concedimus, ut singuli vestrum in locis sibi commissis, bona ipsa in pios usus convertere valeant, prout secundum Deum viderint expedire.

Ac mortuorum corpora suis in Ecclesiis sepelire.

§ 23. Sepulturam quoque in ecclesiis vestris concedimus, et eam liberam esse censemus, ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri desideraverint, nisi excommunicati et interdicti, aut etiam publici usurarii fuerint, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum ecclesiarum, a quibus corpora mortuorum assumuntur: districtius inhibentes ut nulli religiosi saeculares, vobis invitis, aliquorum corpora defunctorum in vestris coemeteriis sepelire, aut in ecclesiis vestris missarum solemnia vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare, sine vestro assensu et voluntate, praesumant.

Confratribus vero peccata confiteri tenentur.

§ 24. Inhibemus insuper universis fratribus vestri ordinis, ne aliquis eorum, nisi necessitatis urgente articulo, alii quam praelatis suis peccata sua confiteri praesumat, vel aliis eiusdem ordinis sacerdotibus secundum regulam et ipsius ordinis instituta.

Conceduntur eis privilegia nonnulla

§ 25. Universis autem Ecclesiarum praelatis et aliis inhibemus, ne confessiones vestras vobis invitis audire, vel compellere vos ad synodos seu convocationes suas accedere, vel cum eis extra civitates vel intra processionaliter exire, aut suis constitutionibus subiacere, vel capitula, scrutinia et inquisitiones in locis vestris vel alibi de vobis facere, aut fidelitatem iuramento firmatam, et manualem obedientiam a ministris, custodibus vel guardianis vestris exigere, aut de ipsorum institutione vel destitutione, sive de statutis vestri ordinis se aliquatenus intromittere, seu prohibere ne ad civitates vel villas, ubi religiose ac honeste morari possitis, a populis evocati audeatis accedere, ibique pro vestris usibus construere aedificia, ecclesias seu oratoria, aut in accedentes fratres seu construentes huiusmodi vel receptatores ipsorum excommunicationis sententias ferre praesumant.

Pro legatis defunctorum nihil solvendum.

§ 26. Concedimus quoque vobis, ut de his, quae in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniversario septimo, vigesimo, trigesimo, ac aliis ad perpetuum cultum divinum, seu pro pitantiis aut victu, ad sustentationem vestram, vel indumentis, nec non pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquae domus vestri ordinis obligatae noscuntur, vel de domibus, praediis et hortis, aliisque locis, vobis secundum instituta vestri ordinis opportunis, aut de his, quae pro huiusmodi domibus, praediis, hortis et locis emendis, vobis legantur (dummodo praemissa non convertantur in usus alios, sed in illos dumtaxat, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac concessione vel indulgentia continentur) nulli canonicam iustitiam aut portionem aliquam teneamini exhibere. Et ne quis a vobis, vel ultimarum executoribus voluntatum, seu decedentium haeredibus, de praemissis aliquid exigere vel extorquere praesumat districtius inhibemus.

Aliqua dimittentes loca de eorum bonis possunt disponere.

§ 27. Ad hoc ut liceat fratribus vestri ordinis quum de prioribus locis suis ad alia loca se transferunt, tam aedificia seu omnem aedificiorum materiam locorum quae dimittunt (dedicatis Ecclesiis dumtaxat exceptis), quam libros, calices et

paramenta secum ad alia loca transferre, et aedificia ipsa cum solo et aliis ad eadem loca pertinentibus, praeter Ecclesias per personas ad hoc a Sede Apostolica deputatas, vendere, ipsorumque pretium in aliorum locorum, ad quae dicti fratres se transferunt, aedificationem, seu alias in eorum utilitatem convertere, secundum quod eis melius videbitur expedire; quum ipsa pauciora et alia loca fratrum ad nos et Apostolicam Sedem specialiter et immediate pertinere noscuntur. Et ne aliqui archiepiscopi vel episcopi, aut alii Ecclesiarum praelati, seu quaevis alia persona ecclesiastica vel saecularis, praedicta loca seu bona occupare, accipere vel usurpare, aut quoquo modo sibi vendicare praesumant, absque dictae Sedis licentia speciali, districtius inhibemus.

Nihil vero tenentur solvere pro procurationibus, collectis, subsidiis etc.

§ 28. Indulgentes vobis, ut ad praestationem procurationum legatorum praedictae Sedis vel nunciorum ipsius, seu dioecesanorum locorum, aut exactionum vel collectarum, seu subsidiorum vel provisionum quorumcumque minime teneamini, nec ad ea solvenda per litteras dictae Sedis aut legatorum vel nunciorum eiusdem, seu rectorum terrarum Ecclesiae Romanae impetratas, seu in posterum impetrandas, cuiuscumque tenoris fuerint, in perpetuum compelli possitis, nisi dictae Sedis litterae impetrandae plenam et expressam de indulto huiusmodi et dicto ordine fecerint mentionem.

Exemptio ab ordinaria iurisdictione.

§ 29. Caeterum quum fel. record. Innocentius Papa olim duxerit statuendum, ut exempti quantacumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti seu contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possint coram locorum ordinariis conveniri; et illi quoad hoc suam in ipsos iurisdictionem, prout ius exigit, exercere, nos vobis ut occasione constitutionis huiusmodi nullum libertatibus et immunitatibus, vobis et ordini vestro, per privilegia et indulgentias ab Apostolica Sede concessis, praeiudicium generetur, auctoritate praesentium indulgemus.

Roboratio huiusce constitutionis.

§ 30. Decernimus ergo irritum et inane quicquid contra tenorem concessionum, constitutionum et inhibitionum huiusmodi per quoscumque fuerit attentatum; et interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si quas contra concessiones, constitutiones et inhibitiones easdem in vos vel vestrum aliquos, aut loca vestra, seu benefactores vestros vel executores aut haeredes praedictos, in posterum promulgari contigerit, penitus non tenere.

Nulli ergo omnino hominum etc.

Datum Perusii, duodecimo kalendas augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 21 iulii 1265, pontif. anno I.

(1) Vide dictum Concil., sess. 7, cap. 14.

VII.

Privilegium fratrum militum hospitalis Sancti Lazari Hierosolymitani leprosos undique suscipiendi, et ad domum aliorum leprosorum cum eorum bonis transferendi.

SUMMARIUM

Ab episcopis permittenda leprosorum collectio. — 1. Leprosi capiendi etiam inviti. — 2. Contradictores citandi.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis ministro et fratribus hospitalis S. Lazari Hierosolymitani, salutem et apostolicam benedictionem.

Ab episcopis permittenda leprosorum collectio.

Venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis universis Ecclesiarum praelatis, exemptis et non exemptis, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quam ipso facto vos incurrisse volumus, nisi instanter hoc praesens mandatum curaveritis observari diligenter: et nihilominus sub poena officii et beneficii vestri, tenore praesentium praecipiendo

mandamus: quatenus cum aliqui de dilectis filiis, fratribus et procuratoribus domorum ordinis leprosorum Sancti Lazari Hierosolymitani, ad vos et loca vestra pervenerint, pro capiendis infirmis leprosis, sicut Dominus praecipit in lege Moysi, quod omnes leprosi eiiciantur extra castra.

Leprosi capiendi etiam inviti.

§ 1. Volumus itaque, sicut Deo complaceat, tam mares, quam mulieres, clerici et laici, religiosi et saeculares, morbo leprae laborantes, inventi per eosdem fratres et procuratores eorum, capiantur et eiiciantur extra, cum eorum omnibus bonis tam mobilibus, quam immobilibus, ad habitationem cum infirmis aliis domorum eiusdem ordinis.

Contradictores citandi.

§ 2. Si vero clerici vel laici mandatum nostrum in aliquo neglexerint adimplere, volumus, quod peremptorie citetis eosdem, ut coram nobis compareant, praedictis fratribus facturi iustitiae complementum.

Datum Viterbii nonis augusti, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 5 augusti 1265, pontif. anno I.

VIII.

Reservatio Ecclesiarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque apud Sedem Apostolicam vacantium (1).

SUMMARIUM

Romanus Pontifex quaelibet beneficia potest de iure conferre. — Reservatio (*de qua in rubrica*). — Secus actum si fuerit, irritatur.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex quaelibet beneficia potest de iure conferre.

Licet Ecclesiarum, personatuum, dignitatum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere, ita quod non solum ipsa, cum vacant, potest de iure conferre, verum etiam ius in ipsis tribuere vacaturis, collationem tamen Ecclesiarum, personatuum, dignitatum et beneficiorum apud Apostolicam Sedem vacantium specialius caeteris antiqua consuetudo Romanis Pontificibus reservavit.

Reservatio (de qua in rubrica)

Nos itaque laudabilem reputantes huiusmodi consuetudinem, et eam auctoritate apostolica approbantes, ac nihilominus volentes ipsam inviolabiliter observari, eadem auctoritate statuimus, ut ecclesias, personatus, dignitates et beneficia, quae apud Sedem ipsam deinceps vacare contigerit, aliquis praeter Romanum Pontificem, quacumque super hoc sit auctoritate munitus, sive iure ordinariae potestatis ipsorum electio, provisio seu collatio ad eum pertineat, sive litteras super aliquorum provisione generales vel etiam speciales sub quacumque forma receperit, nisi ei sit super conferendis eisdem in Curia Romana vacantibus specialis et expressa ab ipso Pontifice auctoritas attributa, conferre alicui seu aliquibus non praesumat.

Secus actum si fuerit, irritatur.

Nos enim si secus actum seu attentatum fuerit, decernimus irritum et inane.

Nulli ergo omnino hominum etc.

Datum Perusii sexto kalendas septembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 27 augusti 1265, pontif. anno I.

(1) Ex Regest. Vatic.

IX.

Confirmatio constitutionum et legum ab Innocentio IV et Alexandro IV editarum contra haereticos, eorumque complices et fautores (1).

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis potestatibus, sive rectoribus, consulibus, capitaneis, antianis, consiliis, et communitati-

(1) Leges ab Innocentio IV latas legere est ibidem Constit. XXVII, pag. 552, et in Alexandro IV, Constit. XIV, pag. 611.

tibus civitatum, aliorumque locorum per Italiam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad extirpanda de medio populi christiani haereticae pravitatis zizania *etc.*

(Reliquum omittitur, invenies enim in constitutione Innocentii IV, Ad extirpandam *pariter incipien., pag. citata).*

Dat. Perusii tertio nonas novembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 3 novembris 1265, pontif. anno I.

X.

Quod magistratus saeculares describi faciant in libris statutorum civitatis leges editas contra haereticos (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Statutum (*de quo in rubrica*). — In quatuor libris describendae leges contra haereticos latae.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis potestatibus, sive rectoribus, consulibus, capitaneis, antianis, consiliis et communitatibus civitatum, aliorumque locorum per Italiam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Ad extirpanda de medio populi christiani haereticae pravitatis zizania quae abundantius solito succreverunt, superseminante illa, libentius his diebus, homine inimico, tanto studiosius iuxta commissam nobis sollicitudinem insudare proponimus, quanto perniciosius negligeremus eadem in necem catholici seminis pervagari. Ut autem adversus huiusmodi nequitiae operarios consurgant stentque firmiter Ecclesiae filii, ac orthodoxae fidei zelatores, constitutiones, quas felicis recordationis Innocentius Papa IV, praedecessor noster, ad extirpationem haereticae pestis edidit, et in capitularibus vestris, tam ipse, quam felicis memoriae Alexander Papa, praedecessor noster, conscribi, ac a vobis exacta diligentia observari mandarunt: quae seriatim inferius continentur.

(1) Hoc quoque statutum legitur in laudatis Constitutionibus.

§ 1. Ideo universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus singuli constitutiones easdem, cum quibusdam adiectionibus, modificationibus et declarationibus, per dictum Alexandrum praedecessorem, et etiam per nos factis, conscribi in vestris capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundum eas contra omnem haeresim, se adversus hanc sanctam Ecclesiam extollentem, sine omissione aliqua procedatis. Alioquin dilectis filiis Praedicatorum et Minorum ordinum fratribus inquisitoribus haereticae pravitatis, et eorum singulis per Italiam deputatis auctoritate Sedis Apostolicae, et in posterum deputandis, damus nostris litteris in mandatis, ut infra designatos eis limites, singulos vestrum ad id, per excommunicationem in personas et interdictum in terram, appellatione remota, compellant. Statutum (de quo in rubrica)

§ 2. Porro haec omnia statuta seu constitutiones et leges praefatae, et si quae aliae contra haereticos, et eorum complices tempore aliquo auctoritate Sedis Apostolicae conderentur, in quatuor voluminibus unius tenoris debeant contineri, quorum unum in communi cuiuslibet civitatis vel loci: secundum apud dioecesanum: tertium apud fratres Praedicatores: quartum apud fratres Minores cum omni sinceritate serventur, ne possint per falsarios in aliquo violari. In quatuor libris describendae leges contra haereticos latae.

Datum Perusii tertio nonas novembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 3 novembris 1265, pont. anno I.

XI.

Infeudatio regni Siciliae Carolo Ludovici regis Franciae fratri (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Siciliae regnum iuris Sedis Apostolicae. — Actum inter Sedem eam-

(1) Edidit Martène Thesaur. Anecdot., tom. II, col. 220. — Hasce literas, quarum fragmenta refert, extare testatur Raynaldus ad annum 1265, § 3, in libro Privilegiorum Rom. Eccl., tom. III, pag. 19.

dem et Carolum Andegaven. de eodem regno ipsi concedendo. — Mandatum itaque delegatis apostolicis a Clemente ut ipsum investirent. — 2. Additis itaque, impletisque conditionibus, eum investierunt. — 3. Haec confirmari petit Carolus: — 4. Concedit Clemens. — *Litterae investiturae factae per cardinales delegatos.* — *Earumdem summarium.* — Exordium. — Mandatam sibi aiunt a Pontifice negotii consummationem. — *Commissoriales Clementis litterae.* — Delegati ad consummationem procedunt. — Carolum de tota terra citra Pharum investiunt, excepta civitate Beneventana. — Iuramentum super conditionibus recipientes. — Conditiones. — 1. Legitimi filii patribus succedent. — Carolo sine filiis obeunti, qui debeant succedere. — Casus devolutionis ad S. Sedem. — Gradus successionis. — Illegitimi nullum habent succedendi ius. — 2. Regnum nullo modo dividendum. — 3. Reges fidelitatis iuramentum et homagium PP. praestare debent. — Forma iuramenti. — Tempus praestandi iuramenti. — Iuramentum de non consentiendo electioni sui in imperatorem vel regem Romanorum, *etc.* — Secus agentes a iure regni cadent. — Item foemina in regno succedens, imperatori aut regi Theuton. si nubat. — Addendum iuramento de non occupando imperio, vel aliqua parte Lombardiae vel Thusciae. — Quid agendum si Siciliae rex in imperatorem eligatur. — 4. In minoritate regis regni administratio penes Rom. Pontificem. — 5. Aliae leges pro impedienda unione regni huius cum imperio, vel Lombardia, Thuscia, *etc.* — 6. Census annuus Rom. Ecclesiae persolvendus sub poena caducitatis. — 7. De Palefrido. — 8. In ingressu regni solvenda 50 millia marc. sterling. — 9. Auxilium Rom. Ecclesiae ad nutum praestandum. — 10. Civitas Beneventana Rom. Ecclesiae reservatur. — 11. Ligna danda pro eadem reficienda civitate. — 12. Tutum iter Beneventanis praestandum; — 13. Libertatesque eorum ac privilegia servanda. — Siciliae rex nihil iuris vel dignitatis habebit in caeteris locis de dominio Romanae Ecclesiae. — Huius capitis inobservantia inducit caducitatem. — Hoc caput comprehendit etiam regum consanguineos. — 14. Bona omnia ecclesiasticis restituenda. — 15. Libertas iis in electionibus omnimoda servanda. — 16. Causae ecclesiasticae suo foro remittendae. — 17. Iuramenta fidelitatis ex quibus et quomodo recipienda. — 18. Clerici non conveniendi coram iudice saeculari. — 19. Ex Ecclesiis vacantibus nihil exigendum. — 20. Antiqua privilegia regnicolis conservanda. — 21. Exules revocandi, bonaque eis restituenda. — 22. Sorani comitis iuribus consulitur. — 23. Confoederatio nulla in praeiudicium R. E. ineunda. — 24. Exercitus a Carolo comparandus. — Terminus Italiam intrandi assignatur. — 25. Hae conditiones Caroli haeredes obligant. — 26. Protestatio a Carolo facienda, se Siciliae regnum ex mera Sedis Apostolicae gratia obtinere. — Clausulae.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Carolo regi Siciliae illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Constituti ab Eo, per quem reges regnant et principes imperant, et qui solum habet in regno hominum potestatem super gentes et regna, necesse habemus interdum regnis ipsis, et specialiter, quae Romanae Ecclesiae iuris et potestatis existunt, cum fratribus nostris ad pacem et iustitiam populorum perpetua stabilitate disponere, ac in eorum soliis ad regimen gentium subiectarum, quos dignos credimus sublimare; et quia instructi ab Eo, qui spiritus angelos suos facit, super huiusmodi dispositione regnorum nonnumquam aliquibus ex fratribus ipsis aliqua committimus peragenda, ut ea, quae ab ipsis fratribus super illis cum maturitate debita rite ac provide ordinantur, eo ipso quod constat ipsa de nostra fieri iussione, robur obtineant firmitatis: ne tamen vacillent in posterum, vel cavillatione subiaceant, eo sunt fortius apostolico munimine roboranda, quo circa maiora, in quibus maius periculum formidatur, maior est cauthelae discretio adhibenda. Exordium

§ 1. Sane porrecta nobis tuae filialis devotionis petitio continebat, quod cum regno Siciliae et tota terra citra Pharum, usque ad confinia terrarum Romanae Ecclesiae, quae de praedicto regno Siciliae Siciliae regnum iuris Sedis Apostolicae.

esse dignoscitur, ad dispositionem et ordinationem Sedis Apostolicae, ad quam specialiter pertinet, plene ac libere devolutis, Sedes ipsa obtentu devotionis, qua persona tua erga praedictam Romanam fulget Ecclesiam, et pro fidei puritate, qua christianissimum genus tuum semper noscitur claruisse, perpenso consilio disposuerit ad laudem Dei, et honorem et pacem ipsius Ecclesiae, et tranquillitatem et profectum fidelium regni eiusdem, de regno ipso personam ac domum tuam regiam honorare, habitis diligentibus et diutinis inter te et Sedem eamdem tractatibus, de praedicto regno et terra in feudum tibi et tuis haeredibus concedendis; nos ad finalem consummationem eorumdem tractatuum negotii regni praedicti nostrum animum firmiter dirigentes, dilectis filiis nostris Ambaldo basilicae Duodecim Apostolorum presbytero, Riccardo Sancti Angeli, Ioanni Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, et Iacobo Sanctae Mariae in Cosmedin, diaconis cardinalibus, dedimus litteras in mandatis, ut iuxta conditiones et formam tibi, per venerabilem fratrem nostrum B. archiepiscopum Cusentinum et dilectum filium magistrum Petrum notarium nostrum, praesentatas (quas conditiones et formam, et nostram super dicto negotio diffinitionem, aliaque ipsi opportuna negotio, sub bulla nostra eisdem cardinalibus miseramus), ad plenariam executionem eius negotii et ad collationem et investituram tibi de praedicto regno auctoritate nostra faciendam efficaciter procedere procurarent, concessa eisdem per dictas litteras a nobis de ipsorum fratrum consilio et assensu procedendi ad consummationem, collationem, investituram huiusmodi plena et libera potestate.

Actum inter Sedem eamdem et Carolum Andegaven. de eodem regno ipsi concedendo.

Mandatum itaque delegatis apostolicis a Clemente ut ipsum investirent.

§ 2. Qui considerantes ad diffinitionem praedictam a nobis super dicti regni negotio editam, nostra, et fratrum nostrorum subscriptionibus et bulla, necnon eorumdem fratrum sigillis ad perpetuam memoriam roboratam, et etiam praedictas conditiones et formam per praedictos archiepiscopum et notarium tibi ex parte nostra novissime praesentatas, ac diligentius attendentes, quod ea, quae ante consummationem praedicti negotii tibi facienda et implenda incumbebant, et forma praedicta per te facta fuerant, et etiam adimpleta ad plenariam eiusdem negotii collationem et investituram faciendam tibi de regno et terris praedictis iuxta praestitas conditiones, et mandato nostro et potestate sibi super hoc tradita processerunt, tibique totum regnum Siciliae et totam terram, quae est citra Pharum, usque ad confinia terrae praedictae Romanae Ecclesiae, excepta civitate Beneventana cum toto territorio et omnibus districtionibus et pertinentiis suis per Romanum Pontificem distractis, vel in posterum distrahendis, quam sibi Ecclesia Romana usque ad tempus istud retinuisse et reservasse dignoscitur, et tunc etiam expresse retinuit, et ad suum dominium reservavit, tibi in feudum perpetuo tuisque haeredibus ex te legitime descendentibus praedictum consummando negotium sub praedictis conditionibus tibi plenius expressis et expositis conferentes etiam et concedentes investierunt, et per vexillum Ecclesiae praesentialiter de eisdem a te vice nostra et praedictae Romanae Ecclesiae fidelitatis iuramento recepto iuxta formam in eisdem conditionibus comprehensam, receptione homagii, quod teneris nobis et dictae Ecclesiae reddere, nobis specialiter reservata, prout patentibus litteris dictorum cardinalium inde confectis, et ipsorum sigillis pendentibus communitis, plenius continetur.

Additis itaque, impletisque conditionibus, eum investierunt.

§ 3. Ut autem collatio, seu concessio, et investitura praedictae, sub praedictis forma et conditionibus expressis et appositis robur obtineant firmitatis perpetuae, humiliter supplicasti, eas sub ipsius forma et conditionibus apostolicae confirmationis munimine roborari,

Haec confirmari petit Carolus.

Concedit Clemens. § 4. Nos igitur volentes tibi et haeredibus tuis in posterum super his salubriter providere, tuis supplicationibus inclinati, collationem, concessionem, investituram praedictorum regni et terrae sub conditionibus et forma praedictis a praenominatis cardinalibus tibi et haeredibus tuis, ex certa scientia, et fratrum nostrorum consilio et assensu, auctoritate apostolica confirmamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus. Caeterum quia in quibusdam articulis seu capitulis conditionum ipsarum expressius continetur, quod in certis casibus, tu et tui haeredes excommunicationum sententias incurratis, et dictum regnum, et tuae, ac ipsorum haeredum terrae sint ecclesiastico suppositae interdicto; nos et tunc huiusmodi sententias videlicet excommunicationis in te ac eosdem haeredes et interdicti in praedictum regnum ac terras praedictas, si tui vel ipsorum culpa huiusmodi casus emerserint, de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica promulgamus, tenorem praedictarum litterarum cardinalium eorumdem de verbo ad verbum inseri facientes, qui talis est:

Litterae investiturae factae per cardinales delegatos.

Illustri et magnifico principi domino Carolo illustri regi Siciliae, nato clarae memoriae Ludovici regis Franciae miseratione divina, fratres Ambaldus basilicae Duodecim Apostolorum presbyter, Riccardus Sancti Angeli, Ioannes Sancti Nicolai in Carcere Tulliano et Iacobus Sanctae Mariae in Cosmedin diaconi cardinales ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Quoniam ad subsistentiam multorum et regimen oportuit praeesse unum singulare principium pro eo quod pluralitas in praesidentia scissuram induceret, et solidam gubernaculi dirumperet firmitatem, praeeminent singulis regnis et mundi provinciis singula regnantium solia, et singulae principantium potestates: quia dum reges regnant, prospere imperant, et populi regibus reverenter intendunt; hi humiliter subsunt, et illi benigne praesunt, dum congruis praeerunt iussibus et devotis isti animis obsequuntur, viget ex hoc in eisdem populis concordia animorum; unitas, misericordia et veritas sibi obviant, ac iustitia et pax se invicem amplectuntur. Ideo namque ex summo illo coelesti Rege, per quem singuli reges regnant et principes principantur, temporalis gladii ad malorum vindictam, laudemque bonorum regibus terrenis attributa est potestas, ut ipsi assumpto dominandi officio iudicent in aequitate populos, et dirigant in terris subiectas sibi gentium nationes, quatenus sit voluntas eorum in executione iustitiae ac meditatio in lege rectitudinis et ob reverentiam sanctae pacis. Sane regno Siciliae et tota terra citra Pharum, usque ad confinia terrarum Romanae Ecclesiae, quae de praedicto regno Siciliae esse dignoscitur, ad dispositionem, ordinationem Sedis Apostolicae, ad quam specialiter pertinent, plene et libere devolutis, Sede ipsa circa statum eiusdem regni sollicite cogitante, illiusque regimen alicui catholico et devoto principi cupiente committere, qui ad laudem Dei, honorem et pacem Ecclesiae et tranquillitatem fidelium ipsius regni eius solio praesideret; tandem, quia persona vestra multa erga Romanam Ecclesiam devotione refulget, vestrumque christianissimum genus praecipuae semper fidei claruit puritate, Sedes ipsa consilio perpetuo disposuerit vos de regno ipso domumque vestram honorare; habitis igitur diligentibus, diutinisque tractatibus inter eamdem Sedem de praedictis regno et terra in feudum vobis, vestrisque haeredibus concedendis, demum sanctissimus pater et dominus noster, dominus Clemens sacrosanctae Romanae et universalis Ecclesiae Pontifex, ad salutarem consummationem eorumdem tractatuum et negotii regni Siciliae suum animum firmiter dirigens, suas transmisit nobis litteras in hac forma: Mandatum sibi aiunt a Pontifice negotii consummationem

Commissoriales Clementis PP. litterae.

Clemens episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Ambaldo basilicae Duodecim Apostolorum presbytero, Riccardo Sancti Angeli, Ioanni Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, et Iacobo S. Mariae in Cosmedin diaconis cardinalibus salutem et apostolicam benedictionem.

Plene vos scire credimus conditiones et formam dilecto filio nostro Carolo Andegavensi, et Provinciae comiti per venerabilem fratrem nostrum B. archiepiscopum et dilectum filium magistrum Petrum notarium nostrum super negotio regni Siciliae ex parte nostra novissime praesentatas, cum et nos illas, necnon et nostram super negotio ipso definitionem, et alia eidem opportuna negotio nuper vobis sub bulla nostra duximus destinanda. Volumus igitur, et de fratrum nostrorum consilio et assensu vobis per apostolica scripta mandamus, quatenus ad plenariam consummationem ipsius negotii, et ad collationem et investituram de praedicto regno ipsi comiti faciendam, auctoritate nostra iuxta easdem conditiones et formam, efficaciter procedatis. Nos enim procedendi ad consummationem, collationem et investituram huiusmodi plenam et liberam, de ipsorum fratrum consilio et assensu, vobis concedimus auctoritatem; nobis tamen receptione homagii, quod per ipsum comitem sine interpretatione ministri volumus vobis opportuno tempore praesentialiter exhiberi, specialiter reservata; non obstante quod dictus comes ex forma diffinitionis huiusmodi tenebatur infra festum beatorum apostolorum Petri et Pauli ad nostram venire praesentiam, collationem et investituram easdem, et etiam ipsius consummationem negotii de nostris manibus recepturus. Datum Perusii undecimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno primo.

Delegati ad consummationem procedunt

Nos itaque considerantes diffinitionem ab ipso Summo Pontifice editam super dicti regni negotio, et eiusdem domini Papae et fratrum suorum subscriptionibus, eiusque Bulla, et eorumdem fratrum sigillis ad perpetuam memoriam roboratam, ac formam et conditiones, et per venerabilem patrem B. archiepiscopum Cusentinum et discretum virum magistrum Petrum notarium ipsius Summi Pontificis super ipso negotio nobis ex parte ipsius Summi Pontificis novissime presentatas, ac diligentius attendentes ea, quae ante consummationem praedicti negotii vobis facienda et implenda incumbebant, ex forma praedicta per vos facta sunt et etiam adimpleta, ad plenariam consummationem eiusdem negotii et ad collationem et investituram faciendam vobis de regno et terra praedictis iuxta praedictas conditiones et formam, et mandato ipsius Summi Pontificis, et potestate tradita nobis, per supradictas litteras duximus procedendum.

Carolum de tota terra citra Pharum investiunt, excepta civitate Beneventana.

Ad honorem igitur Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et beatae et gloriosae semperque Virginis Mariae, beatorum quoque apostolorum Petri et Pauli, necnon praedicti domini Clementis Papae quarti, et sacrosanctae Romanae Ecclesiae, totum regnum Siciliae et totam terram, quae est citra Pharum usque ad confinia terrarum Romanae Ecclesiae, excepta civitate Beneventana cum toto territorio et omnibus districtibus et pertinentiis suis, quam Romana Ecclesia hactenus sibi reservat, in feudum vobis vestrisque haeredibus ex vobis legitime, sicut infra dicitur, descendentibus, sub infrascriptis conditionibus, auctoritate et potestate nobis in hac parte concessa, dictum eiusdem regni negotium consummando, concedimus atque conferimus; vosque de ipsis regno et terra per vexillum Ecclesiae praesentialiter investimus, non obstante quod ex forma dictae diffinitionis tenebamini infra instans beatorum apostolorum Petri et Pauli ad ipsius Summi Pontificis personaliter praesentiam, collationem et investituram easdem, et totam ipsius negotii consummationem de suis manibus rece-

Iuramentum super conditionibus recipientes.

pluri. Recepimus etiam vice ipsius Summi Pontificis et Ecclesiae Romanae iuramentum fidelitatis a vobis secundum formam in eisdem contentam conditionibus et inferius annotatam, necnon et aliorum super quibus secundum tenorem conditionum ipsarum Romano Pontifici et praedictae Ecclesiae praestare tenemini iuramenta, receptione homagii praedicto Summo Pontifici generaliter reservata. Omnes quoque concessiones communitatum, baroniarum, feudorum et aliorum quorumcumque bonorum et iurium factas in praedicto regno Siciliae per quemdam Fridericum olim Romanorum imperatorem, et Conradum et Manfredum natos eius, ipsorum officiales, familiares, fautores, post depositionis sententiam in ipsum Fridericum per felicis recordationis dominum Innocentium Papam quartum promulgatam in Lugdunensi concilio, revocamus: conditiones autem sunt hae:

Conditiones.

1. Si in vestro et haeredum vestrorum obitu legitimum, prout sequitur, haeredem, vos autem ipsos (quod absit) non habere contigerit, regnum ipsum ad Romanam Ecclesiam, eiusque dispositionem libere revertatur. Descendentes autem ex vobis et vestris haeredibus, Siciliae regibus, mares et foeminae in eodem regno succedent. Sic tamen quod de liberis duobus maribus eodem gradu per eamdem lineam concurrentibus primogenitus, et de duabus foeminis primogenita, et de mari et foemina in eodem gradu similiter concurrentibus masculus omnibus aliis praeferatur. Si vero (quod absit) sine liberis ex vobis legitime descendentibus mori contigerit, possit vobis in regno et terra praedictis succedere dumtaxat nobilis vir Alphonsus comes Pictavensis, germanus vester. Et si dictus Alphonsus vobis non supervixerit, possit vobis succedere unus ex filiis domini Ludovici illustris regis Francorum, videlicet maior natu post illum, qui succedit in regno Francorum. Et haec gratia vel successio tam ex parte vestra, quam ex parte illorum erit tantummodo personalis: ita scilicet quod ad nullum filiorum vel haeredum ipsius Alphonsi, si Alphonsum vobis praemori contigerit, huiusmodi successio se extendet, sed huius maior natu succedat in regno Siciliae et terra praedictis; similiter et nullus filiorum vel haeredum ipsius maioris natu, si idem maior natu vobis non supervixerit, huiusmodi successionem habebit, sed regnum Siciliae et terra praedicta ad Romanam Ecclesiam, eiusque dispositionem libere devolventur. Si vero Alphonsum et maiorem natu praedictos praemori vobis contigerit, nullus alius vobis sine liberis ex vobis legitime descendentibus in eisdem regno et terra succedit, sed liberum erit eidem Romanae Ecclesiae de ipsis regno et terra disponere iuxta suae beneplacitum voluntatis. Si autem praedictos Alphonsum et maiorem natu post successionem huiusmodi, aut eorum haeredes, sine liberis ex ipsis legitime descendentibus, mori contigerit, regnum Siciliae et terra praedicta similiter ad eamdem Romanam Ecclesiam, eiusque dispositionem libere revertentur. Sed si aliquem de aliis successoribus vestris, regem vel reginam Siciliae, sine legitima prole sui corporis mori contigerit, in futurum succedent eidem, servatis gradibus, si superstites fuerint, hae personae, scilicet: regis, vel reginae sine prole legitima sui corporis, descendentes frater vel soror, ac collaterales superiores, mares et foeminae, utpote patrui et avunculi, amitae et materterae, et sursum usque ad quartum gradum, dumtaxat illis collateralibus, quos vos habebitis ad praesens dum vixeritis, et qui post obitum forsitan ex eisdem orientur, exceptis; collaterales etiam inferiores succedunt similiter mares et foeminae, utpote nepos et neptis ex fratre vel sorore, et inferius usque ad eumdem tantummodo gradum. Quod autem de foeminabus rectae lineæ, et collateralium superius est expressum, intelligendum est tam de nuptis, quam de innuptis, dummodo nuptae sint fidelibus

Legitimi filii patribus succedent.

Carolo sine filiis obeunti, qui debeant succedere.

Casus devolutionis ad S. Sedem.

Gradus successionis.

et Romanae Ecclesiae devotis, et sic inter eas personas gradus servari volumus, ut scilicet prior gradus posteriori gradui praeferatur; sic in eodem gradu pluribus concurrentibus priorem natu posteriori, et marem foeminae in huiusmodi successionibus volumus anteferri. Personarum autem huiusmodi nulla superstite regnum ipsum, ut praefertur, ad Romanam Ecclesiam et eius dispositionem libere revertatur. Quod si forte deficientibus masculis contigerit foeminam innuptam in regno succedere, illa maritabitur personae, quae ad ipsius regni regimen et defensionem existat idonea, Romani tamen Pontificis super hoc consilio requisito. Nec nubat nisi viro catholico et Ecclesiae Romanae devoto. Et si contra hoc fecerit, licebit eidem Romano Pontifici contra ipsam ad privationem regni et terrae praedictorum sine figura iudicii, et absque omni iuris solemnitate, in quacumque aetate foemina ipsa constet, procedere, si hoc videbitur expedire. In regnum vero et terram praedictam nullus succedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

Illegitimi nullum habent succedendi ius.

2. Adhuc tam vos, quam viri in regno haeredes regnum et terram praedictam nullatenus dividatis, sed semper illa unus tantum sub ipsis conditionibus in membris ac in capite ab Ecclesia Romana tenebit.

Regnum nullo modo dividendum.

3. Vos autem nobis recipientibus vice praedicti Romani Summi Pontificis et Ecclesiae Romanae praestabitis ad praesens iuramentum fidelitatis, reservata receptione homagii eidem Summo Pontifici iuxta ipsius mandatum, et tam vos sibi, quam eius successoribus canonice intrantibus expressis eorum nominibus ligium homagium facietis, et dictum iuramentum fidelitatis, faciendo mentionem de praesentibus instrumento seu litteris, praestabitis in hunc modum:

Reges fidelitatis iuramentum et homagium Papae praestare debent.

Ego Carolus rex Siciliae plenum et ligium homagium faciens Ecclesiae Romanae pro regno Siciliae et tota terra, quae est citra Pharum usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiae, excepta civitate Beneventana, cum toto territorio et omnibus districtibus et pertinentiis suis secundum antiquos fines territorii pertinentiarum et districtus civitatis eiusdem per Romanum Pontificem distinctos, vel in posterum distinguendos, ab hac hora in antea fidelis ero et obediens beato Petro et domino meo domino Clementi Papae quarto, suisque successoribus canonice intrantibus, et sanctae Apostolicae Romanae Ecclesiae: non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri sunt per se, aut nuncios suos, sive per litteras ad eorum damnum illud pro posse impediam, et si impedire non possum, illud eis significare curabo. Papatum Romanum et regalia Sancti Petri, tam in regno Siciliae et terra praedictis, quam alibi existentia, adiutor eis ero ad retinendum et defendendum ac recuperandum, et recuperata manutenendum contra omnem hominem, universas et singulas conditiones contentas in praesenti instrumento, seu litteris plenarie super ipsorum regni et terrae concessionem confectis, et omnia et singula, quae continentur in eodem instrumento, seu litteris adimplebo, et inviolabiliter observabo, nec unquam tempore ullo veniam contra illa. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Forma iuramenti.

Huiusmodi autem homagia vos et dicti haeredes facere, et iuramentum fidelitatis praestare secundum formam praescriptam, si Romanus Pontifex in Italia fuerit, infra sex menses, si vero extra Italiam esse contigerit, infra annum postquam regni dominium adepti fueritis, teneamini, et singulis ipsis successionibus et eidem Ecclesiae Romanae renovabitis, tam ipsum homagium, quam huiusmodi iuramentum. In optione autem et beneplacito erit Romanae Ecclesiae vos vel haeredes vestros vocare ad praestandum

Tempus praestandi iuramenti.

personaliter iuramentum fidelitatis, et ligium homagium Romano Pontifici et eidem Ecclesiae, dummodo ad haec vobis locum tutum statuant et assignent, vel aliquem cardinalem ipsius Ecclesiae alium, qui vice Romani Pontificis iuramentum iuxta eamdem formam et homagium recipiat destinare, vosque praedicto Summo Pontifici et Ecclesiae in vestris nominibus, manibus iunctis, ad praesens vos ad haec specialiter obligantes, et tam vos singulis eius successoribus, quam vestri in dicto regno haeredes praefato Summo Pontifici et singulis eius successoribus ac praedictae Ecclesiae quando praestabitis huiusmodi iuramentum fidelitatis, iurabitis vos ad haec specialiter obligantes, quod nunquam per vos, vel alios, seu quocumque modo periurabitis, ut eligamini vel nominemini in regem, vel imperium Romanum (1), vel regem Theutoniae, seu dominium Lombardiae seu Tusciae, vel maioris partis earumdem Lombardiae vel Tusciae. Et si electionem vel nominationem ad imperium vel regnum Romanum, seu regnum Theutoniae, aut ad dominium Lombardiae vel Tusciae seu maioris partis earumdem de vobis celebrari contigerit; nullum huiusmodi electioni vel nominationi assensum praestabitis, nec intromittetis vos ullo modo de regimine ipsius imperii vel regni Romanorum, seu regni Theutoniae, aut Lombardiae, seu Tusciae, vel maioris partis ipsarum, ad quodcumque horum nominati fueritis vel electi. Quod si vos vel aliqui vestrorum in regno sedentium haeredum eodem procurantibus vobis aut eis ad imperium ipsum, sive ad dictum regnum Romanorum, sive regnum Theutoniae, aut dominium Lombardiae, seu Tusciae, vel maioris partis earum electi vel nominati fueritis, vel fuerint, si hoc verum et manifestum fuerit, aut si post talem electionem vel nominationem de imperii regni Romanorum, seu regni Theutoniae, aut Lombardiae, sive Tusciae, seu maioris ipsarum partis regimine vos manifeste intromiseritis vel intromiserint; eo ipso a iure regni Siciliae et terrae praedictae cadatis vel cadant ex toto, ipsaque prorsus amittatis et amittant, et eadem regnum et terra ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur. Si autem vos, aut aliquis ex praedictis haeredibus electioni vel nominationi factae, seu iuri omnino renuncietis et renuncient, et quod de imperio seu aliquo alio praemissorum, ad quod electi seu nominati fueritis vel fuerint vos nullatenus intromittatis et intromittant, moniti infra quatuor mensium spatium post nominationem huiusmodi, tali electioni vel nominationi seu iuri non renuntiaveritis vel renuntiaverint, vel de ipso imperio vel de aliquo praemissorum, ad quod electi seu nominati fueritis vel fuerint, vos intromiseritis, vel intromiserint quoquomodo, ex hoc sitis, et sint eisdem regno Siciliae et terra et omni prorsus iure eorumdem privati, et ut dictum est, eadem regnum et terra ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur. Si vero ad vos, vel in dicto regno ad haeredes vestros non poterit commode talis monitio provenire, super quo utique impedimento, videlicet quod moneri commode nequeatis vel nequeant, credetur et stabitur assertioni Romani Pontificis, fiet monitio publica et solemnis: ita quod si infra sex menses post illam non renuntiaveritis seu renuntiaverint, aut de imperio, seu de aliquo alio praedictorum, ad quae vos vel dicti haeredes electi seu nominati fueritis vel fuerint, vos quolibet modo intromiseritis vel intromiserint, ex hoc cadatis vel cadant omni iure ipsorum regni et terrae, et regnum et terra ipsa ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur. Caeterum si contigerit aliquem ex vestris haeredibus, qui deberent in praedictis regno Siciliae et terra succedere, in regem vel imperium

Iuramentum de non contendiendo electioni sui in imperatorem vel regem Romanorum, etc.

Secus agentes a iure regni cadunt.

(1) Martène hic et alibi legit: *in regem vel imperatorem ..... seu dominum Lombardiae.*

Romanorum, seu in regem Theutoniae, vel dominium Lombardiae, seu Tusciae, seu maioris partis earum nominari seu eligi vel assumi, nullatenus possessionem eorum regni Siciliae et terrae nanciscatur et habeat, nec se de illorum cura seu dominio et regimine per se vel per alios aliquatenus intromittat, nisi prius imperio vel regno Theutonico, aut dominio Lombardiae, vel Tusciae, seu maioris earum partis, ad quodcumque eorum electus seu nominatus fuerit vel assumptus, et omni iuri sibi in illo competenti omnino renunciet, et illorum regimen, nec de iure nec de facto illud gerens vel retinens, omnino dimittat, ipsum nullo unquam tempore resumpturus: alioquin ab omni successione et iure quae in regno Siciliae et terra praedictis sibi competerent, cadat ipso facto, ita quod eadem regnum Siciliae et terra ad Romanam Ecclesiam, eiusque dispositionem libere devolvantur. Quod si, non extantibus masculis, foemina in eisdem regno et terra successerit, illa regi vel imperatori Romanorum, seu in regnum et imperium electo, aut regi vel electo Theutoniae aut dominio Lombardiae seu Tusciae, aut maioris partis earum, seu electo ad earum dominium, nunquam matrimonialiter copuletur, et si contrarium fecerit, eo ipso cadat a Siciliae regno et terra praedictis, maneatque prorsus ipsarum iure privata, ipsis regno et terra Siciliae ad eamdem Ecclesiam devolutis; si autem vos vel aliqui vestrum in regno haeredes contra hoc veneritis vel venerint, eo ipso excommunicati, et insuper labe et reatu periurii respersi et noti existatis vel existant. In huiusmodi quoque iuramento vos addetis, et tam per vos, quam vestros in dicto regno haeredes addetur expresse quod nullo unquam tempore regnum seu imperium Romanorum aut regnum Theutoniae, vel dominium Lombardiae, vel Tusciam, vel maiorem partem ipsarum per vos vel per alium aut alias occupabitis, capietis vel acquiretis, aut vobis alias quolibet modo vindicaveritis, et si secus feceritis, secundum praescriptam formam poenas similes incurratis. Quod autem dicitur de maiori parte Lombardiae, sive Tusciae, intelligitur scienter; si vero ignoranter, eam ad mandatum Ecclesiae dimittere teneamini, et si eam ad mandatum dimittatis, non incidatis in poenam in isto articulo et in consimilibus constitutam. Si vero moniti non dimittatis, remaneat poena prout est in hoc articulo et in consimilibus constituta. Quod si forte in posterum regem Siciliae contingat in imperatorem eligi, postquam fuerit regni Siciliae possessionem adeptus, non transeat ad imperium, alioquin in poenas incidat in hoc articulo vel in aliis similibus comprehensas. Quod si regni possessione praedicti nondum habita seu obtenta, in imperatorem electus, transire voluerit ad imperium, in manu prius Romani Pontificis vel illius quem ad hoc idem Pontifex duxerit destinandum, filium suum successurum in regno, cuiuscumque fuerit aetatis, emancipet, et regno renunciet, nihil iuris in eo retinens clam nec palam, nec cuiuslibet etiam potestatis, nec ipsum filium ad servitium seu subsidium aliquod faciendum, iuramento vel voto, stipulatione vel pacto, sibi vel successoribus suis astringat; sicque factus filius sui iuris, ab eodem Romano Pontifice, vel alio destinato ab ipso protinus investiatur in regno, ad cuius regni successionem, si forte decederet sine liberis, nullo umquam tempore pater veniat imperator existens; sed si imperio et omnibus, quae pertinent ad imperium idem pater renunciare voluerit, et regno tantum esse contentus, post renunciationem huiusmodi ad illius successionem libere admittatur, et tunc ab ipso Romano Pontifice vel alio destinato ab eodem investituram recipiat regni eiusdem.

Item foemina in regno succedens, imperatori, aut regi Theuton. et nubat.

Addendum iuramento de non occupando imperio, vel aliqua parte Lombardiae, vel Thusciae

Quid agendum si Siciliae rex in imperatorem eligatur.

4. Si dictus filius ad regnum assumptus maior annis XVIII fuerit, libere administret: sed quamdiu minor extiterit,

In minoritate regis regni administratio penes Rom. Pontificem.

tam ipse, quam regnum ipsius in custodia Romanae Ecclesiae remaneat, donec ipse impleverit supradictam aetatem, fructibus et obventionibus regni, ex quibus sumptus necessarii faciendi pro eiusmodi regni custodia deducantur regni, conservandis ei, et lucro alterius ratione ipsius custodiae non cessuris. Quae vero de filio dicuntur, ut ei videlicet regnum possit sub observatione praemissa a patre ad imperium transeunte dimitti, de filia etiam duximus concedendum, et si rex non habens filium in imperatorem electus ad imperium transire voluerit, et de personis quas supra diximus, liberis non extantibus, in regno posse succedere, aliqui superstites fuerint, quae de filio et filia praeordinavimus, observentur in illis, excepto emancipationis articulo, quae in solis ipsis procedere poterit, qui capaces emancipationis existant ratione patriae.

Aliae leges pro impedienda unione regni huius cum imperio, vel Lombardia, Thuscia, etc.

5. Declaramus etiam si illi regi Siciliae sine filio decedenti superstes sit filia vel mulier alia, quae iuxta praedictam formam debeat ad huiusmodi successionem admitti, quae imperatori, dum ipse rex viveret, fuerat desponsata vel nupta, succedat in regno, et si, regno sibi delato, imperatori nupserit, cadat protinus ab eo, nisi vir eius imperio prorsus renuntians, regno solummodo sit contentus. In primo autem casu, repulsis filia et alia praedicta, ad personas ipsas, servatis gradibus, regnum perveniat, quas praenotavimus in regno posse succedere, si, rege praemortuo, filii non supersint. In secundo autem casu regnum ad Romanam Ecclesiam devolvatur; regnum quoque Siciliae et terra praedicta imperio nullo modo subdentur, seu sibi nullo unquam tempore in eadem persona quolibet modo venient, et praecise super articulo, tam per poenas spirituales, quam alias cautiones, cavebitur iuxta Ecclesiae voluntatem, quandocumque Romanus Pontifex duxerit requirendum; cum intentionis sit Romanae Ecclesiae, ut regnum et terra praedicta nullo unquam tempore imperio uniatur, ut scilicet Romanus imperator et Siciliae rex existat. Quod autem circa unionem ipsorum regni et terrae cum imperio dicimus, hoc ipsum circa unionem regni et terrae cum regno Romano aut regno Theutoniae, seu cum Lombardia seu Tuscia, seu cum maiori parte ipsarum Lombardiae vel Tusciae intelligimus et volumus esse dictum.

Census annuus Rom. Ecclesiae persolvendus sub poena caducitatis.

6. Pro toto vero generali censu octo millium unciarum auri ad pondus ipsius regni in festo Sancti Petri ubicumque Romanus Pontifex fuerit ipsi Romano Pontifici et Romanae Ecclesiae annis singulis persolventur. Si vero vos, vel vestri in dicto regno haeredes quocumque termino non solveritis integre ipsum censum, et expectato per duos menses terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfeceritis, eo ipso eritis excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino infra sequentes duos menses eumdem censum sine diminutione qualibet non persolveritis, totum regnum Siciliae cum tota terra praedicta erunt supposita interdicto. Si vero nec in tertio termino, nec infra duos menses proximos per plenam satisfactionem illius eiusdem census vobis duxeritis consulendum, ita ut, transactis eodem termino tertio, et duobus mensibus proxime sequentibus, non sit de octo millibus unciis huiusmodi praedicti termini ipsi Ecclesiae integre satisfactum, ab ipsis regno et terra, ipsorumque iure cadatis ex toto, et regnum ipsum et terra ad Romanam Ecclesiam integre et libere revertatur. Si autem de censu octo millium unciarum huiusmodi praedicti termini inter dictos tertium terminum et sequentes duos menses plenarie satisfeceritis, nihilominus semper pro singulis octo millibus unciarum singulorum terminorum, si solummodo in eorum solutione cessaveritis, vel ipsas non solveritis, poenas similes incurretis, salvis aliis poenis et processibus, quae vel qui de iure

inferri vel haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu.

7. In quolibet etiam triennio dabitis vos et vestri in dicto regno haeredes Romano Pontifici unum palefridum album pulchrum et bonum in recognitionem veri domini eorumdem regni et terrae.

De palefrido.

8. Adhuc priusquam praedictum regnum, vel tantum de ipso acquisiveritis vel adhibueritis, quod etiamsi aliquae ipsius regni civitates vel munitiones, aut alia aliqua loca adhuc vobis rebellia fuerint, reputemini et possitis ipsius regni rex vel dominus reputari, solvetis Romanae Ecclesiae quinquaginta millia marcarum sterlingorum per infra scriptos terminos, scilicet quod infra sex menses, postquam dictum regnum acquisiveritis, prout dictum est, solvetis eidem Ecclesiae decem millia marcarum sterlingorum, et infra singulos sex menses successive sequentes solvetis singula decem millia, donec tota praedicta quinquaginta millium summa fuerit integre persoluta. Quod si vos in huiusmodi terminis illa non solveritis, liberum erit Romano Pontifici contra vos pro singulis terminis ad poenas spirituales procedere prout sibi videbitur expedire. Quia vero, sicut in tractatu negotii actum extitit, tempore quo esset tractatus, sive negotium consummandum, dominus Papa petitionem super remittendis vobis eisdem decem millibus marcarum factam crederet ex parte saltem aliqua, de qua vos teneri sibi ad gratiam deberetis, nolumus, quod per praefixionem huiusmodi aliquod in hoc faciet vobis per gratiam de praedicta summa decem millium marcarum deducantur.

In ingressu regni solvenda 50 millia marcar. sterling.

9. Quandocumque autem Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, asseruerit vel dixerit Romanam Ecclesiam indigere, ita quod super indigentia huiusmodi ipsius Romani Pontificis simplici verbo stetur, vos, vel vestri in dicto regno haeredes requisiti ab eo, in Urbem, in Campaniam, in Maritimam, in patrimonium Beati Petri, Tusciam, ducatum Spoletanum, Marchiam Anconitanam et in praemissam civitatem Beneventanam, ac eius territorium et pertinentias, quae remanebunt Ecclesiae, et omnes terras alias ipsius Ecclesiae per Italiam trecentos milites equis et armis bene et decenter munitos et paratos, ita quod unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas vel tres ad minus, in Ecclesiae praedictae obsequium et subsidium transmittetis per tres menses integros in vestris, vel dictorum in regno haeredum sumptibus et stipendiis, semel tantum in anno in servitio eiusdem Ecclesiae maturaturos, mensibus ipsis a die, quo iidem milites terram vestri dominii, vel fines vestri districtus egressuri fuerint per vulgatas dietas et solitas computandis, quod si maluerit Ecclesia eadem, ingruente necessitate, qua stetur verbo Romani Pontificis, ut dictum est, navali in mari exercitu praedicti milites, debita taxatione et recompensatione praehabita, in navale stolium commutetur.

Auxilium Rom. Ecclesiae ad nutum praestandum

10. Verum praedicta civitas Beneventana, quam hactenus Romana Ecclesia sibi retinuit, et in suum domanium et dominium cum omnibus iuribus et pertinentiis reservavit, et totum tenementum civitatis eiusdem cum finibus eius antiquis, quos Romanus Pontifex quandocumque, semel cum sibi placuerit, bona fide distinguet, eidem Ecclesiae, et in eius proprietate libere remanebit, nullo iure nobis vel cuicumque alii de regno praedicto, seu quolibet reservato: distinctioni quoque per Romanum Pontificem semel faciendae, ut dictum est, stabitis absque contradictione seu refragatione quacumque, prout ipsa distinctio per apostolicas litteras apparebit.

Civitas Beneventana Rom Ecclesiae reservatur.

11. Pro praedicta quoque civitate Beneventana hac vice reficienda per Beneventanos, exponetis per septennium pro lignaminibus omnia nemora ipsorum regni et omnem materiam ad aedificia opportuna, puta lapides, arenam, quae Pu-

Ligna danda per eadem reficienda civitate.

teolana vocatur, cementum et similia sine praeiudicio singularum personarum ad unam dietam prope Beneventum.

Totum iter Beneventanis praestandum;

12. Praestabitis etiam ipsis securitatem per totum regnum et terram praedictam, nisi in terra vestra de novo delinquant, propter quod ad vos de iure iustitia pertinebit.

Libertatesque eorum, ac privilegia servare.

13. Privilegia insuper dictae civitatis a regibus et principibus concessa illibata servabitis. Omnia statuta per Fridericum olim Romanum imperatorem, seu quoscumque alios reges Siciliae facta contra libertatem civitatis eiusdem revocabitis in omnibus, et per omnia, quae libertatis fuerint caeteris regnicolis, purificabitis illa, nec aliqua statuta, nec aliquas leges condetis in posterum, per quae dictae civitati directe vel indirecte possit praeiudicium generari, ac pro Apostolicae Sedis et beati Bartholomaei patroni civitatis eiusdem reverentia, fidantias ab omnibus remitti facietis et remittetis eisdem. Fidantiarum remissio est concessio libertatis, ut cives Beneventani possint libere proprias vineas et terras excolere, ipsarumque fruges et fructum colligere et easdem vineas ac terram vendere, et de ipsis pro sua voluntate disponere sine aliqua exactione vel munere, vel etiam datione. Vos autem et vestri in regno Siciliae haeredes in dicta civitate ac eius territorio et pertinentiis, quae remanebunt in Ecclesia vel Urbe, seu Campania vel Maritima, seu ducatu Spoletano aut Marchia Anconitana, aut in patrimonio Beati Petri in Tuscia, sive aliquibuscumque terris aut dominiis sive feudis ipsius Ecclesiae ubilibet constitutis, ex successione vel legato aut conditione sive donatione, aut alio quocumque iure vel titulo seu contractu, nihil umquam vobis acquiretis vel vindicabitis, seu poteritis acquirere vel quolibet modo vindicare; et nihil umquam recipietis, habebitis et retinebitis, seu poteritis recipere, habere vel retinere, ac nullam potestariam, capitaneam vel rectoriam, nullum alium honorem, dignitatem seu potestatem senatoriam, aliam administrationem vel commendam, nec quodcumque officium recipietis, seu recipere poteritis, habebitis vel retinebitis, seu habere vel retinere poteritis in eisdem. Hoc autem intelligimus de illis haeredibus vestris, qui vobis in eodem Siciliae regno succedent. Nolumus enim, quod delictum vobis in comitatibus et aliis terris vestris in poenam haeredis, qui est vobis successurus in regno, aliquatenus extendatur. Ne vero huiusmodi alii haeredes vestri contra ea quae continentur in isto articulo forsan aliquo tempore venire praesumant, acquirendo, vel vindicando, aut recipiendo, vel habendo, seu retinendo aliquid in terris in articulo ipso expressis, vel recipiendo, habendo seu retinendo in eisdem terris potestariam, seu capitaneam, seu aliquid aliud de his, quae articulo continentur eodem, sic semper hoc duximus concedendum, ut videlicet nulli etiam huiusmodi aliorum haeredum vestrorum, nullo unquam tempore liceat sibi quicquam in eisdem terris acquirere vel vindicare, recipere, habere vel retinere potestariam sive capitaneam vel rectoriam, aut aliquid aliud ex his, quae, prout dictum est, in eodem articulo plenius exprimuntur. Quicumque autem ipsorum secus praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat, nec ipse, nec eius posteri in perpetuum possint in eodem regno succedere, si eis in casu aliquo huiusmodi successio devolvetur, sed ab illo repellatur omnino, et nihilominus ille, qui huiusmodi regni gubernacula possidet, Romano Pontifici contra eum patenter assistere teneatur. Si vero vos, vel vestri in regno haeredes praedictam Beneventanam civitatem, territorium, vel pertinentias eius, quae remanebunt Ecclesiae, vel aliquam partem earum, aut Campaniam aut Maritimam, seu Urbem aut ducatum Spoletanum, vel Marchiam Anconitanam, sive patrimonium Beati Petri in Tuscia, aut alias quascumque

Siciliae rex nihil iuris vel dignitatis habebit in caeteris locis de dominio Roman. Ecclesiae.

Huius capitis inobservantia inducit caducitatem.

terras Romanae Ecclesiae ubilibet constitutas occupaveritis vel occupare feceritis aut molestari, et postquam super hoc a Romano Pontifice moniti vel requisiti fueritis, vel commode moneri aut requiri nequiveritis iuxta ipsius Romani Pontificis assertionem vel dictum, postquam de hoc tempore publice aut solemniter vos monuerit, infra tres menses non restitueritis integre omnia occupata, eo ipso ab eiusdem regni Siciliae et terrae iure cadatis totaliter. Ipsaque regnum et terram prorsus amittatis, et haec ad Romanam Ecclesiam libere devolvantur.

Hoc caput comprehendit etiam regum consanguineos.

Quod si etiam restitueritis, nihilominus ad plenum de universis iniuriis et damnis illatis, ad mandatum eiusdem Romani Pontificis satisfacere teneamini: alii quoque haeredes vestri, videlicet, qui vobis non succedent in regno, occupare vel facere occupari easdem terras Romanae Ecclesiae, vel molestare vel molestari facere super illis eamdem Ecclesiam non attentent: illi vero, qui secus attentaverint, praemissas poenas, ut videlicet eo ipso sint excommunicati, et tam ipsi, quam eorum posteritas in perpetuum ad successionem praedicti regni, si aliquando forte casu eiusdem successio devolveretur ad illos, nullatenus admittantur, incurrant; et rex Siciliae, qui tunc erit, teneatur assistere Romano Pontifici contra ipsos, prout superius est expressum.

Bona omnia ecclesiasticis restituenda.

14. Sane omnibus Ecclesiis, tam cathedalibus, quam aliis regularibus, et quibuslibet religiosis saecularibus, necnon omnibus praelatis et clericis ac universis personis ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, et quibuslibet religiosis locis plenarie dimittentur et restituentur integre omnia bona eorum immobilia a quibuscumque ablata vel occupata sint, et per quoscumque detineantur. Mobilia vero quae extant et poterunt inveniri, simili modo restituentur eisdem. Haec autem restitutio fiet absque contradictione vel difficultate qualibet, sicut nanciscemini praedictorum regni Siciliae et terrae possessionem hoc modo, scilicet quod statim in illa parte ipsorum regni et terrae, quae vobis obediet, restitutio ipsa fiet, ipsaque successive consummabitur, sicut eadem regnum et terra habebuntur. Ne autem super his rebus restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur a Romano Pontifice aliqui iuris discreti, ad quorum mandatum et arbitrium iurium, rerum immobilium et mobilium, quae extant, restitutio plene fiat, ita quod de his, de quorum dominio vel proprietate seu possessione notorium fuerit, ad eorum mandatum et arbitrium mox reddentur. In dubiis vero per ipsos de plano et absque strepitu iudicii veritas diligentius inquiretur. Sufficit enim vocari camerarium seu bailivum in cuius iurisdictione vel ballivia seu territorio bona, de quibus agetur, consistant, ad videndum iurare testes, qui in huiusmodi inquisitione deponent.

Libertas iis in electionibus omnimoda servanda.

15. Omnes insuper Ecclesiae, tam cathedrales, quam aliae regulares et saeculares, necnon et omnes praelati et clerici, omnesque personae ecclesiasticae saeculares et religiosae, et quaecumque religionis loca cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus et omnibus aliis plena libertate gaudebunt, nec ante electionem sive in electione vel post, assensus vel consilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem vos et vestri in praedicto regno haeredes semper manutenebitis et conservabitis, et manuteneri facietis, quod in omnibus aliis plena libertate gaudebunt, nec ante electionem, sive in electione, vel post, regius assensus vel consilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem vos et vestri in praedicto regno haeredes semper manutenebitis et manuteneri facietis ab omnibus subditis vestris, dictaeque Ecclesiae ac personae utentur libere omnibus bonis et iuribus suis, salvo vobis et vestris in regno haeredibus iure patronatus in Ecclesiis in tantum, quantum vel antiqui

reges Siciliae huiusmodi ius patronatus in ipsis Ecclesiis habuerint.

Causae ecclesiasticae suo foro remittendae.

16. Omnes etiam causae ad forum ecclesiasticum pertinentes libere et absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur et ventilabuntur coram ordinariis et aliis ecclesiasticis iudicibus, et terminabuntur per eos, et si ad Sedem Apostolicam super huiusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eamdem venire Sedem pro appellationum exequutionibus libere et absque aliqua inhibitione permittantur.

Iuramenta fidelitatis ex quibus et quomodo recipienda.

17. Sacramenta vero fidelitatis praestabuntur secundum antiquam et rationabilem consuetudinem, prout canonica statuta permittunt, ab aliis Ecclesiarum praelatis, quorum praedecessores antiquis illa Siciliae regibus praestiterunt. Ab illis autem praelatis ecclesiasticis, qui temporalia sive regalia bona tenent, si qui tamen sint, qui huiusmodi bona tenent a domino rege vel aliis dominis temporalibus, et qui huiusmodi ratione bonorum ab antiquo consueverunt regibus et ipsis dominis temporalibus servitia exhibere, huiusmodi honesta et antiqua servitia eis secundum rationabilem et antiquam consuetudinem, et sicut antiqua patiuntur canonica statuta impendantur, salva semper circa Ecclesias cathedrales et alias regulares et saeculares, ac personas et loca ecclesiastica, tam in faciendis provisionibus et electionibus confirmandis, quam in omnibus quibuscumque aliis Romani Pontificis et Ecclesiae Romanae iurisdictionibus ac auctoritate plenaria et libera potestate. Revocabitis quasque omnes constitutiones seu leges per dictum Fridericum, vel per reges Siciliae, seu per Conradum ipsius Friderici filium, aut Manfredum principem Tarentinum, qui de facto retinet ipsum regnum occupatum, editas contra ecclesiasticam libertatem, nec statuta vel conditiones aliquas edetis, aut etiam promulgabitis, per quae iuri aut ecclesiasticae libertati derogetis.

Clerici non conveniendi coram iudice saeculari.

18. Promittetis etiam quod nullus clericus vel persona ecclesiastica eorumdem regni et terrae in civili vel criminali causa convenietur coram iudice saeculari, nisi super feudis iudicio petitorio conveniatur civiliter, sed omnes personae ecclesiasticae omnimode erunt libere et in nullo regi vel principi subiacebunt.

Ex Ecclesiis vacantibus nihil exigendum.

19. Nullas insuper tallias vel collectas imponetis Ecclesiis, monasteriis, clericis, et nostris Ecclesiis vel rebus eorum et in Ecclesiis vacantibus vos vel vestri in regno haeredes nulla habebitis regalia, nullosque fructus, redditus et proventus, nullas obventiones, ac nulla prorsus alia percipietis ex eisdem, custodia earumdem Ecclesiarum interim libere remanente penes personas ecclesiasticas iuxta canonicas sanctiones.

Antiqua privilegia regnicolis conservanda.

20. Comites vero, barones, milites, et universi homines totius regni et terrae praedictae vivent in ea libertate et habebunt illas immunitates, illaque privilegia, ipsisque gaudebunt, quas et quae tempore clarae memoriae Guillelmi II Siciliae regis, et aliis antiquis temporibus habuerunt.

Exules revocandi, bonaque eis restituenda.

21. Omnes exules regni Siciliae et terrae praedictae cuiuscumque conditionis existant, ad mandatum Ecclesiae reducantur in regnum et praedictam terram, ipsisque de bonis et iuribus eis debitis restitutio plena fiet: in huiusmodi autem restitutione secundum praedictam formam in capite *De ecclesiasticis tuendis* contentam tam, in notoriis, quam in dubiis procedetur; omnesque captivos et obsides qui tenentur in regno et terra praedictis, Romanos, regnicolas et alios de terra Ecclesiae, Tuscos et Lombardos et illos de Marchia Tarvisina bona fide restituetis libertati pro posse.

Sorani comitis iuribus consulitur.

22 Haeredibus vero quondam Riccardi comitis Sorani germani fel. record. Innocentii Papae quarti ius, quod in comitatu Sorano et aliis Ecclesiae Romanae fidelibus, illud in aliis comitatibus et bonis, si qua eis in regno et terra praedictis a regibus et principibus concessa

obtinent, erit salvum; nec per praesentem ipsorum regni et terrae cessionem comitatuum sic concessorum eorumdem cuique ad proprietatem seu possessionem praeiudicium generetur, regio in his omnibus iure salvo.

Confoederatio nulla in praeiudicium R. E. ineunda.

23. Nullam etiam confoederationem seu societatem cum aliquo imperatore vel rege, vel principe, seu barone, saraceno, christiano vel graeco, aut cum aliqua provincia seu civitate aut communitate vel loco aliquo scienter contra Romanam Ecclesiam vel in damnum Ecclesiae facietis, et si feceritis ignoranter, teneamini ad mandatum Ecclesiae revocare.

Exercitus a Carolo comparandus.

24. Habeatis autem mille ad minus ultramontanorum militum comitativam, quorum quilibet equitaturas quatuor secum habebit; habebitis etiam trecentos balistarios et tot alios bellatores, quot ad prosecutionem negotii fidei sufficere videtur, et usque ad annum a praesenti die computandum, sic muniti cum tota vestra huiusmodi comitativa esse teneamini et sitis extra fines comitatus Provinciae versus Italiam vel in Italia, et ex tunc infra tres menses immediate sequentes esse teneamini et sitis in terris contiguis regno Siciliae, nisi forsitan in Italia hostium obstaculo impediamini vel occursu, quorum impugnationem et debellationem quamdiu taliter muniti perseverantes institeritis, intelligamini negotium prosequi, nec vobis tempus praedictum trium mensium currat. Quod si vos sic muniti usque ad huiusmodi annum non fueritis extra fines praedicti comitatus, vel si infra eosdem tres menses tali non praepediti obstaculo non fueritis in terris eiusdem Siciliae regno conterminis cum comitativa huiusmodi constituti, vel in quocumque casu ad prosecutionem negotii opportunam non impendentibus operam in eisdem terris conterminis dicto regno infra ipsos tres menses non fueritis sic muniti, liberum erit Romano Pontifici, ac in potestate remanebit ipsius dicere, pronuntiare vel proferre, in scriptis vel sine scriptis, de consilio vel sine consilio fratrum, vobis aut alio etiam quocumque, cuius forsan interesset, non vocatis, et absque omni iuris solemnitate, collationem, concessionem, investituram vobis et haeredibus vestris de regno et terra praedictis factas, vacuas omnino esse, nullumque robur vel valorem habere, ac eas revocare, cassare, irritare, ac ipsas cassas et irritas nunciare.

Terminus Italiam intrandi assignatur.

25. Liberum quoque erit eidem Romano Pontifici hoc idem facere, si (quod absit) vel longa praepediti valetudine, vel morte praeventi, dignum negotium iuxta eamdem formam non assumpseritis vel assumptum non fueritis prosecuti, nisi forte talis persona et tam idonea iuxta formam eamdem vices vestras vel vestrum haeredum in hac parte suppleverit, quae merito ad hoc sufficere, et possit et debeat a Romana Ecclesia reputari. Quod si forte vos aliquo impedimento fueritis irretiti, et hoc significaveritis Romano Pontifici, in potestate ipsius remanebit dicere, pronunciare et approbare et proferre, iuxta formam in capitulo ipso contentam, collationem, concessionem et investituram huiusmodi vobis et haeredibus vestris factas de regno et terra praedictis vacuas omnino esse, nullumque valorem et robur habere, ac eas revocare, et cassare, et irritare, et ipsas cassas et irritas nunciare, vel talem personam et totam idoneam assumere vel admittere ad dictum negotium, quae merito ab ipso sufficiens reputetur. Deinde omnes praemissas conditiones, quae in persona vestra apponuntur circa vestros etiam in dicto regno haeredes et successores, intelligimus et volumus esse dictas, salvis omnibus, quae circa alios haeredes ordinata consistunt, prout superius est expressum.

Hae conditiones Caroli haeredes obligant.

26. Vos etiam dabitis privilegium vestrum domino Papae ac Romanae Ecclesiae, ac bulla aurea bullatum, in quo proprio iuramento fatebimini et cognoscetis expresse regnum Siciliae et totam

Protestatio a Carolo facienda, se Siciliae regnum ex mera Sedis Apostolicae gratia obtinere.

terram, quae est citra Pharum usque ad confinia terrarum Romanae Ecclesiae, excepta civitate Beneventana cum territorio et pertinentiis eius, quae Ecclesiae remanebit eidem, ex sola gratia et mera liberalitate Sedis Apostolicae vobis vestrisque haeredibus de novo fore concessa, vosque recepisse ac tenere regnum et terram huiusmodi a dicta Romana Ecclesia sub pactis et conditionibus supradictis. Ut autem praedicti negotii consummatio, et haec nostra collatio, concessio et investitura ac revocatio, ac alia praemissa illibata perpetuo maneant et inconcussam semper obtineant firmitatem, praesens instrumentum seu praesentes litteras sigillorum nostrorum munimine roboratas vobis duximus concedendas. Actum Romae apud Lateranum in basilica Sancti Salvatoris, quae appellatur Constantiniana, ante sacratissimum altare ipsius basilicae decimoquinto kalendas iulii, anno Domini 1265, pontificatus vero praedicti Clementis Papae quarti anno primo.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam *etc.*

Datum Perusii per manum magistri Michaelis de Tholosa S. R. E. vice-cancellarii, secundo nonas novembris, indictione nona, incarnationis dominicae anno millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, pontificatus vero domini Clementis Papae quarti anno primo.

Dat. die 4 novem. 1265, pontif. anno I.

XII.

Quod prope Ecclesias fratrum Minorum conventualium ordinis Sancti Francisci non possit novum monasterium construi vel acquiri ab ordinibus in paupertate fundatis, vel cuiuscumque ordinis monialibus, infra spatium trecentum cannarum.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae faciendi decreti. — Decretum. — 2. Qui ordines in paupertate fundati intelligantur. — 4. Obstantium derogatio.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis generali et provincialibus ministris, ac universis fratribus ordinis fratrum Minorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Ad consequendam gloriam coelestis patriae, sic divina pietas humilitatem vestram per suam gratiam cernitur allexisse, quod semper ad hoc intenti estis et vigiles, ut illam vobis et proximis per innocentis vitae studium acquiratis. Haec enim et alia sancta pauperrimae religionis vestrae merita nos inducunt, quod simus ex intimo cordis affectu solliciti, ut in omnibus, quae ad Dei laudem et tranquillum statum devotionis vestrae cupitis, habeamus providentiae studium efficacius.

Causae faciendi decreti. § 1. Sane, non sine quadam turbatione animi frequenter audivimus, quod inter vos et religiosos aliquos, illa de causa aemulationis et dissensionis materia oritur, quia ipsi domos et ecclesias regulares iuxta loca vestra, non sine vestro gravi praeiudicio et dispendio manifesto, quandoque construere praesumebant. Cum itaque ad apostolici spectet officii dignitatem, de regno militantis Ecclesiae cuiuslibet scandali materiam abolere, nos digne volentes, quod huiusmodi aemulationis et dissensionis occasio per diligentiae nostrae studium amputetur, auctoritate

Decretum. praesentium ordinamus et districte inhibemus, quod nulli liceat amodo de Praedicatorum poenitentiae Iesu Christi, B. Mariae de Monte Carmelo, eremitarum S. Augustini, Sanctae Clarae, aliisque ordinibus in paupertate fundatis, nullique mulierum de praedictis, seu quibuscumque aliis ordinibus, aliquod monasterium, ecclesiam vel oratorium aedificare seu construere, nulli quoque saeculari vel religioso cuiuscumque professionis ecclesiam vel monasterium seu oratorium iam aedificatum in aliquem transferre de ordinibus memoratis infra spatium tre-

centum cannarum a vestris ecclesiis mensurandarum per aerem, etiam ubi alias recte mensurari loci dispositio non permittit. Praeterea statuimus, ut quicquid contra huiusmodi ordinationis et inhibitionis nostrae tenorem ex tunc in antea aedificatum fuerit, diruatur.

Qui ordines in paupertate fundati intelligantur

§ 2. Et ne de notitia ordinum, et quantitate cannarum huiusmodi aliqua possit dubitatio exoriri, illos ordines intelligi volumus in paupertate fundatos, qui ex regula vel constitutionibus suis, extra septa ecclesiarum monasteriorum suorum vel officinarum eorum, et clausuram ipsarum, nullas debent possessiones habere: quod si aliquis de ordinibus ipsis possessiones in aliquibus membris suis habere, in aliis vero non habere noscatur, eum quoad ordinationem, inhibitionem et statutum huiusmodi praedictis ordinibus in paupertate fundatis annumerari volumus:

§ 3. Et quamlibet cannarum ipsarum octo palmorum longitudinem continere.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus varia locorum consuetudine, sive privilegiis, indulgentiis seu litteris quibuscumque tam supradictis, quam mulieribus vel eorum alicui, ab Apostolica Sede sub quacumque forma concessis seu etiam concedendis, quae de praesentibus specialem et expressam non fecerint mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam *etc.*

Datum Perusii duodecimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 20 novembris 1265, pont. anno I.

XIII.

Destinatio legatorum, qui Carolum Andegavensem, eiusque uxorem, in Urbe Siciliae reges coronent et inungant, homagium nomine Romanae Ecclesiae ab eisdem recepturi (1).

(1) Ex Regest. Vatic.

SUMMARIUM

Exordium. — 2. Caroli regis regumque Francorum encomium. — 2. Regalis dignitas ei concessa. — 3. Mandatum (*de quo in rubrica*).

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Rodulpho episcopo Albanen., et dilectis filiis Adriano tituli Sanctae Praxedis presbytero, Riccardo Sancti Angeli, Gottifredo Sancti Georgii ad Velum Aureum, et Matthaeo Sanctae Mariae in Porticu, diaconis cardinalibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Rex regum et Dominus dominantium, Dei clementissimus filius Iesus Christus, honore multiplici reginam praefulgidam, sanctam videlicet Ecclesiam sponsam suam, quam sibi clementer inseparabili foedere coniungi voluit, de sua ineffabili clementia insignivit; sed in eo potissime ipsam honorabilem et felici reddidit statu fulgentem, quod eidem tantam tribuit plenitudinem potestatis, ut personis quantacumque sublimitate conspicuis in his possit adesse magnifice, per quae ipsae clari nominis titulum, et famosae consequantur potentiae incrementum.

Caroli regis, regumque Francorum encomium.

§ 1. Sane contemplari clarissima merita purae devotionis et fidei, quibus inclytae recordationis reges Franciae inter catholicos noscuntur mundi principes claruisse, nobis, et eidem Ecclesiae spiritualium producit affluentiam gaudiorum, propter quod fervens in mente nostra consurgit affectio, ut erga charissimum in Christo filium nostrum Carolum illustrem regem Siciliae, qui de illorum benedicta progenie dignoscitur processisse, sic nostra, et ipsius Ecclesiae abundet gratia penes devotos affluere multipliciter consueta, ut qui sibi regnum Siciliae ad nos et eamdem Ecclesiam pertinens dextera liberali contulimus, personam suam illius favoris affluentia prosequamur, per quem honoris magnitudo sibi Domino annuente proveniat, et votivae materia prosperitatis accrescat. Quid

enim, secundum Deum, in rege devotissimo quaeritur, nisi fidei firmamentum, iustitiae zelus et affluentia pietatis? Quid circa saecularia laus commendat humana? utique affabilitatem benivolam, beneficentiae gratiam et perspicacis providentiae maiestatem. Haec profecto in eodem rege comperimus, et ex his illa dilectio provenit, quam ipse apud Largitorem omnium gratiarum sibi velut haeres dilectissimus vendicavit.

Regalis dignitas ei concessa.

§ 2. Pensantes igitur, quod extollitur honor Matris Ecclesiae tali a suis uberibus filio dependente, quodque sui status præeminentia in maternae cedit exaltationis augumentum, eum intra praecordia nostra suscepimus, ad hoc praecipuis studiis intendentes, ut regalis magnificentia culminis felicibus auspiciis exaltetur.

Mandatum (de quo in rubrica).

§ 3. Quia vero dictus rex Siciliae a nobis filiali confidentia postulavit, ut cum ipse dictum regnum iam annuente Deo, praevioque salutis angelo, ad hoc intrare in manu potenti, et brachio intendat extento, quod velut athleta Christi strenuus hostes suos et persequutores fidei exinde potenter eiiciat, ac ibidem agrum dominicum spurcitiis Saracenorum expurget, ecclesias quoque ac personas earum libertati restituat, et eos, qui sunt exules, Ecclesiae memoratae praetextu reducat ad propria, necnon Dei populum in regno constitutum eodem a compede servitutis, quo illum alter Pharao diu detinuit alligatum, prorsus absolvat, sibi et charissimae in Christo filiae nostrae illustri reginae uxori suae diademata imponi regia, et eosdem more inungi debito faceremus, nos de vestra circumspectione ac industria probata confisi, vos velut viros sensatos et providos virtutum multitudine redimitos, in arduis et magnis expertos, ac honorabilia, imo praecipua membra Ecclesiae ad peragenda huiusmodi coronationis et inunctionis solemnia duximus fiducialiter eligendos, committentes vobis super his plenarie vices nostras, ita quod tu, frater venerabilis episcope Albanen., regem et reginam inungas eosdem, vosque universi, vel illi vestrum, qui praesentes fuerint, eisdem coronas praedicti regni Siciliae tribuatis, eorumque vertices inclytos reddatis illarum insignitis cum solitis solemnitatibus decoratos.

§ 4. Quocirca mandamus, quatenus in urbem convenientes in unum eadem solemnia iuxta huiusmodi formam vobis traditam, in nomine ac virtute Altissimi prudenter, honorifice ac etiam diligenter, prout decet, tam arduum et solemne negotium exequi studeatis. Speramus enim in Domino, quod iidem rex et regina tantae gratiae magnitudinem memoriae signaculis taliter alligabunt, quod in delectationem eis veniet omnium Conditori per virtuosae vitae studium, et sanctae ipsius Ecclesiae placere iugiter per sincerae devotionis augumentum.

§ 5. De clementia quoque Regis Superni confidimus, quod ipse diutinam afflictionem et lacrymas afflictorum praefati regni ex alto prospiciens, ac intentionem puram et bonam ipsius regis Siciliae clementer advertens, ei, qui iustam scientiam et piam causam prosequitur, de parte opposita triumphum desiderabilem largietur. Caeterum quia ex certis pactis inter Ecclesiam et regem eosdem haberi dignoscitur, quod dictus rex nobis et eidem Ecclesiae homagium ligium pro regno ipso et terris aliis sibi ab Ecclesia praefata concessis exhibere tenetur, volumus quod huiusmodi homagium pro nobis ac dicta Ecclesia recipere nullatenus omittatis. Per praemissa siquidem coronationis et inunctionis solemnia Panormitan. seu aliquibus aliis Ecclesiis vel quibuscumque personis aut locis, ex eo quod eisdem solemniis non intersunt, vel quod illa in Sede ipsa non fiunt, aut alias nullum volumus in posterum praeiudicium generari.

Datum Perusii quarto kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 29 decem. 1265, pontif. anno I.

XIV.

Sequitur Carolo Siciliae regi in idem argumentum (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Legatos ait destinatos ad eum coronandum et inungendum: — Quibus mandat ab eo homagium ligium praestari.

Clemens episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Carolo regi Siciliae illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Odorem agri pleni, cui benedixit Dominus, in te benedictionis filio sentire gaudemus, aromata considerando virtutum et strenuitatem attendendo gestorum laudabilium quibus tua excellentia per divinam redditur gratiam insignita. Nam quod secundum Deum in rege catholico quaeritur fidei firmamentum, iustitiae zelus et affluentia pietatis, quid in ipso circa saecularia laus humana commendat, affabilitatem nempe benivolam, beneficentiae gratiam et circumspectae industriae maiestatem; haec in te profecto comperimus, et ex his circa personam tuam in nobis exuberat illa dilectio, quam apud Regem coelorum tibi velut haeres dominicus vendicasti. Pensantes igitur, quod extollitur honor matris Ecclesiae tali a suis uberibus filio dependente, quodque tui status praeminentia in maternae cedit exaltationis augumentum, te intra praecordia nostra suscepimus, ad hoc praecipuis studiis intendentes, ut regalis magnificentia culminis felicibus auspiciis exaltetur. Et ut tibi clarius pateat affectus apostolici plenitudo, petitionem tuam, quam nobis fecisti porrigi fiducia filiali, videlicet, quod te et charissimam in Christo filiam nostram reginam illustrem uxorem tuam coronari et more inungi regio faceremus:

Legatos ait destinatos ad eum coronandum et inungendum. Nos paternis affectibus admittentes, venerabilem fratrem nostrum Rodulphum Albanensem episcopum et dilectos filios nostros Adrianum tituli Sanctae Praxedis presbyterum, Riccardum Sancti Angeli, Gottifredum Sancti Georgii ad Velum Aureum, et Matthaeum Sanctae Mariae in Porticu, diaconos cardinales, viros utique probatae circumspectionis et vitae ac industriae praecellentes, viros virtutum multitudine insignitos, expertos in arduis, tuique honoris et nominis amatores, honorabilia quoque membra ipsius Ecclesiae, ad huiusmodi coronationis et inunctionis solemnia peragenda in urbem, in qua moraris, duximus destinandos, eis super his committentes per apostolicas litteras plenarie vices nostras.

Speramus enim in Domino, quod tu et praedicta regina de manu tam praecellentium, tam venerabilium personarum, quas hilariter recipi et tractari, immo in quibus personam nostram honorari deposcimus, receptis, Domino annuente, feliciter fastigii regalis insigniis, magnitudinem huiusmodi gratiae tabulis vestrae memoriae taliter imprimetis, quod semper in delectationem vobis veniet Superno Regi per virtuosae vitae studium, et Ecclesiae matri vestrae placere iugiter per sincerae devotionis augumentum.

Quibus mandat ab eo homagium ligium praestari. Ad haec quia ex certis pactis inter Ecclesiam et te, charissime fili, haberi dignoscitur, quod tu pro regno Siciliae ac terris aliis tibi ab Ecclesia ipsa concessis homagium facere ligium nobis et Ecclesiae praefatae teneris: Nos attendentes, quod his diebus tibi ad nostram praesentiam, et nobis ad dictam urbem accedere grave foret, serenitatem tuam requirimus et rogamus, tibi per apostolica scripta mandantes, quatenus cardinalibus ipsis, quibus hoc a te recipiendum commisimus, affectu prompto et libero pro nobis et dicta Ecclesia homagium facias memoratum, te in his et aliis, quae honorem Ecclesiae praefatae respiciunt, prout de tua sinceritate confidimus, taliter habiturus, quod exinde tibi laudis humanae praeconium et benedictionis divinae proveniat incrementum.

(1) Ex Regest. Vatic.

Datum Perusii tertio kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 30 decembris 1265, pont. anno I.

XV.

Quod inquisitores haereticae pravitatis describi faciant in statutis civitatum leges editas ab Innocentio IV contra haereticos, magistratus saeculares ad id cogendo.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Decretum (*de quo in rubrica*). — 2. Magistratus ad id censuris cogendi. — Obstantium derogatio.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus Praedicatorum et Minorum ordinum, inquisitoribus haereticae pravitatis per Italiam, auctoritate Sedis Apostolicae deputatis, et in posterum deputandis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Ad extirpanda de medio populi christiani haereticae pravitatis zizania, quae abundantius solito succreverunt, superseminante illa licentius his diebus homine inimico, tanto studiosius iuxta commissam nobis sollicitudinem insudare proponimus, quanto perniciosius negligeremus eadem in necem catholici seminis pervagari.

Decretum (de quo in rubrica). § 1. Ut autem adversus huiusmodi nequitiae operarios consurgant, stentque firmiter Ecclesiae filii, ac orthodoxae Fidei zelatores, constitutiones quasdam felicis recordationis Innocentius Papa praedecessor noster ad extirpationem haereticae pestis edidit, et tam ipse, quam felicis memoriae Alexander Papa praedecessor noster, dilectis filiis potestatibus, sive rectoribus, consulibus, capitaneis, antianis, consiliis et communitatibus civitatum, castrorum, aliorumque locorum per Italiam constitutis, mandarunt, ut constitutiones ipsas in suis conscribi capitularibus facerent et exacta diligentia observarent. Unde praedictis potestatibus, sive rectoribus, consulibus, capitaneis, antianis, consiliis et communitatibus damus nostris litteris in mandatis, ut ipsi et singuli eorum, constitutiones easdem, cum quibusdam adiectionibus, modificationibus et declarationibus per dictum Alexandrum praedecessorem nostrum, et etiam per nos factas, conscribi in suis capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundum eas contra omnem haeresim se adversus hanc Sanctam Ecclesiam extollentem, sine aliqua omissione procedant.

Magistratus ad id censuris cogendi. § 2. Quocirca si dicti potestates, sive rectores, consules, capitanei, antiani, consilia et communitates, mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere, vos et singuli vestrum illos et singulos eorum, infra designatos vobis limites, per excommunicationem in personas et interdictum in terras eorum, monitione praemissa, appellatione remota, cogatis.

Obstantium derogatio. § 3. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod personae excommunicari, ac civitates, castra, terrae et loca ipsorum interdici non possint, sive qualibet alia indulgentia Sedis eiusdem, per quam effectus praesentium impediri valeat vel differri: et de qua, cuiusque toto tenore, de verbo ad verbum specialem et expressam in nostris litteris oporteat fieri mentionem: et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Datum Perusii decimoquinto kal. februarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 18 ianuarii 1266, pontif. anno I.

XVI.

Revocatio omnium indulgentiarum et privilegiorum, quibuscumque singularibus personis ecclesiasticis vel saecularibus, quibus eis concedebatur quod interdici vel excommunicari non possent, nec terrae eorum ecclesiastico interdicto supponi (1).

SUMMARIUM

Causae revocandorum privilegiorum (*de quibus in rubrica*). — 1. Decretum. — 2. Clausulae.

(1) Ex Regest. Vatic.

XIV.

Sequitur Carolo Siciliae regi in idem argumentum (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Legatos ait destinatos ad eum coronandum et inungendum: — Quibus mandat ab eo homagium ligium praestari.

Clemens episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Carolo regi Siciliae illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Odorem agri pleni, cui benedixit Dominus, in te benedictionis filio sentire gaudemus, aromata considerando virtutum et strenuitatem attendendo gestorum laudabilium quibus tua excellentia per divinam redditur gratiam insignita. Nam quod secundum Deum in rege catholico quaeritur fidei firmamentum, iustitiae zelus et affluentia pietatis, quid in ipso circa saecularia laus humana commendat, affabilitatem nempe benivolam, beneficentiae gratiam et circumspectae industriae maiestatem; haec in te profecto comperimus, et ex his circa personam tuam in nobis exuberat illa dilectio, quam apud Regem coelorum tibi velut haeres dominicus vendicasti. Pensantes igitur, quod extollitur honor matris Ecclesiae tali a suis uberibus filio dependente, quodque tui status praeminentia in maternae cedit exaltationis augumentum, te intra praecordia nostra suscepimus, ad hoc praecipuis studiis intendentes, ut regalis magnificentia culminis felicibus auspiciis exaltetur. Et ut tibi clarius pateat affectus apostolici plenitudo, petitionem tuam, quam nobis fecisti porrigi fiducia filiali, videlicet, quod te et charissimam in Christo filiam nostram reginam illustrem uxorem tuam coronari et more inungi regio faceremus:

Legatos ait destinatos ad eum coronandum et inungendum. Nos paternis affectibus admittentes, venerabilem fratrem nostrum Rodulphum Albanensem episcopum et dilectos filios nostros Adrianum tituli Sanctae Praxedis presbyterum, Riccardum Sancti Angeli, Gottifredum Sancti Georgii ad Velum Aureum, et Matthaeum Sanctae Mariae in Porticu, diaconos cardinales, viros utique probatae circumspectionis et vitae ac industriae praecellentes, viros virtutum multitudine insignitos, expertos in arduis, tuique honoris et nominis amatores, honorabilia quoque membra ipsius Ecclesiae, ad huiusmodi coronationis et inunctionis solemnia peragenda in urbem, in qua moraris, duximus destinandos, eis super his committentes per apostolicas litteras plenarie vices nostras.

Speramus enim in Domino, quod tu et praedicta regina de manu tam praecellentium, tam venerabilium personarum, quas hilariter recipi et tractari, immo in quibus personam nostram honorari deposcimus, receptis, Domino annuente, feliciter fastigii regalis insigniis, magnitudinem huiusmodi gratiae tabulis vestrae memoriae taliter imprimetis, quod semper in delectationem vobis veniet Superno Regi per virtuosae vitae studium, et Ecclesiae matri vestrae placere iugiter per sincerae devotionis augumentum.

Quibus mandat ab eo homagium ligium praestari. Ad haec quia ex certis pactis inter Ecclesiam et te, charissime fili, haberi dignoscitur, quod tu pro regno Siciliae ac terris aliis tibi ab Ecclesia ipsa concessis homagium facere ligium nobis et Ecclesiae praefatae teneris: Nos attendentes, quod his diebus tibi ad nostram praesentiam, et nobis ad dictam urbem accedere grave foret, serenitatem tuam requirimus et rogamus, tibi per apostolica scripta mandantes, quatenus cardinalibus ipsis, quibus hoc a te recipiendum commisimus, affectu prompto et libero pro nobis et dicta Ecclesia homagium facias memoratum, te in his et aliis, quae honorem Ecclesiae praefatae respiciunt, prout de tua sinceritate confidimus, taliter habiturus, quod exinde tibi laudis humanae praeconium et benedictionis divinae proveniat incrementum.

(1) Ex Regest. Vatic.

Datum Perusii tertio kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 30 decembris 1265, pont. anno I.

XV.

Quod inquisitores haereticae pravitatis describi faciant in statutis civitatum leges editas ab Innocentio IV contra haereticos, magistratus saeculares ad id cogendo.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Decretum (*de quo in rubrica*). — 2. Magistratus ad id censuris cogendi. — Obstantium derogatio.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus Praedicatorum et Minorum ordinum, inquisitoribus haereticae pravitatis per Italiam, auctoritate Sedis Apostolicae deputatis, et in posterum deputandis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Ad extirpanda de medio populi christiani haereticae pravitatis zizania, quae abundantius solito succreverunt, superseminante illa licentius his diebus homine inimico, tanto studiosius iuxta commissam nobis sollicitudinem insudare proponimus, quanto perniciosius negligeremus eadem in necem catholici seminis pervagari.

Decretum (de quo in rubrica). § 1. Ut autem adversus huiusmodi nequitiae operarios consurgant, stentque firmiter Ecclesiae filii, ac orthodoxae Fidei zelatores, constitutiones quasdam felicis recordationis Innocentius Papa praedecessor noster ad extirpationem haereticae pestis edidit, et tam ipse, quam felicis memoriae Alexander Papa praedecessor noster, dilectis filiis potestatibus, sive rectoribus, consulibus, capitaneis, antianis, consiliis et communitatibus civitatum, castrorum, aliorumque locorum per Italiam constitutis, mandarunt, ut constitutiones ipsas in suis conscribi capitularibus facerent et exacta diligentia observarent. Unde praedictis potestatibus, sive rectoribus, consulibus, capitaneis, antianis, consiliis et communitatibus damus nostris litteris in mandatis, ut ipsi et singuli eorum, constitutiones easdem, cum quibusdam adiectionibus, modificationibus et declarationibus per dictum Alexandrum praedecessorem nostrum, et etiam per nos factas, conscribi in suis capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundum eas contra omnem haeresim se adversus hanc Sanctam Ecclesiam extollentem, sine aliqua omissione procedant.

Magistratus ad id censuris cogendi. § 2. Quocirca si dicti potestates, sive rectores, consules, capitanei, antiani, consilia et communitates, mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere, vos et singuli vestrum illos et singulos eorum, infra designatos vobis limites, per excommunicationem in personas et interdictum in terras eorum, monitione praemissa, appellatione remota, cogatis.

Obstantium derogatio. § 3. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod personae excommunicari, ac civitates, castra, terrae et loca ipsorum interdici non possint, sive qualibet alia indulgentia Sedis eiusdem, per quam effectus praesentium impediri valeat vel differri: et de qua, cuiusque toto tenore, de verbo ad verbum specialem et expressam in nostris litteris oporteat fieri mentionem: et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Datum Perusii decimoquinto kal. februarii, pontificatus nostri anno primo.

Dat. die 18 ianuarii 1266, pontif. anno I.

XVI.

Revocatio omnium indulgentiarum et privilegiorum, quibuscumque singularibus personis ecclesiasticis vel saecularibus, quibus eis concedebatur quod interdici vel excommunicari non possent, nec terrae eorum ecclesiastico interdicto supponi (1).

SUMMARIUM

Causae revocandorum privilegiorum (*de quibus in rubrica*). — 1. Decretum. — 2. Clausulae.

(1) Ex Regest. Vatic.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sedes Apostolica interdum, quae benigne concesserat, utilitate suadente, consultius revocat: per hoc non tam in suis actibus varia, quam providentiae suae remedia subditorum varietati et necessitati coaptans. Probat hoc praesentis necessitas sanctionis, quae illorum compescit audaciam, qui ad sui iuris defensionem contra iniuriosos immunitate per ipsius Sedis indulta muniti, quod ad tuitionem eis concessum fuerat in aliorum molestias et iniurias convertentes, suis indulgentiis ac privilegiis multipliciter abutuntur. Sicut enim ad nos frequens querela pervenit pro eo, quod Sedes eadem personis diversis tam ecclesiasticis, religiosis et aliis, quam etiam laicis quibusdam sine praefinitione temporis, aliis vero ad tempus sub formis variis indulsisse dicitur, quod interdici a quoquam, vel excommunicari non possint, nec terrae ipsorum ecclesiastico interdicto supponi; personae ipsae de indultis huiusmodi confidentes, alios fidentius in suo iure molestant, et asserentes, quod nec locorum ordinarii possunt in ipsos excommunicationis vel interdicti ferre sententiam, etiam ipsorum ordinariorum iurisdictionem contemnunt pariter et eludunt, sicque personarum ipsarum excessus remanent incorrecti et nervus disrumpitur ecclesiasticae disciplinae.

Causae revocandorum privilegiorum (de quibus in rubrica).

Decretum

§ 1. Nos itaque intendentes in hoc salubre remedium adhibere, omnes indulgentias et privilegia huiusmodi quibuscumque singularibus personis ecclesiasticis vel saecularibus cuiuscumque sint praeminentiae, dignitatis, conditionis, aut status sub quacumque verborum forma concessa, illis, per quae regibus et reginis, eorumve filiis, nec non et religiosis quibusdam non personarum tantum, sed ordinum vel locorum privilegiatorum in hoc ratione huiusmodi immunitas conceditur dumtaxat exceptis, de fratrum nostrorum consilio ad ordinariorum sententias et processus, edicto perpetuo prohibemus extendi, et si forsan quoad sententias et processus huiusmodi aliqua concessa inveniantur expresse, ad instar felicis recordationis Alexandri Papae praedecessoris nostri, ea in quantum per ipsa ordinariorum iudicum iurisdictio tangitur, penitus revocamus, nihilominus locorum dioecesanis et quibuscumque aliis ordinariis iudicibus, ut in suos subditos, prout ad eos pertinet, indulgentiis et privilegiis ipsis nequaquam obstantibus, iurisdictionem suam et censuram ecclesiasticam exercere libere valeant, concedentes.

Clausulae.

§ 2. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae prohibitionis, revocationis et concessionis infringere, *etc.* Si quis, *etc.*

Datum Viterbii, idibus augusti, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 13 augusti 1266, pontif. anno II.

XVII.

Quod abbates et alii, quibus mitrae usus est ab Apostolica Sede concessus, exempti quidem, in conciliis et synodis, mitris tantummodo aurifrigiatis, non exempti vero simplicibus albis et planis utantur (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Ex mitrae indeterminata concessione abbates inter et episcopos ortae saepe discordiae. — 2. Statutum (*de quo in rubrica*).

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Exigit nostri officii debitum, ut inter subditos scandali submovere materiam sollicite studeamus, praesertim ne a Sede Apostolica Regis ministra pacifici turbationis et discordiarum occasio tribui videatur.

(1) Ex Regest. Vatic.

Ex indeterminata mitrae concessione abbates inter et episcopos ortae saepe discordiae.

§ 1. Sane sicut tam facti experientia, quam frequens nos clamor instruxit, ex eo quod eiusdem Sedis benignitas attendens provide, quod Ecclesiarum est decor et gloria praelatorum decorus ornatus, et illarum maioritas eminet ex eorum honore maiori; nonnullis abbatibus et praelatis aliis, quibus id ex propria dignitate non competit, concessit, in Ecclesiarum suarum gloriam et honorem, ut mitra et aliis pontificalibus uterentur. Ipsis in provincialibus conciliis et episcopalibus synodis mitra utentibus, dum eos archiepiscopis et episcopis habitus parilitas sic omnino parificat, ut ab illis non possint eius diversitate discerni, archiepiscopos et episcopos ipsos frequenter scandalizari contingit, ac inter eos abbates et alios, huiusmodi praerogativa gaudentes, scandala suboriri.

Statutum (de quo in rubrica).

§ 2. Nos itaque volentes in hoc sic salubriter providere, quod abbates, et alii huiusmodi concessione muniti, ab archiepiscopis et episcopis discerni valeant, nec tamen privilegiorum suorum frustrentur effectu, de fratrum nostrorum consilio praesenti decreto statuimus, ut abbates et alii, quibus mitrae usus est ab eadem Sede concessus, exempti quidem, in conciliis et synodis memoratis, quibus nonnulli ex eis interesse tenentur, mitris tantummodo aurifrigiatis, non tamen aureas vel argenteas laminas aut gemmas habentibus, uti possint; non exempti vero simplicibus albis et planis utantur. In aliis vero locis exemptis et non exemptis mitris uti liceat, prout concessa eis ab eadem Sede indulta permittunt.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum, *etc.*

Datum Viterbii, decimonono kal. septembris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 14 augusti 1266, pontif. anno II.

XVIII.

***Wernhero Moguntino archiepiscopo committitur, ut electionem Conradini Siciliae regnum affectantis in imperatorem impediat, electores, fautores, etc., si secus egerint, anathemate percellendo* (1).**

SUMMARIUM

Exordium ab archiep. Moguntini dignitate in Ecclesia catholica petitum. — 1. Conradini facinora deplorat. — 2. Nonnullos ait tractatus iniisse ut eum in imperatorem eligant. — Quare eligendus non sit. — 3. Prohibet Clemens quominus eligatur sub nonnullis poenis. — 4. Excommunicat omnes ei praebentes auxilium, consilium *etc.* contra Carolum Siciliae regem. — 5. Mandat Moguntino archiep. has leges publicet.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili archiepiscopo Moguntino, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium ab archiep. Moguntini dignitate in Ecclesia catholica petitum.

Fundata Domus Domini super immobile fundamentum, cuius, secundum Apostolum, aliud ponere nemo potest, a columnis stabilibus sub decenti locatis ordine pulchritudinem recepit et splendorem, quarum implent officium, qui praelationis ecclesiasticae ministerium assecuti spirituale sustinent aedificium et venustatem. Inter hos sane quantum in credita tibi provincia locum obtines celsiorem, quanto pondus structurae sustines amplioris, tanto te decet gravitate maiori in omnibus et per omnia stabiliri, ut nec nutes, nec devies a rectitudine tui status, ne dilapsus in partem alteram eo ruas periculosius, quo tecum plures traheres ad ruinam: verum ad iusti pariter et honesti soliditatem propositi, propter commune debitum, quo te Deo vehementer astrictum intelligis, cuius ministerii tui vocatus sorte in partem sollicitudinis, vicem geris, accumulata te nova obligant beneficia, quae cum aliis praelatis Ale-

(1) Ex Cod. ms. Mogunt. edidit Schannat Vindem. litterar., Collect. I, pag. 207.

manniae a Sede nosceris Apostolica recepisse, cuius larga benevolentia, largitas quoque benivola vobis hactenus semper affluit, et quasi fons indeficiens vobis et vestris Ecclesiis gratiarum fluenta communicans, vos instruxit consiliis, roboravit auxiliis, vallavit praesidiis et privilegiis honoravit. Iustum est igitur et pietati conveniens, ut ad matrem levetis oculos universi, et cura pervigili studeatis eius obviare periculis, quae si sua vel vestra dixerimus, sua tamen rectius dicemus et vestra; cum, dolente capite, non sit in membris sanitas.

Conradini facinora deplorat.

§ 1. Caeterum quantum Ecclesiam flagellaverit, quantum concusserit, quot pro bonis ei mala reddiderit domus imperatoris Friderici, nedum Ecclesiis et principibus Alemanniae notum existit, sed et mundo notorium universo; unde iusto damnatus iudicio, et tam imperii, quam regni Siciliae iure pariter et honore privatus, diem miserabiliter claudens extremum sui, tenuem reliquit memoriam; cui sublatis e medio filiis, in domo tanti nominis unica tantum scintilla remansit aetatis adhuc tenerae, praematurae tamen malitiae, prout fida relatione didicimus, Conradinum, cuius congauderemus profectui, si suis contentus reprobatum avum pro meritis nollet in suis imitari, nec ausu temerario moliretur infringere quae contra avum eumdem, exigente iustitia, felicis recordationis praedecessor noster Innocentius, multis spectata oculis, multis probata sensibus, approbante sacro concilio, definivit; sed ecce iam prodiit in publicum non transumpta cum semine patris iniquitas, sed avitae potius ambitu magnitudinis, cuius ei saepe memoria revocatur, ad nepotem improvidum temere propagata, sicque multum praepropere timidus adolescens cum aliquibus inimicis Ecclesiae Lombardis, Marchianis et Tuscis, Apulis atque Siculis fraudulentis se.... applicat. Potestatem Ecclesiae non considerans, quae sicut avum eius nudavit imperio, suis meritis exigentibus, atque regno Siciliae, sic et eum iure ac honore regni Ierosolymitani, aliisque dignitatibus et iuribus, si quae habet, poterit privare, nisi sibi consilio meliori provideat, et Sedis Apostolicae beneplacitis se coaptet.

Nonnullos ait tractatus inisse ut eum in imperatorem eligant.

§ 2. Porro non sine magna cordis amaritudine nuper recepimus, quod nonnulli ex his principibus et praelatis, ad quos ius pertinet eligendi Romanorum regem ad imperatorem postmodum promovendum, in eam venerint audaciam, ut super electione Conradini eiusdem ad imperium occultos audeant et apertos inire tractatus suae salutis immemores, hostes iustitiae et quietis publicae turbatores; cum deberent non solum attendere, quod assumere ineligibilem nulli liceat, verum etiam diligenter attendere, quomodo nunc eis paratum quemlibet, et omni exceptione maiorem liceret eligere, maxime pendente duarum electionum negotio coram nobis, quae fuerunt de charissimis in Christo filiis nostris rege Castellae et Richardo rege Cornubiae, viris illustribus et magnificis per eos, ad quos ius eligendi pertinet, in discordia celebratae: hunc autem probat esse ineligibilem aetatis infirmitas, quae inhabilem eum efficit ad honores, cuius etiamsi legitimum terminum attigisset, eum tamen eligi non deceret, qui de persecutoribus Ecclesiae manifestis tam veteribus quam modernis trahens originem, iusta posset hac sola ratione repelli.

Quare eligendus non sit.

Prohibet Clemens quominus eligatur sub nonnullis poenis.

§ 3. Quo circa cum officio nostrae servitutis incumbat, fraudibus et malitiis perversorum occurrere, ne, quod absit, neglecta valeant incendia vires sumere, quae in ipsis initiis levius extinguuntur; nos in omnes et singulos cuiuscumque dignitatis vel excellentiae, archiepiscopalis etiam vel episcopalis, aut alterius ecclesiasticae vel saecularis existant, cuiuscumque sint gradus vel ordinis, sive sexus, qui, praetactis publicis vel occultis seu quibuscumque aliis modis, procurabunt dicti Conradini promotionem in Romanorum regem vel imperatorem, aut

huiusmodi tractatibus consenserint, vel his procurantibus dabunt consilium, auxilium et favorem, et in omnes, qui ad id procurandum vel agendum convenerint, excommunicationis sententiam promulgamus, et anathematis eos vinculo innodantes, terras ecclesiastico subiicimus interdicto: si qui vero ad electionem ipsius processerint, si principes fuerint, eos et haeredes ipsorum omnibus feudis et honoribus, quos ab Ecclesiis vel ecclesiasticis personis obtinent, et tam eos, quam posteritatem eorum usque ad quartam generationem iure eligendi Romanorum regem auctoritate apostolica privamus, et insuper eorum filios clericos usque ad quartam generationem reddimus prorsus inhabiles ad dignitates vel beneficia ecclesiastica obtinenda: si vero electores huiusmodi praelati fuerint, ipso facto depositi ac nudati remaneant omni dignitate archiepiscopali et episcopali, et omni ecclesiastico beneficio sine spe restitutionis aut gratiae aliquo tempore obtinendae.

Excommunicat omnes ei praebentes auxilium, consilium, etc. contra Carolum Siciliae regem.

§ 4. Omnes etiam qui praedicto Conradino assisterint aut impenderint consilium vel auxilium aut favorem contra charissimum in Christo filium nostrum Carolum, necnon regem Siciliae a Sede Apostolica constitutum, in quo novam ac nobilem opem Ecclesiae favor divinae dexterae signis evidentissimis comprobavit, excommunicationis sententia innodamus; in quos omnes quoque, qui cum eodem Conradino, vel pro ipso, aut in eius auxilium contra Ecclesiam vel praefatum Carolum Siciliae regem in regnum Siciliae, seu quaecumque eius loca, vel in Italiam seu quascumque Italiae regiones vel partes accedere, aut ibi dictum Conradinum adiuvare praesumpserint, excommunicationis sententiam proferentes, terras eorum ecclesiastico supponimus interdicto, contra eos gravius processuri, prout excessus meruerit eorumdem.

§ 5. Licet autem de tuae devotionis et fidei puritate firmam geramus fiduciam, quod in his et in aliis tuae providebis saluti, et de nostris beneplacitis coaptabis; quia tamen calcar equum admissum excitat magis, quam molestat, fraternitati vestrae per apostolica scripta in virtute obedientiae firmiter praecipiendo mandamus, quatenus a praedictis laqueis vel periculis non solum tibi caveas, sed et alios, qui in eis possent incidere, reddas sollicite cautiores, hanc nostram sententiam totumque praesentium tenorem in tuis civitate, dioecesi et provincia, convocatis clero et populo, facias singulis mensibus, vel si expedire videris, pluries publicari.

Mandat Maguntino archiep. has leges publicet.

Datum Viterbii decimoquarto kalendas octobris, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 18 septem. 1266, pontif. anno II.

XIX.

Contra quaestuantes, litterisque apostolicis abutentes, earumdemque praetextu eleemosynas quomodolibet extorquentes (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Abusus litterarum pro quaestuatione concessorum. — 2. Declarat per hasce litteras Ecclesiarum rectores invitos non obligari.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sedis Apostolicae circumspecta benignitas circa concessionum gratias, in quibus multorum votis frequenter annuit, illam sibi providentiam reservare semper intendit, ut de illis ita eas obtinentibus proveniat commodum, quod aliis materia scandali seu gravaminis non immineat detrimentum.

Abusus litterarum pro quaestuatione concessarum.

§ 1. Ad audientiam siquidem nostram iam saepe pervenit, quod cum Sedes ipsa de sua solita pietate nonnullis religiosis domibus, hospitalibus et aliis piis locis pro eorum subventionibus litteras

(1) Ex Regest. Vatic.

seu indulgentias ab olim concesserit inter caetera continentes, ut nuncii seu portitores earum in locis ecclesiasticis, ad quae devenerint, honeste recipi debeant et charitative tractari; quodque fideles certis diebus convocari debeant ad audiendas exhortationes seu praedicationes ipsorum, ac eis eleemosynas porrigendas; huiusmodi portitores seu nuncii eisdem litteris et indulgentiis multipliciter abutentes multa saepe confingunt, quae neque continentur in eis, neque de intentione Sedis eiusdem aliquatenus processerunt. Nam illarum praetextu se in hospitiis praelatorum et rectorum aliorumque clericorum Ecclesiarum, ad quas perveniunt, eis invitis recipi, sibique laute faciunt ministrari, procurantes in illis, si secus fecerint, et in praelatos eosdem, rectores, cappellanos et alios clericos sibi subiectos, si eorum quilibet parochianos suos certo die ac loco non vocent per conservatores sibi a Sede praedicta, ut asserunt, deputatos, seu per locorum ordinarios, quibus per aliquas de dictis litteris super hoc iurisdictio videtur attribui, suspensionis, interdicti et excommunicationis sententias promulgari. Ex quo illud inconveniens frequenter accidit, ut dictae Sedi, quae in hac parte culpabilis non extitit, saepe detrahitur, et plurimorum quies fidelium praeter scandali materiam, quam inde oriri contingit, pluries nimium perturbatur.

Declarat per hasce litteras Ecclesiarum rectores invitos non obligari.

§ 2. Quia vero de intentione praedecessorum nostrorum non extitit, et de nostra etiam non existit, ut litterae ac indulgentiae memoratae, concessae ad pietatis officium, gravaminis et scandali deberent producere nocumentum; nos clamoribus, quos super hoc saepe recepimus, finem imponi volentes, praesentium auctoritate statuimus, ut praelati, rectores et clerici memorati litterarum et indulgentiarum ipsarum baiulos, cuiuscumque religionis seu conditionis fuerint, in hospitiis suis inviti recipere, illosque procurare, ac huiusmodi convocationes facere minime teneantur, praetextu litterarum et indulgentiarum ipsarum, quas, quantum ad convocationes easdem, penitus revocamus.

§ 3. Suspensionis autem, interdicti et excommunicationis sententias, quas in quoscumque secus promulgari contigerit, ex nunc irritas et inanes decernimus ac nullius existere firmitatis.

Datum Viterbii secundo idus ianuarii, pontificatus nostri anno secundo.

Dat. die 12 ianuarii 1267, pontif. anno II.

XX.

Quod in civitate Beneventana statuta condi absque Sedis Apostolicae licentia nequeant, abrogenturque condita (1).

SUMMARIUM

1. Quid causam dederit edicto. — 3. Statutum (*de quo in synopsi*). — Clausulae.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Quid causam dederit edicto.

§ 1. Pridem intellecto, quod populus Beneventanae civitatis in derogationem iurium Ecclesiae Romanae statuta quaedam ediderat, nos Robertum de Malleo et Ioannem Benencase milites, Petrum de Riso, Mercurium Girardi, Bartholomæum Alexandri et Petrum Gregorii cives Beneventanos, qui praecipue causam dedisse statutis editis dicebantur, eumdem populum citari peremptorie fecimus, ut iidem statutarii personaliter, populus vero per idoneum syndicum comparerent infra certum terminum coram nobis super his mandatis nostris et beneplacitis parituri.

§ 2. Cumque syndicus et alii praedicti ad nostram praesentiam accessissent, transcriptum cuiusdam privilegii produxerunt, per quod edendi statuta facultatem sibi attributam esse dicebant. Et

(1) Ex Regest. Vatic.

tandem comperimus, quod iidem et populus inter alia statuerant, ut singulis sex mensibus eligerentur octo boni et legales homines civitatis eiusdem, qui haberent plenam et liberam potestatem utendi officio Octonariorum, ut eorum verbis utamur, sicut antiquitus utebantur, ad quod officium praedictum Robertum, et alios superius nominatos, necnon Andræam Consilii et Aitorem conceives eorum nuper duxerant eligendos.

Statutum (de quo in synopsi). § 3. Nos autem eiusdem transcripti serie diligenter inspecta, cum non obtulissent originale, quod, ut creditur, non habebant, de fratrum nostrorum consilio diffinimus, quod idem populus etiamsi privilegium authenticum secundum transcripti praedicti tenorem appareat, condendi statuta nullam habeat, absque licentia Sedis Apostolicae, facultatem. Eadem quoque statuta, et specialiter quidquid factum est de dictis Octonariis cassamus et irritamus, ac decernimus ea nullius existere firmitatis sub poena duorum millium unciarum auri, eisdem et populo districtius inhibentes ne procedant futuris temporibus ad similia facienda.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae deffinitionis, cassationis, irritationis, constitutionis et inhibitionis infringere *etc.*

Datum Viterbii octavo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 25 martii 1267, pontif. anno III.

XXI.

Canonizatio S. Heduvigis ducissae Poloniae et praefinitio festivitatis pro die 15 octobris cum indulgentiarum elargitione eius sepulchrum visitantibus.

SUMMARIUM

1. Exordium. — 2. S. Hedwigis illustre genus: — Illa tamen non in nobilitate sanguinis, sed in suis infirmitatibus gloriabatur. — 3. Duci Poloniae nupta, curam habuit filiorum. — 4. Vidua monialis Cisterciensis efficitur. — 5. Daemonem ut superaret, ieiuniis, vigiliisque vacabat. — 6. Prudentia in omnibus emicuit: — 7 et 8. Humilitate in se, beneficentia erga pauperes. — 9. Divinis officiis semper intererat. — 10 et 11. Quam fortis se in filii morte exhibuerit. — 12. Obiit tandem; — Multaque per eam Deus operatur miracula: — 13. Puerum flumine immersum restituit vitae: — 14. Mulierem ab oculorum caligine liberat: — 15. Aliam pedibus contractam, femore putridam saluti restituit: — 16. Puero soliditatem dat tibiarum: — 17 et 18. Paralyticos sanat. — 19. Haec itaque pro Polonis, aliisque apud Deum patrocinatur: — 20. Poloni Urbano PP. supplicant, ut eam sanctor. catalogo adscriberet: — 21. Qui de his inquiri mandavit: — 22. Clemens itaque rem perficit: — 23. Eius celebranda festivitas: — 24. Proposita eiusdem sepulchrum visitantibus indulgentia.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Gneznen. et eius suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. § 1. Exultat cunctorum fidelium pia Mater Ecclesia, novae laudis ex intimis iubilum productura, ex eo quod declinante mundo ad vesperam, tamquam inextimabilem margaritam invenisse fortem dignoscitur mulierem, cuius constantis animi munimenta, nec aries ex adversis impulsus euntibus quatere potuit, nec ab illo ipsam avertere, quod in mentis utero digne conceperat proposito sanctitatis. Sed cum inventionem difficilem Sapiens asserat huiusmodi mulieris, quaenam sit illa, deducatur in lucem et habeatur eius notitia, ne ab hominum ignorantiae nebulis notione subducta, laudum defraudetur praeconiis, quibus per mundi climata est suis ubilibet meritis attollenda. Non enim quam tantae virtutis titulus illustravit, decet amplius occultari sub modio, quodque teneatur in abditis, quam divina meritorum cumulo benignitas sic provexit. Nec enim fortium mulierum voluit antiquitas oblivisci, sed supra

candelabrum virtutis et gratiae sic posuit et erexit easdem, quod ipsarum memoriam edax non potest abolere vetustas, et quae aliorum bona graviter inficit, fascinatio denigrare. Hinc Iudith et Iahel, quae Olofernem et Sisaram virili dextera peremerunt, suorum claritate gestorum, ipsa deputavit perpetuis antiquitas monumentis, ut quae antiquis utilitati fuerunt, esset deinceps ipsarum prorogata memoria posteris in exemplum. Propter quod ne ipsi antiquitati, quae sollicitudinis manum, ut posteris ipsis proficeret, a laboribus non subduxit, quaeque ut nobis disciplinae ac morum relinqueret instituta, noctis observavit excubias, dissimiles iudicemur, dignum duximus quae sit mulier ipsa, et quid egerit expressius aperire, ut id eos minime lateat, quos in sinceritatis proposito pia reddit devotio studiosos.

S. Hedwigis illustre genus.

§ 2. Et quidem ipsa est piae memoriae sancta Heduvigis, cuius per sanguinis derivationem natalium claritas sic refulsit, quod ab iis, qui sceptra gestarunt regnorum, quosque insignes efficit imperii celsitudo, tamquam propago generosa processit, radiis nobilitatis plus splendoris adiiciens ex seipsa, quam sibi unde originem traxerat, provenerit ex radice, pro quo si secundum carnem et mundum gloriandum fuerat, merito potuit nullo blandiente mendacio gloriari. Sed cum huiuscemodi gloria plerumque virtutis prospectum evacuans, in elationis praecipitet vitium, quos exaltat, ut in eius pectore virtus Christi per gratiam redundaret uberius, non in ea, quae est carnis nobilitas, sed in suis dumtaxat infirmitatibus gloriam assumebat; advertens, fructibus divinae dilectionis nequaquam destitui, nec munere supernae benedictionis illos fraudari, quos salutiferae infirmitatis acredine a patre contingit benevolo visitari.

Illa tamen non in nobilitate sanguinis, sed in suis infirmitatibus gloriabatur.

§ 3. Porro dum puerula fuit, vix quicquam puerile gessit in opere, et productioris aetatis tempore succedente, ne adversario ulla occasio maledicti suppeteret, cum clarae memoriae Henrico duce Poloniae matrimonium duxit legitime contrahendum, in quo tripartitum bonum coniugii salubriter conservando, sic prudenter se gessit, quod thori fidem inviolatam custodiens, et prolem in Dei timore susceptam erudiens, ab ipso duce, cui non praecipiti voluptatis affectu, sed discreto semper inhaesisse iudicio creditur rationis, quousque est assumptus de medio, per separationis iniuriam non divertit. Licet, ut orationi et contemplationi vacarent devotius, thorum ex pari voto et consensu unanimi per multa annorum curricula habuerint sequestratum, cum Creatori suo minus obsequi valeat ad plura distractus animus, et viro placere cupiens mulier, in his quae Dei sunt, interdum segnior habeatur.

Duci Poloniae nupta, curam habuit filiorum.

§ 4. Ipso denique duce christianissime, prout asseritur, spiritum exhalante, protinus ad Illius, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, tamquam libera et a lege viri terrestris soluta, familiare consortium amplius aspiravit. Sed cum non inveniatur in terra suaviter viventium, coetumque malignantium detestetur, ubi potuit (cum totus mundus in maligno sit positus) reperire? ubi Eum quaesivit? ubi Illum invenit, cuius desiderio languebat? Et quidem dum difficultatem inveniendi attenderet, et non posset non quaerere quem amabat, fluctuabat nimium ipsius animus, et inter perplexitatis scopulos vehementius iactabatur. Vigebat namque amor quaerere, sed difficultas inveniendi quaerendum, interiectis obicibus, sui finem propositi retardabat. Sicque dum in ancipiti teneretur, sacrae demum Scripturae relationibus est eius auribus caelitus instillatum, quod invenitur in campis sylvae et est cum simplicibus sermo eius. Tunc sollicita discurrere coepit indagine et perquirere tota mente, ubi sunt isti campi, quos sua Deus praesentia sic illustrat, et in quibus illa viget simplicitas, quae digna divinis affectibus

Vidua monialis Cisterciensis efficitur.

perhibetur. Sed qui dat intelligentiam spiritus, ei nutanti confestim occurrit, et nodum cuiuslibet dubietatis dissolvens, campos sylvae, loca religionis explicuit. In quibus, tamquam in mundo non sint, quae mundi sunt non aguntur; sed tanto quod optabat in eis reperitur facilius, quanto a tumultibus saeculi amplius secernuntur. Hinc Sancti Spiritus unctione (cuius est docere de omnibus) taliter erudita, casti amoris suffragante vehiculo, ad monasterium Trebnicien. Cisterciensis ordinis eo celerius trahitur, quo minus terrenis affectibus aggravatur: in cuius quidem monialibus intentionis simplicitas et mentis puritas sic placebant, quod cum eis esse, divina clementia credi poterat suas delicias deputasse. Et licet quae regularis disciplinae fuerant, quantum suo licebat statui, prae cunctis monialibus observaret, votum tamen professionis emittere et renunciare proprio renuit, non ob aliud (prout fertur), nisi ut haberet unde palmam porrigeret inopi, et aperiret munificentiae dexteram indigenti.

Daemonem ut superaret, ieiuniis, vigiliisque vacabat.

§ 5. Invento itaque ibi quem quaesierat anima sua, floridum in conscientia sibi protinus lectum parat, et ex suavi contemplatione, tamquam ad eius amplexus admissa, haustu novae capta dulcedinis, ex tunc amarum censuit quicquid calix propinat aureus babylonis. Dedignabatur enim, tamquam eius inebriata amore, loqui seu audire de alio, quam de ipso, munera venerabatur ipsius, et diligens eius amicos, et ad ipsius se nutum componens, non creditur quam adimplere prorsus studuerat, eius scienter transgressa postmodum voluntatem. Sed qui Evam omnium matrem seduxerat, similem matri filiam extimans invenire, postquam mundum ab ea contemni et conculcari praesensit, fraudis ordiebatur commenta, virus iniquitatis fundebat, et acuens vitiorum sagittas, ipsam conabatur pervertere, cui coelestibus inhaerenti, unde ipse corruerat, invidebat. Quia tamen frustra rete ante oculos iacitur venatorum, cum ipsa eius novisset astutias, parum illius insidias proculdubio formidabat. In sublimiori enim, quam vallo virtutum munierat, arce feliciter se tenebat, ubi velut divino fulta praesidio, ipsum inimicum prostravit, castra subvertens ipsius, et eius machinamenta despiciens, telum minime timuit, quod inimicus ipse ad perdendum hominem de pharetra saepius impietatis educit. In hoc apparens praedictis mulieribus eo fortior, atque praestantior, quo magnificentius est spiritualem, quam temporalem hostem prosternere, et triumphi gloriam de ipso finaliter reportasse, cum plures velut per eum seductorum legamus pectora deputasse delictis, qui terga visibilibus hostibus non dederunt. Sed ubi peccati fomes? ubi carnis fragilitas et domesticus inimicus? Numquid cessit certamini? pugnare renuit? et cum ipsius sanctae mulieris congredi spiritu dubitavit? Non enim in hoc mortali corpore prorsus potest extingui, sed latens in medullis, serpit in carne, furit in venis et in vitiorum insaniam, nisi cohibeatur, erumpit. Quod utique ipsa prudenter attendens, vigiliis et ieiuniis quasi assiduis et vestium asperitate..... velut temperantiae vomere sic corporis terram excoluit, quod vitiorum spinas et tribulos, tamquam ipsi subacta spiritui, non produxit. Cumque corporis sui ager tanta sollicitudine cultus et fructuum honestatis fuisset ubertate refertus, ipsum Deo hostiam obtulit in suavitatis odorem, concupiscentias eius mortificans et non carnem, quia profecto non esset cum ratione obsequium, si quis ad interemptionem corporis niteretur, et de ipso fieret hostia, quae non viveret per naturam.

§ 6. Postremo in omnibus iis ei non defuit, quae est lima et auriga virtutum prudentia, sed cuncta per eam sic promovit et direxit gerenda, quod nec excessus in modo, nec in ordine fuit error. Quid enim fuit prudentius, quam gratis

Prudentia in omnibus emicuit.

obsequiis coelestis regis thalamum promereri? Quid seriosius, quam momentaneis aeterna, et temporalibus sibi mercari divina? Si enim Abigail prudentissimam Scriptura commemorat, quia David, quem sermone diserto prius placaverat irritatum, est per interventum connubii coniux effecta; quanto ista ea debet censeri solertior, quae et sponsa Christi meruit fieri et orationum fragrantia, quibus se dederat incessanter, ipsum pronum fecit ad gratiam, provocatum interdum delinquentium excessibus ad vindictam?

Humilitate in se, beneficentia erga pauperes.

§ 7. O virtutum forma, pudicitiae titulus, naufragis portus, et in via morum errantibus semita veritatis! O vas admirabile, opus quidem Excelsi, quod in terris Deus constituit, ut iis, qui recto sunt corde, foret sinceritatis speculum vita eius! Nam illius fuit humilitatis dum viveret, quod per illum modum pauperum se deputavit obsequiis, quod eis flexis interdum genibus, vitae necessaria ministravit et manum leprosis ex voto compassionis exhibens liberalem, erumpentia saniem ipsorum ulcera nequaquam abhorruit; non morbi contagiosi formidavit periculum, sed quo sedulitatis studio quoad Deum et proximum ipsam amplius vis urgebat amoris, eo dictorum leprosorum subsidiis accuratius se inflexit, ita quod ubi producebantur huiusmodi ulcera, continuo viscera pietatis, tamquam ipsorum infirmitatem indueret, solvebantur in ea.

§ 8. Illius quoque in omni sinceritate devotionis permansit, quod ex aqua, cum qua eiusdem monasterii moniales laverant pedes suos, tamquam per ipsarum contactum aliquid ei sanctitatis inesset, faciem sibi et oculos saepissime aspergebat.

Divinis officiis semper intererat.

§ 9. Divinis officiis et missarum praesertim sic attente vacans solemniis, quod a solis ortu usque ad meridiem, ab ecclesia, dum huiusmodi dicerentur officia, non discessit, non torpore languida, nec accidiae, quantum perpendi poterat, malo interim fatigata, nec tamen sessionis cum huiusmodi solemnia cantarentur, quis eam extimet se dedisse quieti, cum tunc vel staret erecta vel curvato poplite oraret reflexa?

Quam fortis se in filii morte exhibuerit.

§ 10. Cuius vero in obitu quondam Henrici ducis Slesiae, unici nati sui, patientiae fuerit, non est praetereundum silentio, cum id Deum timentibus delectabile sit audire. Ingressus enim est ad ipsam doloris baiulus, veste lacera, vultuque demisso et eius singultu saepius interrumpente sermonem, vix quomodo idem dux vir utique gloriosus tartareæ gladiis feritatis occubuit, exprimere potuit, huiusmodi singultibus impeditus. Quo tandem audito, ipsa non contraxisse faciem, non emisisse suspiria dicitur, sed exultante spiritu protinus respondisse: Gratias tibi ago, Domine Deus, quod talem mihi dare dignatus es filium, qui nullas umquam mihi molestias ingerens, me semper honore coluit, et filiali affectione dilexit, et licet ipsum, dum vivo, laetarer habere presentem, ei tamen in hoc congaudeo, quod per viam martyrii suo meruit Redemptori coniungi; ipsius itaque animam tibi suppliciter recommendo. O verbum acceptione dignissimum et monumentis perpetuis solemniter annectendum!

§ 11. Sed, pro Deo, quid fuit in casu tam flebili, ubi tota patria sua orbitatem deflebat, non eam moerore affici et fletibus non perfundi, nisi quod ipsum praemissum noverat, non amissum, et ut matribus in morte filiorum immoderate moerentibus esset efficax medicina doloris et consolationis exemplum?

Obiit tandem.

§ 12. Denique cum in spirituali certamine vincenti, in praemium debeatur corona, volens ipsam eidem reddere iustus Iudex, quam, mundum, carnem et diabolum superans, sibi debitam fecerat, tot triumphis ipsam suis stigmatibus insignitam, corporis mole deposita, vocavit ad patriam, illa sibi regni corona concessa, quae non marcescit, non tollitur,

nec arescit, sed felicem perenniter efficit quem fulgoribus gloriosis insignit. Non enim tempori, quod corruptionis est causa, subiacet haec corona; cui semel conceditur, postmodum non aufertur, cum ea concessa non possit ingratitudo committi, quae est causa sufficiens muneris revocandi, cumque semper inhaereat fonti vitae, numquam deponit vigorem, nec dispendiis ariditatis afficitur, cum sine intermissione irriguum participet talis fontis. Quis non ad hanc venire festinabit coronam? Quis labor, quod onus, quae tanti non leviget praemii magnitudo? aut quae ad praesens amaritudo tam vehemens, tam molesta, quae tantae remunerationis non dulcescat stipendio? O felicem foeminam, quae hanc coronam obtinuit, quam bonorum omnium exhibet Retributor! Regali itaque diademate sic insignis, coelesti regnabat in patria, non immemor exulum suspirantium ad ipsam cum lacrimis, quod suis adeo beneficiis consolatur, quod suorum interdum reatuum veniam, et languorum percipiunt eius patrocinio medicinam, legitime in hoc mundo certantibus. Quod quidem subiecta declarant evidenter miracula, pauca ex multis ad praesens electa, tamquam validissimis et indubitatis testimoniis proculdubio comprobata.

Multaque per eam Deus operatur miracula.

§ 13. Nam puer quidam fuerat casu fortuito delapsus in amnem, quo per alveum ligneum sub rota molendini, dum volveretur, deducto, stetit ipsa rota, revolutionis officio propter hoc impedito, et dum ab iis, qui ipsius custodiae præerant molendini, cur istud accideret exquiritur diligenter, ipsorum de puero offertur aspectibus, quia super aquae verticem pedum extremitas ferebatur, et licet compassionis spiritu suggerente, ipsum de aqua, ubi per horam et amplius sic stetit immersus, deducere moliuntur, eis tamen, rotae magnitudine obsistente, perficere nequeunt, quod ex officio pietatis intentant. Sed ut ars virium suppleat ingeniosa defectum, rotam ipsam quibusdam artificiose instrumentis adhibitis, cum puero sursum trahunt, cuius corpus sic erat ob ipsius magnitudinem rotae compressum, quod in ea parte, qua venter dorso dignoscitur adhaerere, redactum id iudicent ad spissitudinem palmae manus; cumque attritum, gelidum et nimio esset rigore protensum, ita quod ipsum exanimem testes assererent proculdubio extitisse, ipsius Sanctae nomine suppliciter invocato, vita sic redditur puero, quod suis mane diei sequentis, nullo in eo perdurante laesionis vestigio, pedibus ambulavit.

Puerum flumine immersum restituit vitae.

§ 14. Fuit etiam quaedam nobilis mulier, quae propter vehementem et diutinam cephalicam passionem, illam caliginem incurrerat oculorum, quod eorum intuitu defectivo, manus eius non poterat comprehendi, et cum ope medicorum sibi succurri non posset, ad ipsius Sanctae sepulchrum adducitur, ubi munere protinus sanitatis adepto, recidivae passionis molestiam postmodum non incurrit.

Mulierem ab oculorum caligine liberat.

§ 15. Alia quoque mulier fuit, quae nervis contractis, pedes per annum habuerat inhabiles ad progressum, cuius ita utrumque femur computruit, quod vermibus inde nascentibus erat expositum corrodendum. Cumque ad ipsum tumulum suffragio fuisset amicorum portata, inde sana in domum revertitur, sustentationis alicuius subsidio non adiuta.

Aliam pedibus contractam femore putridam saluti restituit.

§ 16. Insuper quidam fuit, qui tantam a puero gracilitatem habuerat tibiarum, quod vix cannae grossitiem excedebant, et idcirco nec ire poterat, nec standi etiam super eas habebat aliquam facultatem, et tamen se ad eius sepulchrum appodians, eiusdem implorato subsidio reverenter, prius quidem non absque timore, sed procedente tempore tibiis solidatis et ad debitam quantitatem perductis, omni trepidatione semota, libere atque secure perrexit.

Puero soliditatem dat tibiarum.

§ 17. Alia quoque mulier fuit, quae manuum, pedum et linguae erat prorsus imminente paralysi officio destituta, sed

Paralyticos sanat.

quamcito ad locum, in quo ipsa Sancta fuerat tumulata defertur, in integrum suscepit sanitatem et ad illa restituitur evidenti miraculo, quibus eam praedicta privaverat aegritudo.

§ 18. Fuit etiam quidam nobilis, qui biennio et amplius a lecto aegritudinis non surrexit, ex eo quod paralysi in dextera corporis erat parte percussus, quae tegmine pellis amoto, plena remanserat foraminibus cancerosis, et cum effectum cuiuslibet medicinae morbi excederet magnitudo, ad tumulum ipsum manibus amicorum portatur, ubi in lacrymas resolutus, sanitatem ad plenum fletibus impetrat, quam ei medicina conferre, etiam periti medici studio, non valebat.

Haec itaque pro Polonis, aliisque apud Deum patrocinatur.

§ 19. Tam variis itaque morbis non dissimile, sed unum paratur antidotum et remedium singulare, quod ex devotionis et fidei puritate conficitur ad salutem, quod evangelica mulier et rex ille, cuius orationem audivit et lacrymam vidit Dominus, in suis infirmitatibus sunt experti, cum fides illam salvaverit, et ad augmentum dierum, sibi sanitate indulta, cum lacrymis oratio alterius sit admissa. Hinc regnat virtus, vitium exulat et, accrescente merito, eliminatur impietas. Sed ubi provincia Poloniae tantis decoratur muneribus, eius pretiosi corporis ditata thesauro, quid apud Deum favoris et gratiae sibi poscenti poterit denegari, ex quo apud ipsum talis advocatae meruit praesidio confoveri? Quod enim Polonos ipsos suo susceperit patrocinio promovendos, hoc sit eis in signum, quod ipsis reliquit in pignus corpus ipsum, sui videlicet spiritus indumentum, nec tamen per hoc credatur sic eam Polonorum esse patronam, quod aliorum vota fidelium non promoveat coram Deo, cum in patria nunc perfectius habeat, quam habuisset dum viveret, et tunc tamen diffusam ad omnes obtinuit charitatem.

Poloni Urbano PP. supplicant, ut eam sanctor. catalogo adscriberet.

§ 20. Sed dum tot panduntur miracula, crebrescunt signa et beneficia conferuntur; non potuit non fervere populi fidelis devotio, non clamor arceri, quin in mundi notitiam expeditis adduceret labiis supradicta. Sicque vos et nobiles viri duces eiusdem provinciae ipsius populi clamoribus vehementius excitati, ne Dei magnalia supprimendo, videremini digne de ingratitudine posse notari, una cum dilectis in Christo filiabus, abbatissa et conventu eiusdem monasterii, in quo cum illa, qua decuit honorificentia, est reconditum corpus eius, felicis recordationis Urbano Papae praedecessori nostro rem in praemissis gestam, prout veritas postmodum est comperta, curavistis exponere seriatim, devotione supplici, et instantia non remissa petentes, ut Sanctam ipsam, quam vita et miracula beatorum collegio pronunciaverant aggregatam, inter sanctos caeteros celebritate faceret congrua venerari.

Qui de his inquiri mandavit.

§ 21. Et quidem licet vestrae devotionis sinceritas in porrectione petitionis huiusmodi in eo, quod sic porrigebatur, commendabilem se praeberet, oportuit tamen non precipiti festinatione, sed decenti adhibita procedere gravitate. Quod idem praedecessor diligenter advertens, per venerabilem fratrem nostrum Uratislavien. episcopum, et dilectum filium fratrem Simonem priorem provincialem fratrum Praedicatorum Poloniae, Boemiae primo, et huiusmodi ad eos negotio remisso secundo de praemissis inquiri mandavit diligentius veritatem.

Clemens itaque rem perficit

§ 22. Cum itaque per inquisitionem taliter factam et ad Apostolicam per ipsos episcopum et priorem postmodum Sedem remissam, et ex fideli relatione venerabilis fratris nostri N. Tusculanensis episcopi, cui per ipsum praedecessorem fuerat examinatio inquisitionis eiusdem commissa, de ipsius Sanctae vitae sinceritate et veritate signorum constiterit evidenter, nos post multam deliberationem cum fratribus nostris praehabitam, prout tanti negotii exegerat magnitudo, ipsam quae contempto obsequii sui fastu, despecta magnificae domus reverentia et

calcato fastigio potestatis, ad inopis claustri pro Christo se inclinavit angustias, ut cunctis esset humilitatis exemplum, tam de ipsorum fratrum, quam praelatorum qui tunc apud Sedem morabantur eamdem consilio, sanctorum cathalogo decrevimus adscribendam, imo verius denunciavimus iam adscriptam.

Eius celebranda festivitas.

§ 23. Caeterum etsi ad omnia sufficiat Dei filius Iesus Christus, tamen voluit in opere pietatis plures homines habere consortes, quia licet solus obtineat, quod alii non merentur; non tamen apud Patrem pro nobis solus est advocatus, imo cum Christo, et per ipsum, iustorum omnium, qui nos in regno praecessere, cohortes, iuxta quod legitur multa ei data incensa, quae sunt orationes sanctorum, ut super altare aureum ea in conspectu Altissimi adoleret; sed cum ex assiduo lapsu mortalis infirmitas huiusmodi orationum suffragiis iugiter indigeat adiuvari, ut subsidium ei magis acceleret, debet per imitationis exemplum et obsequii servitutem ipsos sanctos devotius revereri. Unde ne agat istud, quod eius saluti expedit, negligenter, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus festum ipsius Sanctae idibus octobris, die videlicet quo de via migravit ad patriam, et de mundanis transcendit finibus ad coronam, attenta devotione celebrare curetis ac faciatis per vestras civitates et dioeceses a christifidelibus solemniter celebrari.

Proposita sepulchrum eiusdem visitantibus indulgentia

§ 24. Cupientes itaque sepulturam ipsius, quae tam evidentibus signis rutilare dignoscitur, congruis honoribus frequentari, et ad id fideles ipsos muneribus illectivis induci, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint ipsius suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum et quadraginta dies; accedentibus vero ad praedictam sepulturam infra eiusdem festi octavas, centum dies de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus.

Datum Viterbii, septimo kalendas aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 26 martii 1267, pontif. anno III.

XXII.

Regulae ac statuta observanda a canonicis et clero Ecclesiae Aniciensis (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — Clemens antea Anicien. episcopus. — Capitulum statuta ab episcopo petit. — Capitula edita corrigit, confirmatque Clemens. — 1. Canonici saltem per horam choro intersint. — 2. Similiter clerici, qui bis in hebdomada matutinis debent interesse. — 3. Vicarii et canonici singulis diebus. — 4. Clericuli horis omnibus. — 5. Canonici pauperes. — 6. Officiatores quando chorum debeant intrare. — 7. In missa maiori quando sedendum. — 8. Omnes bis in hebdomada matutinis intersint. — 9. Clericorum numerus. — 10. Clericuli ante 20 annum non admittendi. — 11. Distributiones. — 12. Potationes et arca clericorum. — 13. Clerici non beneficiati portantes superpellicium. — 14. Dignitates et personatus. — 15. Magistri hospitalis, quid pro emendis redditibus solvere debeant; — 16. Iique, qui beneficium aliquod consequentur. — 17. Distributiones inter praesentes. — 18. Distributionum cura quibus assignanda. — 19 et 20. Aliæ assignationes ad dictos emendos redditus faciendae, et quoad absentes. — 21. In dignitat. constituti quid solvere debeant pro dictis distribution. faciendis. — 22. Fructus vacantium praebendarum per annum servitio chori assignandi. — 23. Distributiones aliae. — 24. 25. Distributio quando facienda et augmentanda. — 26. Distributio officium facientibus. — 27. 28. 29. Praebendae sacerdotales, diaconales et subdiaconales. — 30. In suo non servientes officio puniendi. — 31. Capitulum ad campanae sonum. — 32. Illud vero ter in hebdomada cogendum: — 33. In quo praevaleat maior et sanior pars. — 34. De residentia et hospitiis. — 35. 36. Beneficiorum pluralitas damnata. — 37. Cappellani non-

(1) Ex Martène Thes. Anecdot., tom. II, col. 476.

nisi ex clericis Ecclesiae assumendi. — 38. Superpellicium quibus non concedendum. — 39. Quibus datur, fidei iuramentum praestent. — 40. Clerici bona ecclesiae defendere teneantur. — 41. Consilium contra conclericos non praestent. — 42. Magister Scholarum sit canonicus, eique assignetur praebenda. — 43. Clerici antequam recipiantur examinandi. — 44. Canonici cum celebratur officium extra chorum non sint. — 45. Diffamati ab altaris servitio removendi. — 46. Modestia in choro — 47. Et extra chorum. — 48. Stabularii et albergarii. — 49. Per plateas honeste ac semper cum socio incedendum. — 50. 51. 52. Habitus. — 53. Tabernas non frequentent; — 54. Nec choreas. — 55. De campanario. — 56. 57. De applicatione innovationum. — 58. Decanus eligendus sit in sacris. — 59. Dignitates obtinentes ad sacros ordines promoveantur. — 60. In sacris non constituti ad electionem episcopi non vocandi. — 61. Cura canonicorum quibus commissa. — 62. Magister scholarum et abbas Casae Dei statuta faciant observare. — 63. Cura temporalium vacantis episcopatus duobus committenda. — Perpetua horum statutorum observantia, nullis obstantibus, *etc.*

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Inter caeteras sollicitudines, quibus animus noster iugiter ad diversa trahitur, frequenter ad statum Aniciensis Ecclesiae vertimus apostolicae considerationis intuitum, et multiplex ratio nos invitat, ut ad ipsam specialis affectionis animum habeamus. Non enim sumus, nec esse debemus immemores, quod in illa dudum honoris incrementa suscepimus, in ea promoti fuimus ad episcopalis apicem dignitatis, apud illam aliqua tempora aetatis nostrae percurrimus, ut inde, faciente Domino, cum gradatim habuerimus ad altiora progressum, respiciamus eamdem Ecclesiam more patris, ut filiam, et in mente nostra ferventi desiderio geritur, ut Ecclesia ipsa spiritualiter et temporaliter augmentetur, ac in omnibus prospere dirigatur. Porro quia consuetudines et conditiones eius agnovimus, et ibidem aliqua vidimus, quae decentiorem modum in observantiis exigebant, cordi nobis ad modum extitit, ut utile et ... consilium apponere curaremus. Verum cum dilecti filii, capitulum eiusdem Ecclesiae, venerabili fratri nostro Aniciensi episcopo commisissent, ut vice ipsorum statueret, ordinaret et faceret, quae ad conservandum et reformandum prosperum et honestum ipsius Ecclesiae statum competerent et cognosceret pertinere, ac idem episcopus et tres Ecclesiae praefati canonici, quos ipse sibi super hoc adiunxit de ipsius capituli voluntate, prout eis visum extitit super aliquibus providissent, nos illa, quae sub certis videbantur ordinasse capitulis, praesentata nobis diligenti examinatione discussimus, et eis, iuxta studium apostolicae providentiae limae correctionis expositis, quamplura solerter adiecimus et quaedam eximie iussimus resecanda. Consideratis autem omnibus, quae circa praemissa fore praevidimus attendenda, statuta quaedam et ordinationes edidimus in forma adnotatas, quae in praedicta Ecclesia iubemus et volumus perpetuis temporibus observari.

Clemens antea Anicien. episcopus

Capitulum statuta ab episcopo petit.

Capitula edita corrigit, confirmatque Clemens.

Canonici cui saltem per horam choro intersint.

1. Quare, de apostolicae plenitudine potestatis, statuimus et ordinamus, quod quilibet Aniciensis Ecclesiae et in dignitate seu personatu quolibet constitutus, chorum ipsius Ecclesiae semel ad minus in die ingredi teneatur et ibidem alicui horae canonicae interesse diei, et quod de caetero de illis quatuor solidis podiensis monetae, qui pro liberatione claustri consueverant singulis canonicis exhiberi, cuilibet eorum dentur duo; reliqui vero solidi ratione illius horae cui interfuerit liberentur unicuique. Quod si non interfuerit, nequaquam percipiat, et loco quotidianarum distributionum, quae dari solent in horis, in posterum habeantur. Hoc autem salvo, quod in theologia nunc et in posterum studentibus quantum ad hos duos solidos nullum praeiudicium generetur, quos etiam percipiat, qui praesens in civitate Aniciensi per absentiam, vel per aliam iustam causam forsitan impeditus, ipsum chorum ingredi non valebit.

Similiter clerici, qui bis in hebdomada matutinis debent interesse: 2. Item quod quilibet clericus eiusdem Ecclesiae semel ad minus in die chorum ipsum teneatur intrare, et alicui horae canonicae, in qua etiam distributiones infrascriptae non fient, et bis in hebdomada matutinis officiis interesse; alias ipsa die qua defecerit, vel proxima qua post defectum huiusmodi clericus primum liberabitur, superpellicii ipso facto sit liberatione privatus. Eo salvo, quod de vicariis canonicis pauperibus et clericulis inferius est statutum.

Vicarii et canonici singulis diebus 3. Item, quod omnes vicarii et cappellani cappellarum et canonici pauperes eiusdem Ecclesiae singulis horis diurnis intersint, cum ad hoc sint specialiter deputati, praesertim toti missae, horae primae, et ipsi (1) primae horae nonae, et vesperis, et completorio, et ter ad minus in hebdomada intersint matutinis, et si defuerint in una horarum praedictarum, in media liberatione superpellicii ipso facto, in duabus vel pluribus tota liberatione diei eiusdem vel proximae, in qua post defectum huiusmodi primum liberabitur, priventur, nisi infirmitate impediti fuerint vel alia iusta causa. Omnes etiam praedicti teneantur ibidem ad residentiam personalem.

Clericuli horis omnibus 4. Item, clericuli omnibus horis intersint, et si duabus horis diurnis vel nocturnis defecerint, priventur liberatione superpellicii ipsa die. Et si succentor negligens fuerit circa correctionem eorum, die illa, qua ipsos non correxerit negligentes, claustri liberatione puniatur (2). Et si legitime monitus, in negligentia huiusmodi perseveraverit, amoveatur ab officio succentoris per capitulum memoratum.

Canonici pauperes 5. Item, quod canonici pauperes circa officiandam ecclesiam, et sepulturam canonicorum maiorum ipsius Ecclesiae se habeant ex antiqua observantia, sicut debent: si defecerint per se vel per vicarium minime serviendo, amittant duodecim denarios Viennenses, quos recipiat departiendos eis, qui huiusmodi officium pro eis fecerint die illa, nisi iusta et necessaria causa extiterint impediti.

Officiatores quando chorum debeant intrare. 6. Item, quod officiatores quibus officium chori iniungitur matutinarum et vesperarum ante finem classi (1), et in principio introitus missae, chorum ipsum teneantur intrare; itaut ille, cui officium committeretur, nisi tunc intraverit, vel in officio huiusmodi defecerit, si praesens est canonicus in medio claustri, liberatione superpellicii puniatur diei eiusdem vel illius, in qua liberari contigerit, quae liberationes supplenti officium huiusmodi deputentur.

In missa maiori quando sedendum. 7. Item, quod in missa maiori clerici vel canonici existentes in choro sedere minime incipiant ante epistolam, nisi ultima ipsius missae oratione completa.

Omnes bis in hebdomada matutinis intersint 8. Item, quod quilibet sive canonicus sive clericus, vel in dignitate, bis in septimana ad minus teneatur interesse, scilicet matutinis, processioni et missae defunctorum: alias in liberatione superpellicii diei sabbathi septimae eiusdem vel sequentis diei, in qua proximum liberabitur, si forte ipsa die sabbathi liberari non contigerit, puniatur, nisi absentia, infirmitate, vel alia iusta causa valeat excusari.

Clericorum numerus 9. Item, quod sit certus numerus clericorum in ipsa Ecclesia, scilicet decem, ultra quem numerum praecentor sine consensu capituli amodo nullum ponat sive introducat in Ecclesia memorata.

Clericuli ante 20 annum non admittendi. 10. Item, quod idem praecentor aliquem clericulum non possit facere, seu clargastrum (2), donec vigesimum annum attingat, nisi alias talis arbitrio capituli appareret, quod merito deberet fieri ante tempus praedictum, nec etiam aliquem clericulum faciat seu introducat de novo postquam tempus attigerit memoratum, et nisi sufficiens idoneus exa-

(1) Fors. *sextae* (Martène). (2) *Liberatio superpellicii* est distributio quae singulis fit clericis qui divinis officiis intersunt; *Liberatio* vero *claustri* est illa quae iisdem fit ratione praebendae (Ducange).

(1) Classus est signum ad officium, quod cum omnibus campanis pulsatur. (2) *Clericum*.

minatus prius in officio Ecclesiae sit inventus.

Distributiones.

11. Item, quod ad distributiones illis omnibus portantibus in dicta Ecclesia superpellicium, qui horis canonicis in praefato choro intererint, faciendas assignet episcopus ipsius Ecclesiae centum libras Viennenses censuales, vel semel centum libras Viennenses pro se et successoribus solvere teneatur.

Potationes et archa clericorum

12. Item, quod potationes et archa clericorum chori servitio deputentur, prout alias cum fiebant distributiones huiusmodi factum fuit: ita quod capitulum ipsius Ecclesiae faciat valere dictas potationes seu bevendas quinquaginta libras Viennenses: clerici vero alias quinquaginta libras Viennenses archam praedictam supplendo si quid defuerit de summis praefatis.

Clerici non beneficiati portantes superpellicium

13. Item, quod quilibet clericus portans nunc et etiam in futurum superpellicium in Ecclesia memorata non habens aliud officium vel beneficium ibidem praeter superpellicium, teneatur assignare infra sex annos decem solidos podiales debitales, vel solvere decem libras podienses pro emendis redditibus ad servitium dicti chori, et interim, donec assignaverit, solvat quindecim solidos podienses annuatim.

Dignitates et personatus

14. Item, quod tam in dignitatibus seu personatibus constituti, quam canonici et alii clerici, qui, ultra superpellicium, aliquod officium seu beneficium in ipsa habent Ecclesia, viginti solidos podienses intra sex annos singuli teneantur in redditibus assignare, vel solvere viginti libras podienses pro redditibus emendis exinde, et interim donec assignaverint vel solverint, dictos viginti solidos annuatim persolvant. Quae omnia tam de his, qui nunc sunt, quam de his, qui in posterum fuerint canonici vel clerici in ipsa Ecclesia, vel etiam dignitates inibi seu personatus habentes, volumus observari.

[illegible] pro [illegible]

15. Item quod magister hospitalis eiusdem loci, qui nunc est, et quilibet qui in posterum pro tempore fuerit ultra, id quod ut simplex clericus dare tenetur, ratione magisterii decem solidos podienses det ad idem servitium annuatim.

[...]tibus solvere debeant;

Iique, qui beneficium aliquod consequentur.

16. Item, quod quilibet clericus seu clericulus, qui ex tunc, seu in futurum superpellicium de novo portabit, et quilibet, qui in canonicum eiusdem Ecclesiae fuerit receptus, vel dignitatem vel personatum adeptus, nihil percipiat de liberationibus superpellicii vel praebendae, prima liberatione dumtaxat excepta, donec ad idem servitium centum solidos Viennenses clericus, canonicus vero, sive fuerit dignitatem seu personatum adeptus, solverit decem libras: quas summas praedictorum quilibet solvere sit adstrictus.

Distributiones inter praesentes

17. Item, quod de praefata pecunia ad ipsius chori servitium deputata singulis canonicis, clericis, clericulis ac in dignitate seu personatu quolibet constitutis, qui in ipso choro singulis interint officiis matutinis, dentur duo denarii podienses, et tantundem his, qui interint missae maiori; illis etiam, qui vesperis, distribuatur tantundem.

Distributionum cura quibus assignanda.

18. Item, quod annuatim, tempore quo creantur baiuli clericorum, recipiendi et distribuendi dictos denarios et rationem reddendi cura duobus viris idoneis a capitulo et ipsis clericis committatur, praestito ab eis personaliter iuramento, prout ab aliis clericorum baiulis fieri consuevit de praedictis fideliter adimplendis.

Aliae assignationes ad di[...]s emendos redditus faciendae;

19. Quod ad distributiones solis canonicis et constitutis in dignitate seu personatu etiam faciendas, ipsorum quilibet, qui nunc sunt vel pro tempore fuerint, ratione praebendae, necnon et succentori eiusdem Ecclesiae infra quinque annos assignent, viginti solidos podienses pro redditibus emendis persolvant, interim nihilominus donec assignaverint vel solverint, ipsos viginti solidos annis singulis soluturi.

Et quoad absentes

20. Item, quod tertia pars eorum omnium, absentes, et residentiam minime facientes, de Ecclesia seu bonis ipsius

Ecclesiae qualiacumque annuatim percipiunt servitio chori pro emendis redditibus ad dictas distributiones faciendas canonicis deputetur: absens vero quantum ad hoc intelligatur, qui per sex menses continuos in dicta Ecclesia minime residebit, nisi studii, peregrinationis, infirmitatis, vel alia iusta causa fuerit impeditus: et haec etiam omnia intelligantur tam de canonicis, quam de aliis dignitates, personatus, officia, pensiones, terras vel ecclesias in ipsa Ecclesia vel eius ratione habentibus ubicumque, et tam de praesentibus quam de futuris.

In dignitatibus constituti quid solvere debeant pro dictis distributionibus faciendis.

21. Item, quod dignitates seu personatus, officia, terras seu pensiones habentes in ipsa Ecclesia, vel ratione eiusdem, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, in sui ratione ultra ea, quae ut canonici et clerici tenentur facere, prout superius continetur, decanus scilicet, praepositus et abbas, seu ipsorum quilibet, ad faciendas distributiones easdem, solvant viginti libras Viennenses, et in posterum solvere teneantur. Abbas vero Sancti Petri de Turre quindecim. Abbas Sancti Evodii decem, praecentor decem, thesaurarius decem libras, foris decanus maior centum solidos, minor vero foris decanus quinquaginta solidos, cellerarius quinquaginta, sescalcus quinquaginta solidos, punctuarius quindecim solidos, magister scholarum quinquaginta solidos, marglarius decem solidos, thuribularius decem solidos, sacrista Altaris Crucis decem solidos, sacrista Altaris Dei et Sancti Iacobi viginti solidos. Terrarii autem ipsius Ecclesiae seu pensiones habentes, quicumque sint vel fuerint in futurum, sive canonici simplices sive personatus et officia obtinentes, dent annuatim centesimam partem omnium reddituum, quos ratione ipsius Ecclesiae percipiunt, hoc salvo nihilominus quod de absentibus superius est statutum.

Fructus vacantium praebendarum per annum servitio chori assignandi.

22. Item, quod fructus praebendarum, dignitatum et personatuum, abbatiis dumtaxat exceptis, beneficiorum et officiorum quorumlibet eiusdem Ecclesiae, necnon Ecclesiarum et terrarum, ad cuiuscumque collationem pertineant, ex quo vacaverint, scilicet primi anni a vacationis tempore computandi, et quamdiu vacaverint, si ultra annum vacare contigerit, chori servitio pro emendis redditibus deputentur ad distributiones faciendas eisdem: ita quod ipsorum canonicorum baiulus, vel quem ipsum capitulum ad hoc elegerit, recipiendi et distribuendi canonicis dictos denarios curam geret, et rationem reddendi, ut superius est expressum, hoc salvo quod..... in eo de ipsarum praebendarum vacantium fructibus consuevit ab antiquo recipere, ex hoc nullum praeiudicium generetur.

Distributiones aliae.

23. Item quod de dicta pecunia distributionibus faciendis canonicis, et in dignitatibus constitutis, ut dictum est, superius deputata, singulis canonicis et in dignitatibus et personatibus constitutis, qui interim matutinis officiis singulis diebus dominicis, Mercurii et Veneris dentur, ultra praedicta, sex denarii podienses; his vero qui maiori missae intererint, quatuor; illis etiam, qui vesperis intererint tantummodo; illi insuper tantundem habeant, qui quandocumque toti missae B. Mariae Virginis intererint horae primae.

Distributio quando facienda.

24. Item, quod eaedem distributiones dandae in missa, prout superius continetur, nec canonicis, nec clericis dentur, nec aliis quibuslibet, donec ipsius missae Agnus Dei fuerit decantatum. Et si antea inde exierit aliquis ex eisdem absque causa rationabili, nec postea ad eamdem missam redierit, de distributionibus eiusdem missae aliquam non recipiat portionem.

Et augmentanda.

25. Item, quod si pecunias dictarum distributionum faciendarum, vel solis canonicis, et in dignitate seu personatu constitutis, vel etiam clericis in ipsa Ecclesia superpellicium portantibus universis, ut supradictum est, aut etiam redditus contingeret in posterum augmen-

tari, distributiones etiam, prout commodius fieri poterit, augmententur.

Distributio officium facientibus.

26. Item, quod canonicus officians in choro praedicto qualibet vice percipiat sex denarios podienses, clericus vero canonici supplens defectum, vel etiam alias officians, quatuor habeat de communibus distributionibus supradictis.

27. Item, quod in ipsa Ecclesia duae praebendae proxime inibi vacaturae postquam illi, qui iam in canonicos recepti, ibidem praebendas fuerint asseculi, sint sacerdotales et hebdomadales, ultra illas quatuor, quae sunt et esse debent sacerdotales in ea, et praebendam etiam, quam tenebat ibidem iamdudum Guillelmus de Monte Revello senior, quae sacerdotalis extitit ab antiquo, seu etiam sex diaconales praebendae, illa quam tenet ibidem Petrus Aspasii, quae diaconalis extitit, inclusa, et sex subdiaconales, quas habentes officium per se vel per concanonicum diebus solemnibus, et novem lectionum festis, serviendo maiori altari, adimpleant, prout a succentore ordinabitur iuxta ordinem vicis suae, et ibidem residentiam faciant personalem.

Praebendae sacerdotales, diaconales et subdiaconales.

28. Item, quod subdiaconis et diaconis canonicis praedictis ipsi altari maiori servientibus, clericuli subdiaconi et clerici diaconi, qui assistere in ipso officio tenentur eisdem, recipiant quod consueverunt recipere ab antiquo.

29. Item, quod ipsi diaconi et subdiaconi canonici supradicti de dictis distributionibus duodecim denarios podienses percipiant diebus singulis quibus, ut dictum est, exercebunt officium, praeter alias distributiones praefatas.

In suo non servientes officio puniendi.

30. Item, quod ipsi diaconi et subdiaconi canonici, qui in officio suo praedicto per se vel concanonicum non deservierint illa die in media liberatione claustri, vel quam primum liberabitur, puniantur: quae liberatio supplenti defectum eius in officio huiusmodi deputetur.

31. Item, quod quandocumque canonicos dictae Ecclesiae et dignitates seu personatus habentes super capituli tractatibus contigerit in ipso capitulo convenire in unum, pulsetur tribus vicibus campana ad haec specialiter ab ipso capitulo deputanda, prout in aliis Galliae Ecclesiis observatur, post cuius pulsationem tertiam, in his, quae praesentes expediri consueverunt, procedatur, aliorum absentia non obstante, et valeant quae facta fuerint ab eisdem.

Capitulum ad campanae sonum.

Illud vero ter in hebdomada cogendum:

32. Item, quod ter ad minus in hebdomada, diebus scilicet Lunae, Mercurii et Veneris, ipsi canonici et dignitates seu personatus habentes in capitulo conveniant de negotiis ac de utilitate Ecclesiae tractaturi: ita quod post horae primae exitum, ter vel quater tantummodo pulsetur ad ianuam, post cuius tertiam pulsationem vel quartam, succentore sine dilatione ad eam, sicut moris est, cum processione eunte, ipsa campana tunc incontinenti pulsetur, et ab illis, sicut dictum est, qui venient, procedatur.

In quo praevaleat maior et sanior pars.

33. Quod in ipsis tractatibus et negotiis, sicut iuris communis esse dignoscitur, stetur maiori et saniori parti ipsius capituli partis, non obstante minus rationabili contradictione minoris, seu quod contrarium ibidem servatum est hactenus per abusum, ita tamen quod voluntas canonicorum ipsorum non singulariter extra capitulum, sed in capitulo ipso communiter saltem, et officiorum quorumlibet collatio amodo palam et non occulte in ipso fiat ab his ad quos spectat ordinatio eorumdem.

De residentia et hospitiis

34. Item quod dignitates, seu personatus, officia, terras et pensiones habentes nunc, vel etiam in posterum habituri, teneantur ibidem residentiam facere personalem et tenere hospitia, scilicet decanus, praepositus et abbas, seu ipsorum quilibet ad minus cum sex clericis superpellicium portantibus, vel canonicis Ecclesiae memoratae, quorum liberationes percipiant, sicut hactenus fieri con-

suevit. Abbas autem Sancti Petri de Turre cum quatuor, abbas Sancti Evodii cum tribus; thesaurarius vero et praecentor, unusquisque eorum cum tribus; quilibet vero canonicus habens quadraginta libras Viennenses in redditibus qualitercumque ab ipsa Ecclesia vel de bonis eiusdem, ultra suam praebendam, cum duobus, nisi absens fuerit idem canonicus causa studiorum; quod si quis in dignitate vel personatu constitutus de terris ipsius Ecclesiae dictas quadraginta libras haberet, ratione earum, clericorum etiam numerum teneatur augere, ultra illum quem tenebantur habere ratione dignitatis ipsius.

Beneficiorum pluralitas damnata.

35. Item, quod si quis canonicus habens nunc, vel habiturus in posterum terras eiusdem Ecclesiae dignitatem ibidem adeptus fuerit, vel personatum, ipso iure vacent terrae ipsae praedictae.

36. Item, quod nullus clericus in civitate Aniciensi praefata duas possit canonicas seu praebendas habere, scilicet in maiori Ecclesia et in collegiatarum aliqua aliarum; sed vacet ipso iure prima, postquam secundam fuerit assecutus: his tamen exceptis, qui iam sunt in utraque recepti.

Cappellani nonnisi ex clericis Ecclesiae assumendi

37. Item, quod nullus amodo constituatur ad serviendum cappellae vel altaribus eiusdem Ecclesiae, nisi sit ipsius Ecclesiae clericus, qui teneatur chori servitio interesse.

Superpellicium quibus non concedendum.

38. Item, quod nulli in ipsa Ecclesia superpellicium concedatur, nisi de legitimo matrimonio, bonae famae, sanus corpore, videlicet membrorum non patiens maculam vel laesionem enormem, vel alias morbo incurabili non laborans, et conversationis existat honestae, nec aliquam religionem ingressus, habens etiam unde possit commode sustentari; alias dum residens fuerit, providere, qui ipsum introduxerit egenum, teneatur eidem.

39. Item, quod quilibet clericus cui modo superpellicium concedetur, iuret capitulo ipsius Ecclesiae fidelitatem servare; et tam iura ipsius Ecclesiae bona fide defendere, quam universitatem etiam clericorum ipsorum.

Quibus datur fidei iuramentum praestent.

40. Item, quod quilibet clericus ipsius Ecclesiae bona eiusdem Ecclesiae et clericorum ipsius pro posse defendere teneatur, nec contra eam consilium vel auxilium audeat impertiri, quod si legitime monitus, contra fecerit, superpellicio spolietur.

Clerici bona Ecclesiae defendere teneantur.

41. Item, quod nullus canonicus vel clericus quicumque ipsius Ecclesiae contra concanonicum vel conclericum pro extraneis praestet publice consilium vel iuvamen.

Consilium contra Conclericos non praestent.

42. Item, quod magister scholarum eiusdem Ecclesiae quicumque pro tempore fuerit, amodo sit eiusdem Ecclesiae canonicus, et quod praebendam percipiat, iuxta suae receptionis ordinem sibi debitum, sine tamen eorum praeiudicio, qui iam recepti expectant praebendas vacaturas ibidem: qui legere in facultate theologica et facere personalem continuam residentiam, necnon tenere hospitium ad minus cum tribus clericis ipsius Ecclesiae ibidem teneatur; ita quod interim, etiam antequam praebendam fuerit assecutus, distributiones chori sicut unus ex aliis canonicis habeat, quindecim tamen denariis podiensibus, quos de liberatione claustri ab antiquo consuevit accipere, computatis, ad quas distributiones sicut et alii canonici teneantur conferre, ut superius est expressum. Si vero idem magister absque praefati licentia capituli se voluntarie absentavit, fructus scholastriae amittat, quamdiu absens fuerit, qui tunc et etiam cum ipsam scholastriam vacare contigerit, et cum caeteris bonis ipsius successori debeant fideliter et absque diminutione qualibet conservari. Quod si per capitulum legitime monitus, absens non redierit, per ipsum capitulum amoveatur omnino et alii idoneo conferatur; eidem autem scholastriae de terris ipsius Ecclesiae ad collationem decani

Magister scholarum sit canonicus, eique assignetur praebenda.

spectantibus, usque ad annuum valorem quinquaginta librarum Viennensium, consuetis canonicis eiusdem conferri, si vacaret ad praesens, vel quam primum ad id se offerret facultas, non obstante si pro aliis super assignandis seu conferendis terris huiusmodi dereximus scripta nostra, quibus nolumus auctoritate praesentium praeiudicium generari, per episcopum eiusdem Ecclesiae, volumus et praecipimus auctoritate apostolica assignari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo: ita quod collatio scholastriae eiusdem, quae nunc ad decanum Aniciensis Ecclesiae cum certo canonicorum numero pertinet concedi, cum consensu ipsius capituli vel maioris partis, vel sanioris partis in ipso facienda capitulo, prout in ipsorum canonicorum creationibus consuevit fieri, pertineat ad eamdem.

Clerici antequam recipiantur examinandi.

43. Item, quod clerici qui amodo portabunt superpellicium in Ecclesia memorata, examinentur prius, an sint idonei in legendo et cantando officio Ecclesiae, per aliquem virum discretum ad hoc per ipsum capitulum deputandum. Aliter non introducantur, illis tamen exceptis, de quibus ipsi capitulo alias videbitur expedire.

Canonici cum celebratur officium extra chorum non sint.

44. Item, quod nullus canonicus, clericus, vel etiam in dignitate, seu personatu quolibet constitutus, cum divina officia in choro ipsius Ecclesiae cantabuntur, in plano seu platea eiusdem Ecclesiae extra chorum ipsius, a choro scilicet, seu altari Crucis versus maius altare, nisi forte transeundi necessitate vel peregrinorum occasione, stare, ire audeat vel sedere, nisi in capellis, vel subtus altare Dei Ecclesiae memoratae.

Diffamati ab altaris servitio removendi.

45. Item, quod si qui publici concubinarii vel lucra exercentes inventi fuerint inhonesta, vel si qui servitio altaris seu custodiae deputati, praedicto de incontinentiae vitio fuerint diffamati, ab altaris servitio et Ecclesiae expellantur.

46. Item, quod omnes tam canonici, quam clerici quicumque praedictae Ecclesiae in choro cum divina officia celebrabuntur, in stando et sedendo honeste se habeant, non ridendo, non loquendo, non confabulando, sed debitum silentium continendo, gestum congruum, faciem et corpus honestum ostendant.

Modestia in choro:

Et extra chorum.

47. Item, quod extra chorum infra ipsam Ecclesiam nullus clamare, rixari, seu inverecunde ad invicem, vel cum mulieribus, seu cum aliis inhonestis personis confabulari audeat, nec per viam currere, seu currendo transire.

Stabularii et albergarii.

48. Item, quod stabularii, seu albergarii eiusdem loci nihil amodo percipiant in his, quae altaribus Ecclesiae offerunt peregrini, nec ad ipsa altaria eos ducant, nec aliqui alii ipsos peregrinos clamando maxime inducant seu attrahant ad ipsius Ecclesiae altaria vel capellas.

Per plateas honeste, ac semper cum socio incedendum.

49. Item, quod nec canonici, nec clerici quilibet cum habitu Ecclesiae claustri limites transgredi praesumant; nec per claustrum, seu villam, sine cappa vel mantello extra hospitium incedant; nec publice per villam canonicus sine clerico, vel alia honesta persona, nec clericus sine socio, nec ibi in carreria, seu platea publica, sine competenti habitu, stare seu sedere praesumat.

Habitus.

50. Item, quod nullus canonicus vel clericus quilibet sine cappa vel mantello argando, seu tabardo per civitatem Aniciensem audeat equitare, nec manticam seu torseriam post se deferre.

51. Item, quod portantes de novo amodo superpellicium in ipsa Ecclesia habeant raubam novam ad minus, scilicet superpellicium et cappam Ecclesiae, si ibidem voluerint residere.

52. Item, quod ipsi clerici vel canonici cum habitu Ecclesiae palam non deferant chirotecas, nec caligis albis utantur, nec supertunicalia scissa, seu partita a latere deferant, nec cappas quarum capucia alterius coloris existant, nec cum capellis, seu coffiis lineis apparentibus incedant ibidem.

Tabernas non frequentent.

53. Item, quod amodo canonicus vel clericus aliquis ipsius Ecclesiae Aniciensis tabernas non intret, nec domos eis contiguas, causa in eis potandi seu comedendi, maxime mense augusti iuxta abusum antiquum.

Nec choreas.

54. Item, caligis rubeis, maxime tempore paschali, pannis de serico transgulatis seu reatis amodo non utantur, nec anulos publice deferant, nec choreas cum laicis aut mulieribus intrare praesumant.

De campanario.

55. Item, quod ille qui institutus est ad pulsandas campanas campanilis maioris Ecclesiae memoratae, novas etiam teneatur pulsare campanas horis debitis et diebus, iuxta ipsius Ecclesiae observantiam et arbitrium duorum honestorum virorum, quos ad hoc dictum capitulum duxerit deputandos, ipsorum nihilominus arbitrio, si circa hoc negligens aut rebellis extiterit, puniendus.

De applicatione innovationum

56. Item, quod liberationes superpellicii ipsius Ecclesiae quas amittent canonici vel clerici quilibet eiusdem, vel alii in dignitatibus constituti incidentes in poenam iuxta ordinationem praemissam, chori servitio deputentur recipiendae per illos, quibus cura recipiendi denarios dictis deputatis distributionibus committetur. Liberationes vero claustri quas amittent canonici, vel in personatibus constituti, ipsorum specialibus distributionibus applicentur.

57. Item, quod quicumque, sive canonicus, sive clericus, vel in dignitate seu personatu quolibet constitutus in poenam amissionis liberationis claustri vel superpellicii in toto vel in parte incidens iuxta ordinationem praesentem, eam ex certa scientia receperit seu recipi fecerit, vel recepto pro ipso ab alio, liberatoribus non restituerit, quam primum habebit certificatus super hoc facultatem, ex tunc per mensem ab ingressu Ecclesiae et perceptione liberationis superpellicii sit ipso facto suspensus, et nisi legitime monitus restituerit, omni beneficio ipsius Ecclesiae spolietur.

Decanus eligendus sit in sacris.

58. Praeterea statuimus et auctoritate apostolica confirmamus, quod nullus nisi constitutus in sacris in decanum dictae Ecclesiae possit amodo eligi seu assumi, nec aliter alicui de ipso decanatu apostolica seu quavis auctoritate alia valeat provideri, decernentes, quod secus actum fuerit non valere.

Dignitates obtinentes ad sacros ordines promoveantur.

59. Item, quod tam idem, quam praepositus eiusdem Ecclesiae in sacerdotes, abbates vero saeculares in diaconos; habentes officia, scilicet praecentor et thesaurarius, foris decani in subdiaconos, qui nunc sunt et pro tempore fuerint, sine dilationis medio statutis temporibus faciant promoveri, alioquin quousque adimpleverint, dignitatibus, officiis et beneficiis huiusmodi, eo ipso sint penitus suspensi. Quod si suspensionem huiusmodi per sex menses sustinuerint, ipsi eos esse privatos volumus, ea ex tunc vacare decernentes omnino per eos, ad quos spectat illorum ordinatio seu collatio, libere ordinanda, aut etiam conferenda.

In sacris non constituti ad electionem episcopi non vocandi.

60. Item, quod nullus canonicus maior viginti quinque annis postquam per quinquennium canonicus extiterit Ecclesiae supradictae, Sede Aniciensi vacante, ab ipso capitulo ubicumque fuerit, ad electionem vocetur episcopi, nisi ad sacros ordines promotus, nec ex hoc possit dicere se contemptum. Ad eam tamen veniens admittatur.

Cura canonicorum quibus commissa

61. Item, sane cum super cura canonicorum ipsorum, ac constitutorum in personatibus seu dignitatibus quibuscumque, necnon clericorum quorumlibet et familiarum ipsorum orta fuerat dubitatio longis temporibus retroactis, adeo ut ex hoc error quidam non absque animarum ipsorum periculo procedere videretur, statuimus, ut decanus ipsius Ecclesiae, qui nunc est, et pro tempore fuerit, curam ipsorum omnium, necnon aliorum, quae ad hospitale Beatae Mariae eiusdem

loci praediorum pertinent, habeat, quam per se et alios, quos ad haec idoneos noverit, et illa tantummodo, quae ad forum poenitentiale pertinent, exerceat; videlicet confessiones audiendo et poenitentias iniungendo: ad ea, quae iudicialem indaginem, iurisdictionem seu correctionem alias exigunt, potestatem suam minime extensurus. Episcopus vero Aniciensis ipsius decani curam iuxta hunc modum, qui eidem decano circa praedictos traditur, gerere debet et habere. Magister vero hospitalis pauperum praedictorum, qui nunc est et pro tempore fuerit, curam ipsorum pauperum ac donatorum hospitalis eiusdem et aliorum habeat, quam a decano recipiendam praedicto, per se et alios idoneos, de quibus secundum Deum viderit expedire, valeat exercere.

Magister scholarum et abbas Casae Dei statuta faciant observare.

62. Caeterum quia parum prodesset statuisse praemissa, nisi conatibus contrariis praesumentium obvietur, ordinamus et volumus, quod magister scholarum praefatus et dilectus filius abbas monasterii Casae Dei ordinis Sancti Benedicti Claromonte..sis dioecesis, qui pro tempore fuerint, vel alter eorum, per se vel alios, seu alium requisiti super hoc, possint et debeant ad praedicta omnia et singula inviolabiliter observanda per censuram ecclesiasticam et poenas etiam alias moderatas auctoritate nostra contradictores cogere quoslibet ac rebelles, quod fideliter exequendum eisdem in virtute obedientiae iniungimus et districte praecipimus et mandamus.

Cura temporalium vacantis episcopatus duobus committenda.

63. Ordinamus insuper, quod quandocumque in posterum sedem contigerit Aniciensem vacare, dictum Aniciense capitulum duos vel tres de ipso collegio viros idoneos et omni suspicione carentes sine morae dispendio assumere teneatur, quibus ab ipso cura administrandi bona universa episcopatus ipsius, quamdiu vacaverit, committatur: ita tamen quod illi, qui ad onus huiusmodi assumentur, sine dilatione qualibet de bonis ipsis mobilibus inventarium facere teneantur, ac interdicto eis cuiuslibet alienationis genere de conservando et defendendo fideliter bona et iura episcopatus et etiam de tenendo seu exercendo iustitiam, per se vel per alios, necnon de reddenda administrationis suae futuro episcopo ratione, cum restitutione bonorum, quae deductis necessariis expensis ad eos pervenerint, sub obligatione bonorum suorum promittant eidem capitulo recipienti pro eodem episcopo, praestito super hoc ab eis ad sancta Dei Evangelia corporaliter iuramento: super quibus omnibus confici volumus publicum instrumentum. Quam etiam rationem, si ipsam Sedem diutius vacare forsitan, quod absit, contigerit, teneantur ipsi capitulo reddere, de sex mensibus in sex menses. Ad suscipiendum autem officium huiusmodi per substractionem beneficiorum, quae ab ipsa obtinebunt Ecclesia, possit et debeat idem capitulum compellere quoslibet refractores.

Perpetua horum statutorum observantia, nullis obstantibus, etc.

Praedicta autem omnia statuimus observanda non obstantibus aliquibus aliis consuetudinibus vel statutis eiusdem Ecclesiae hactenus observatis, seu quibuscumque privilegiis vel indulgentiis ab Apostolica Sede quibuscumque personis, locis, dignitatibus vel ordinibus generaliter vel specialiter sub quacumque verborum forma concessis, aut etiam concedendis, per quae nullum contra praemissa volumus obstaculum interponi, seu si aliquibus communiter et divisim ab eadem Sede indultum existat vel contingat in posterum indulgeri, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia indulgentia dictae Sedis generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam effectus praesentium possit quomodolibet impediri, et de qua in eis fieri debeat mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Viterbii, quarto nonas iunii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 2 iunii 1267, pontif. anno III.

XXIII.

Quod in toto ordine fratrum Praedicatorum divinum officium ubique uniformiter, prout ordinatum fuerat, recitetur (1).

SUMMARIUM

Exordium. — Uniformitas officii antea in ordine non servabatur. — A Fr. Umberto ad eam redactum. — Firmatur a Papa.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro, et fratribus ordinis Praedicatorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Consurgit in nobis spiritualis multitudo laetitiae, quando personas debita divino cultui qualitate virtutum cernimus foederari et hoc in votis habere potissimum, ut ad divini honorem nominis, in eis ita vigeat sanctae studium unitatis, quod status earum sit firma pace ac devotione tranquilla praeditus, et super iis, quae regularis requirit honestas, semper appareat salubriter ordinatus: occurrente hinc inde gratulandi materia, dum in personis huiusmodi sic una splendet fides mentium et pietas actionum, ut hoc de ipsorum religione famosa possit assumi praeconium, quod in se decus habeat perfectae pulchritudinis, et prorsus ab omni macula decentissime sit immunis. Uniformitas officii antea in ordine non servabatur. Iocundo siquidem spiritu petitionis vestrae seriem audivimus continentem, quod cum praeclarus ordo vester a mari usque ad mare, iam per Christi gratiam suos palmites extendisset, propter varias diversarum provinciarum consuetudines contingebat divinum officium in ordine ipso uniformiter non servari. Quapropter vos tamquam ministri Dei mites et humiles, ac saluberrimae unitatis sincerissimi amatores, laudabiliter meditando, quod huius praetextu differentiae, aliquid affectibus sanctis oppositum, vel forte scandali gravis occasio in ordine ipso poterat evenire, dilecto filio fratri Umberto, quondam magistro eiusdem ordinis, concorditer commisistis, ut ipse praedictum officium ad illam uniformitatem reduceret, quam universitas fratrum ipsius ordinis per orbis terrae latitudinem reverenter et humiliter observaret. A Fr. Umberto ad eam redactum. Verum cum tandem praedictus frater officium ipsum iuxta commissionem huiusmodi prudenter ordinaverit, et decenter vos in tribus capitulis generalibus praedicti ordinis ex tunc immediate sequentibus diligenti deliberatione praehabita statuistis, ut ordinatio huiusmodi per universas partes ipsius ordinis debeat observari. Quare humiliter petebatis a nobis, ut super hoc apostolici muniminis firmitatem adiicere dignaremur. Firmatur a Papa. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, ordinationem eamdem, sicut provide facta est, ratam et firmam habentes, eam, quam in domibus vestris propriis dumtaxat observari statuimus, auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne aliquis, sine speciali licentia Sedis Apostolicae, circa praedictum officium contra confirmationis et constitutionis nostrae ac ordinationis praedictae tenorem aliquid immutare praesumat.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Viterbii nonis iulii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 7 iulii 1267, pontif. anno III.

(1) Ex Regest. Vatic.

XXIV.

Contra christianos ad iudaeorum ritum transeuntes, ac iudaeos christianos eosdem ad id trahentes.

SUMMARIUM

1. Contra christianos iudaizantes — 2. Procedi mandat, — 3. Et contra iudaeos, qui illos ad hoc induxerint.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus Praedicatorum et Minorum ordinum inquisitoribus haereticae pravitatis, auctoritate Sedis Apostolicae deputatis, aut in posterum deputandis, salutem et apostolicam benedictionem.

Contra christianos iudaizantes

§ 1. Turbato corde audivimus et narramus, quod quamplurimi reprobi christiani, veritatem catholicae fidei abnegantes, se ad ritum iudaeorum damnabiliter transtulerunt. Quod tanto magis reprobum fore dignoscitur, quanto ex hoc Christi nomen sanctissimum, quadam familiari hostilitate, securius blasphematur.

Procedi mandat.

§ 2. Cum autem huic pesti damnabili, quae, ut accepimus, non sine subversione praedictae fidei nimis excrescit, congruis et festinis deceat remediis obviari, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus terminos vobis ad inquirendum contra haereticos auctoritate Sedis Apostolicae designatos, super praemissis, tam per christianos, quam etiam per iudaeos, inquisita diligenter et fideliter veritate, contra christianos, quos talia inveneritis commisisse, tamquam contra haereticos procedatis.

Et contra iudaeos, qui illos ad hoc induxerint.

§ 3. Iudaeos autem, qui christianos utriusque sexus ad eorum ritum execrabilem hactenus induxere, aut inveneritis de caetero inducentes, poena debita puniatis. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Datum Viterbii septimo kalendas augusti, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 26 iulii 1267, pontif. anno III.

XXV.

Confirmatio litterarum Innocentii PP. IV, per quas ille, revocatis iis, quae Fridericus rex in Sicilia egerat, nonnulla statuerat ad libertatem et disciplinam ecclesiasticam in idem regnum reparandam (1).

(1) Ex originali edidit Gttaula, Access. ad Hist. Cassinen., tom. II, pag. 717.

Clemens episcopus servus servorum Dei, universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Tenorem quarumdam litterarum felicis recordationis Innocentii Papae quarti praedecessoris nostri in eius regesto repertum praesentibus de verbo ad verbum fecimus annotari, qui talis est:

Innocentius episcopus servus servorum Dei. Ad observantiam et memoriam perpetuam.

A diebus Friderici alumni nequitiae *etc.* (*Vide super. in Innoc. constit. XVII, pag.* 537).

Datum Viterbii idibus octobris, pontificatus nostri anno tertio.

G. de Assisio.

Ph. de Sancto Attlanto.

Locus † sigilli plumbei.

Dat. die 15 octobris 1267, pont. anno III.

XXVI.

Mitigatio et declaratio regulae fratrum ordinis Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum (1).

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Urbanus Regulae examen tribus praelatis commisit, — 2. Qui eam correxerunt, — 3. Et hoc a Pontifice confirmatur. — *Tenor Regulae.* — Mitigatio regulæ. — De votis fratrum. — De praelati nomine. — De divisione bonorum, — Et redemptione captivorum. — De titulo monasteriorum. — De fratrum numero. — De vestibus et lectulis. — De cruce in vestibus. — De equitaturis. — De abstinentia et ieiuniis. - De itineribus. — De mutua inter fratres charitate. — De infirmorum cura. — De hospitum et pauperum, — Et manuum labore. — De silentio in choro, — Et refectorio, — Et modestia ubique servandis. — De capitulo cuiusque domus, — Et correctione. — De electione ministri, eiusque munere, qualitatibus et depositione. — De novitiis, eorumque receptione. — De oratione communi infirmis, *etc.* — De horis canonicis et rasura. — Clausulae.

(1) Vide Innoc. III, Constit. XVII, pag. 133, Constitut. LXIX, pag. 234. Honorii Constit. VI, pag. 315. Gregorii IX Constit. XLII, pag. 485.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis ministro maiori, et fratribus universis ordinis Sanctae Trinitatis, et captivorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. In ordine vestro, eiusque professoribus, quos sincere diligimus, id semper haberi quaerimus, ut assiduis spiritualibus potissime, ac temporalibus etiam incrementis proficiant et honestatis fructus delectabiles proferant et honoris; unde recte agimus, si iis, quae ad haec promovenda et ex consultae deliberationis fiunt providenda, ut inconcussa in posterum permaneant, auctoritatis robur apostolicae adhibemus.

Urbanus Regulae examen tribus praelatis commisit. § 1. Dudum sane, ut accepimus, vobis fel. rec. Urbano Papae praedecessori nostro exponentibus, quod praetextu observantiae statutorum et regulae ipsius ordinis, plerumque dubitationes oriebantur fratribus, ex quo ipsis habentibus conscientias scrupulosas, circa divinorum executionem et utilitatum procurationem temporalium, ordini praefato difficultatem damnosam frequenter ingeri contingebat, ac super hoc vobis per apostolicam postulantibus providentiam subveniri, dictus praedecessor venerabili fratri nostro episcopo et dilectis filiis Sancti Victoris et Sanctae Genovefae abbatibus Parisiensibus, suis dedit litteris in mandatis, ut ipsi facientes sibi praedicta statuta et regulam exhiberi, ac diligenter examinantes eadem, corrigerent et statuerent circa ipsa, prout, secundum Deum, ipsorum saluti et utilitati memorati ordinis cognoscerent expedire.

Qui eam correxerunt. § 2. Verum episcopus et abbates praedicti, facientes sibi statuta et regulam huiusmodi exhiberi, ac ea examinantes, iuxta formam sibi traditam diligenter illa correxerunt, et circa ipsa nonnulla etiam statuerunt, prout secundum Deum, praedictorum ministri et fratrum saluti et utilitati eiusdem ordinis, ipsis visum extitit expedire, sicut in litteris inde confectis, sigillatis sigillis episcopi et abbatum praedictorum plenius continetur.

§ 3. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod per eosdem episcopum et abbates proinde factum est in hac parte, ratum habentes et firmum, illud auctoritate apostolica confirmamus; tenores litterarum ipsarum de verbo ad verbum facientes praesentibus annotari, qui talis est: Et hoc a Pontifice confirmatur.

Cap. 1.

Mitigatio regulae. In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. Fratres domus ordinis Sanctae Trinitatis et Captivorum, sub obedientia praelati domus suae, qui minister vocabitur, in castitate et sine proprio vivant. De votis fratrum, De praelati nomine. Qui fratres extra domos suae professionis mitti non valeant, nisi pro scandalis manifesta poenitentia indigentibus, et pro allevatione domorum suarum, et pro nova domo aedificanda, et in hoc solo casu, provideatur eis tamquam illius domus professis. Omnes res, undecumque licite veniant, in tres partes dividantur aequales, De divisione bonorum. et in quantum duae partes sufficiunt, exequantur ex illis opera misericordiae, cum sui ipsorum et eis necessario famulantium moderata sustentatione. Tertia vero pars reservetur ad redemptionem captivorum, qui sunt incarcerati pro fide Et redemptione captivorum. Christi a paganis, vel dato pretio rationabili pro redemptione ipsorum et pro redemptione paganorum captivorum, ut postea rationabili commutatione et bona fide redimatur christianus pro pagano, secundum merita et statum personarum. Cum vero pecunia data fuerit, vel aliquid aliud (licet specialiter et proprie ad certum usum) semper de consensu illius qui dederit, si praesens fuerit, tertia pars separetur, nisi donator per se ipsum vel procuratorem idoneum, fratrem, vel alium, id in usus domus expendat. Si vero donator absens fuerit, ita quod commode non possit eius assensus haberi, vel alias de eius voluntate constare, ut in hoc casu via melior et tutior teneatur, rei datae tertia pars separetur, exceptis terris,

pratis, vineis, nemoribus, aedificiis, nutrituris et huiusmodi. Fructus enim inde exeuntes, deductis expensis, secundum rationabiles extimationes ministri et fratrum, in tres partes dividantur aequales; sed quae paucas vel nullas recipiunt expensas, omnes dividantur. Cum vero panni, calceamenta vel minuta huiusmodi, quibus sit necesse uti, quae vendi, vel conservari non expedit, data fuerint, vel a se ipsis habuerint, non dividantur, nisi ministro domus et fratribus visum fuerit expedire. De quibus singulis dominicis diebus, si fieri potest, in capitulo deliberetur. Si tamen praedicta, ut panni, terrae, nutriturae, seu minuta venderentur: pretium inde proveniens, in tres partes ut supra dividatur. De nemoribus autem, foenis pratorum, straminibus agriculturarum, et fructibus arborum, pecorum et hortorum, ad usus necessarios liceat fratribus accipere. Si quid vero de praedictis vendi contigerit vel de fructibus arborum potus fieri: tertia pars reddatur captivis, secundum formam superius annotatam. Si domus, vel quaecumque alia, a quovis licite sub quocumque nomine fratribus conferantur, donatoribus exponatur, qualiter de bonis suis tres debeant facere portiones: et si donator voluerit in tres dividi, dividantur, et si non, non dividantur. Quae autem usque modo fratribus collata sunt, secundum quod de voluntate donatorum ea receperunt, liceat eis de ipsis disponere, et voluntatem donatorum pro posse suo adimplere. Fructus vero collectos de bonis postea acquisitis, deductis expensis, secundum quod de aliis supradictum est, dividere tenebuntur. De illis, quae in Ecclesia offeruntur, vel alio modo apportantur, ut vestimenta, panni serici, oblationes et huiumodi, ipsi Ecclesiae in suis necessariis, ut libris, cera, oleo et aliis eiusdem ornamentis, provideatur: quod autem supererit, dividatur. Si domus, terrae, possessiones, vel alia, unde redditus proveniunt vel conservandis fructibus sunt necessaria, calamitate aliqua vel casu destruantur, liceat fratribus de communibus bonis, praedicta in statum debitum reformare; et hoc de consensu maioris ministri vel eius vicarii seu visitatorum illius provinciae. Si tamen pro fratrum congrua sustentatione, necessitas exegerit, huiusmodi divisio ex bonis indifferenter relictis, arbitrio ministri provincialis, pro tempore existentis, relinquatur; dummodo illa non ad alios usus, quam ad redemptionem et pauperum subventionem, ac hospitalium reparationem seu constructionem, ac fratrum ordinis sustentationem convertantur, et sic ultra tertiam partem huiusmodi, absque alicuius conscientiae scrupulo, percipere ipsi fratres et levare valeant.

CAP. 2.

Omnes Ecclesiae istius ordinis (quas fratres sibi aedificaverint) intitulentur nomini Sanctae Trinitatis, et sint plani operis. *De titulo monasteriorum.* Tot fratres possint esse in una cohabitatione tam clerici quam laici, quot ministris et fratribus uniuscuiusque domus visum fuerit expedire; *De fratrum numero.* quorum unus procurator sit, qui non procurator, sed minister, ut dictum est, nominetur, cui fratres repromittere ac impendere obedientiam teneantur. Omnibus fratribus suis sicuti sibimet, iuxta posse domus, prout unicuique opus fuerit, minister fideliter administret. Vestimenta sint lanea et alba, *De vestibus et lectulis.* excepta cappa, quae honestatis causa, bruni coloris erit, quam etiam, dum ad partes infidelium pro redimendis captivis se contulerint, de suorum superiorum licentia, mutare possint. Et liceat eis habere pelliceas, prout uniuscuiusque exposcit necessitas, et bracchas, quas iacentes non deponant. Iaceant in laneis, ita quod plumea fulcra vel culcitras, in domibus propriis, id est, in quibus ad manendum fuerint deputati, nisi in aegritudine laborantes et de foris venientes, et hoc extra dormitorium, minime habeant. In aliis vero domibus sui ordinis et alibi

ubicumque, sive in itinere, sive in peregratione fuerint, poterunt iacere fratres in talibus lectis, quales eis fuerint praeparati, ita tamen quod tunicas non deponant. Cervical vero cum cossino, ad sustentationem capitis, permittantur habere. In cappis et caputiis fratrum imponantur signa, videlicet crux in pectore, cuius brachium, quod vadit in longum, sit de panno rubeo, illud autem quod vadit in transversum, sit caerulei coloris. Calceamenta habeant clausa et ordinata, ita tamen quod genua non excedant, nisi sint equitantes. Liceat fratribus equos ascendere et equitaturas tales habere, quales poterint et sibi viderint expedire, dum nimis notabiles non existant.

De cruce in vestibus.

De equitaturis.

CAP. 3.

Vinum sumendum a fratribus taliter temperetur, ut sobrie sumi valeat. Ieiunent a propinquiori dominica festo beati Martini hyemalis, usque ad Nativitatem Domini, et a quinquagesima usque ad Pascha. Insuper et aliis temporibus anni, omni sexta feria, nisi festivitas novem lectionum intervenerit, vel octavae; ita tamen, quod a quinquagesima usque ad Pascha in cibo quadragesimali ieiunent, et alia ieiunia, quae consuevit Ecclesia celebrare. Potest tamen quandoque minister ieiunium cum discretione relaxare, propter aetatem vel viam, vel aliam iustam causam, vel etiam, facultate inspecta, augmentare. Carnibus datis ab his, qui foris sunt, vel sumptis de propriis nutrituris vel etiam emptis, vesci liceat tantum dominicis diebus, a Pascha usque ad dominicam propinquiorem festo B. Martini hyemalis, et a Natali usque ad septuagesimam, et in Nativitate et Epiphania Domini et in Ascensione Domini et in Assumptione et Purificatione B. Mariae et in festo Omnium Sanctorum et in minutionibus et infirmitatibus. Possunt tamen ministri cum fratribus suis, de carnibus edendis, extra refectorium et in via, ex iusta et rationabili causa, dispensare, liceatque fratribus sagimine vesci. Ac insuper, si qualitas temporis et monasteriorum necessitas id exegerint, etiam in ipso refectorio (Adventus tamen et aliis a iure prohibitis temporibus exceptis) carnibus huiusmodi vesci possint. Liceat etiam nutrituras emere et nutrire. Cum vero in itinere sive peregrinatione fuerint, si quid eis datum fuerit, inde vivant, et residuum in tres partes dividant. Tamen si fuerint in via, profecti ad redimendum captivos, quicquid eis datum fuerit, totum debent ponere in redemptione captivorum, praeter expensas. In civitatibus, in villis sive castellis, in quibus proprias domos habuerint, nihil omnino extra domos illas, nisi forte in domibus religiosis, etiamsi a quovis rogentur et cum archiepiscopis, episcopis et regibus, si invitati fuerint, comedant, vel bibant, nisi forte aquam in domibus honestis, nec pernoctare praesumant extra huiusmodi domos, nisi forte aliquorum fuerint magnatorum vel praelatorum officiis deputati. Numquam in tabernis vel in huiusmodi inhonestis locis habitent, comedant vel bibant. Qui autem hoc praesumpserit, iuxta arbitrium ministri, maiori vel minori vindictae subiaceat.

De abstinentia et ieiuniis.

De itineribus

CAP. 4.

Talis sit charitas inter fratres, clericos et laicos, ut eodem victu, vestitu, dormitorio, refectorio, et eadem mensa utantur. Infirmi seorsum dormiant et comedant. Ad quorum curam habendam, conversus aliquis laicus, sive clericus deputetur, qui ea, quae necessaria fuerint, inquirat et ministret, sicut fuerit ministrandum. Moneantur tamen infirmi, ut lauta, sive nimium sumptuosa cibaria non requirant, commoda potius et salubri moderatione contenti. Cura hospitum et pauperum et omnium euntium et redeuntium, uni de discretioribus et benignioribus fratribus iniungatur, qui audiat eos, et ut expedire viderit, charitatis solatium administret. Requirat tamen ab illis quos

De mutua inter fratres charitate.

De infirmorum cura.

Hospitum et pauperum.

crediderit admittendos, si iis, quae fratribus apponuntur, velint esse contenti. Ad lauta quidem, sive nimium sumptuosa cibaria non oportet quemquam admitti; quaecumque tamen praestanda sunt, cum hilaritate praestentur, et nulli maledictum pro maledicto reddatur. Si quis tamen, et maxime religiosus, ad hospitandum advenerit, benigne suscipiatur, et charitative iuxta posse domus illi subministretur. Avenam tamen, vel aliud loco avenae hospitibus dare non teneantur, si fuerint in civitate vel oppido, ubi venalis inveniatur, nisi forte religiosi sint hospites, vel tales, qui ad manus non habeant et emere non possint. Si autem hospites venalem non invenerint, et in domo, qua suscepti fuerint, inveniatur, congruenter eis praebeatur. Nullus frater clericus aut laicus sit (si fieri potest) sine proprio officio. Si quis vero laborare noluerit et potuerit, iuxta arbitrium ministri, canonice puniatur, cum Apostolus dicat: Qui non laborat, non manducet.

Et manuum labore.

Cap. 5.

Silentium semper observent in choro, nisi frater alicuius fratris vel alterius forte confessionem in dicto loco audiat. Pauca etiam verba in choro sub silentio et sine strepitu, propter aliquam iustam causam, loqui poterunt. In refectorio et in dormitorio silentium observabunt: nisi necessitas aliqua, vel iusta causa eos ad loquendum compellat: in quo casu paucis verbis et submissa voce loquentur. Extra vero praedicta loca liceat eis loqui temporibus aptis submissa voce, humiliter et honeste. Ubique sermo eorum sit honestus et sine scandalo. Similiter, et eorum omnis status, gestus, vita, actio et omnia alia honesta in eis reperiantur.

De silentio in choro.

Et refectorio.

Et modestia ubique servandis.

Cap. 6.

Capitulum, si fieri potest singulis diebus dominicis in singulis domibus, minister cum fratribus suis teneat, et de negotiis domus, et domui suae, sive fratribus datis, et familiae, nomine ordinis, datis, ut ad redemptionem captivorum tertia pars deputetur, fratres ministro, et minister fratribus rationem fideliter reddant. Similiter singulis dominicis diebus, si fieri potest, exhortatio fiat, et quid credere aut agere debeant, simpliciter moneantur. De omnibus rebus et clamoribus, fratres in capitulo iudicentur. Nullus fratrum fratrem suum in publico accuset, nisi bene possit probare; qui autem hoc fecerit, poenam subeat quam reus subiret, si convinci potuisset, nisi minister ex causa cum eo dispensare voluerit. Si quis scandalum vel aliquod huiusmodi fecerit vel (quod absit) se invicem percusserint, iuxta arbitrium ministri, maiori vel minori vindictae subiaceat. Si quis frater in fratrem peccaverit, scilicet contra fratrem, idem, eo solo sciente, qui iniuriam passus est, sustineat patienter, licet sit innocens: et cum quieverit commotio animorum, benigne et fraterne commoneat et corripiat eum usque ter, inter se et ipsum solum, et poenitentiam agere de commisso, et a similibus in posterum abstinere. Qui si non audierit, dicat ministro, et ille corripiat eum secrete, secundum quod viderit saluti eius expedire. Qui vero scandalum movit, si per se emendare voluerit, totum ante pedes scandalizati, petens veniam, se extendat: et si semel nec sufficit, usque ter illud idem faciat. Si vero hoc in publicum venerit, quaecumque secuta fuerit poenitentia, haec sit prior, scilicet, ante pedes ministri, petendo veniam, totius corporis extensione, et postea secundum arbitrium ministri emendetur. Generale capitulum semel in anno celebretur, quod fieri debet dominica quinta post Pascha. In quo capitulo quolibet anno correctores maioris ministri eligantur, qui una cum maiori ministro vel eius vicario, corrigendi et definiendi omnia, quae corrigenda et definienda sunt in generali capitulo, tempore ipsius capituli, et etiam visitatores constituendi

De capitulo cuiusque domus.

Et correctione.

in diversis provinciis, et locum futuri generalis capituli assignandi, habeant potestatem. Nullus vero simplex frater ad generale capitulum accedat, nisi vocatus a maiore ministro, vel missus a suo proprio ministro, vel aliquam iustam causam in ministrum suum praetenderit, quam si in capitulo generali non fuerit prosecutus, ad arbitrium maioris ministri et correctorum canonice puniatur. Si pro necessitate domus debitum aliquod fuerit contrahendum, prius in capitulo fratribus proponatur, et cum eorum consilio fiat et assensu, ut sic suspiciones et murmura evitentur. Si quis de substantia domus violentiam fecerit, et ad iudicem oportuerit referri, non ante hoc fiat, quam charitative ille a fratribus moneatur.

Cap. 7.

De electione ministri, eiusque munere, qualitatibus et depositione.

Electio ministri per commune consilium fratrum clericorum fiat. Nec eligatur secundum dignitatem generis, sed secundum vitae meritum et sapientiae doctrinam. Ipse vero, qui eligitur, sive maior sive minor minister, sacerdos sit et professus; maior vero minister postquam electus fuerit, secundum formam in regula hac annotatam, ipsius ordinis curam plene habeat et libere gerat, prout hactenus extitit observatum et consuetum, fratrumque omnium congregationum confessiones audire et absolvere ab omni transgressione regulae sua possit auctoritate. Minor vero minister omnium fratrum domus suae audiat confessiones, dummodo verecundia repetiti excessus occasionem minime praebeat tardius praelatis suis vel minus pure quam deceat, confitendi. Sollicite vero minister provideat, ut praecepta regulae, sicut caeteri fratres, per omnia teneat. Postquam vero electus fuerit, si ex culpa deponi meruerit, per maiorem ministrum, convocatis tribus vel quatuor ministris minoribus, si commode infra tres dietas a loco valeant inveniri, et si commode haberi non possint, assumptis secum tribus vel quatuor fratribus eiusdem ordinis, viris religiosis et honestis, de eorum consilio et assensu deponatur, et alius, qui dignus sit, loco eius subrogetur. Si vero pro remotione terrarum, vel alia causa rationabili, maior minister hoc facere non potuerit, vices suas ministris minoribus magis religiosis committat. Si vero duo vel tres, pro locorum distantia, haberi commode non possint, per aliquem ministrum virum religiosum et honestum, cum tribus vel quatuor fratribus religiosis hoc fiat, et quod illi fecerint, auctoritate maioris ratum habeatur. Maior vero minister, si pro excessibus suis corrigendus vel deponendus fuerit, per quatuor vel quinque ministros eiusdem ordinis magis religiosos hoc fiat, qui tamen auctoritate generalis capituli ad hoc eligi debent.

Cap. 8.

De noviliis, eorumque receptione.

Si quis huius ordinis frater esse voluerit, primo per annum in habitu fratrum cum expensis suis, praeter victum, omnibus suis retentis, in ordine pro Deo deserviat. Et post annum, si bonum et conveniens ministro domus et fratribus videatur et illi, recipiatur; nil tamen pro receptione sua exigatur. Si quid tamen gratis dederit, recipiatur, dum tamen tale sit, de quo non videatur Ecclesiae periculum imminere. Si vero de cuiusquam moribus visum fuerit dubitandum, prolixior de eo habeatur probatio. Si ante professionem aliquis se intemperanter habuerit, et impatiens disciplinae, ad arbitrium ministri non emendaverit mores suos, tribuatur ei modeste licentia, cum omnibus quae attulit, recedendi. In ordine vero aliquis non recipiatur, antequam annum vigesimum videatur complevisse. Professio vero post annum in arbitrio ministri relinquatur.

Cap. 9.

De oratione communi infirmis, etc.

Pignora non accipiant, nisi decimas, cum licentia sui episcopi, de manu laici;

iuramenta non faciant, nisi magna necessitate, cum licentia sui magistri, vel iussi ab episcopo suo, vel ab aliquo vices apostolicas gerente, et hoc pro honesta et iusta causa. Si quod vitium in re, quae venditur, notum fuerit, indicetur emptori. Ipsa die, qua infirmus apportatus fuerit, de peccatis suis confiteatur ministro vel ei cui minister iniunxerit et communicet, et omnia alia sacramenta ecclesiastica percipere valeat ab eodem. Omni secunda feria, praeterquam in octava Paschae et Pentecostes, et Natalis Domini, et Circumcisionis Domini, et Epiphaniae, et praeterquam in festivitatibus novem lectionum, et in octava Sanctorum, et aliarum festivitatum, finita missa pro fidelibus, fiat absolutio fidelium defunctorum in coemeterio. Singulis quoque noctibus, ad minus in hospitali coram pauperibus, pro statu et pace Sanctae Romanae Ecclesiae et totius christianitatis, et pro benefactoribus, et pro his pro quibus generalis Ecclesia consuevit orare, communis fiat oratio.

Cap. 10.

De horis canonicis et rasura. In regularibus horis morem B. Victoris observent, exceptis fratribus servitiis principum et praelatorum deputatis et fratribus itinerantibus; exceptis etiam pausationibus et prolixitatibus et vigiliis, quae, occasione laboris vel paucitatis servientium, poterunt eis remitti de consilio piorum et religiosorum virorum, ad hoc in suo generali capitulo a suis ministris vel fratribus specialiter electorum. Propter paucitatem etenim suam tantas pausationes psallendo facere non tenebuntur, nec ita tempestive surgere. In rasura similiter ordinem S. Victoris sequantur clerici: laici vero barbas non radant, sed eas ad modum templariorum vel conversorum Cisterciensium crescere permittant.

Clausulae. § 4. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, constitutionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem *etc.*

Datum Viterbii septimo idus decembris, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 7 decembris 1267, pont. anno III.

XXVII.

Translatio festi Sancti Ianuarii, quod Neapolis celebrari consueverat decimotertio kalendas octobris ad septimum idus maii (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — Festi translatio. — Clausulae.

Clemens episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo, et dilectis filiis capitulo Neapolitan., salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Ante thronum divinae clementiae fideles Christi sanctorum piis adiuti suffragiis ad eorum colenda festiva solemnia eo debent ferventius excitari, quo, talium patronorum fulti praesidiis, potiora gloriosae retributionis praemia promerentur. Nos quoque vigilis more pastoris oves gregis dominici curae nostrae commissas, quas cupimus in loco Pascuae collocari, ad eorumdem Sanctorum trahimus libenter obsequia, ut nullis familiaribus curis impliciti, illos in conspectu Domini devota veneratione collaudent.

Festi translatio. Volentes igitur, ut beatus Ianuarius apud Ecclesiam Neapolitanam, quae in ipsius honore dicitur dedicata, in eius maxime festivitate fidelium laudibus solemniter extollatur; attendentesque, quod decimotertio kalendas octobris, quo solet huius festi solemnitas celebrari, singuli vindemiarum occupati laboribus ab Ecclesiarum visitationibus necessario retrahuntur, festivitatem eamdem, ut omnes liberius in eiusdem Sancti gloria, iubilo devotae iucunditatis exultent, octavo idus maii, statuimus de apostolicae plenitudine

(1) Ex Regest. Vatic.

potestatis in Ecclesia praedicta deinceps annis singulis celebrandam.

Clausulae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Viterbii nonis ianuarii, pontificatus nostri anno tertio.

Dat. die 5 ianuarii 1268, pontif. an. III.

XXVIII.

Sententia in Conradinum, qui ob spreta apostolica monita regni Hierosolymitani iuribus privatur (1).

SUMMARIUM

1. Ut Romanum affectarit imperium: — Regium nomen Siculum occuparit: — Turbarit Ecclesiae pacem, *etc.* — Imperia apostolica solemni ritu ipsi data. — 2. Vetitum Italiae proceribus, ne ullum cum eo foedus inirent, sub certis poenis. — 3. Aliae indictae singulis ordinibus poenae. — 4. Ac sententia denunciata postmodum contra inobedientes. — 5. Dies Conradino a Pontifice indicta, ut se Sedi Apost. praesentaret. — 6. Vetitus in Italiam ingressus, nisi forte vellet se eidem Sedi praesentare; — 7. Sed cum Pontificis imperia violarit, praesertim armatus Veronam ingrediens, — Excommunicatus denunciatur cum suis a Clemente. — 8. Iussus Verona atque Italia discedere, — Regnumque Siciliae non affectare sub poena amittendi regni Hierosolymitani. — 9. Poenae eius fautoribus intentatae. — 10. Conradinus iussa omnia apost. transgreditur. — Papiam cum armatis accedit. — 11. Defigitur anathemate. — Regni Hierosolymitani iuribus exuitur. — 12. Postulatur iudicio: — Ni pareat, declaratur ad omne regnum inhabilis. — Eisdem poenis subiiciuntur eius fautores. — 13. Loca, quae favent Conradino, censuris percussa. — Hae vero sententiae a solo Pontifice dissolvendae.

(1) Ex Raynaldo ann. 1268, § 4.

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad certitudinem praesentium, et memoriam futurorum.

§ 1. Dudum ad Apostolicae Sedis perlato notitiam, quod Conradinus, nepos quondam Friderici olim Romanorum imperatoris, inconsultae nimis et temerariae ambitionis spiritu concitatus, non solum ad obtinendum Romanum conabatur imperium, sed sibi regnum Siciliae intitulare non veritus, sub eiusdem regni titulo sibi nomen regium adscribebat: quodque cum aliquibus inimicis Ecclesiae diversarum Italiae partium scelestas iniens factiones suas, per civitates et loca varia sub praemissa intitulatione, typario regiae maiestatis impressas litteras destinando, turbare pacem ecclesiasticam ac populum commovere in nostrum, et ipsius Ecclesiae ac charissimi in Christo filii nostri Caroli regis Siciliae illustris discrimen et praeiudicium nitebatur; nos in festo Dedicationis basilicae beatorum apostolorum Petri et Pauli, pontificatus nostri anno secundo, in hac maiori Ecclesia Viterbiensi, praesente tunc multitudine copiosa fidelium, de fratrum nostrorum consilio, eidem Conradino districte praecepimus, ut a praemissis penitus abstineret, districtius inhibentes, ne similia ulterius praesumeret, aut quomodolibet usurparet. Prohibuimus etiam universis et singulis, ne praedicto Conradino sicut regi Siciliae scriberent, nec ab ipso litteras velut a rege, aut sub praemissis intitulatione, denominatione seu impressione reciperent, neve in eum, ut in Siciliae regem intenderent, nec eum armis vel sine armis, facto vel verbo, aut quomodolibet ad turbandum Ecclesiae Romanae pacem vel contra praedictum regem Siciliae praestarent ei auxilium, consilium vel favorem.

Ut Romanum affectarit imperium: *Regium nomen Siculum occuparit:* *Turbarit Ecclesiae pacem etc.* *Imperia apostolica solemni ritu ipsi data.*

§ 2. Specialiter marchionibus, comitibus, baronibus, comitatibus et universitatibus castrorum, villarum et quorumcumque locorum Italiae prohibuimus ex-

Vetitum Italiae proceribus, ne ullum cum eo foedus inirent, sub certis poenis.

presse, ne ipsius Conradini dominio vel regimini sese supponerent, aut eum, vel pro ipso, sive in favorem, ipsius alium in potestatem admitterent vel rectorem, quocumque nomine censeretur, vel ei, sive alii pro ipso, aut in favorem ipsius in se, terras seu districtus suos, dominium vel aliquod posse concederent, nec societatem, coniurationem aut foedus inirent cum illo seu alio in suum auxilium vel favorem; illos vero, qui secus quacumque machinatione facerent cuiuscumque forent praeeminentiae, dignitatis aut status, excommunicationis sententiam, quam ex tunc in eos tulimus, incurrere voluimus ipso facto.

Aliae indictae singulis ordinibus poenae.

§ 3. Praelatis quoque omnibus praediximus, quod si contra praemissa venirent, ecclesiasticis eos dignitatibus, prout suaderet iustitia, et reliquos clericos non praelatos beneficiis, si qua forsan haberent, privaremus et redderemus inhabiles ad habenda. Laicis etiam omnibus, ac praecipue temporali iurisdictioni Ecclesiae praefatae subiectis aperte denunciavimus, quod si huiusmodi nostram inhibitionem negligerent observare, privaremus eos feudis quibuslibet, quae ab Ecclesiis aut personis ecclesiasticis obtinerent: ac vassallos, si quos haberent, a fidelitatis absolveremus iuramento, si quo tenerentur eisdem, et personas eorum, citra mortis et mutilationis periculum, ac bona ipsorum, itaut ea posset quilibet occupare, licenter exponere curaremus. Civitates vero, communitates et universitates quaslibet, quae praefatam prohibitionem nostram violare quocumque dolo, ingenio, arte vel machinatione tentarent, voluimus interdicti sententiae subiacere.

Ac sententia denunciata postmodum contra inobedientes.

§ 4. Cumque praefatus Conradinus, praecepta, inhibitiones et comminationes huiusmodi praesumptuose contemnens, nequaquam abstinens a praemissis, suos in Tuscia diceretur vicarios ordinasse, ac Siciliae se regem intitulans, litteris uteretur sub intitulatione ac impressione praedictis, ut terram in dicti regis praeiudicium commoveret, scandala suscitaret, Ecclesiae turbaret pacem; pro Siciliae rege se gerens, velut rex Siciliae dicti regni partiretur officia, officiales institueret, milites sollicitaret, aliquos promissionibus alliceret, nonnullis privilegia indulgeret, quampluribus etiam dona in eodem regno concederet, sicut litterarum et privilegiorum huiusmodi, quae ad manus nostras devenerant, nos certos reddidit de praedictis inspectio; nos universas et singulas inhibitiones, denunciationes, comminationes et sententias memoratas, de praedictorum fratrum consilio, in die Coenae Domini, pontificatus nostri anno tertio, in hac eadem Viterbiensi Ecclesia, praesente tunc multitudine copiosa fidelium, innovationes omnes, et illos, qui contra easdem inhibitiones, denunciationes et comminationes temere veniendo, in praefatam sententiam inciderunt, ac specialiter incolas castri Sancti Miniati Lucanae dioecesis, qui spretis praedictis nostris inhibitionibus et denunciationibus, eiusdem Conradini fautores et nuncios receperunt, denunciavimus praelibatas sententias incurrisse: ipsos nihilominus, tunc de novo excommunicationis, et castrum praedictum interdicti sententiis supponentes, et praedicentes aperte nos adversus eos (nisi memoratos fautores et nuncios infra quindecim dies post instans tunc festum Resurrectionis Dominicae de praedicto castro eiicerent, ipsos nunquam receptaturi, sive recepturi postmodum, et a nominati Conradini favore omnino desisterent) gravius, spiritualiter et temporaliter, prout fore putaremus expediens, processuros.

Dies Conradino a Pontifice indicta, ut se Sedi Apostolicae praesentaret.

§ 5. Memorato quoque Conradino iterato de ipsorum fratrum consilio districte praecepimus, ut a praemissis omnino abstinens, similia nullo modo unquam tempore attentaret: alioquin ipsum ex tunc excommunicationis sententia innodantes, citavimus eum peremptorie, quod infra festum beatorum apostolorum Petri et Pauli tunc primo venturum, quod pro perem-

ptorio sibi termino assignavimus, per se, vel per procuratorem idoneum cum pleno et sufficienti mandato, apostolico se conspectui praesentaret, responsurus super praedictis excessibus, et nostris ac eiusdem Ecclesiae beneplacitis pariturus, alioquin ex tunc, ipsius non obstante absentia, procederemus gravius contra eum, prout videremus expediens, ac iustitia postularet.

Vetitus in Italiam ingressus, nisi forte vellet se eidem Sedi praesentare:

§ 6. Et quia eiusdem Conradini praesumptuosa temeritas, fautorumque suorum manifestis indiciis revelata malitia ipsos nobis, tam ex causis praemissis, quam ex aliis de turbatione status Italiae reddebant manifesta ratione suspectos; nos, de ipsorum fratrum consilio, in festo Ascensionis Dominicae transacto novissime, in hac eadem Viterbiensi Ecclesia, multitudine praesente fidelium, eidem Conradino ingressum Italiae curavimus inhibere districtius, eo tamen salvo, quod si ad nostram praesentiam infra terminum, quem ad hoc sibi duxeramus, ut praemittitur, praefigendum, personaliter et pacifice venire vellet, mandatis apostolicis pariturus; et super hoc nos praecertificare curaret tempore opportuno, ita studeremus providere negotio, quod sibi securus ac nostris et Ecclesiae fidelibus non suspectus ad Sedem eamdem pateret accessus. Quodsi aliter, contra mandatum nostrum et Sedis ipsius, Lombardiam vel alias partes Italiae intrare, aut capitaneum aut militiam, seu aliam quamcumque gentem illuc destinare praesumeret; nos tam ipsum Conradinum, quam omnes illos, qui cum eo venerint taliter vel pro ipso, necnon et omnes illos, qui eum vel venientes pro eo, reciperent, seu ad ipsorum adventum vel transitum eis per se vel per alium darent auxilium, consilium vel favorem publicum vel occultum, ex tunc excommunicationis sententia duximus innodandos.

Sed cum Pontificis imperia violarit, praesertim armatus Veronam ingrediens,

§ 7. Demum vero in festo dedicationis basilicae Principis Apostolorum, pro eo quod idem Conradinus praefatas nostras inhibitiones, comminationes, sententias contemnendo, non solum a praedictis sibi tam solemniter, tam manifeste ac seriose prohibitis abstinere contempsit, se falso ac temere gerendo pro rege Siciliae, utendo sigillo, intitulatione ac denominatione praemissis, et cum persecutoribus Ecclesiae ac regis Siciliae praedictorum se in diversis mundi partibus in eorumdem Ecclesiae ac regis praeiudicium et pacifici status Italiae turbationem, variis factionibus implicando; verum etiam Veronensem civitatem cum militia, elapso dudum dictae citationis termino, intrare praesumpsit, se ultra velle progredi comminans, et ad regni eiusdem invasionem intendere nimis praesumptuose proclamans, alias contra inhibitiones, comminationes et sententias praedictas temere veniendo, nos de fratrum eorumdem consilio Conradinum eumdem in hac eadem Ecclesia denunciavimus latam in eum per nos, ut praemittitur, excommunicationis sententiam incurrisse, de novo nihilominus ex eisdem causis excommunicantes eumdem, ac omnes et singulos, si qui ad praestandum ei super praemissis imperio sive regno auxilium, consilium vel favorem vinculo iuramenti adstrinxerunt, denuntiantes iuramento huiusmodi non teneri, et ab observatione ipsius eos nihilominus absolventes. Et si forsan in huiusmodi propositi seu obligationis prosecutione persisterent, eos ex tunc excommunicationis sententia duximus innodandos.

Excommunicatus denunciatur cum suis a Clemente

Iussus Verona, atque Italia discedere,

§ 8. Memorato insuper Conradino expresse ac districte mandavimus, ut infra mensem, ex tunc computandum, de Verona et tota Italia cum omni sua gente omnino discederet, nec de imperio vel Italia, et specialiter de regno Siciliae, aut aliqua parte ipsius (in quo eum, sicut per sententiam felicis recordationis Innocentii praedecessoris nostri in eumdem avum ipsius latam in concilio Lugdunensi evidenter constat; et nos etiam tunc declaravimus aperte, ius aliquod non habere) se de caetero per se, vel per alium

Regnumque Siciliae non affectare sub poena amittendi regni Hierosolymitani.

intromitteret aliquatenus, aut aliquid in his, quae ad praedicta imperium sive regnum, pertinent, contra easdem inhibitiones nostras praesumeret quomodolibet attentare. Alioquin ipsum regno Hierosolymitano et omni iure, si quod habebat in eo, apostolica ex tunc auctoritate privavimus, et vassallos eius ubilibet constitutos, ab omni iuramento fidelitatis absolvimus, si quo tenebantur eidem.

Poenae eius fautoribus intentatae.

§ 9. Omnes vero et singulos, qui eidem Conradino in praedictis praestarent auxilium, consilium vel favorem, et specialiter Ludovicum ducem Bavariae, comitem Tiroli, Bosum de Dovaria, Manfredum Malet, qui se comitem camerarium nominabat, et Conradum Frinza, quos notorium erat ipsi Conradino in praedictis assistere, ipsumque fovere; caeterosque marchiones, comites, barones et alios cuiuscumque forent dignitatis aut status, qui eius nuncios, seu litteras contra praedictas inhibitiones nostras veniendo contempserant, interdicti declaravimus sententiis subiacere: ac nihilominus de novo ex eisdem causis exigente proculdubio aucta eorum ex tanti temporis continuatione perfidia, similibus sententiis duximus innodandos. Specialiter autem terram memorati Ludovici ducis Bavariae nisi dux ipse infra duos menses, exinde computandos, prorsus a Conradini eiusdem in praemissis favore desisteret, ecclesiastico ex tunc supposuimus interdicto; omnes vero marchiones, comites, barones, et alios quoslibet, cuiuscumque forent dignitatis aut status, qui eumdem Conradinum, aut eius capitaneum vel militiam, seu quamcumque aliam gentem pro ipso de caetero in aliqua parte Italiae contra easdem nostras sententias, inhibitiones seu comminationes reciperent, omnibus privilegiis, indulgentiis et gratiis quibuscumque ab Apostolica Sede obtentis ex tunc apostolica auctoritate privantes, ipsos manere decrevimus omni officio et honore privatos: ita quod nullus eorum in potestatem, capitaneum, seu rectorem, aut ad alia quaecumque officia vel honores posset assumi: et si aliqui eorum forent assumpti, sententiae latae per ipsos, si iudices, instrumenta confecta, si tabelliones essent, vel si alia quaecumque officia gererent, et omnia, quae per ipsos iudices, vel eorum auctoritate seu ministerio in iudicio vel extra iudicium fieri seu geri contigeret, carere omnino robore firmitatis, ac nullius penitus decrevimus esse momenti, et nihilominus personas eorum, citra mortis et mutilationis periculum, necnon bona mobilia exposuimus impune ab omnibus ac libere capienda: aliis etiam civitatibus et locis Italiae, quae dictos Conradinum vel capitaneum, seu gentem suam contra praefatas nostras inhibitiones, comminationes et sententias deinceps reciperent, comminantes aperte, nos ad similes privationum poenas, prout foret expediens, processuros.

Conradinus iussa omnia post. transgreditur

§ 10. Verum praefatus Conradinus, ut ad nihilum deveniat, velut aqua decurrens, ad sententias, monitiones, comminationes nostras, sicut aspis surda suas prorsus aures obturans, nec praemissis inhibitionibus acquievit, nec expavit sententias, nec monitionibus paruit, nec perversitatis suae propositum comminationibus immutavit, sed in praecipitium praeceps ruens, et praemissis excessibus illos pro viribus continuando institit, et quos potuit nihilominus adiecit. Siquidem, contra praedictas inhibitiones, monitiones, comminationes et sententias, ingressus Italiam cum armatis, Papiam venire praesumpsit, et in tantam furoris prorupit audaciam, quod aliquas partes imperii, nec non et devotorum Ecclesiae in Lombardia terras aggredi temerariae praesumptionis conamine attentavit: licet in ipsis sui conatus initiis et temeritatis suae iam pro parte stipendia et arrhas confusionis extremae, quam proculdubio furibundus insequitur, exinde reportarit.

Papiam cum armatis accedit.

§ 11. Nos itaque memoratum Conradinum denunciantes ex causis praemissis

Defigitur anathemate

in excommunicationis et alias latas in eum sententias incidisse, de novo nihilominus ex eisdem causis de fratrum ipsorum consilio excommunicamus eumdem.

Regni Hierosolymitani iuribus exuitur

Denunciamus insuper eum regno Hierosolymitano et omni iure, si quod habebat in illo, apostolica auctoritate privatum; et vassallos eius constitutos ubilibet ab omni iuramento fidelitatis, si quo tenebantur ei, penitus absolutos, et terram eius ecclesiastico supponimus interdicto.

Postulatur iudicio;

§ 12. Insuper, praesente hac fidelium multitudine, dictum Conradinum aperte monemus, sibique districte praecipimus, ut infra mensem ex nunc computandum, quem pro peremptorio sibi termino assignamus, humiliter ad nostra, et Ecclesiae mandata redire procuret, alioquin

Si pareat, declaratur ad omne regnum inhabilis

ex tunc ipsum, de praedictorum fratrum consilio, reddimus omni tempore ineligibilem, et prorsus inhabilem ad regnum quodlibet, vel imperium obtinendum: et nihilominus omnibus feudis et iuribus quibuscumque, si qua forsan a quibuslibet tenet Ecclesiis, privamus eumdem. Porro supradictas inhibitiones, comminationes et sententias innovantes, omnes et singulos, qui contra eas quocumque modo venerint; et specialiter praedictos, Ludovicum ducem Bavariae, comitem Tiroli, Bosum de Dovaria, Manfredum Malet, Conradum Trinza, qui ab ipsius non de-

Eisdem poenis eius fautores subiiciuntur.

stitere favore; Fridericum praeterea charissimi in Christo filii nostri regis Castellae germanum, qui praefato Conradino favendo, insulam Siciliae, et terram memorati Caroli Siciliae regis invasit, cum omnibus complicibus suis, necnon Willelmum de Parisiis, caeterosque, qui se contra eumdem Siciliae regem, cum Saracenis Luceriae erexerunt, ac omnes alios, qui citra Pharum quamcumque terram eiusdem regis Siciliae invaserunt, omnesque complices et in hoc fautores eorum, item Guidonem Novelli, Galvanum et Fridericum Lanceam, Conradum de Antiochia et Ioannem de Marrio, pro eo quod eidem Conradino favent aperte, et dictum regem pro viribus impugnare conantur, caeterosque cuiuscumque sint praeminentiae, dignitatis aut status, qui contra praemissas inhibitiones, monitiones, comminationes vel sententias venire temere praesumpserunt, denunciamus in praemissas excommunicationis et alias contra fautores eiusdem Conradini latas sententias incidisse, ac de novo ex eisdem causis excommunicamus eosdem.

Loca, quae favent Conradino, censuris percussa.

§ 13. Civitates insuper, castra et loca omnia, quae Conradinum, aut eius capitaneum, vel militiam, seu quamcumque aliam gentem pro ipso receperunt hactenus vel alias praedictas nostras inhibitiones, monitiones, comminationes et sententias contempserunt, veniendo temere contra eas, et specialiter praedictum Sancti Miniati castrum aut civitatem Grosseti, quae non est dubium dicto Conradino favere; declaramus interdicti sententiae subiacere, ipsorumque castri et civitatis incolas eiusdem Conradini fautores excommunicationis vinculo innodamus; civitates etiam, castra et loca, quae de caetero ipsum Conradinum, capitaneum, militiam et quamlibet gentem suam recipere praesumpserint, ex nunc simili supponimus interdicto, contra ea spiritualiter et temporaliter gravius processuri, prout facti suadebit qualitas et viderimus expedire. Praedictas vero ex-

Hae vero sententiae a solo Pontifice dissolvendae.

communicationis sententias prohibemus absque speciali mandato nostro, nisi forsan in mortis articulo, relaxari, quo casu nisi absolutionis beneficium obtinentes infra duos menses, postquam restituti fuerint sanitati, de loco interdicto, si forsan inibi fuerint recedentes, nostro se conspectui curaverint praesentare satisfacturi de suis excessibus, pro quibus huiusmodi sententias incurrerunt et nostris beneplacitis parituri, eo ipso in easdem sententias relabantur *etc.*

Actum in palatio nostro Viterbiensi in die Coenae Domini, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. mense martio 1268, pontif. anno IV.

XXIX.

Reductio privilegii Sancti Dominici et Sancti Francisci fratribus olim per Sedem Apostolicam concessi, ne alii religiosi prope eorum domum, infra spatium trecentarum cannarum, monasteria aedificare possint, ad centum quadraginta cannas (1).

SUMMARIUM

1. Exordium. — 2. Statutum antea ut non aedificarentur conventus infra cann. 300; — Ad 140 cannas reducitur.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Generali, et aliis ministris ac fratribus ordinis Minorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium

§ 1. Quia plerumque in futurorum eventibus, sic humani fallitur incertitudo iudicii, ut quod utile coniectura verisimilis, imo etiam attenta interdum consideratio pollicetur, non solum inutile, sed damnosum reperiri contingat nonnumquam, quod consulte statuitur, postmodum consultius immutatur. Hoc quippe necessitas praesentis provisionis evidenter ostendit.

Statutum antea ut non aedificarentur conventus infra cann. 300;

§ 2. Dudum siquidem, ut inter religiosos, potissime per nostrae diligentiae studium, aemulationis et dissensionis tolleretur occasio, et charitatis integritas servaretur, per nostras sub certa forma litteras ordinandum duximus et districtius inhibendum, quod nulli liceret ex tunc de fratrum Praedicatorum, Poenitentiae Iesu Christi, Beatae Mariae de Monte Carmelo, Haeremitarum Sancti Augustini, Sanctae Clarae, aliisque ordinibus in paupertate fundatis, nullique mulierum de praedictis, seu quibuslibet aliis ordinibus, aliquod monasterium, ecclesiam vel oratorium aedificare seu construere, nullique saeculari seu religioso cuiuscumque professionis ecclesiam vel monasterium seu oratorium iam aedificatum in locum aliquem transferre de ordinibus memoratis, infra spatium trecentarum cannarum a vestris ecclesiis mensurandarum per aera, etiam ubi alias recte non permitteret loci dispositio mensurari, statuentes, ut quidquid contra huiusmodi ordinationis et inhibitionis nostrae tenorem ex tunc aedificatum existeret, dirueretur omnino.

Ad 140 cannas reducitur.

§ 3. Verum quia quod ad pacem vestram et praedictorum fratrum et ordinum provisum fuerat, non solum vobis, sed etiam multis aliis, qui propter praedictum diffusum cannarum spatium in huiusmodi ordinatione ac inhibitione contentum, quasi ab omnibus etiam solemnibus civitatibus inveniebantur excludi, ad scandalum cessisse comperimus, diversis propterea litigiorum materiis suscitatis; nos super iis cum fratribus nostris deliberatione praehabita, huiusmodi spatium de ipsorum fratrum consilio restringentes, ipsum ad centum et quadraginta cannas duximus reducendum, omnibus aliis, quae in praemissis nostris litteris continentur, in suo nihilominus robore duraturis.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Viterbii nonis iunii, pontificatus nostri anno quarto.

Datum die 5 iunii 1268.

XXX.

Quod fratres ordinis Praedicatorum Sancti Dominici, ad praelaturas extra ordinem assumpti, antequam consecrationis munus recipiant, omnia quae ab ordine habent, conventui resignent.

SUMMARIUM

Exordium. — 1. Causae constitutionis. — 2. Constitutio.

(1) Ex Regest. Vatic. — Privilegium hic adnotatum legere est superius, Constit. XII, pag. 446.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro, et universis prioribus et fratribus ordinis Praedicatorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Providentia laudabilis et salubris in cunctis vestris haberi debet operibus, ut exinde claritatem nominis in conspectu Dei et hominum habeatis.

Causae constitutionis. § 1. Cum itaque (sicut asseritis) contingat interdum, quod illi ex vobis, qui de ordine vestro ad archiepiscopatus et episcopatus et alias praelaturas ecclesiasticas assumuntur, non considerantes, quod ex professione in ipso emissa ordine, nihil habent proprium, quod sibi specialiter valeant retinere, libros et alia quae apud eos huiusmodi tempore promotionis habent, usibus propriis applicare, secumque portare praesumant, in propriae salutis dispendium, et dicti ordinis non modicum detrimentum.

Constitutio. § 2. Nos praesumptioni huiusmodi volentes salubriter refragari, universis fratribus dicti ordinis, ad huiusmodi archiepiscopatus, episcopatus et praelaturas de caetero assumendis, auctoritate praesentium districtius inhibemus, ne consecrationis munus quoquomodo recipiant, antequam libros et bona contingentia ordinem memoratum, quae apud eos tempore suae promotionis habere contigerit, prioribus et conventibus, de quibus assumpti fuerunt, cum integritate resignent, nisi forsan iidem priores, de consensu ipsorum conventuum, usum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum. Alioquin eo ipso ab executione pontificalis ministerii noverint se suspensos. Inter huiusmodi autem libros non intelligimus comprehendi quaternulos et illas chartulas vel membranas, in quibus dicti fratres sibi certa notabilia cum aliquibus privatis sermonibus collegerunt.

Nulli ergo omnino hominum *etc.*

Datum Viterbii quinto idus iunii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 9 iunii 1268, pontif. anno IV.

XXXI.

Archiepiscopi et alii praelati gratias et privilegia ordini fratrum Praedicatorum Sancti Dominici vel fratribus Minoribus Sancti Francisci interpretari prohibentur.

SUMMARIUM

Procemium. — 1. Causae faciendae prohibitionis. — 2. Prohibitio (*de qua in rubrica*).

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis magistro et fratribus ordinis Praedicatorum, et Generali ministro et fratribus ordinis Minorum, salutem et apostolicam benedictionem.

Ordinis vestri sacra religio, sub qua virtutum Domino in humilitate spiritus laudabiliter deservitis, promeretur, ut nos ipsum ordinem sincera diligentes in Domino charitate, illa vobis libenti animo concedamus, per quae, materia submota gravaminis, status vestri tranquillitas procuretur. Procemium.

§ 1. Sane transmissa nobis conquestione monstrastis, quod nonnulli archiepiscopi et episcopi et alii Ecclesiarum praelati, vestris libertatibus derogantes, indulgentias seu privilegia vobis ab Apostolica Sede concessa interpretari, et ad suum intellectum trahere moliuntur (quamquam intellectum ipsum verba indulgentiarum et privilegiorum huiusmodi exprimere videantur) ac vos iuxta ipsorum interpretationem privilegia ipsa servare compellunt, in vestrum non modicum praeiudicium et gravamen. Causae faciendae prohibitionis.

§ 2. Quia vero super hoc apostolicae provisionis remedium implorastis: nos vestris supplicationibus annuentes, ne praefati archiepiscopi, episcopi et praelati alii praedicta privilegia et indulgentias, sive clara, quae interpretatione non indigent, sive dubia contineant, de caetero interpretari praesumant auctoritate praesentium districtius inhibemus, volentes, ut cum eius sit interpretari, cuius Prohibitio (de qua in rubrica)

est condere, interpretatio super huiusmodi dubiis et obscuris dictae Sedis iudicio requiratur.

Nulli ergo hominum liceat *etc.*

Datum Viterbii nonis iunii, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 5 iulii 1268, pontif. anno IV.

XXXII.

Abrogatio statutorum quorumdam in capitulo generali Cartusien. ordinis editorum, quodque de caetero in dicto capitulo contra constitutiones ordinis edi nequeant (1).

SUMMARIUM

Prooemium. — 1. Carthusien. certum animalium numerum sibi assignant: — 2. In capitulis gen. factae leges ordinis constitutionibus obviantes. — 3. Infirmantur, addita prohibitione quidquam de antiquis ordinis constitutionibus immutandi.

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis priori et conventui Domus Maioris, et universis prioribus, fratribus et conversis Carthusien. ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Christi sponsam Sanctam Ecclesiam nullam rugam habentem aut maculam sub unitate fidei religionum diversitas non mediocriter venustate decorat, quae licet una dici possit et debeat propter suorum civium unitatem: suis tamen per orbem domibus distributa supernae retinet Civitatis exemplar, quae cum sit unica, multas habet, testante Domino, mansiones. Haec est veteris quidem archa Noe miro studio fabricata, mansiunculas habens et cameras ac tristega; haec Ioseph mistici tunica polimita, haec demum ipsius Domini vestis est inconsutilis, sed desuper contexta per totum, ut ex iis pateat et Ecclesiae ipsius unitas, quae regularium distinctionem professionum non abicit; et earumdem diversitas materni corporis nec tollit, nec lacerat unitatem. Ad hanc sane pulchritudinem mirabilem, qua splendet et splenduit quasi quadam varietate circumdata pia mater, retroactis temporibus adiecit plurimum Ordo vester a suis fundatoribus viris spiritualibus, et tamquam adeps penitus a carne separatus, magno pariter et exacto consilio circumcisus, qui ab hominum separati consortiis et ad vitae subsidia necessaria, satis paucis contenti, aquilarum more nidum suum in arduis posuerunt, et praeruptis silicibus, et inaccessis rupibus habitantes deliciarum hortum scalentis haeremi solitudinem arbitrati, ubi lectionibus, orationibus et contemplationi vacantes, solicitudine Marthae seposita, subsederunt ad pedes Domini cum Maria.

§ 1. Tandem, ut eo liberius tam studiosum otium, tam otiosum studium prosequerentur ad votum, quo curis temporalium paucioribus tenerentur, certos sibi possessionum terminos circa genus, sexum et numerum animalium processu temporis statuerunt, ut sicut rerum possessio limitem, sic et cupiditas finem acciperet; cum secundum lignorum multitudinem ignis ardeat, et deducto stipite vel subducto consueverit flamma minui vel perire. *(Carthusienses certum animalium numerum sibi assignant:)*

§ 2. Caeterum, ut audivimus, pro tantis patribus nati sunt filii, si tamen filii dici debeant, qui paterna vestigia non sequuntur, in capitulis generalibus ad officium diffinitorum assumpti, ficto quodam compassionis affectu, domorum quarumdam vestrarum deplorantes penuriam; causantes insuper, quod generaliter totus Ordo per religiones pauperes et modestas eleemosynis pluribus defraudatur, quibus olim consueverat sustentari; de antiquis constitutionibus et observantiis vestri ordinis immutare plurima praesumpserunt, et nuper inter caetera statuerunt, quod domus singulae omnis generis animalia libere possiderent, quod- *(In capitulis gen. factae leges ordinis constitutionibus obviantes.)*

(1) Ex Regest. Vatic.

que procurator maior ter in anno valeat equitare, quodque praebendarii vestri in vestris valeant coemeteriis sepeliri, et quod prioribus et conventibus singularum domorum liceat terras suas et grangias ad censum dare perpetuum et contractum quemcumque facere, conversis et redditis minime requisitis, et plura alia, quae a vetusto eiusdem ordinis usu laudabili noscuntur penitus aliena; nonnulla insuper adiungentes, quae praerogativis praeiudicant, quas domus vestra maior habuisse dignoscitur ab antiquo, sicque, ut dicitur, per diversa capitula, tam severae, quam utiles et sincerae constitutiones et observantiae ordinis relaxantur, obscuratur aurum ipsius et color optimus immutatur; et qui procurant talia, eiusdem ordinis excellentiae detrahunt, dum infirmitati condescendere se confingunt.

Infirmantur, addita prohibitione quidquam de antiquis ordinis constitutionibus immutandi

§ 3. Nos vero qui vos et vestrum ordinem et diligimus et dileximus ex affectu, in quo bonae memoriae, qui secundum carnem nos genuit, Pater noster et religiose vixisse noscitur, et agonem suum feliciter creditur consummasse, dictis stipendiis et similibus salubri consilio duximus obviandum, ad id nostrum flectentes intuitum, ut nec ordinis libertas pereat circa ea, quae capitulum generale pro tempore statuenda decreverit, nec in eam evagetur licentiam, ut eiusdem rigores, tam celebres, tam famosos, levis impetu voluntatis evacuet, a sanctis Patribus, non sine consilio, prout credimus, Sancti Spiritus introductos, et ad vitam communem redigat tam praeclarae religionis statum et eminentiam singularem; ut per hanc viam mediam et eorum vitemus calumniam, qui cito nobis obiicerent, quod facile de ieiuniis disputat venter plenus, et illorum obviemus astutiae, qui sub celitio, plusquam expedit, forsitan delicati, ut voluntati propriae satisfaciant, ne, quod absit, dici conveniat voluptati, necessitatibus aliorum sese compati simulant, defectum huius temporis allegantes, qui, ut dicunt, non patitur tantae districtionis censuram; statuimus ergo et observari inviolabiliter praecipimus, quod de antiquis ipsius ordinis constitutionibus generali capitulo vel diffinitoribus numquam liceat absque prioris et monachorum domus maioris Cartusien. consilio et assensu aliquid immutare, sed nec eis consentientibus immutatio huiusmodi robur habeat, donec, eorum perdurante consensu, in tribus capitulis generalibus successive fuerit confirmata. Quod si secus fuerit attentatum, id decernimus irritum et inane.

§ 4. Et licet constitutiones tam canonicae, quam legales non praeterita regulariter, sed futura dumtaxat respiciant; ea tamen, quae in vestro capitulo generali nuper fecere statuta, quorum, vel in specie, vel in genere supra fecimus mentionem, penitus reprobamus et omni carere volumus robore firmitatis.

Nulli ergo omnino *etc.*

Datum Viterbii undecimo kalendas septembris, pontificatus nostri anno quarto.

Dat. die 22 augusti 1268, pontif. anno IV.

FINIS TOMI TERTII

INDEX

NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM

NUMERUS PAGINAM INDICAT. — *a* PRIMAM COLUMNAM — *b* SECUNDAM DESIGNANT.

A

Abbates a prioribus, quos in prioratibus instituunt, nullam pensionem, seu pecuniae quantitatem ante vel post institutionem exigere debent, 629 *b*.

Absalon episcopus Lunden. *V.* Lundensi Ecclesiae *etc.*

Achaiae principis, clericorum ac capitulorum Ecclesiarum eiusdem principatus concordia approbatur, 389 *b* et *seq.*

Acuti Castrum Anagninae Ecclesiae adiudicatur, 662 *a*.

Ademarus Xanctonensis episcopus. *V.* Aiensium monachorum *etc.*

Admontense monasterium sub protectione Apostolicae Sedis suscipitur, 25 *b*. Bona et privilegia ei confirmantur, *ibid.* Nova de electione abbatissarum et aliorum monasteriorum regimine statuta sanciuntur, *ibid.* *b* et *seq.*

Adultorum animae in charitate decedentium, quae nec peccato, nec ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad patriam protinus transvolant sempiternam, 583 *a*.

Ægidii (S.) monasterium Tolosanum ad dominium S. Petri spectat, 219 *a*. Bona eidem confirmantur et privilegia nonnulla conceduntur, *ibid.* *b*.

Agareni grassantur in regnis Castellae et Legionis, 492 *b*. Cruciata ad eos fugandos indicitur, *ibid.*

Agnes Meraniae ducis filia. *V.* Philippus II rex Franciae.

Aiensium monachorum ordinis Cluniacensis et archipresbyteri de Rochella controversia super divisione oblationum componitur, 38 *b* et *seq.* Confirmantur eis donationes ab Hisemberto de Castro Alione factae, 40 *a* et *b*.

Alatrinus subdiaconus, 371 *b*.

Albanenses haeretici, eorumque poenae, 506 *b* et *seq.*

Albanensi Ecclesiae iura omnia ac privilegia confirmantur, 326 *b*.

Albertus archidiaconus Patavien., 498 *a*; 499 *a*.
Albertus comes de Mangono infeudationem obtinet quorumdam locorum de terra comitissae Mathildis, 377 *b*.
Albertus episcopus Anagninus. *V.* Anagnino episcopo, 427 *a*.
Albigensium scelera, 208 *a*. Indulgentia proposita contra eos pugnaturis, 441 *a*.
Aldefonsus rex Portugalliae de Rom. Ecclesia optime meritus, 336. *a*. Sub protectione Apost. Sedis suscipitur, eique regnum confirmatur, *ibid. a*.
Alderadus archidiaconus Ecclesiae Bergomen. *V.* Alexandri (S.) et S. Vincentii *etc.*
Alderspach (de) B. Mariae Virginis monasterium sub tutela Apost. Sedis recipitur, eique bona nonnulla confirmantur et privilegia elargiuntur, 292 *a*.
Agricultorum securitas, 377 *a*.
Alexander episcopus Scalensis, 83 *b*.
Alexander IV Papa CLXXXI, 593 *a*. Praesules christiani orbis de adepto pontificatu certiores facit, *ibid.* et *seq*.
Alexander Scotorum rex. *V.* Scoticana Ecclesia.
Alexandri (S.) et S. Vincentii Bergomen. civitatis capitula confirmationem obtinent concordiae inter se se initae, qua stabilitur, ut unum capitulum, unum collegium, unaque sit Bergomensis Ecclesia cathedralis, 71 *b* et *seq*.
Alexius Constantinopoli coronatus, 194 *b*.
Algaburga Sardiniae regina ecclesiam S. Nicolai de Gurgo monasterio Montis Casini donat, 9 *a*.
Alphonsus Castellae rex, in imperatorem electus, rex Romanorum appellandus declaratur, 698 *b*. De religione optime meritus, 700 *a*. Sepulchrum eligit in insula Gadicensi, *ibid. b*.
Alphonsus comes Bononiensis Lusitaniae regni regimen ob fratris inhabilitatem obtinet, 516 *a*.
Alphonsus Portugalliae rex de Rom. Eccl. optime meritus, 262 *b*.
Altarium consecratio in lege veteri, 216 *a*.
Amachostanus episcopus Cypri reginae commendatur, 382 *a*.
Anagninae Ecclesiae de Alexandro IV PP. in minoribus agente merita, 662 *a*. Castrum Acuti quomodo ab illa alienatum, *ibid. b*. Ad eam spectare declaratur, *ibid.*
Anagnino episcopo Ecclesia S. Theodori de Trebis subiecta declaratur. *V.* Theodori (S.) de Trebis.
Anastasius Thessalonicensis primas declaratur, 260 *a*.
Anconitana marchia in feudum Azzoni VII Estensi conceditur, 324 *b*.
Andreas rex Ungariae donationem quamdam facit capitulo Strigoniensi, 232 *a*.
Angliae regni Episcopis monitorium datur ut adhortentur populum ad abstinendum a peccatis, 87 *b*. Regum observantia erga Pontifices, 285 *b*. Barones regi suo rebelles excommunicantur, 294 *b*. Regis concessiones omnes factae magnatibus in praeiudicium regni irritantur, 298 *b*. Abbates et priores ad generale Lugdunense I Conc. convocantur, 310 *a*. Statuta a magnatibus contra eiusdem regni tranquillitatem facta irritantur, 704 *a*.
Anglicanae Ecclesiae et regis Ioannis pax validatur, 284 *b*. Eius iura perturbantes excommunicantur, 285 *a*.
Aniani (S.) Aurelianen. Ecclesiae bona omnia confirmantur, eiusque canonicis privilegia conceduntur, 200 *b*.
Anicensi clero et capitulo regulae ac statuta dantur, 775 *b*.

Anniversaria. Pro illis adimplendis in cathedralibus et conventualibus Ecclesiis diebus festis, et aliis, alia missa decantanda praetermitti non debet, 323 *b*.
Antonii Sancti falsas reliquias praeferentes et nomine eius eleemosynas a fidelibus extorquentes condemnantur, 389 *a*.
Antonius (B.) de Padua virtutibus et miraculis clarus, 464 *b*. Paduani instant pro eius canonizatione, 465 *a*. Datur commissio pro examinatione testium, *ibid*. Cathalogo Sanctorum adscribitur, *ibid*. *b*.
Apostatarum poenae, 507 *b*.
Apostoli, quorum primus B. Petrus, secunda Ecclesiae fundamenta, 469 *b* et *seq*.
Appellatio ad subsidium inventa, 48 *b*. Innovata appellationis tempore in pristinum statum restituenda, *ibid*. et 49 *a*. Eius gradus, 53 *a* et *seq*. Quando ei deferendum, 110 *b* et *seq*. De iudice suspecto 111 *a*. De cella a subiectione eximi volente, *ibid*. *b*. Appellatione ad Sedem Apostolicam interposita non obstante, episcopi procedere debent ad ulteriora in correctione ecclesiasticorum fornicationi addictorum, nisi in literis eiusdem facti series specialiter habeatur, 428 *a*. Eius beneficio haeretici non gaudent, 504 *b*.
Aquanigra (de) haeretici; eorum poenae, 506 *b* et *seq*.
Aquilae terrae encomium, 647 *a*. Causae episcopalis dignitatis ei concedendae, *ibid*. Terra eadem in civitatem erigitur, *ibid*. *b*. Episcopatu donatur, *ibid*.
Aragonum rex Romae in monasterio S. Pancratii coronatur, 197 *b*. Regalia insignia ei dantur ab Innocentio III PP., *ibid*. Annuum censum promittit Sedi Apost., *ibid*. Reges et reginae successores ab archiep. Tarraconen. coronandi, *ibid*. Eius cessio pro libertate electionum episcopalium confirmatur, 204 *b*. Eius regnum sub Ap. Sedis protectione suscipitur, 283 *a*.
Arborensis Ecclesia Pisanis archiep. subiecta, 117 *a* et *seq*.
Archiepiscopi et episcopi visitare debent limina Apostolorum, 652 *a*.
Arducii episcopi Gebennensis et Willelmi comitis controversia definitur, 35 *b* et *seq*.
Aqua in Sacrificio Missae apponenda, 581 *b*.
Armachanus archiep. Provinciae Thuamen. primas, 624 *a*.
Armeniae rex. *V*. Leo Armeniae rex *etc*.
Arnaldistae (haeretici) condemnantur, 20 *b*. Eorum poenae, 506 *b*.
Arnaldus de Melros abbas orator Wilielmi regis Scotiae ad S. Sedem, 7 *b*.
Atheniensis Ecclesia laudatur, 228 *a*. Sub protectione Apostolicae Sedis suscipitur, *ibid*. Bona ei confirmantur, *ibid*. *b*. Privilegia nonnulla ei conceduntur, 229 *a*. Inter quae eius archiepiscopis pallium, *ibid*.
Audoisa abbatissa monasterii S. Cosmae de Talliacotio. *V*. Cosmae (S.) de Talliacotio *etc*.
Augustini (S.) fratrum ordinis Eremitarum Ecclesias christifidelibus visitantibus nonnullis statutis festis anni diebus indulgentiae conceduntur, 507 *b*. Eisdem Eremitis forma eligendi priorem, 566 *a*. Et diversa vestium forma pro diversitate gradus in ordine assignatur, 616 *a*. Aliae regulae eisdem datae in capitulo generali confirmantur, *ibid*. *b*. Ex diversis familiis unus conflatur ordo, 635 *a*. Leges super hoc dantur, *ibid*. *b* et *seq*.
Aurelianensis Ecclesia. *V*. Aniani (S.) Aurelian. Eccl.
Auximana civitas episcopali privata dignitate Humanatensibus subiicitur episcopis, 536 *a*.

Auximanis episcopatu privatis episcopalis dignitas restituitur cum omnibus iuribus, 702 *b*.
Avillani castrum a comite Sabaudiae Sedi Apostolicae donatum, eidem comiti conceditur in feudum, 430 *b*.
Azzo de Fregnano infeudationem obtinet quorumdam locorum, 378 *a*.
Azzo VII Estensis marchio marchiam Anconitanam obtinet in feudum sub annuo censu, 324 *b*.

B

Baccalarii, 606 *a*.
Bagnaroli (haeretici), eorumque poenae, 506 *b*.
Balaam ab asina correctus, 161 *a*.
Balduinus comes Flandriae foedus init cum Philippo rege Franciae, quod confirmatur, 121 *b*. Sub protectione Apost. Sedis suscipitur et privilegia ei conceduntur, 140 *a* et *b*. Ad imperium Constantinop. vocatur, 194 *b*. Eius pro religione zelus, 196 *a*.
Baptisma quomodo administrandum, 581 *a*.
Barason Sardiniae rex ecclesiam S. Nicolai de Gurgo cum omnibus pertinentiis monasterio Montis Casini donat, 8 *b*, 9 *a*.
Barones et magistratus urbium iuramentum praestare debent de auxilio episcopis contra haereticos dando, 22 *a*.
Bartholomaeus archiep. Turonensis. *V*. Turonensibus archiep.
Bartholomaeus episcopus Agrigentinus bona nonnulla Ecclesiae Montis Regalis donat, 12 *a*.
Basilica Principis Apostolorum de Urbe, 501 *a*. Indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum pro illam visitantibus a festo Pentecostes usque ad octavas Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, *ibid.*
Battario schismatico Fridericus filiam dat in uxorem, 515 *a*.
Bavariae dux a Friderico II imperatore occisus, 515 *a*.
Bellunensis Ecclesia sub protectione Apostolicae Sedis suscipitur, 28 *b*. Bona omnia et immunitates ei confirmantur, *ibid.* Eius episcopo nonnulla conceduntur privilegia, 29 *a* et *b*.
Benedicti (S.) ordinis provinciae Narbonensis statuta ad restaurandam regularem disciplinam approbantur, 433 *b*.
Benedictus episcopus Spoletanus Interamnensem Ecclesiam sibi adiudicari nititur, 337 *b*.
Beneficia ecclesiastica antequam vacent non promittenda, 19 *a* et *b*. Duo non retinenda, 20 *a*, 366 *a*, 781 *a*. Ad ea personae idoneæ praesentandae, 217 *b*. Non sunt conferenda antequam vacent, *ibid.* et 599 *a*. Revocantur indulta ea conferendi cum vacaverint et expectativae ad eadem etiam post adeptam possessionem, *ibid. b*. Promoti ad Ecclesiarum regimina, illa dumtaxat retinere possunt, quae suae promotionis tempore canonice retinebant, 697 *a*. Quae apud Sedem Apostolicam vacant eidem reservantur, 743 *a*.
Beneventum. Salarium eius iudicibus assignatur, 123 *a*. Iuris S. Petri declaratur, et leges pro eius tranquillitate dantur, 380 *b*. In ea civitate statuta condi absque licentia Apost. Sedis prohibetur, condita abrogantur, 768 *b*.

Benvenutus Auximanorum episcopus, 703 *b*.
Beraldus abbas Sublacensis *V*. Sublacense monasterium.
Berardo archiepiscopo Atheniensi eiusque successoribus pallium conceditur, 229 *a*.
Bergomensis Ecclesia. *V*. Alexandri (S.) et Sancti Vincentii Bergomensis civitatis capitula.
Bernardus Biterrensis primus magister Waldensium conversorum fidem catholicam profitetur, 246 *b*. Eius fidei confessio, 250 *a*. Eius poenitentia, 252 *b*.
Bernardus episcopus Xanctonensis. *V*. Aiensium monachorum, *etc*.
Bernwardus episcopus Hildenesheimensis in Saxonia sanctorum albo adscribitur, 86 *b* et *seq*.
Bertoldus comes, 381 *a*. Obtinet in feudum terram Partuselli, *ibid*.
Bituricensi archiepiscopo Aquitaniae primati conceditur collatio Ecclesiarum de iure monachorum vel canonicorum, si ii intra tres menses de idoneo presbytero non providerint, 60 *b*.
Bledunensis dioecesis Viterbiensi unita, 204 *a*.
Bohemiae regibus regium nomen a Sede Apostolica conceditur, 189 *a*.
Bohemiae rex a censuris absolvendus declaratur, dummodo de damnis Pragensi Ecclesiae illatis satisfaciat, 342 *a*. Libertates Ecclesiis sui regni restituit, 378 *b*. Firmat privilegia, 379 *a*. Haec validat Honorius III PP., *ibid*.
Boleslaus Calvus dux Leynicensis Wratislaviensem episcopum carceri mancipat, 648 *a*. Frustra monitus ab Alexandro IV de eo liberando, excommunicatur, *ibid*. et *b*. Cruciata contra ipsum indicitur, 649 *a*.
Bonifacius episcopus Cantuariensis, 704 *a*.
Bononiensi comiti, Portugalliae regis fratri, monentur proceres ut obediant, 518 *a*.
Bononienses scholares. Reprobantur statuta edita contra libertatem eorum, 567 *b*.
Bonus Senensis episcopus. *V*. Senensis Ecclesia.
Bremensis archiepiscopatus Ecclesiae suffraganeae designantur et confirmantur, 60 *b*. Cum immunitatis decreto, 61 *a*.
Britanniae comitis flagitia, 431 *a*. Corripitur a praelatis, sed indignatur, *ibid*. *b*. Alios impellit ad flagitia, 432 *a*. Excommunicatur cum suis ab episcopis, *ibid*. De mandato Sedis Apostolicae monitus ut ad cor rediret, nova patrat scelera, *ibid*. *b*. Delegatis apost. committitur ut sententias excommunicationis et interdicti in eum et fautores latas publicent et servari faciant, 433 *a*.
Brugnatensi Ecclesiae, quae antea Naulensi fuerat unita, dignitas redditur episcopalis, 519 *a*.
Bulla dimidia. *V*. Litterae apostolicae, *etc*.
Burgaliensibus monachis datur certus modus vivendi et regendi monasterium, 198 *b*.
Burkardus episcopus Argentinensis. *V*. Hohenburgensis abbatia, *etc*.

C

Caietanis conceditur ius cudendi monetam, 444 *b*. Antiqua confirmantur eis privilegia, 445 *a*.
Calaritana Ecclesia Pisanis archiep. subiecta, 117 *b* et *seq*.
Calatrava (De) militari ordini instituta traduntur, 140 *b*. Bona ei confirmantur et privilegia nonnulla conceduntur, *ibid*.

Camaldulensis ordinis abbates et priores a monasteriorum regimine amovendi, vel de excessibus corrigendi, ad appellationes interponendas non sunt admittendi, 404 b. Ad eorum eremum quicumque religiosi transire possunt, 423 a. Omnia eorum monasteria priori Camalduli subiiciuntur, 657 b, 657 a.

Camminensis civitas sedis episcopalis declaratur loco Wollinensis, 59 b.

Campaniae et Maritimae castra, feuda, terrae et alia nonnisi personis de eisdem provinciis oriundis vendi, donari seu infeudari possunt, 702 a.

Cancellarii facultas, 605 b.

Canonicales domus laicis et mulieribus malae notae non locandae, 38 a et b.

Canonici. Quid agendum de canonicis supra numerum, 598 b.

Canonici regulares in oppidis vel aliis locis popularibus vagari non debent, 60 a.

Canonizatio. Quid requiratur in iis, qui Ss. catalogo sunt adscribendi, 174 b.

Cantuarienses monachi. Contra eos attentata ab archiepiscopo Cantuariense cassantur, 76 b et seq.

Cardinales S. R. E. percutientes, eorumque fautores, consiliarii *etc.* banno puniendi, ac beneficio testandi privandi, 411 a. Declarantur excommunicati ipso facto, *ibid.* b. Poenitentia iniungenda resipiscentibus, 412 a. Variae poenae secundum delicti qualitatem, *ibid.* Poena contra eosdem cardinales occidentes, 412 b. Excommunicantur quoque iudices has poenas delinquentibus non infligentes, *ibid.*

Carmelitanis regulae datae approbantur, 415 a et *seq.* Regulae vero declarantur et mitigantur, 535 a.

Carnotense capitulum. Statuitur ut honores capituli huius residentibus tantum concedantur, et ne quis, alia in Ecclesia fruens beneficio, canonicus ibi, vel plebanus eligi possit, 16 b et *seq.* Canonicales eius domus laicis et mulieribus malae notae non locandae, 38 a.

Carolus comes Andegavensis regno Siciliae investitur, 744 b, 760 a. Conditiones ei indicantur, 747 a, 761 a. Destinantur legati ad eum inungendum, 748 a, 762 a.

Carolus Andegavensis Siciliae rex. Contra illum Conradino auxilium aut consilium praebentes excommunicantur, 767 a.

Carpi castrum sub annuo censu conceditur Mutinensi civitati, 422 b.

Carthusienses ab eorum solitudine per neminem sunt distrahendi, 337 a. Nec ad testimonium ferendum vel ad iuramentum calumniae compellendi, *ibid.* b. Eorum oblati gaudent omnibus eiusdem ordinis praerogativis et indultis, 463, a. Statutum obtinent de ordinatione capituli generalis, 608 a. Abrogantur statuta quaedam in eorum capitulo generali edita, 800 a.

Cassinense monasterium sub protectione Apostolicae Sedis suscipitur, 61 a. Caeteris per Occidentem praeferendum esse declaratur, *ibid.* b. Bona omnia ac privilegia eidem confirmantur, 304 b. Regulae pro reformatione eius datae confirmantur, 356 a. Privilegium Zachariae Papae ei confirmatur, 455 a.

Castellanae civitati conceditur pedagium ad reparandum pontem, vulgo Tregi nuncupatum, exemptis ecclesiasticis, 492 a.

Castellae et Legionis regnis conceditur cruciata pro extirpandis Agarenis, 492 b.

Castellae rex fundat Universitatem Parisiensem, 601 a.

Catanensis Ecclesia Montisregalensi subiicitur, 12 a.

Cathari (haeretici) condemnantur, 20 b. Eorum poenae, 506 b et *seq.*

Cenomanensis episcopus responsionem obtinet ad consultationes eius de matrimonio, lite pendente contracto, 45 *a* et *b*.
Centumcellensis dioecesis Viterbiensi unita, 204 *a*.
Charitate (de) monasterii abbatis saevitia in abb. Cluniac., 268 *b*. Poenae in eum inflictae ab abbate Cluniac., 269 *b*. Non resipiscit, *ibid*. Delegatis apost. mittitur cognitio causae et confirmatio sententiae in priorem de Charitate latae, 272 *a*.
Charta Charitatis, seu regulae Cisterciens. ord. declaratio, 729 *a*.
Chrisma a solis episcopis conficiendum et conferendum, 581 *a*.
Christus primum Ecclesiae fundamentum, 469 *b*.
Cinthius magister hospitalis S. Mariae in Saxia. *V*. Spiritus (S.) in Saxia.
Circumcisi (haeretici), eorumque poenae, 506 *b* et *seq*.
Cistercienses privilegium obtinet ad confirmandas consuetudines sui ordinis 30 *a*. Ad fugitivos sui ordinis recipiendos cogi non possunt, 183 *a* et *b*. Ordini privilegia et indulta concessa, salva generalis concilii moderatione, in viridi haberi declarantur, 347 *a*. Ad monita Innocentii III componunt cum Ecclesiarum praelatis de decimis, 408 *a*. Inquietantur ab eisdem, *ibid*. A novalium solutione liberi declarantur, *ibid*. *b*. Eorum monasteria taliis non gravanda, 482 *a*. Abbatibus ordinis conceditur privilegium succedendi in bonis monachorum, 522 *b*. Regulae eorum (vulgo Charta Charitatis appellatae) declarantur, 729 *a*.
Citatio. Libello citationis ante obitum delegantis proposito, lite post eius obitum contestata, potest in causa procedere delegatus; qui etiam ad producendos testes inducias postulavit videtur appellationi renunciare, 45 *b* et 46 *a*.
Civitates duae vicinae in metropoles non sunt erigendae, 11 *b*.
Cypri reginae et praelatorum eiusdem regni concordia confirmatur, 382 *a*.
Clarae (B.) de civitate Assisii encomia a nomine sumpta, 620 *b*. Breve eius vitae compendium, 621 *a* et *seq*. Quaedam eius miracula, 622 *b* et *seq*. Inter Sanctas Virgines illa adscribitur, 623 *b*.
Clarissis data regula a B. Francisco Assis. approbatur, 570 *b*. Quae sit, *ibid*. et *seq*. Regula haec mitigatur, 709 *a*.
Classus, quid sit, 777 *b*. *V*. not. ad calcem colum. eiusdem.
Clemens III PP. eligitur, 54 *a*.
Clemens IV, Papa CLXXXIII, 721 *b*. Encyclicis litteris omnes Ecclesiarum praelatos ad implorandam divinam opem pro Ecclesia bene gubernanda incitat, *ibid*.
Clerici iniuriam passi testimonio standum, 76 *a*. Ad forum saeculare non sunt trahendi, 358 *b*.
Cluniacensi monasterio confirmantur bona omnia, privilegia et immunitates, 33 *b* et *seq*., 55 *b*.
Cluniacenses monachi ordinis S. Benedicti reformantur, 273 *b*, 474 *b*.
Coelestinus III, PP. eligitur, 76 *b*.
Coelestinus IV, Papa CLXXIX eligitur, 501 *b*. Eius obitus, 502 *a*.
Colocensi archiepiscopo conceditur facultas erigendi monasterium de Cuchet in sedem episcopalem, 442 *a*.
Colocensis et Strigoniensis Ecclesiae concordia confirmatur, 257 *a*.
Coloioannes rex Bulgarorum et Blachorum sceptrum ac diadema accipit ab Innocentio III PP., 186 *b*. Datur ei facultas cudendi monetam, 188 *b*.
Comitanus, quid sit, 9 *a*. *V*. not. ad calcem colum. eiusd.

Communelli (haeretici), eorumque poenae, 506 *b* et *seq.*
Communitates tenentur reficere damna praedatis, in quorum territoriis per fures et praedones illata fuerunt, 491 *a.*
Compostellana Ecclesia erigitur in metropolitanam, 156 *a.*
Compostellano archiepiscopo Ulixbonensis et Elborensis episcopatus subiiciuntur, 152 *b* et *seq.*
Concessiones secundum temporis circumstantias sunt immutandae, 618 *a.*
Concilium Lateranense indicitur, 278 *b.*
Concilium Lugdunense I indicitur, 510 *a.*
Confessiones Parochi audiant; caeteris vero danda ab episcopo loci licentia, 582 *a.*
Confraternitates laicorum in Urbe non sunt erigendae inconsulto Pontifice, 474 *a.*
Conradinus, filius Conradi, quondam Friderici imperatoris filii, 639 *b.* Interdicitur electoribus ne eum eligant in imperatorem Romanorum, 640 *b*, 690 *b*, 766 *a.* Eius facinora, *ibid.* Excommunicatur, 797 *a.* Ob spreta monita Apostolica regni Hierosolimitani iuribus privatur, *ibid.*
Conradus archiep. Moguntinus, 639 *b.*
Conservatores eligendi quales, 633 *a.* Quaenam eorum munia, *ibid.* Qui debeant habere conservatorem, *ibid.*
Constantinopolitani imperatoris et uxoris eius coronatio Romae in coenobio Sancti Laurentii extra muros peracta, 316 *b.*
Constantinopolitani imperii de Graecis ad Latinos translatio, 193 *b* et *seq.*
Conventuales. *V.* Minores S. Francisci ordinis fratres.
Corduba a Castellae rege liberatur, 492 *b.*
Corinthiensis Ecclesia sub protect. Apost. Sedis suscipitur, 265 *a.* Bona ei confirmantur, *ibid. b.* Privilegia nonnulla conceduntur, *ibid.*
Coroada quid sit, 36 *b. V.* ad calcem. colum. eiusd.
Corsicanae Ecclesiae Pisanis archiep. subiectae, 117 *a.*
Corporis Christi festivitas instituitur, 705 *a.*
Cortibaldus vel Curtibaldus quid sit, 118 *b. V.* not. ad calc. colum. eiusdem.
Cosmae (S.) de Talliacotio monasterium monialium sub protectione Ap. Sedis suscipitur, 69 *a* et *b.* Bona omnia ac privilegia ei confirmantur, 70 *a* et *seq.*
Cosmae (S.) de Vicovario monasterium sub Apost. Sedis protectione suscipitur, 267 *a.* In suis bonis confirmatur, *ibid. b.* Privilegiis nonnullis donatur, *ibid.* et *seq.*
Cremonensis Ecclesia suffraganea declaratur Ecclesiae Mediolanensis, 420 *b.*
Crucesignatos a censuris ecclesiasticis absolvere possunt inquisitores, 585 *b* et *seq.*
Cruciferorum inservientium hospitali Bononiae ordini privilegia, libertates et indemnitates conceduntur, eorumque Ecclesia in ius et proprietatem Sedis Apostolicae suscipitur, 46 *a* et *seq.*
Cuchet (de) monasterium in sedem episcopalem erigitur, 442 *a.*

D

Daciae regnum sub Apostolicae Sedis protectione suscipitur, 237 *b.* Iuris S. R. E. declaratur, 377 *a.* Anathematizantur eiusdem perturbatores, *ibid.*
Damiani (S.) ordinis monialibus traditur norma vivendi, 527 *b.* Huius ordinis origo qualis fuerit, 620 *a.*

Daniae rex filii regis Svetiae defuncti nomine ad S. Sedem appellat. *V.* Svetiae regnum.
Decretales. — Mala ex dubietate et dispersione decretalium orta, 485 *b*. A S. Raymundo in volumen rediguntur iussu Gregorii IX PP., qui aliam prohibet fieri compilationem, *ibid.*
Dolensis Ecclesia Turonensibus archiepiscopis subiecta declaratur, 143 *a* et *seq.*
Dominicatura quid sit, 57 *a*. *V.* notam ad calcem colum. eiusdem.
Dominici (B.) elogium, 484 *a*. Miracula, *ibid.* *b*. Ss. cathalogo adscriptio, *ibid.*
Dominici (B.) ordo sub regula S. Augustini approbatur, 309 *a*.
Dunelmensis episcopus. Sententia in eum ab Eboracensi archiep. inconsulto prolata irritatur, 81 *a* et *b*.
Durandus de Osca Waldensis fidem catholicam profitetur, 246 *b*.

E

Eadmundi (B.) archiep. Cantuariensis virtutes, 523 *a*. Miracula, 524 *a*. Sanctorum albo eius inscriptio, 525 *a*.
Eboracensis archiep. sententia in Dunelmensem episcopum inconsulto prolata irritatur, 81 *a* et *b*. Eboracens. archiepiscopus suspenditur ab officio episcopatus, 100 *a*. Commissio inquisitionis super eius excessibus datur, *ibid.* *b* et *seq.*, 103 *b*. Sententia suspensionis in eum lata, 104 *b* et *seq.*
Eboracensis Ecclesia sub protectione Sedis Apostolicae suscipitur, 97 *b*. Bona ei confirmantur, *ibid.* Et privilegia nonnulla eius capitulo conceduntur, 98 *a* et *seq.*
Ebrandus archiep. Salisburgensis fundat Ecclesiam Sechaviensem, 361 *a*.
Ebrinus (Waldensis) fidem catholicam profitetur, 246 *b*.
Ecclesiae antequam vacent non sunt promittendae, nec pensiones pro iis solvendae, 106 *a*.
Ecclesiae pollutae quomodo sint emundandae, 76 *a*.
Ecclesiae primum fundamentum Christus, 469 *b*. Apostoli secunda eius fundamenta, quorum primus B. Petrus, *ibid.* et *seq.* Eius unitas, 473 *b*.
Ecclesiarum iura perturbantes excommunicantur, 591 *b*.
Ecclesiastici in haeresim labentes degradandi sunt, 21 *a*. Leges in eos, contra canones latae, invalidae, 203, *b*. Item si contra sint eorum libertates, 375 *a*. Collectae aliaque onera eis non imponenda, *ibid.* *b*. Ad saecularia tribunalia non trahendi, 375 *b*, 696 *a*, 701 *a*.
Edmundo Henrici II. Angliae regis filio Siciliae regnum conceditur ac confirmatur; sed non adimpletis ab illo conditionibus, Clemens IV, declarat nunquam eum fuisse verum Siciliae regem 722, *b* et *seq.*
Elborensis episcopatus Compostellano archiepiscopo subiicitur, 152 *b* et *seq.*
Elisabeth (B.) viduae, Andreæ regis Hungarorum filiae vita et virtutes, 489 *b*. Eius miracula, 490 *b*. Sanctorum albo adnumeratur, *ibid.*
Emeritana civitas sedes episcopalis declaratur, 156 *a*.
Episcoporum officium afflictis et laborantibus subvenire, 49 *b*. Eorum electio in regno Siciliae quomodo facienda, 130 *a*. Duo in eadem dioecesi esse non debent, 382 *b*. Infra sex menses ab electione consecrandi, 600 *b*. Visitare tenentur limina Apostolorum, 652 *a*.
Episcopi collaterales, 326 *b*.

Ermengandus Waldensis fidem catholicam profitetur, 246 b.
Eucharistia. De diverso ritu Latinorum et Graecorum in hoc sacramento conficiendo, 473 b. Pro infirmis non servanda ad annum, 581 b.
Eustachii (S.) de Urbe et S. Laurentii in Damaso capitulorum concordia inita super nonnullarum Ecclesiarum iurisdictione confirmatur, 453 b.
Excommunicatos publice recipientes, sunt et ipsi excommunicati, 105 b et seq.
Expectativae, 218 a. Earum concessio quam sit inconveniens, 600 a.
Extrema Unctio, 581 a et b.
Ezelini tyrannidem et scelera, 586 a et seq. Dies ei indicta ut coram PP. sisteret se, 587 b. Excommunicatus, 588 a.

F

Faenenses multa patrant flagitia, 328 a. Excommunicantur, 329 b.
Fernandus Gondislavus magister militiae B. Iacobi. V. Iacobi (B.) ordo etc.
Fidei arcana non omnibus passim exponenda, 160 a. Adversus eius hostes prius orationibus dimicandum, 331 b.
Filectini Castri Ecclesia Anagnino episcopo subiicitur, 426 b.
Filius patri in beneficiis succedere non debet, 48 a. Successus, ab illis removendus est, ibid.
Fiscannense monasterium de speciali iure B. Petri declaratur, 85 b. Eique privilegia nonnulla conceduntur, 86 a.
Flandriae comites sub protectione Sedis Apostolicae recipiuntur, nonnullaque eis conceduntur privilegia, 140 a et seq.
Fornicatio peccatum mortale, 582 a.
Forosemproniensis Ecclesia sub tutela Apost. Sedis suscipitur, 405 a. Bona omnia ei confirmantur, ibid. b. Dioecesis assignatur, 406 a; nec non et plebs de Sorbitulo, 407 a.
Fossae Novae monasterii novum altare consecrat Innocentius III PP., 216 a. Indulgentiam unius anni concedit illud die anniversaria consecrationis visitantibus, ibid. b.
Franciae Ecclesiae. In singulis Franciae Ecclesiis una praebenda reservatur pro necessitatibus Ecclesiae Romanae, 409 a et seq.
Franciae regnum. Excommunicantur illi, qui in illo statuta contra immunitatem ecclesiasticam edita observant, 651 a.
Franciae regem hortatur Innocentius IV ut in suo regno concremari faciat librum Talmud, quo utuntur Iudaei, eosque vetet nutrices et servientes habere christianas, 508 b et seq. Ipse rex eiusque successores absque Sedis Apost. licentia speciali non excommunicandi, 607 b.
Franciscus (S.) de Assisio Minoritis dat regulas, 394 a. Eius testamentum, 397 b. Conversionis initium, ibid. Modus orandi, ibid. et seq. Reverentia erga clericos et divina misteria, 398 a. Vita secundum Evangelium, ibid. Fugari vult otiositatem et servari paupertatem in aedificiis, ibid. b. Commendat obedientiam erga praelatos, et observantiam sui testamenti, ibid. et seq. Eius regula observanda sine glossa, 399 a. A Deo suscitatus ad conversionem multorum, 439 a. Simplici sua praedicatione multos ad viam salutis reducit, ibid. Pauperem vitam egens, ieiuniis, vigiliis et nuditate carnem ma-

cerat, multisque virtutibus emicat, *ibid.* *b.* Religionem fratrum Minorum, Monialium et Tertiariorum instituit, 440 *a.* Obdormit in Domino, *ibid.* Miraculis clarus, *ibid.* *b.* Cathalogo Ss. Confessorum adscribitur, *ibid.* Eius in coelis gloria, 497 *a.* Signis et virtutibus clarus, 626 *b.* Stigmatibus miraculose insignitus, 627 *a.* Huius veritatem miraculi testatur, 497 *a*, 626 *b.* Illam impugnantibus poenae infliguntur, *ibid.* *b.*

Francisci (haeretici), eorumque poenae, 506 *b* et *seq.*

Fratres Gaudentes. *V.* Mariae (B.) gloriosae Virginis militia.

Fregnano (de) nobilis vir. *V.* Azzo comes *etc.*

Fridericus Ænobarbus Alexandrum PP. et Ecclesiam persequitur, 172 *a.*

Fridericus II imperator monasterium de Hoenburg restaurat, 23 *b.* Privilegia concedit monasterio Admontensi, 26 *b.* Leges fert pro libertate ecclesiastica, quae confirmantur, 374 *b.* Excommunicatur sub conditione, 429 *a.* Non resipiscit, imo flagitia flagitiis addit, *ibid.* Summo studio eius salutem curat Apostolica Sedes, sed frustra, *ibid.* *b.* Excommunicatur a Gregorio IX in die Coenae Domini, *ibid.* Sacris interdicitur, eique ea ministrantes excommunicantur, 430 *a.* Si permanserit contumax, absolvendi a iuramento fidelitatis subditi, ipseque regno privandus, *ibid.* Romanae Ecclesiae reconciliatur, quibusdam positis conditionibus pro eiusdem Ecclesiae debita satisfactione, 448 *a.* Eius facinora, 498 *a.* Sententia excommunicationis in eum, eiusque fautores promulgatur, 499 *a.* Eius subditi a vassallagio solvuntur, *ibid.* Sacramenta ei non ministranda, *ibid.* *b.* Huiusmodi sententia solemniter publicanda, *ibid.* Nullum ei dandum consilium et auxilium, *ibid.* Eius tunc in obedientia S. Romanae Ecclesiae persistentis, leges contra haereticos eorumque complices et fautores editae approbantur, 503 *a* et *seq.* Ab Innocentio IV PP. ad pacem invitatus, 511 *a.* Æquae leges ei indictae, *ibid.* *b.* Illius pervicacia, *ibid.* Sacramento oratorum opera ad sarcienda Ecclesiae damna se devincit, 512 *a.* Saepius crimine periurii se maculat, *ibid.* *b.* Concessam a Christo Pontifici auctoritatem negat, 513 *a.* Pontificiam ditionem occupat, *ibid.* Iuratae Gregorio IX pacis leges violat, *ibid.* Siculam Ecclesiam opprimit, *ibid.* *b.* Sacrilegii scelere se inquinat, 514 *a.* Iusta haeresis suspicione aspersus, *ibid.* *b.* Saracenis, hostibusque religionis iunctus foedere, *ibid.* Bavariae ducis occisor, Battacio schismatico filiam dat in uxorem, 515 *a.* Debitum pro regno Siciliae vectigal non solvit, *ibid.* Iure imperii privatur, *ibid.* *b.*; vassallique iuramento fidelitatis solvuntur, *ibid.* Eius flagitia, 537 *a.*

Fridericus Siciliae regis filius in imperatorem eligitur, 170 *a.* Quare imperium ei adiudicatum, *ibid.*

Fulginatensi Ecclesiae episcopalis dignitas, qua fuerat privata ob adhaesionem Friderico olim imperatori, restituitur, 726 *b.*

Fulginatum statuta contra libertatem ecclesiasticam edita annullantur, 362 *b.*

Fundanae Ecclesiae libertas restituitur a Riccardo II Fundano comite, 253 *a.*

G

Gabriel abbas Montis Virginis, 107 *b.*

Gadicensis insula episcopali donatur dignitate, 700 *a.*

Galterius abbas Vizeliacensis componit cum Herveo comite Nivernense, 289 *a*.
Galterus archiep. Rotomagensis, 48 *b*.
Garatenses (haeretici), eorumque poenae, 506 *b* et *seq*.
Gaudentes, fratres. *V*. Mariae (B.) gloriosae Virginis Militia.
Gaufridus archiep. Burdegalen., 39 *a*.
Gaufridus archiep. Eboracensis Dunelmensem episcopum excommunicat, 81 *a*. Suspensus declaratur, 99 *b*. Ad Sedem Apost. appellat, 101 *a*. Eius excessus, *ibid*. *b*.
Gemblacense monasterium sub Apost. Sedis protectione suscipitur, eique bona omnia confirmantur et privilegia nonnulla conceduntur, 287 *b*.
Gerardus episcopus Bellunensis. *V*. Bellunensis Ecclesiae *etc*.
Gerardus prior monasterii Grandimontensis, 62 *b*.
Germanus patriarcha Constantinopolitanus, 469 *a*. Admonetur ut ad gremium matris Ecclesiae revertatur, *ibid*. et *seq*.
Godefridus I Brabantiae dux bona nonnulla concedit Templariis, 31 *a*.
Godefridus II Brabantiae dux bona nonnulla concedit Templariis, 31 *a*.
Gradensis Ecclesia sub protectione Apostolicae Sedis suscipitur, eique patriarchalis dignitas confirmatur, 41 *a* et *seq*.
Gradus in Ecclesia diversi, 458 *a*. Locus cuilibet assignatus, *ibid*.
Graeci in dioecesibus Latinorum degentes latinis episcopis subiecti esse debent, 382 *a*. Cum discesserunt ab unione Romanae Ecclesiae in servitutis iugum sunt lapsi, 471 *a*.
Graecis indulgendum, ut suos ritus sequantur, 580 *a*. Explicantur huiusmodi ritus, *ibid*. et *seq*.
Graecorum error de processione Spiritus Sancti, 194 *b*. Imperium ab eis ad Latinos quomodo translatum, *ibid*. Eorum schisma in Veteri Testamento praefiguratum, 472 *b*. Eorum diversus ritus in sacramento Eucharistiae, 473 *b*.
Grandimontenses monachi decreta nonnulla obtinent pro quiete, bono regimine, ac regulari eorum disciplina, 42 *b*. Statuta eis data ab Urbano III pro eorum quiete et disciplina confirmantur, 62 *a*. Alia statuta eisdem dantur, 256 *a*. Ordo reformatur in regno Francorum, bonaque ei confirmantur, 351 *a*.
Gregorius Catholicus Armenorum primatum Romanae Ecclesiae confitetur, 166 *a*. Papam vero universalis Ecclesiae caput, *ibid*. *b*. Hortatur ad perseverantiam et ad subventionem Terrae Sanctae, 167 *a*.
Gregorius VIII PP. eligitur, 49 *a*. Statuta literis Urbani PP. tribus mensibus ante eius obitum data confirmat, plenamque habere firmitatem decernit, *ibid*. et *b*. Hortatur christifideles ad Terrae Sanctae recuperationem, 50 *a* et *seq*. Statuit pro ea obtinenda ieiunium servandum esse atque a carnibus abstinendum certis diebus per quinquennium, 52 *b*.
Gregorius IX Papa CLXXVIII eligitur, 420 *a*.
Grisogoni (S.) de Urbe Ecclesiae subiicitur alia S. Salvatoris de Curte, 161 *b* et *seq*. Confirmantur ei bona et conceduntur privilegia, 163 *b*.
Gualterius Panormitanus archiep., 12 *a*.
Gualterus Corinthiensis archiep. *V*. Corinthiensis Ecclesia.
Guido magister hospitalis S. Mariae in Saxia. *V*. Spiritus (S.) ordo *etc*.
Guillelmi de S. Amore liber *De periculis novissimorum temporum* damnatur, 644 *a*.
Guillelmus Achaiae princeps bona ecclesiastica occupat, 390 *a*. Excommunicatus resipiscit, *ibid*. *b*.

Guillelmus primus archiepiscopus Montisregalens. a Lucio III declaratur, 10 *b*. Pallio exornatur, 13 *a*.
Guillelmus de S. Antonino Waldensis fidem catholicam profitetur, 246 *b*.
Guillelmus episcopus Bituricensis, 311 *a*. Committitur inquisitio super virtutibus et miraculis eiusdem, *ibid.* et *seq.*
Guillelmus episcopus Magalonen., 297 *b*. Infeudatio comitatus Melgorii, seu Montisferrant eius favore, *ibid.*
Guillelmus episcopus Pictavensis. *V.* Pictavensi episcopo *etc.*
Guillelmus prior Grandimontensis. *V.* Grandimontenses monachi *etc.*
Guillelmus II Siciliae rex Montis Regalis abbatiam construit, 11 *a*. Eius preces ut ad metropolicam dignitatem evehat Pontifex, *ibid. b.*
Guimundus de Rocca Romana. *V.* Theanensi Ecclesiae *etc.*
Gurgensis capituli et Salsburgensis archiepiscopi concordia confirmatur inita super modo eligendi episcopum Gurgensem, 212 *a*.

H

Hadriensis Ecclesia in cathedralem erecta Pennensi unitur, 547 *a*.
Hartwicus Bremensis archiepiscopus. *V.* Bremensi archiepiscopatui *etc.*
Haereses contra sacramenta anathematizantur, 21 *a*. Huiusmodi excommunicatio a patriarchis, archiepiscopis et episcopis praecipuis solemnitatibus innovanda statuitur, *ibid. b.*
Haereses omnes condemnantur, 20 *b*.
Haeresis crimen inter publica crimina numerandum, 506 *a*. De ea convicti comburantur, *ibid.*
Haeretici damnantur et excommunicantur, 21 *a*, 588 *b*. Eorum fautores et defensores damnantur, 21 *a*., Poenae contra eosdem, 202 *b*, 504 *a*, 589 *a*. Potestati saeculari sunt tradendi ut puniantur, 21 *b*, 202 *b*, 504 *a*. Suspectorum et relapsorum poenae, 589 *a*. Ad dignitates nec eligi nec eligere possunt, 124 *b*. Saeculari curiae tradendi, 588 *b*. Quomodo puniendi, 202 *a*. Sacramenta et ecclesiastica sepultura eis est deneganda, 203 *a*. Statuta contra eos edita, a rectoribus civitatum iuranda, *ibid.* Eorum bona fisco applicanda, filii vero successionis iure privandi, 375 *a*. Poenitentes perpetuo carcere mancipandi, 504 *a*. Transfugae capiendi, *ibid.* Morte plectendi, *ibid.* Appellationis beneficio non gaudent, *ibid.* Eorum posteri officiis, beneficiis et possessionibus privandi, *ibid.* Reperti inquisitoribus consignandi, *ibid.* Revelantes servandi indemnes, 505 *a*. Ubicumque fuerint capiendi, *ibid.* Comburendi si convincantur, 506 *a*. Eorum fraus *ibid. b*. Ipsi eorumque fautores banno exponendi et eorum bona publicanda, 551 *b*. Constitutiones contra eos latae capitularibus civitatum sunt inscribendae, 552 *a* et *seq.* 558 *b*. Ad eos indicendos unusquisque tenetur, 589 *a*. Huiusmodi constitutiones legere est, 598 *b*. Declarantur, 611 *a*, 663 *a*. Ipsi, eorumque consocii ad beneficia ecclesiastica inhabiles, 589 *a*. Ab eorum fautoribus resipiscentibus cautio est praestanda, 561 *b*, 665 *b*, 666 *b*, 667 *b*. Infirmi qui sana mente haereticorum consolamentum petunt, non excusantur eo quod tempore receptae consolationis sanae mentis non essent, 666 *a*.

Haeretici Provinciales expulsi, 236 *b*. Indulgentiae propositae contra eos pugnaturis, 237 *a*.
Haeretici publici, 646 *b*.
Hedwigis (B.), 769 *a*. Illustre ipsius genus, *ibid*. Eius virtutes, 770 *a* et *seq*. Miracula, 773 *a*. De his inquiritur, 774 *b*. Sanctarum cathalogo adscribitur, *ibid*.
Henricus Albanensis episcop. 14 *a*.
Henricus Argentin. episcop. 22 *b*.
Henricus Bituricensis archiepiscopus. *V*. Bituricensi archiepiscopo *etc*.
Henricus CP. imperator constitutionem sancit contra libertatem ecclesiasticam, 264 *b*. Eam infirmat, *ibid*.
Henricus Gradensis patriarcha. *V*. Gradensis Ecclesia *etc*.
Henricus imperator a Coelestino III imperio investitur, 169 *a*. Eius scelera, 171 *b*.
Henricus II Angliae rex tractatum init cum Innocentio IV de regno Siciliae Ædmundo filio concedendo 722 *b*. Cur nullum ius ei super eodem regno competat, 726 *a*.
Henricus Svevus Paschalem II per violentiam capit, 171 *b*. Ab eoque privilegium de investituris Eccles. extorquet, *ibid*. et *seq*.
Hermannus magister ordinis Teuthonicorum, 423 *b*.
Herrart abbatissa Hohenburgensis monasterii. *V*. Hohenburgensis abbatia.
Hervei comitis Nivernensis et Virzeliacensis monasterii concordia confirmatur, 289 *b*.
Herveus episcopus Trecensis. *V*. Trecensis Ecclesia.
Hiberniae praelati admonentur ut statuta concilii generalis observare faciant, 364 *b*.
Hierosolymitanorum equitum encomium, 629 *a*. Privilegia eisdem nonnulla conceduntur, *ibid*. *b* et *seq*.
Hierusalem. *V*. Ierusalem.
Histriones in monasterio Cassinensi non admittendi, 356 *b*.
Hohenburgensis abbatia a Friderico II imperatore reparata, 22 *b* et *seq*.
Homoboni (S.) virtutes, 138 *b*. Miracula, 139 *a*. Canonizatio, *ibid*. *b*.
Honorius III Papa CLXXVII eligitur, 304 *a*.
Hospitalitas, 244 *b*. Eius encomium, 189 *b*, 320 *b*.
Hugo abbas Bonaevallis. Eius corpus miraculis clarum, 381 *b*. Inquisitio demandatur de his, *ibid*.
Hugo abbas Cluniacensis, 55 *b*.
Hugo episcopus Lincolniensis 359 *b*. Commissio datur super inquisitione vitae ac miraculorum eius, *ibid*. Sanctorum cathalogo adscribitur 367 *a*.
Hugo pseudo-episcopus Sancti Andreæ, 54 *a*. Eidem obedientes censuris percellendi, 55 *a*. Altaria et calices in quibus celebraverit, purificanda, *ibid*. Ab eo immutata pristino statu reddenda, *ibid*. *b*.
Humanatensis Ecclesia, 500 *a*. Ab illa disiungitur Recanatensis Ecclesia, *ibid*. et *b*.
Humanatensibus episcopis subiicitur Auximana civitas episcopali dignitate privata, 536 *a*.
Humiliati vel Pauperes de Lugduno (haeretici) condemnantur, 20 *b*.
Hungariae rex Babiloniam penetrat, 331 *b*.

I

Iacobi (B.) ordinis et militiae institutio, 241 *b*. Validatur et confirmantur ei bona omnia data et danda, 242 *b*. Milites uni magistro subiiciuntur, 243 *a*. Uxores habendi facultas eis datur, *ibid*. Eorum statuta, 244 *b*. Privilegia, 245 *a*.

Ianuarius (S.). Eius festivitatis translatio ad VII idus maii, 792 *b*.
Iacobus Aragoniae rex, eiusque regnum sub protectione Apost. Sedis suscipitur, 360 *a*.
Iacobus Innocentii III PP. consobrinus, militiae pontificiae praefectus, de Apostolica Sede optime meritus, 266 *b*. Castrum Nimphae obtinet, *ibid*.
Ianuenses de Romana Ecclesia optime meriti, 319 *a*, 595 *b*. Et erga Religionis propagatione 596 *a*. Privilegia eis ab Innocentio IV PP. concessa confirmantur, *ibid*. Eos inter et Pisanos conditiones pacis initae sub Honorio III PP., 333 *b*.
Ianuensi civitati medietas insulae Corsicae conceditur, 320 *a*.
Ianuensibus archiepiscopis legatio transmarina committitur, 319 *b*. Pallium eis conceditur, 320 *a*.
Ianuensi Ecclesiae archiep. dignitas confirmatur, 319 *a*. Ecclesiae Corsicanae ei subiectae, *ibid*. Datur ei monasterium in insula Gallinaria, *ibid*. *b*. Nonnulla privilegia conceduntur, 320 *a*.
Ierusalem a Saladino capta, 50 *a*. Preces publicae, sacrumque bellum indictum pro eius recuperatione, 51 *b*, 88 *b*, 332 *a*. Indulgentiae auxilium ad hoc praestantibus, 223 *b*, 276 *a*, 303 *b*. Crucesignatis data privilegia, 302 *a*, 303 *b*.
Iesu Christi Militiae Parmen. ordo approbatur, 486 *a*.
Imperium Rom. Germanicum sub Sedis Apostolicae speciali cura, 169 *a*. Eius provisio principaliter Sedem eamdem contingit, 178 *b*.
Indulgentiae et privilegia omnia revocantur quibuscumque singularibus personis ecclesiasticis vel saecularibus, quibus concedebatur, quod interdici, vel excommunicari non possent, nec terrae eorum ecclesiastico interdicto supponi, 763 *b*.
Infernus, 583 *a*.
Innocentius III PP. CLXXVI eligitur, 112 *b* et *seq*. De legitima sui electione scribit et ut fausta, reipublicaeque salutaris existat, omnes Deum orare iubet, 113 *a* et *seq*. Antea canonicus basilicae S. Petri de Urbe, 124 *a*. Quam habuerit de imperio sollicitudinem, 178 *b*.
Innocentius IV Papa CLXXX eligitur, 502 *a*. Litterae de sua in Pontificem electione, *ibid*. et *seq*. Quam curam habuerit de regno Siciliae, 539 *a*.
Inquisitionis officiales, 553 *a*. A quibus eligendi, 611 *a*. Iuramentum ab eis emittendum, 554 *a*. Ad nullum aliud officium compellendi quod istud impediat, *ibid*. *b*. Qualiter si deliquerint puniendi, 555 *a*. Quaecumque fecerint rata habenda, 612 *a*. Indulgentiae eis concessae, 668 *b*. Sunt defendendi, 505 *a*. Fides eis adhibenda, 554 *a*. Praestandum auxilium, 555 *a*. Sumptus eis suppeditandi ex mulctis haereticorum, 562 *a*. Possunt interpretari statuta ecclesiastica contra haereticos edita, 583 *a* et *seq*. Contra eosdem procedere, ac eorum fautores, 584 *a*. Nec non contra praedicatores quaestuarios, 585 *a*. Facultas datur eis absolvendi a censuris ecclesiasticis confratres societatis Crucesignatorum, *ibid*. *b*. Privilegia eisdem concessa, 590 *a* et *seq*. Facultas datur eis procedendi, etiam irrequisitis dioecesanis, contra haereticos iudicialiter confessos et obstinatos, 646 *b*. Eis sunt expensae ministrandae per episcopos, de pecunia ex mulctis provenienti, 666 *b*. Illis favere debent praelati ecclesiastici, rectores saeculares et alii in negotio fidei exequendo, 667 *b*. Indulgentiae illis, eorumque notariis et sociis conceduntur, 668 *b*. Facultas datur cogendi quoscumque magistratus et officiales ad exequendum eorum sententias, 669 *a*; omnesque ad tradendum scripturas et instrumenta ad Inquisitionem spectantia,

ibid. b. Datur eis facultas absolvendi redeuntes ad fidem, 670 *a*; convocandi clerum et populum adversus haereticos, *ibid.* Ipsi, eorumque socii de salvo conductu providendi a praelatis ecclesiasticis, *ibid. b.* Bona haereticorum confiscata vendere debent, et pretium ad opus S. Romanae Ecclesiae conservare, 672 *a.* Procedere possunt in causis fidei contra quoscumque etiam exemptos, et eligere notarios etiam regulares, qui in saeculo notarii fuerunt, *ibid. b.* Non tenentur obedire praelatis suorum ordinum in negotiis concernentibus officium S. Inquisitionis, 673 *b.* Eorum auctoritas circa processum et examen testium, observantiamque legum editarum contra haereticos, et punitionem Praedicatorum quaestuantium et aliorum ipsis inquisitoribus inobedientium, 687 *b.* Ipsi et eorum notarii a quocumque officiali Sedis Apost. delegato non possunt excommunicari, suspendi, interdici absque eiusdem Sedis speciali licentia, 694 *a.* Ipsi et eorum socii ordinis fratrum Praedicatorum mutuo se possunt ab excommunicatione absolvere, irregularitatibus dispensare a quibus per priores eiusdem ordinis absolvi possent, *ibid. b.* Describi faciant in statutis civitatum leges editas ab Innocentio IV contra haereticos et ad id cogant magistratus saeculares, 763 *a.* Contra christianos procedere debent iudaizantes, et contra iudaeos, qui ad suos ritus christianos trahunt, 785 *b.*

Interamnensi Ecclesiae episcopalis dignitas restituitur, 337 *b.* Donatio quaedam a populo eidem Ecclesiae facta confirmatur, 348 *a.*

Ioannes abbas monasterii S. Matthaei de Castello, ordinis Cassinensis. *V.* Matthaei (S.) de Castello, *etc.*

Ioannes Angliae rex pacem init cum ecclesiasticis sui regni, 284 *b.* Regnum subiicit Apost. Sedi, 286 *a.* Fidelitatem iurat eidem et regnum ei conceditur in feudum, 287 *b.* Regni barones ei infensi excommunicantur, 295 *b.* Dat diploma pro libertate ecclesiasticarum electionum, 296 *a.* Excommunicatione solutus, peracta poenitentia, 298 *b.* Barones contra eum insurgunt, 299 *a.* Iusta eis promittit, sed nihil proficit, *ibid. b.* Iniquae pactiones, quas cum magnatibus facit, rescinduntur, 300 *a.* Donat ecclesiam de Wintele hospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, eiusque donatio confirmatur, 335 *a.*

Ioannes Colomenus monasterium S. Salvatoris de Martello fundat, 12 *b.*

Ioannes de Narbona Waldensis fidem catholicam profitetur, 246 *b.*

Ioannes eremita prior conventus S. Mariae de Gualdo, 344 *a.* Inquisitio demandatur super vita et miraculis eiusdem, *ibid.*

Ioannes Gualbertus congregationem Vallis-Umbrosae fundat, 96 *a.* Inter Sanctos refertur, *ibid.* et *b.* Crucifixi imago caput ei inclinat, 97 *a.*

Ioannes minister ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum. *V.* Trinitatis Sanctissimae *etc.*

Ioannes Strigoniensis archiepiscopus. *V.* Strigoniensibus archiep.

Ioannes Svetiae regni invasor. *V.* Svetiae regnum.

Ioannis (S.) Hierosolymitani fratrum encomium, 629 *a.* Ex concessionibus apost. nullum eis praeiudicium infertur, nisi ipsi speciatim nominentur, *ibid. b.*

Iocelinus Glascuensis episcopus orator Wilielmi regis Scotiae ad S. Sedem, 7 *b*, 54 *b.*

Iosephini (haeretici) condemnantur, 20 *b.* Eorum poenae, 506 *b.*

Isenricus abbas monasterii S. Blasii Admunt. *V.* Admontense monasterium *etc.*

Iudaei sub protectione Honorii III PP. suscipiuntur, 330 *b.* Nonnisi volentes ad

Baptismum admittantur, 351 *a*. Molestias eis inferre nemini liceat, *ibid.* Habitu distingui debent a christianis, 380 *a*. Publica officia non sunt eis committenda, *ibid.* Benignitas Ecclesiae christianae in eos, 479 *a*. Ingratos se praestant, *ibid.* Eorum excessus, *ibid. b*. Mancipia et nutrices christianas in suis domibus habere non possunt, *ibid.*; nec cum christianis de fide disputare, *ibid.* et *seq*. Eorum iniquitates multae, 509 *a*. Quam sit indignum ut nutrices et servientes christianas habeant, *ibid.*

Iudaizantes. Poenae contra eos, ac Iudaeos Christianos ad id trahentes, 785 *b*.

Iudex delegatus, 111 *a*. Suspectus, *ibid. b*.

K

Kunegundis imperatrix. Eius virtutes et miracula, 174 *b* et *seq*. Sanctarum cathalogo adscribitur, 176 *a*. Orationes dicendae in officio et missa eius festivitatis, 176 *b*.

L

Laici de Scripturis Sacris temere iudicare non debent, 159 *a*. Nec de fide disputare, 589 *b*. Leges omnes in ecclesiasticos contra canones ab eis latae rescinduntur, 203 *b*.

Lamberti (S.) Subnen. Salisburgen. dioecesis Ecclesia sub protectione Apost. Sedis suscipitur, eique bona omnia confirmantur, 493 *b*.

Lateranense sacrum et oecumenicum Concilium indicitur, 278 *b*.

Lateranensis Ecclesia centenariae praescriptionis privilegium obtinet, 379 *b*.

Laurentius (B.) Dubliuensis archiep. virtutibus ac miraculis clarus Ss. Confess. Pontif. cathalogo adscribitur, 413 *a* et *seq*.

Laurentii (S.) de Aversa monasterium sub protectione Apost. Sedis suscipitur, bona ei confirmantur et privilegia nonnulla conceduntur, 183 *b* et *seq*.

Laurentii (S.) in Damaso et S. Eustachii de Urbe capitulorum concordia inita super nonnullarum Ecclesiarum iurisdictione confirmatur, 453 *b*.

Lazari (S.) Hierosolymitani hospitalis Leprosorum ordo Fratrum et Militum sub regula S. Augustini confirmatur, 602 *a*. Militibus privilegia nonnulla conceduntur, 727 *b*. Leprosos posse undique colligere et ad domos Leprosorum adsportare declaratur, 742 *b*.

Lectoviae rex fit christianus, 597 *b*. Privilegium conceditur ei ut praesulem catholicum advocet ad regia filio ornamenta conferenda, *ibid.*

Legionis et Castellae regnis conceditur cruciata pro extirpandis Agarenis, 492 *b*.

Leo rex Armenorum ab archiepiscopo Moguntino coronatus, 167 *b*. Ad perseverantiam in fide et subventionem Terrae Sanctae admonetur, 168 *a*. De Romana Ecclesia optime meritus, 182 *b*. Eius regnum nonnisi per Sedem Apost. excommunicari potest, 183 *a*.

Leonistae (haeretici), eorumque poenae, 506 b et seq.
Libri sacri gallice redditi, 159 a.
Licentiandi, 605 a.
Limina Apostolorum visitanda ab archiep. et ep., 652 a. Concessiones contrariae invalidantur, ibid.
Lithuaniae rex. V. Lectoviae rex.
Litterae apostolicae sub dimidia bulla datae parem habent firmitatem cum iis, quae bulla integra diriguntur, 118 b.
Livoniae archiepiscopi sede instabiles, 597 a.
Livoniae paganis ad fidem venientibus verbi Dei praeconibus opus est, 369 a. Religiosi viri idonei ad hoc mittendi, ibid.
Lyciensis comitatus Marco Ziani ducis Venetiarum filio, avi sui Tancredi obitu, conceditur, 546 a.
Lotharius imperator de Apost. Sede optime meritus, 177 a.
Lucani censuris innodati ob ecclesiasticae libertatis violationem, 384 b. Resipiscunt et veniam petunt, ibid. Commissio datur de eorum absolutione, 385 a. Eorum obstinatio, 447 a. Quare excommunicati, ibid. Corruunt in peiora, ibid. Minatur eis Gregorius IX PP. suppressionem dignitatum et honorum, ibid. b. Pisano archiep. mandat ut eosdem admoneat de excessibus, ibid. et 448 a. Eorum civitati episcopalis dignitas, iuraque omnia, quibus spoliata fuerat ob quosdam excessus commissos in Romanam Ecclesiam, restituitur, 496 a et seq.
Lucas abbas Burgaliensis. V. Burgaliensibus monachis.
Lucius III PP. CLXXI eligitur, 7 a. Wilielmum regem Scotiae ab archiepisc. Eboracensi excommunicatum absolvit, ibid. b.
Ludovicus abbas de Alderspach. V. Alderspach
Lugdunense concilium primum indicitur, 510 a.
Lundensi Ecclesiae primatus conceditur super caeteras regni Svetiae Ecclesias 132 a.

M

Magalonensi Ecclesiae confirmatur comitatus Melgori seu Montis Ferrandi, 343 a.
Magistratus urbium et barones iuramentum praestare debent de auxilio episcopis contra haereticos dando, 22 a.
Magistri, 606 a.
Maioricarum insulae civibus conceditur ne in posterum ad lites dirimendas loca remota petere cogantur, 543 a.
Malachias Hiberniae episcopus. Eius vita a S. Bernardo conscripta, 75 a. Canonizatur, ibid b.
Mali poenis sunt coercendi, 105 b.
Mandatum quando desinat morte mandatoris, 31 b.
Manerium, quid sit, 120 a. V. not. ad calcem colum. eiusd.
Mangono (de) comes. V. Albertus comes etc.
Mantuani constitutiones nonnullas edunt inquisitionis officium impedientes, quas abrogari vel moderari mandat Alexander IV, 652 b et seq.

Marchia Anconitana Azzoni VII Estensi in feudum concessa, 324 *b*.
Marci (S.) Mantuan. ordinis regulae confirmantur, 458 *b*. Eius priori nonnulla conceduntur privilegia, 462 *b*.
Marcovaldus ecclesiasticae libertatis violator, 114 *b*. Longanimitas erga eum adhibita, *ibid*. Contumax excommunicatur et excommunicationis eius sententia ab Innocentio III PP. confirmatur, *ibid*. et 115 *a*. A censuris solutus denunciatur, 164 *b*. Spondet se Papae mandatis obtemperaturum, 165 *a*.
Mariae (B.) Servorum ordo. *V*. Servitarum ordo.
Mariae (B.) Virginis gloriosae militia sub regula B. Augustini approbatur, 676 *b*. A quibus fuerit instituta, 677 *b*. Nomen et regula militiae, *ibid*.
Mariae (S.) de Ara-Coeli in Urbe Ecclesia ac monasterium fratribus ordinis Minorum S. Francisci conceditur, 558 *b*.
Mariae (S.) de Ferraria monasterium ordinis Cistercien. Theanen. dioecesis sub protectione Apostolicae Sedis suscipitur, bonaque omnia ei confirmantur, 89 *b* et *seq*.
Mariae (S.) de Mercede redemptionis captivorum fratrum ordini conceditur ut vivant sub regula S. Augustini, 485 *b*.
Mariae (S.) de Monte Carmelo ordinis fratrum regulae declarantur et mitigantur, 535 *a*. Eius statuta declarata confirmantur, 628 *b*.
Mariae (S.) de Rheno fratres. *V*. Praxedis (S.) *etc*.
Mariae (S.) in Saxia de Urbe hospitale. *V*. Spiritus (S.) hospitale *etc*.
Mariae Maioris (S.) basilicae de Urbe confirmantur donationes factae ab Eugenio III et Clemente III, 81 *b*, 82 *a*; nec non et indulgentiae a Sixto III et Clemente III concessae, 383 *b*.
Maritimae et Campaniae castra, feuda, terrae et alia nonnisi personis de eisdem provinciis oriundis vendi, donari seu infeudari possunt, 702 *a*.
Massilienses sub tutela Apost. Sedis recipiuntur cum annua praestatione ab ipsis sponte oblata centum obulorum aureorum, 446 *a*.
Mathildis comitissae concordia cum Nivernensi et Virziliacensi monasterio confirmatur, 289 *b*. Terras nonnullas donat Ecclesiae Romanae, 371 *b*. Recuperantur, *ibid*. Recuperationis terrarum descriptio, 372 *a*.
Matrimonium. Litis pendentia super matrimonio non impedit secundum matrimonium contrahere si primum erat nullum, 45 *a*. Contrahens matrimonium sub conditione non improbata, non compellitur matrimonium consumare ante conditionis eventum, *ibid*. *b*. In quarto consanguinitatis gradu non contrahendum, 582 *b*.
Matthæi (S.) de Castello ordinis Cassinen. monasterium obtinet confirmationem bonorum omnium et concessionem privilegiorum a Lucio III PP., 14 *b*. Bona omnia ei confirmantur et privilegia conceduntur, 613 *a*.
Matthæus abbas S. Laurentii de Aversa. *V*. Laurentii (S.) de Aversa.
Matthaeus archiep. Capuanus, 90 *a*.
Matthaeus ep. Mazaren., 12 *b*.
Mediolanenses excitantur ad violentiam Pisanorum Sardiniam occupantium repellendam, 345 *a*.
Mediolanensi Ecclesiae Cremensis subiicitur, 420 *b*.
Melgorii seu Montis Ferrandi comitatus confirmatur Ecclesiae Magalonensi, 343 *a*.
Metropolis. Res insolita, ut duae civitates inter se vicinae metropoles crearentur, 11 *b*.
Minorum fratrum S. Francisci ordo et regulae approbantur, 394 *a* et *seq*. Apud

infideles degentibus, ut habitum mutare, barbam et comam nutrire, ac pecunias tractare valeant indulgetur, 417 *b*. Regulae a S. Francisco traditae declaratio, cum responsis ad dubia per fratres eosdem alligata, 449 *b*. Eius nonnulla capita explicantur, 519 *b* et *seq*. Conventuales denominantur, 542 *b*. Eis conceditur Ecclesia S. Mariae de Ara Coeli in Urbe ac monasterium prope illam constitutum, 558 *b*. Ab Universitate Parisiensi repulsi Summum Pontificem appellant, 603 *a*. Quid egerint Innocentius IV et Alexander IV, *ibid.* et *seq*. Ad episcopatus et alias dignitates promoti, libros et alia sua bona ordini resignare tenentur, 628 *a*, 798 *b*. Alia statuta pro eodem ordine, 735 *b*. Prope Ecclesias Fratrum Minorum non sunt construenda monasteria monialium, aut conventus ordinum Mendicantium infra spatium 300 cannarum, 759 *a*. Hoc spatium ad 140 reducitur, 798 *a*. Eorum gratias et privilegia archiepiscopi et praelati interpretari nequeunt, 799 *b*.

Miracula. Principio Deus Ecclesiam miraculis clarificavit, 413 *a*. Propter christianorum peccata, miraculis intermissis, suscitavit doctores, *ibid.* *b*. Interdum signa renovat, *ibid.*

Missa celebranda non est ante matutinum, 581 *b*.

Mitra. Ex mitrae indeterminata concessione, abbates inter et episcopos ortae saepe discordiae, 765 *a*. Abbates et alii, quibus mitrae usus est ab Apost. Sede concessus, exempti quidem, in conciliis et synodis, mitris tantummodo aurifrigiatis, non exempti vero simplicibus albis et planis uti debent, *ibid.*

Moguntinae Ecclesiae cum Romana communio qualis, 639 *b* et *seq*.

Moguntino archiep. mandatur ut sententiam excommunicationis publicare faciat contra electores, si Conradum Conradi Friderici olim imperatoris filii natum in imperatorem eligant, 690 *b*. Eius dignitas, 765 *b*.

Monaldus Forosemp. archiep. *V*. Forosemproniensis Ecclesia.

Monastica vita, 583 *a*.

Montis Baronzon castrum sub annuo censu conceditur Mutinensi civitati, 422 *b*.

Montis Casini monasterio confirmantur donationes factae a Barasone eiusque uxore Algaburga Sardiniae regibus, 8 *b* et *seq*.

Montis Fani eremus. *V*. Sylvestrinorum, *etc*.

Montis Ferrandi seu Melgorii comitatus Ecclesiae Magalonensi confirmatur, 343 *a*.

Montispessulanum hospitale unitur hospitali S. Mariae in Saxia de Urbe, 190 *b*. Ab illo postea disiungitur, 320 *b*, 654 *b*. Eidem vero subiectum, 655 *a*. Uterque magister soli Rom. Pontifici subiectus, *ibid.*

Montisregalensis abbatia a Guillelmo II Siciliae rege constructa, 11 *a*. Ab Alexandro III PP. ab omni episcopali subiectione exempta, *ibid.* Precibus Guillelmi regis ad metropolicam dignitatem erigitur, *ibid.* *b*. Sub protectione Apostolicae Sedis recipitur, *ibid.* Bona ei confirmantur, 12 *a*. Catanensis Ecclesia ei subiicitur, *ibid.* Episcopale ius ei conceditur, *ibid.* Parochiae et Ecclesiae ad vicinos episcopatus antea pertinentes ei confirmantur, vel de novo asseruntur, *ibid* et *seq*. Palliio eius archiepiscopus uti potest, 13 *a*. Futuri archiepiscopi per monachos Ecclesiae huius eligendi, *ibid.* *b*. Decretum pro immunitate ipsius, cum annuo censu Sedi Apost. persolvendo, *ibid.*

Montis Sancti monasterium cum omnibus bonis, libertatibus, privilegiis sub Apostolicae Sedis protectione suscipitur, 291 *a*.

Montis Virginis congregatio sub protectione apostolica recipitur, 107 *b*. Bona omnia ei confirmantur, 108 *a* et *seq*. Immunitates conceduntur, libertatesque si

confirmantur, 694 *b*. Eius abbatibus privilegium datur mitrae, baculi, benedictionis solemnis et aliorum pontificalium, 708 *a*.
Mulieres a servitio altaris sunt removendae, 582 *a*.
Mutinensi civitati sub annuo censu conceduntur castra Carpi et Montis Baronzon, 422 *b*.

N

Nadivus, quid sit, 116 *b*. *V*. not. ad calcem colum. eiusd.
Nantellinus episcopus Gebennensis. *V*. Arducii episcopi, *etc*.
Naufragorum bona suis restituenda dominis, 376 *b*.
Naulensi Ecclesiae, quae antea Brugnatensi fuerat unita, dignitas redditur episcopalis, eique unitur monasterium S. Eugenii, 519 *a*. Ianuensis Ecclesiae suffraganea declaratur, *ibid*.
Neapolitani Manfredo resistunt, 545 *a*. In tutelam Sedis Apost. suscipiuntur, *ibid*. Privilegia eis ac libertates conceduntur, *ibid*.
Nicolai (S.) de Gurgo Ecclesia cum omnibus pertinentiis iam a Barasone eiusque uxore Algaburga Sardiniae regibus monasterio Montis Casini donata eidem confirmatur a Lucio III PP., 8 *b* et *seq*.
Nicolaus abbas S. Mariae de Ferraria. *V*. Mariae (S.) *etc*.
Nicolaus archiep. Messanen., 12 *b*.
Nicolaus episc. Tusculanus, 364 *a*.
Nimphae castrum quo iure Apost. Sedi pertineat, 266 *b*. Sub quibus conditionibus Iacobo Innoc. III PP. consobrino concessum, 267 *a*.
Nonantulano monasterio confirmantur privilegia ab Adriano, Ioanne IX et Marino Ss. PP. concessa, 280 *a* et *seq*.
Norbertus Praemonstratensium institutor, 125 *b*.
Novalium exemptio quomodo intelligenda, 631 *b*.
Noviomensi hospitali a Stephano episcopo constructo regulae datae ab eo confirmantur, 346 *b*.
Novitii. *V*. Tyrones.
Nuptiae secundae et tertiae non reprobandae, 582 *b*.

O

Obertus praepositus Bergomen. Ecclesiae. *V*. Alexandri (S.) et S. Vincentii, *etc*.
Oderisius episcopus Pennensis. *V*. Pennensis episcopi, *etc*.
Odiliae (S.) virginis corpus. *V*. Hohenburgensis abbatia, *etc*.
Odo Pennensis episcopus. *V*. Pennensis Ecclesiae *etc*.
Ordines Sacri septem, 582 *a*.
Osbertus Kalkvensis abbas orator Wilielmi regis Scotiae ad S. Sedem, 7 *b*.
Otto Bambergensis episcopus canoni sanctorum adscribitur, 66 *b*, 67 *a* et *b*.
Otto Ianuensis archiepiscopus, 318 *b*.
Otto Saxoniae ducis filius. Eius ius in imperium, 169 *a*. In imperatorem eligitur, 173 *b*. Eius qualitates *ibid*. Ei favendum, 174 *a*. Ei in imperatorem electo regnum confirmatur, 176 *b*. Eius dotes et in Apost. Sedem merita,

177 *a*. Regalis dignitas ei confirmatur, *ibid*. *b*. Excommunicatur, 259 *b*. Statuta eius contra libertatem Ecclesiae infirmantur, 260 *a*. Irritatur quoque sententia ab eo contra Cumanum episcopum lata, *ibid*.
Oxonii statuta contra tranquillitatem regni Angliae facta irritantur, 704 *a*.

P

Palentinae Academiae privilegia et exemptiones conceduntur ad instar Universitatis Parisien., 695 *b*.
Pancratii (S.) de Lewes monasterio decretum datur de non promittendis Ecclesiis antequam vacent, pro iisque pensionibus non solvendis, 106 *a*.
Pandulphus card. Ss. XII Apostolorum, 14 *a*.
Paramenta sacra, 581 *b*.
Parisiensis Universitatis statuta quaedam contra fratres ordinis Mendicantium approbantur, nonnulla temperantur, caetera rescinduntur, 602 *a* et *seq*. Eius encomium, 455 *b*, 602 *b*. Iuramentum a cancellario praestandum de licentiandis, 456 *a*. Inquisitio de iis facienda ante licentiam dandam, *ibid*. Privilegia nonnulla conceduntur magistris, *ibid*. *b*. Episcopi Parisien. ius in scholares delinquentes, *ibid*. Exemptiones eisdem concessae, 457 *a*. De magistris artium, *ibid*. De magistris theologiae, *ibid*. De bonis scholarium obeuntium, *ibid*. *b*.
Parochi confessiones audiant, caeteris vero danda ab episcopo loci licentia, 582 *a*.
Partuselli terra comiti Bertoldo infeudata, 381 *a*.
Parvulorum animae post Baptismi lavacrum decedentium ad patriam protinus transvolant sempiternam, 583 *a*.
Passagini (haeretici) condemnantur, 20 *b*. Eorum poenae, 506 *b*.
Patareni (haeretici) excommunicantur, 20 *b*. Poenae contra eos statutae, 202 *b*. Eorum impietas, 505 *b*. Fautores eorum condemnantur, 202 *b*. Relegantur, 505 *b*. Poenae contra eorum receptores et defensores, 507 *a*.
Paulus (S.) quo sensu dicatur Petro in faciem restitisse, 470 *a*. Semper in doctrina cum Petro concors, *ibid*. *b*. Petri primatum cognovit, *ibid*.
Paulus ep. Praenestinus, 16 *a*.
Pauperes de Lugduno (haeretici). *V*. Humiliati.
Pelagius Albanensis episcopus. *V*. Albanensis Ecclesia.
Pennensis Ecclesiae et monasterii S. Quirici compositio confirmatur, 17 *a*; nec non castella duo Puliano et Colle Alto ab Odone eius episcopo acquisita, 99 *b*. Unitur ei Hadriensis in cathedralem erecta, 547 *a*.
Perusini canonici regulas sibi statuunt coram delegato apostolico, 115 *b*. Confirmantur, *ibid*.
Perusium iuris Sedis Apostolicae declaratur, 129 *b*. Eius consulatus et antiqua privilegia confirmantur, *ibid*. et *seq*.
Petri (S.) de Urbe basilica canonicis conceditur redditum, et bona nonnulla confirmantur, 123 *b*.
Petrus abbas Cassinensis confirmationem obtinet a Lucio III PP. donationis a Barasone, eiusque uxore Algaburga Sardiniae regibus factae monasterio Montis Casini, 8 *b*.
Petrus abbas Praemonstratens. *V*. Praemonstratenses.

Petrus Aragonum rex Romae in monasterio S. Pancratii ab Innocentio III PP. coronatus, 197 *a* et *seq.* Eius diploma pro libertate electionum, 204 *b*.
Petrus archiepiscopus Compostellanus. *V.* Compostellana Ecclesia.
Petrus (B.) martyr Veronensis ordinis fratrum Praedicatorum, 562 *b*. Eius virtutes, 563 *b*. Martyrium, 564 *a*. Miracula, *ibid.* *b*. Sanctorum Confessorum canoni adscribitur, 565 *b*.
Petrus card. S. Susannae, 14 *a*.
Petrus comes Antissiodoren. Romae coronatur CP. imperator, 316 *b*.
Petrus de Castro Novo delegatus a Sede Apostolica contra Albigenses, 208 *a*. Raymundi comitis fraude decipitur, 209 *a*. Ab eius satellitibus occiditur, *ibid.* *b*.
Petrus episcopus Carnotensis. *V.* Carnotense capitulum.
Petrus prior Interamnensis. *V.* Interamnensis Ecclesia.
Petrus (S.) et alii apostoli secunda Ecclesiae fundamenta, 469 *b* et *seq.* Quo sensu dicatur Paulus ei in faciem restitisse, 470 *a*. Ipse et Paulus semper in doctrina concordes, *ibid* *b*. Eius primatum cognovit Paulus, *ibid.* *b*. Eius primatus veritas confirmatur expressius, *ibid.* et *seq.* Eius peccatum successores docet alienis compati infirmitatibus, 471 *b*.
Philippensis Ecclesiae variis auctae privilegiis confirmantur bona; illaque sub protect. Sedis Apostolicae suscipitur, 263 *b* et *seq.* Eius archiepiscopis pallium conceditur, 264 *a*.
Philippus ab Innocentio III PP. Aragonum rex coronatur, 284 *a*.
Philippus de Assisio nuntius apostol., 498 *a*, 499 *a*.
Philippus rex Franciae foedus init cum Balduino comite Flandriae quod confirmatur, 121 *b*.
Philippus II rex Franciae. Eius proles a super inducta suscepta legitimatur, 182 *a*. Beneficiorum collationes episcopo Trecensi restituit, 206 *b*.
Philippus Svevus in imperatorem eligitur, 169 *a*. Iura pro eo asserta, *ibid.* *b* et 170 *b*. Alia iura e contra, *ibid.* Quare a Coelestino III PP. fuerit excommunicatus, *ibid.* Quomodo ab episcopo Sutrino absolutus, 171 *a* et *seq.*
Pictavensi episcopo decretalis datur qua conceditur ei collatio beneficiorum ultra sex mensium vacantibus, 19 *b*. Ius ei datur in abbatissas sui episcopatus, *ibid.* Collatioque praepositurae Ecclesiae Pictavensis, *ibid.*
Pisanis archiepiscopis metropolicum ius confirmatur super Corsicanis Ecclesiis, 117. *b*. Conceditur eisdem primatus super provincias Turitanam, Calaritanam et Arborensem, 118 *a*.
Pisanis confirmantur donationes omnes ab Hierosolymitanis regibus, aliisque Terrae Sanctae prioribus factae, 86 *a* et *b*. Eorum et Ianuensium conditiones pacis initae sub Honorio III PP., 333 *b*. Sardiniam invadunt, 345 *a*. Impelluntur Mediolanenses ad violentiam eorum repellendam, *ibid.*
Piratarum adiutores excommunicantur, 302 *b*.
Placentino populo facultas conceditur instituendi publicam academiam, episcopo vero lauream conferendi doctoralem, 536 *b*.
Poloniae christifideles admonentur ad debitum censum Romanae Ecclesiae persolvendum, 198 *a*.
Pontifex Rom. omnium Ecclesiarum curam gerere debet, 63 *a*, 106 *b*. Nemini subiacet, 102 *a*. Fidelium pacem procurare debet, 115 *a*. Eamdem habet pote-

statem, quam Christus dedit Petro, 168 *a*. Quae eius sit dignitas, quae potestas, 187 *a*. Qualis sit in eius electione divina dispositio, 675 *a*.
Pontius abbas monasterii S. Ægidii. *V*. Ægidii (S.) monasterium.
Populi noviter ad fidem conversi Romanae Ecclesiae subiecti declarantur et sub eius protectione recipiuntur, 422 *a*.
Portugallenses reges de religione catholica optime meriti, 262 *b*. Sub Apostolicae Sedis protectione recipiuntur, *ibid*.
Portugalliae regnum Sedis Apost. vectigal, 263 *a*. Eo propter inhabilitatem regis deturbato, regni proceres monentur ut comiti Boloniensi ipsius fratri obediant, salvo tamen eiusdem regis, filiorumque iure, 516 *a* et *seq*.
Praxedis (S.) de Urbe Ecclesia fratribus S. Mariae de Rheno adimitur, 106 *b*, 107 *a*. Cardinali titulari conceditur, *ibid*.
Praedicatio a nemine facienda sine Sedis Apostolicae vel ordinarii loci permissione, 21 *a*. Non in occulto sed publice est facienda, *ibid*. et 159 *b*. Hoc officium non temere a quocumque usurpandum, 160 *b*.
Praedicatores quaestuarii inquisitorum censuris subiecti, 690 *a*.
Praedicatorum ordinis primordia, 309 *a*. Conceditur eis Ecclesia S. Sixti de Urbe, 366 *b*. Eius fratribus apud infideles degentibus, ut habitum mutare, barbam et comam nutrire ac pecunias tractare valeant indulgetur, 417 *b*; fratres ad episcopatum vel alias ecclesiasticas dignitates, invitis ordinis superioribus, non sunt ab aliquo archiepiscopo, nec Apost. Sedis legato promovendi, 543 *b*. Assumpti vero omnia debent conventui restituere, 798 *b*. In toto ordine uniforme officium recitandum, 785 *a*. Eorum privilegia episcopi, aliique interpretari non possunt, 799 *b*. Ab Universitate Parisiensi repulsi Summum Pontificem appellant, 603 *a*. Quid egerint Innocentius IV et Alexander IV, *ibid*. et *seq*.
Praelati Ecclesias suas, quibus praesunt, alienis debitis gravare minime possunt, 463 *b*. Poenae inobedientium, 464 *a*.
Praemonstratenses. Confirmantur eorum regulares institutiones, 125 *b*. Regulae eisdem dantur, *ibid*. Et nonnulla conceduntur privilegia, 127 *b* et *seq*. Eorum ordo reformatur, 466 *a*.
Premislaus Boemiae dux regis nomine decoratur, 189 *a*.
Primitiae Deo offerendae, 123 *b*.
Prioratus, eorumque collatio, 629 *b*.
Privernatis Ecclesia Terracinensi unitur, 313 *b*.
Processio die festo S. Marci ad basilicam S. Petri, 671 *a*. De vexillis, crucibus aliisque insigniis in ea ferendis, *ibid*. *b*. De denariis recipiendis, 672 *a*. De crucibus per ordines regulares ferendis, *ibid*.
Prostitutae. *V*. Repentitae mulieres.
Provinciales (haeretici); ad eorum expugnationem excitantur christifideles, 227 *a* et *b*.
Prussiae christifideles ad fidem catholicam noviter conversi admonentur ut alios ad eamdem amplexandam excitent, 369 *b*.
Purgationis locus, 582 *b*.

Q

Quadragesimale ieiunium, 582 *a*.
Quaestuantes et litteris apostolicis abutentes, earumdemque praetextu eleemosynas quomodolibet extorquentes damnantur, 767 *b*.
Quirici (S.) Monasterii abbatis et Pennensis episcopi controversia definitur, 17 *a*.

R

Radicofani populo prohibetur ne consules absque speciali Sedis Apostolicae licentia eligat, 196 *b* et *seq*.
Raymundus comes Tolosanus favet Albigensibus, 208 *b*. Fraude decipit Petrum de Castro Novo, 209 *a*. Excommunicatur, 210 *b*. Subditos eius a iuramento fidelitatis absolvuntur, *ibid*. Signa ab eo danda ut absolvatur, 211 *a*.
Raymundus de Pennafort (S.) iussu Gregorii IX PP. in volumen redigit Decretales, 485 *b*.
Raymundus de S. Paulo (Waldensis) Fidem catholicam profitetur, 246 *b*.
Raynerius Interamnensis episcopus. *V*. Interamnensis Ecclesia.
Ramberti (S.) Iuren. dioecesis monasterium sub protectione Apostolicae Sedis suscipitur, 77 *b*. Bona omnia ac privilegia eidem confirmantur, *ibid*. et *seq*.
Ravennatensis Ecclesia sub protectione Apostolicae Sedis suscipitur, 401 *b*. Bona ei confirmantur, 402 *a*, 403 *b*. Pallium eius archiep. conceditur, 403 *a*.
Recanatense oppidum in civitatem erigitur, 500 *a* et *b*.
Recanatensis civitas episcopali dignitate ornatur, qua fuerat Auximana civitas privata, 536 *a*. Romanae Ecclesiae rebellis ea dignitate privatur, 697 *b*.
Recanatensis Ecclesia in cathedralem et sedem episcopalem, cum disiunctione ab Ecclesia Humanatensi erigitur, 500 *a* et *b*.
Recanatensium fides erga Sedem Apost., 500 *a*. Eorum oppidum in civitatem, et Ecclesia in cathedralem et sedem episcopalem erigitur, *ibid*. et *b*.
Rectores civitatum praestare debent iuramentum pro fidei defensione, 507 *a*.
Reginaldus rex Insularum regnum Apost. Sedi donat, pro eoque fidelitatem iurat, 387 *a*.
Reginensi episcopo conceduntur bona sub annuo censu Roman. Pontificibus solvendo, 401 *a*.
Religiosi. Innocentius IV religiosis prohibet ne alienos parochianos diebus festivis recipiant, 595 *a*. Nec non de mortuis portionem canonicam solvant Ecclesiis, *ibid*. Haec omnia revocantur ab Alexandro IV, *ibid*. *b*.
Repentitae mulieres collocandae sunt in aliquo loco, sub regula alicuius ordinis, 619 *a*.
Rex. Cum regibus benigne agendum, ac tanquam praecellentibus deferendum, 7 *b*.
Riccardus Angliae rex transactionem init cum archiepiscopo Rothomagensi, 119 *a*. Haec concordia confirmatur, *ibid*. *b*.
Riccardus comes Fundanus, Fundanae Ecclesiae libertatem restituit, 233 *a*.
Riccardus comes Soranus; confirmatur ei castrum Vallis Montonis, cum omnibus, quae ei locarunt canonici basilicae Lateranensis, 250 *a* et *seq*.
Riccardus Cornubiae comes, in imperatorem electus, rex Romanorum appellandus declaratur, 698 *b*.
Rigensi Ecclesiae metropolica dignitas confirmatur in Livonia, 596 *b*.
Rilint praeficitur Ecclesiae Hohenburgensi. *V*. Hohenburgensis abbatia, *etc*.
Richardi (B.) encomium, 683 *b*. Eius virtutes, 684 *a*. A B. Edmundo Cantuarien. vocatus quam bene se gesserit, *ibid*. *b*. In episcopatu Cistrense qualis, *ibid*. Eius vigiliae et carnis maceratio, 685 *a*. Miracula, *ibid*. Mors pretiosa, *ibid*. Miracula eius post mortem, 686 *a*. Sanctorum cathalogo adscribitur, *ibid*.

Robertus archiep. Viennensis, 36 *a*.
Robertus (B.) virtutibus et miraculis clarus, 383 *a*. A Molismensibus tamquam Sanctus venerandus declaratur, *ibid.* *b*.
Robertus episcopus Fundanus, 253 *a*.
Rochella (de) archipresbyter. *V*. Aiensium monachorum, *etc*.
Rodericus Toletanus archiep. *V*. Toletanae Ecclesiae,
Roffridus abbas monasterii S. Benedicti Montis Cassini, 61 *b*.
Rogerus Eboracensis archiepiscopus Wilielmum Scotiae regem excommunicat, 7 *b*.
Romana Ecclesia primatum in omnes universi orbis Ecclesias habet, 10 *b* et *seq*., 596 *b*. Supra petram fidei fundata, 102 *a*. Eius stabilitas, *ibid*. Caput et magistra omnium Ecclesiarum, *ibid*. Ad eam omnis quaestio fidei referenda, 471 *a*. Omnium Ecclesiarum mater et magistra in unitate fidei et spiritus concors, 472 *a*.
Romani (S.) Tolosan. monasterium, 309 *a*. In eo ordinem Praedicatorum instituit B. Dominicus, *ibid*. Bona ei confirmantur, *ibid*. et *seq*.
Romanorum Pontificum dignitas atque potestas, 187 *a*.
Romanus archipresbyter Ss. Martyrum Sergii et Bacchi. *V*. Sergii et Bacchi (Ss.) *etc*.
Rothomagensis archiep. mandatum habet de publice iis excommunicandis, qui excommunicatos ad Ecclesiae communionem admittebant, 105 *b*.
Rothomagensi Ecclesiae nonnulla confirmantur bona, 119 *a*.
Rov (de) Ecclesiae Ratisbonensis dioecesis bona omnia confirmantur, nonnullaque conceduntur privilegia, 540 *a* et *seq*.

S

Sabaudiae comiti conceditur in feudum Avillani castrum, quod ipse Apost. Sedi donaverat, 430 *b*.
Sabinia proprietatis Sedis Apostolicae, 486 *a*. Sine huius licentia castra ibi non aedificanda, *ibid*.
Sacerdotibus necessaria scientia 160 *b*. Eorum dignitas, 161 *a*. Non a populo, sed ab episcopo sunt reprehendendi, *ibid*. Promovendi ad hanc dignitatem antea sunt examinandi, 581 *a*.
Saladinus stragem infert christianis Hierosolymis, 50 *a*. Cruce Dominica potitur, *ibid*.
Salamantina Universitas a Castellae rege fundata confirmatur, 601 *a* et *b*.
Salburgensis archiepiscopi et capituli Gurgensis concordia confirmatur inita super modo eligendi episcopum Gurgensem, 212 *a*.
Salinguerra de Ferraria. Eius favore infeudantur nonnulla loca ex donatione comitissae Mathildis provenientia, 317 *b*.
Salvatoris (S.) de Curte Ecclesia subiicitur Ecclesiae S. Chrisogoni de Urbe, 162 *b*.
Sancti plures a Deo pro fidelium salute suscitati, 483 *b*.
Sanctius II Lusitaniae rex a Gregorio Papa censuris innodatur 516 *a*. Negligenter regnans damna plurima Ecclesiis infert, 517 *a*. Deponitur, 518 *a*.
Sanctuarium Dei iure quasi haereditario non est possidendum, 48 *a*.
Sardinia iuris Ap. Sedis, 345 *a*. A nonnullis Pisanis invaditur, *ibid*.
Scafones quid sint, 116 *b*. V. not. ad calcem colum. eiusd.

Scalensis Ecclesia sub Sedis Apostolicae protectione recipitur, 83 *b*. Bona omnia, quorum fines describuntur, confirmantur, *ibid.* et *seq.*
Scholarum cessatio, 606 *b*.
Scotiae regnum a nemine nisi a Romano Pontifice excommunicandum declaratur, 58 *b*. Causae in eo exortae extra illud non sunt asportandae, 59 *a*.
Scotiae rex Wilielmus *V.* Willelmus.
Scoticana Ecclesia Sedi Apostolicae immediate subiicitur, 59 *a*. A nemine excommunicanda nisi a Romano Pontifice, *ibid.* Libertates et immunitates ei confirmantur, *ibid. b*. Soli Apostolicae Sedi subiecta, 84 *b*. Confirmantur ei privilegia ac libertates omnes, 85 *a*; eamque a sola Romana Ecclesia, eiusque de latere legato excommunicari decernitur. *ibid.* Ecclesiae Romanae specialis filia, 345 *b*. Ecclesiae ei subiectae, 346 *a*. Privilegia confirmantur, *ibid.*
Scuriae castrum iuris S. R. E., 272 *b*.
Sechowiensis Ecclesia ab Ebraudo archiep. Salisburgensi fundata, 361 *a*.
Sedes Apostolica magisterium possidet ecclesiasticae disciplinae, 72 *a*. Ad eam spectat de dubiis in religione decernere, 62 *a*. Eius cura pro recuperatione Terrae Sanctae, 87 *b*. Omnium fidelium mater et magistra, 129 *b*, 182 *a*. Ei primatus a Deo concessus, 167 *b*. Auctoritatem habet legitimandi, 182 *a*, Eius de imperio Roman. Germanico cura, 169 *a*. In ea residet plenitudo potestatis, 472 *a*. Eius bona, castra *etc.* absque consensu S. R. E. cardinalium non sunt alienanda, 481 *a*. Omnes excommunicare vel interdicere potest, 618 *a* et *seq*.
Senebaldus abbas monasterii S. Quirici. *V.* Quirici (S.) monasterii *etc.*
Senensis Ecclesia sub Apost. Sedis protectione suscipitur, eique bona omnia confirmantur, 238 *a*.
Sergii et Bacchi sanctorum martyrum Ecclesiae bona confirmantur, 151 *a* et *seq*.
Servitarum ordo sub tutela Apost. Sedis suscipitur, 633 *b*. Eius regulae robur adiicitur apostolicum, *ibid.* Votum paupertatis quale, 634 *a*.
Setina Ecclesia Terracinensi unitur, 313 *b*.
Setularis vel Sotularis, quid sit, 116 *b*. *V.* not. ad calcem colum. eiusdem.
Siciliae reges bene de Sede Apostolica meriti, 130 *a*.
Siciliae regnum. Modus faciendi electiones episcoporum in illo, 130 *b*. Ad ius et proprietatem Sedis Ap. pertinet, 131 *a*. In illo ab Innocentio IV PP. revocantur ea quae contra libertatem ecclesiasticam a Friderico rege acta fuerant, 537 *a*. Innocentii IV PP. cura de eodem, 539 *a*. Iuris Apost. Sedis Carolo Lodovici regis Franciae fratri infeudatur, 747 *a*.
Sicula Ecclesia a Friderico II imp. oppressa, 513 *b*.
Siculi ad fidem suo regi servandam admonentur, 164 *a*.
Sigefridus episcopus Camminensis. *V.* Camminensis civitas.
Simeon Ravennatens. archiep. *V.* Ravennatensis Ecclesia.
Simeon Terracensis episcopus. *V.* Terracensis Ecclesia.
Simon de Monforti dux exercitus contra haereticos Provinciales, 236 *b*.
Simon Eboracensis decanus, 97 *a*, 104 *b*.
Simonia vitanda in receptione monachorum aut sanctimonialium, 246 *a*, 298 *a*.
Soranis civibus libertates et antiquae laudabiles constitutiones confirmantur, 211 *b*. Sub protectione Apost. Sedis suscipiuntur, 445 *b*. Privilegia eis conceduntur, 446 *a*.
Sorbutuli plebs Forosemproniensi Ecclesiae assignatur, 407 *a*.

Spata (de) S. Iacobi militia instituitur, 241 *b*. Bona ei confirmantur, 242 *b*. Dantur regulae, 243 *a*. Privilegia conceduntur, 245 *a*.
Speronistae (haeretici), eorum poenae, 506 *b* et *seq*.
Spiritus (S.) ordo fratrum instituitur, 189 *b* et *seq*. Spiritus Sancti caput et magisterium ordinis in urbe Romae esse debere decernitur, 215 *a*.
Spiritus (S.) hospitale apud S. Mariam de Saxia in Urbe ab Innocentio III PP. constructum, 190 *a*. Regulae eius canonicis datae, *ibid*. Hospitale Montispessulan. ei unitum, *ibid*. *b*. Privilegia eius canonicis concessa, 192 *a*. Statio apud eius Ecclesiam cum indulgentiarum et privilegiorum concessione indicitur, 205 *a*, 388 *a*. Huius hospitalis dignitas, *ibid*. *b*. Effigies Christi a Vaticano huc transferenda, *ibid*. Sub protectione Apostolicae Sedis recipitur, et ab eo dissolvitur hospitale Montispessulanum, 320 *b* et *seq*., 653 *a*. Confirmatur ei donatio Ecclesiae de Wintele, 335 *a*. Eius encomium, 388 *a*, 653 *b*. Super omnes alias totius ordinis domus praeminentiae ac magisterii locum obtinet, 443 *a*. Eximitur a talleis et collectis, 637 *b*. Sub tutela Apost. Sedis suscipitur, 653 *b*. Bona omnia ei confirmantur, 654 *a*. Hospitale Montispessulan. ab eo iam disiunctum, *ibid*. *b*. Eidem nunc subiectum, 655 *a*. Uterque magister soli Rom. Pontifici subiectus, *ibid*. Privilegiis nonnullis donatur, *ibid*. *b*.
Stanislaus episcopus Cracoviensis in Polonia episcopatum optime administravit, 578 *a*. A rege incorrigibili et excommunicato crudeliter occisus, *ibid*. A Deo illustratus miraculosa conservatione corporis, 579 *a*. Frequentibus miraculis, *ibid*. Sanctorum cathalogo adscribitur, *ibid*. et *seq*.
Stephanus abbas monasterii S. Benedicti Cassinensis, 304 *b*.
Stephanus archiep. Cantuariensis cum nonnullis episcopis Ioanni regi infensus, 294 *b*.
Stephanus episcopus Noviomensis hospitale construit, 346 *b*.
Stephanus ordinis Grandimontensis institutor canonizatur, 62 *b* et *seq*.
Stephanus presbyter cardinalis titulo S. Mariae Transtyberim, 501 *a*.
Stigmata sancti Francisci de Assisio, 497 *a*. Veritas huius prodigii, *ibid*. *b*.
Strigoniensibus archiepiscopis confirmatur ius coronandi reges Hungariae, 233 *a*, 259 *a*.
Strigoniensi capitulo confirmatur donatio quaedam facta ab Andrea rege Hungariae, 232 *a*.
Strigoniensis et Colocensis Ecclesiae concordia confirmatur, 257 *a*.
Subari quid sint, 116 *b*. *V*. not. ad calcem colum. eiusd.
Sublacense monasterium sub protectione Apostolicae Sedis suscipitur, eique bona omnia ac privilegia confirmantur, 63 *b*.
Svessani per Sedem Apost. calamitatibus liberati, 444 *a*. Sub Apost. Sedis protectione suscipiuntur, *ibid*. Privilegia eis conceduntur, et antiquae eorum consuetudines confirmantur, *ibid*. et *b*.
Svetiae regnum Ioannes quidam invadit, 371 *a*. Daniae rex, nomine filii defuncti regis Svetiae, ad S. Sedem appellat, *ibid*. Episcopi inungunt invasorem, *ibid*. Dies eis indicitur, *ibid*.
Sylvestrinorum monachorum congregatio in eremo Sancti Benedicti de Monte Fano confirmatur, eique conceduntur privilegia nonnulla, 525 *b*.

T

Talmud liber impius, 509 *a*. A cancellario Parisiensi igni traditus, *ibid*. *b*.
Tarraconensibus archiepiscopis facultas datur coronandi Aragoniae reges, 197 *b*.

Templariis donationes Godefridi I et Godefridi II Brabantiae ducum confirmantur, 30 *b*. Eorum magistri ad Honorium literae de statu Terrae Sanctae, 333 *a*.
Terracinensis Ecclesia sub Apostol. Sedis protectione suscipitur, 312 *b*. Bona ei confirmantur, *ibid*. Uniuntur ei Ecclesiae Privernat. et Setin., 313 *a*.
Terra Sancta. Ad eius subventionem et recuperationem exhortantur fideles, 222 *a*, 274 *b*. Indicitur bellum et cruciata pro eius liberatione, 300 *b*, 314 *a*. Orationibus et opportunis auxiliis liberanda, 331 *a*.
Testes in causis ecclesiasticis censuris compellendi, 76 *a*.
Theanensi Ecclesiae bona omnia, fines, privilegia, ac praecipue diploma favore eius editum a Guimondo de Rocca Romana confirmantur, 91 *b* et *seq*.
Theodinus Portuens. episcopus, 14 *a*.
Theodinus Rainaldus et filius eius Petrus libertates et concessiones largiuntur monasterio S. Matthaei de Castello, 15 *b*. Lucius III PP. illas confirmat, *ibid*.
Theodinus Theanensis episcopus. *V*. Theanensi Ecclesiae, *etc*.
Theodori (S.) de Trebis Ecclesia cum aliis tam loci eiusdem, quam castrorum Filectini et Vallispetrarum Ecclesiis Anagnini episcopi iurisdictioni subiecta declaratur, 426 *b*.
Thessalonicenses archiepiscopi primates, ac perpetui Sedis Apostolicae legati declarantur, 260 *a*. Pallium eis conceditur, 261 *b*.
Thessalonicensis Ecclesiae dignitas, 260 *b*. Iura ei asserta a S. Leone Magno, *ibid*. A Nicolao I, 261 *a*. Privilegia eidem concessa ab Innocentio III et Ecclesiae ei subiectae, 262 *a*.
Theumon Bambergensis episcopus, 174 *b*.
Theutonicorum ordo S. Mariae sub Apost. Sedis tutela suscipitur, 423 *b*. Eius statuta, libertates, privilegia confirmantur, 424 *a*.
Thomas archiep. Regytan., 12 *b*.
Thomae (S.) de Erlesburen, monasterium sub protectione Apostolicae Sedis suscipitur, bonaque omnia confirmantur, 67 *b* et *seq*.
Thuamensis archiepiscopus. *V*. Armachanus.
Toletanae Ecclesiae primatus asseritur, bonaque omnia ei confirmantur, 239 *b*.
Toletanus archiepiscopus Hispaniarum primas, 239 *b*. Ecclesiae eidem suffraganeæ, 240 *a*.
Tolosana Universitas a legato S. A. erecta, 480 *a*. Parisiensis Academiae privilegia ei communicantur, *ibid*. *b*; nonnullaque ampliantur, *ibid*. et *seq*.
Trecensi Ecclesiae confirmantur privilegia ei concessa per Francorum regem, 206 *a*. Trecensis Ecclesia sub protectione Apost. Sedis suscipitur, 224 *b*. Bona ei confirmantur, 224 *b*. Statuta ab eius canonicis servanda dantur, 226 *a*.
Tregi pons reparatur, 492 *a*.
Trinitatis (SS.) redemptionis captivorum fratribus regula datur, iuxta quam vivere debeant, 133 *b*. Sub protectione Apostolicae Sedis suscipiuntur, eisque bona confirmantur, et privilegia nonnulla conceduntur, 234 *b*. Regulae eorum mitigantur et declarantur, 786 *b*.
Trinovitana Ecclesia primatiali dignitate insignitur, 188 *b*.
Truthenhusen (de) praepositura ordinis S. Augustini, dioecesis Argentinae, ab Hohenburgensi monasterio dependens confirmationem fundationis suae obtinet a Lucio III PP., 22 *b*. A quibus fuerit fundata, 23 *a*. Dos ei et statuta data, *ibid*. *b* et *seq*.

Tudertina civitas iuris Sedis Apostolicae declaratur, 133 *a*. Consulatus et antiquae eiusdem consuetudines confirmantur, *ibid. b*.
Turonensis Ecclesia cum Dolensi componitur, eiusdemque primatus super eadem asseritur, 143 *a*.
Turitana provincia archiep. Pisanis tamquam primati subiicitur, 117 *b*.
Tusculanis episcopis conceditur ecclesia S. Mariae in Monasterio in Urbe, 364 *a*.
Tyrones infra tempus probationis habitum dimittentes non sunt apostatae, 452 *b*. Libertatem habent ad pristinum statum redeundi, 453 *b*.

U

Ubaldus archiep. Pisanus. *V*. Pisanis archiep.
Ubaldus episcopus Eugubinus Ss. Confessorum Pontificum cathalogo adscribitur, 82 *b*, 83 *a*.
Ulixbonensis episcopatus Compostellano archiepiscopo subiicitur, 152 *b* et *seq*.
Urbanus III PP. CLXXII eligitur, 32 *a*. Eius literae encyclicae ad omnes episcopos de sui electione, *ibid. b* et *seq*.
Urbanus IV Papa CLXXXII eligitur, 674 *a*. Eius encyclicae litterae de sua electione, *ibid. b*. et *seq*.

V

Vallis Caulium ordo quomodo institutus, 192 *b*. Eius regulae, 193 *a*. Sub protectione Apost. Sedis suscipitur, *ibid. b*.
Vallis Montonis castrum Ricardo comiti Sorano confirmatur cum omnibus, quae ei locarant canonici basilicae Lateranensis, 230 *a*.
Vallispetrarum castri Ecclesia Anagnino episcopo subiicitur, 426 *b*.
Vallis Scholarii ordinis Cisterc. statuta confirmantur, 355 *b*.
Viaticum (SS.). quomodo portandum, 366 *a*.
Vicovario (de) monasterium. *V*. Cosmae (S.) *etc*.
Vincentii (S.) Bergomensis civitatis capitulum. *V*. Alexandri (S.) et S. Vincentii. Bergomens. civitatis capitula *etc*.
Virziliacensis monasterii, Hervei comitis et Mathildis comitissae Nivernensium concordia confirmatur, 289 *b*.
Viterbienses censuris irretiti Ecclesiae reconciliantur, et antiqua eis confirmantur privilegia, 549 *a*.
Viterbiensis Ecclesia in episcopatum erecta a Coelestino III PP., 204 *a*. Tuscanensi unitur, atque eius ius asseritur super Centumcellensem et Bledanensem dioeceses, *ibid*.

W

Waldenses ad fidei puritatem reversi, 246 *a*. Eorum confirmatae regulae, 248 *b*. Eorum errores quales fuerint, 252 *b*. Poenitentia, *ibid*. Ecclesiae reconciliati, *ibid*. et *seq*.

Walterus archiepiscopus Rothomagensis compositionem init cum Riccardo Angliae rege pro bonis suae Ecclesiae, 119 a et seq.
Walterus prior C. Columbae de Insula orator Willelmi regis Scotiae ad S. Sedem, 8 a.
Warini (haeretici), eorumque poenae, 506 b et seq.
Wernhero Moguntino archiep. committitur ut impediat electionem Conradini Siciliae regis in imperatorem, 765 b.
Willelmus abbas Gemblacensis. V. Gemblacense monasterium.
Willelmus abbas de Paraclyto; eius virtutes et miracula, 343 b. Commissio datur inquirendi tam de vita quam de miraculis eiusdem, 344 a.
Willelmus archiepiscopus Eboracensis. Miracula ad eius sepulchrum patrata, 386 b; de quibus inquisitio demandatur, ibid. et seq. Sanctorum Conf. Pontif. numero adscribitur, 419 b.
Willelmus archiep. Philippensis. V. Philippensis Ecclesia.
Willelmus (B.) Bituricensis archiepiscopus sanctorum Confessorum Pontificum canoni adscribitur, 340 b.
Willelmus (B.) canonicus regularis congregationis S. Victoris Parisiens. et abbas Roschildensis in Dania sanctorum Confessorum canoni adscribitur, 399 b.
Willelmus rex Scotiae ab archiep. Eboracensi excommunicatus absolvitur, 7 b et 8 a. Admonetur a legatis S. Apost. de pace Ecclesiae Sancti Andreæ, eiusque episcopo reddenda sub poena excommunicationis, 54 a et seq. Regnum eius a nemine excommunicandum declaratur, 59 a.
Willelmi comitis et Arducii episcopi Gebennensis controversia definitur, 35 b et seq.
Willelmi (S.) eremitarum ordo sub protectione Apost. Sedis suscipitur cum nonnullarum gratiarum elargitione, 641 b.
Wintele (de) Ecclesia. V. Ioannes Angliae rex.
Wollinensis civitatis sedes episcopalis transfertur ad Camminensem civitatem, 59 b. Confirmantur ei bona omnia, iura ac privilegia, 60 a.
Wormatiensibus civibus conceditur, ut trahi extra civitatem ad iudicium nequeant inviti, 637 a.
Wratislaviensis episcopus. V. Boleslaus Calvus.

Z

Zachariae Papae privilegia et indulta sacro Cassinensi coenobio concessa innovantur, 455 a.
Ziani Marco Venetiarum ducis filio Lyciensis comitatus conceditur, 546 a.
Zverinensis Ecclesia sub Apostolicae Sedis protectione suscipitur, 79 a. Bona ei confirmantur cum decreto immunitatis, ibid. b et seq.

INDEX ALPHABETICUS PONTIFICUM

QUORUM BULLÆ IN HOC III TOMO CONTINENTUR

Alexander IV	habet	Constit.	LVII.	Honorius III	habet	Constit.	LXXX.
Clemens III		»	XVII.	Innocentius III		»	CVII.
Clemens IV		»	XXXII.	Innocentius IV		»	XLII.
Coelestinus III		»	XXV.	Lucius III		»	XIV.
Coelestinus IV		»		Urbanus III		»	XII.
Gregorius VIII		»	IV.	Urbanus IV		»	XXI.
Gregorius IX		»	LVI.				

INDEX CHRONOLOGICUS

PONTIFICUM OMNIUM

Quorum Bullas, Privilegia et Diplomata in hoc tertio volumine continentur.

Lucius III	Anno	1181	*pag.*	7	Gregorius IX	Anno	1227	*pag.*	420
Urbanus III	»	1185	»	32	Coelestinus IV	»	1241	»	501
Gregorius VIII	»	1187	»	49	Innocentius IV	»	1243	»	502
Clemens III	»	1187	»	54	Alexander IV	»	1244	»	593
Coelestinus III	»	1191	»	76	Urbanus IV	»	1261	»	674
Innocentius III	»	1198	»	112	Clemens IV	»	1265	»	721
Honorius III	»	1216	»	304					

INDEX INITIALIS

BULLARUM OMNIUM, QUÆ IN HOC III TOMO HABENTUR

ordine alphabetico dispositae.

A

Ad abolendam, *pag.* 20.
Ad apostolicae dignitatis, 511.
Ad audientiam, 66, 667, 669.
Ad capiendum, 646.
Ad commemorandas, 205, 387.
Ad communem notitiam, 377, 378.
Ad consequendam, 759.
Ad ea, quae, 54.
Ad eliminandam, 202.
Ad evellendum, 198.
Ad extirpanda, 552, 744, 763.
Ad extirpandam, 670.
A diebus, 537.
Ad liberandam, 300.
Admonet nos, 566.
Ad nostram, 265, 380, 474.
Ad reconciliationem, 164.
Ad sopiendam, 351.
Ad tollendas lites, 115.
Ad tranquillitatem vestram, 380.
Ad ubera, 211.
Adversus hostes, 331.
A nobis, 492.
Ante thronum, 792.
Antiquam Atheniensis, 228.
Apostolica Sedes, 129, 140, 182.
Apostolicae officium dignitatis, 41.
Apostolicae Sedis, 196, 297, 637.
Apostolici moderaminis, *pag.* 79.
Ardenti desiderio, 441.
Auctoritate apostolica, 59.
Audientes dissentiones, 491.
Audita tremendi, 50.
Audivimus, 38, 466.

B

Beata Clara, 709.
Behemoth, 475.
Benedicti vos, 227.
Benedictus Deus, 82, 241.
Benefaciens Dominus, 347.
Benigua operatio, 626.

C

Catholicae fidei, 597, 673.
Charissimum in Christo filium, 704.
Charissimus in Christo, 342, 371.
Christi sponsam, 800.
Cives Recanatenses, 697.
Clara claris, 620.
Clarae memoriae, 335.
Coelestis altitudo, 32.
Colebat hactenus, 695.
Commissae nobis, 184.
Confessor Domini, 497.
Constituti ab Eo, 745.

Consuevit Providentia, *pag.* 317.
Consurgit in nobis, 785.
Contingit interdum, 697.
Cum abbates Cistercienses, 408.
Cum ab eo, 17.
Cum ad propulsandam, 87.
Cum ad Romanam Ecclesiam, 600.
Cum adversus, 503.
Cum aliquando, 408.
Cum a nobis, 99, 591, 602, 628, 695,
Cum antecessor tuus, 46.
Cum a sacris, 48.
Cum bonae memoriae, 356.
Cum Bundenum, 401.
Cum castrum, 230.
Cum controversia, 17.
Cum creatura, 323.
Cum dicat Dominus, 464.
Cum dilecti filii, 337.
Cum dilectis filiis, 727.
Cum Ecclesiarum, 345.
Cum eius vices, 266.
Cum emergentium litigia, 119.
Cum ex iniuncto, 106, 159.
Cum ex officii nostri, 203.
Cum Fiscannense monasterium, 85.
Cum fratres Praedicatores, 551.
Cum honestas tua, 224.
Cum inaestimabile, 246, 250.
Cum in Apostolica Sede, 45.
Cum in constitutionibus, 558.
Cum in Lateranensi, 60.
Cum in lege veteri, 123.
Cum iuxta testimonium, 472.
Cum litigantium, 289.
Cum multa, 455.
Cum negotium fidei, 583.
Cum nobis, 253.
Cum olim, 383, 500, 519, 536.
Cum omnia vera, 528.
Cum omnium Ecclesiarum, 200.
Cum paci, 183.
Cum per nostras, 562.
Cum pro reformatione, 434.
Cum quaedam, 256.
Cum quanta gloria, 197.
Cum reducti sitis, 445.
Cum regibus, 7.
Cum Romana Ecclesia, *pag.* 97.
Cum sacrosancta Romana Ecclesia, 102.
Cum secundum, 174, 611.
Cum Sedi Apostolicae, 67.
Cum sit, 19.
Cum tamquam, 542.
Cum terram, 581.
Cum tota terra, 486.
Cum universalis, 100.
Cum universi, 59, 84, 345.
Cum universorum Conditor, 86.
Cum venerabilis frater, 561.
Cupientes, 670.

D

Defuncto Romae, 215.
Dei virtus, 510.
Deo grata, 633.
Desiderantes plurimum, 428.
Devotionis vestrae, 485, 522.
Devotio quam habemus, 383.
Dignis laudibus, 295.
Discretioni vestrae, 672.
Discrimen praeteriti temporis, 599.
Divinae dignatio, 367.
Divinae dispensatio, 386.
Dudum ad Apostolicae Sedis, 793.

E

Ea, quae, 72, 162, 453.
Ecclesiam Dei, 595.
Ecclesia Romana, 422, 624, 708.
Eos qui, 105.
Etsi charissimus, 298.
Etsi de universis, 364.
Etsi electi, 340.
Etsi loca, 501.
Etsi neque qui plantat, 423.
Etsi non sit, 369.
Etsi omnes, 326.
Etsi quidam imperatores, 178.
Etsi universis, 401.
Et zizania, 114.
Ex assumpto, 662.
Excelsum fecit, 700.
Execrabilis quorumdam ambitio, 598.

Ex eo, *pag.* 166.
Exhibita nobis, 280, 355.
Exigit, 764.
Ex iniuncto nobis, 61.
Exortis in agro, 668.
Ex parte Cluniacensis, 268.
Ex parte vestra, 404, 418, 628, 666.
Expectavimus hactenus, 364.
Ex privilegio, 204.
Ex relatione, 367.
Ex tenore, 35.
Exultat, 769.
Exultet angelica turba, 683.

F

Felicis recordationis, 443, 502, 612.
Fervor et integritas, 423.
Firma profecto, 639.
Firmissime teneat, 668.
Fons sapientiae, 483.
Fraternitatis tuae, 469.
Fundata domus, 765.

G

Gaudentes in Domino, 446.
Gloriantes hactenus, 236.
Gloriosus Deus, 95.
Gloriosus in maiestate sua, 489.
Grandi non immerito, 516.
Gratum gerimus, 45.
Gratias agimus, 369.
Grave gerimus, 389.

H

Has leges, 374.
His diebus, 721.
His, quae, 124.
His qui, 48.
Hortatur nos, 312.

I

Iamdudum provide cogitans, 442
Ideo sacrosanctam, 62, 75.
Iis quae, 559, 617.
Illa te, *pag.* 257.
Impia Iudaeorum, 508.
Implacida relatio, 682.
Importuna multorum, 682.
Improbis quorumdam, 651.
In Apostolicae Sedis, 83.
In authentico, 232.
In causa duorum, 153.
In dilectione, 123.
Ineffabilis providentia Dei, 413.
Ineffabilis sapientia, 113, 344.
In eminenti Apostolicae Sedis specula, 15, 92, 125, 132, 156, 405.
In eminenti Sedis Apostolicae specula, 238.
In forma concordiae, 284.
In nomine Patris, 169.
In ordine vestro, 787.
In privilegio, 283.
In regesto, 343.
Inter ea, 601.
Inter caeteras, 776.
Inter opera, 189, 320, 653.
Ipsa nos, 629.
Is Ecclesiam suam, 167.
Iurgia litium, 671.
Iustis petentium desideriis, 31, 39, 233, 346, 348.

L

Laesa olim, 384.
Licet angelus Satanae, 343.
Licet ante, 189.
Licet diligentiam, 382.
Licet Dominus Iesus, 10.
Licet ea, 547.
Licet Ecclesiae, 635.
Licet Ecclesiarum, 743.
Licet ex iniuncto, 121.
Licet ex omnibus, 687.
Licet generalis, 427.
Licet Mediolanensis Ecclesia, 420.
Licet olim, 649.
Licet omnium, 151.
Licet primum, 143.
Ligna pomifera, 366.

M

Magnis et crebris, *pag.* 562.
Malitia huius temporis, 590.
Manifestis probatum, 262, 336.
Manifestum est, 272.
Mira circa nos, 438.
Miramur plurimum, 294.
Miserator et misericos, 333.
Monasticae sinceritas disciplinae, 30.
Multifarie, multisque modis, 195.
Multotiens audivimus, 246.
Multoties audivimus, 298.

N

Nec novum, 130.
Ne commissae, 672.
Ne inquisitionis negotium, 694.
Ne nos, 208.
Ne promotionis nostrae, 118.
Ne rerum, 372.
Non absque, 648.
Non est iniusto, 549.
Non insolitum est, 594.
Nosque ab huiusmodi, 81.
Noverit universitas, 588.
Novum matris Ecclesiae, 522.
Nunquam melius, 52.

O

O altitudo, 674.
Odorem agri pleni, 762.
Officii nostri, 26, 638, 657.
Olim a gentilium oculis, 577.
Olim operante illo, 480.
Olim regno Siciliae, 722.
Omnipotenti Deo, 61, 304.
Operante divinae dispositionis, 133, 315.
Operante Patre luminum, 234.
Ordinato nuper, 698.
Ordinem vestrum, 520.
Ordinis vestri, 799.
Orta dudum, 608.

P

Parens scientiarum, *pag.* 455.
Parvus fons, 729.
Per tuas nobis litteras, 371.
Pervenit ad nos, 75.
Petitio tua, 545.
Pia desideria, 616.
Piae postulatio voluntatis, 458.
Postquam regimini, 217.
Postquam supernus, 691.
Pridem intellecto, 768.
Primatuum cathedras, 596.
Promptae fidei, 387.
Prophani Fanensium, 328.
Propter maris, 543.
Providentia laudabilis, 799.
Provisionis nostrae, 701.
Prudentibus virginibus, 67.
Purae fidei, 544, 647.

Q

Quae honorem, 535.
Quae in praeiudicium, 106.
Quae locis religiosis, 8.
Quae omnium, 486.
Quaestione super iurisdictione, 378.
Quam misericorditer, 100.
Quamvis Ecclesiarum, 219.
Quamvis sit grave, 696.
Quamvis universarum, 63.
Quantae dignitatis, 260.
Quanto diligentius, 265.
Quanto nobilius, 429.
Quanto per infusionem Sancti Spiritus, 43.
Quanto specialius, 34, 237, 377.
Quasi lignum, 602.
Quia de conservatoribus, 632.
Quia fragilis est, 593.
Quia Fridericus, 499.
Quia maior, 274.
Quia nonnullos, 452.
Quia personae, 630.
Quia pietas, 138.
Quia plerumque, 798.
Quia profectum, 536.
Quia pro qualitate, 618.

Quia refrigescente charitate, *pag.* 482.
Quia tunc, 584.
Qui statuit terminos, 316, 418.
Qui sua incommutabili providentia, 381.
Quod non tua, 361.
Quod super, 663.
Quo elongati a saeculo, 449.
Quoniam ad episcoporum, 49.
Quoniam ad subsistentiam, 747.
Quoniam (ut ait Apostolus), 507.
Quoniam te, 619.
Quotiens a nobis, 69, 493.
Quotiens postulatur, 267.
Quoties a nobis, 28, 141, 463.
Quoties postulatur, 77.

R

Rationalis spiritus, 498.
Rationis ordo requirit, 62.
Rectae considerationis, 500.
Recti statera, 702.
Redemptor noster, 496.
Regiae serenitatis, 182.
Relatione illustrium, 291.
Relatum ex parte vestra, 51.
Religionis monasticae, 56.
Religiosam vitam, 89, 107, 292, 309, 525, 540, 613, 642.
Religiosis desideriis, 287.
Rex excelsus, 481.
Rex pacificus, 485.
Rex regum, 187, 285, 760.
Romana Ecclesia, 363.
Romanae Ecclesiae, 702.
Romanus Pontifex, 644.

S

Sacrosancta Ecclesia, 399.
Sacrosancta Rom. Eccl., 133, 239, 360.
Sane consuluisti, 110.
Sedes Apostolica, 443, 444, 546, 764.
Sedis Apostolicae, 86, 379, 390, 422, 767.
Si Anna, 448.
Si charissimae in Christo filiae, 131.
Sicut ad apostolatus, 76.
Sicut ea, 81, 259.
Sicut iudaeis, 330.
Sicut magni beneficii, *pag.* 726.
Sicut olim, 492.
Si diligenti, 273.
Si humilitatis, 263.
Si memoriter, 498.
Sinceritas devotionis, 324.
Sinceritatem tuam, 430.
Si nobilis vir, 431.
Si olim, 216.
Si quorumdam praelatorum, 465.
Si sua cuique iura, 117.
Solet annuere, 192, 204, 206, 394, 571
Sol ille, 677.
Sub catholicae, 580.
Sublime regni, 607.
Sufficere debuerat, 479.
Summi providentia principis, 410.
Superna et ineffabilis, 318.
Super extirpatione, 666.
Super muros Hierusalem, 409.

T

Tempus acceptabile, 314.
Tenorem, 786.
Totius Ecclesiae, 22.
Transiturus de hoc mundo, 705.
Truculentam unius hominis, 586.
Turbato corde, 786.
Turbulentissimam quaestionem, 212.

V

Vel ex dolo, 53.
Ven. fratri nostro, 337.
Venerabilibus fratribus, 742.
Venerabilis frater, 311.
Veremur ne cives Lucani, 446.
Vineam Domini, 278.
Vir unus, 194.
Virtute conspicuus, 736.

U

Utinam Dominus, 222.
Ut eo libentius, 637.
Ut iuventus, 359.
Ut negotium fidei, 694.
Ut nihil, 585.
Ut non solum, 176.
Ut universalis Ecclesiae, 458.
Ut vivendi normam, 415.

INDEX RUBRICARUM

BULLARUM ET PRIVILEGIORUM OMNIUM

Quae in hoc tertio volumine continentur.

LUCIUS III.

I. Absolutio Wilielmi regis Scotiae ab excommunicatione in eum lata ab archiepiscopo Eboracensi, *pag.* 7.
II. Confirmatio donationis a Barasone, eiusque uxore Algaburga Sardiniae regibus factae monasterio Montis Casini, 8.
III. Erectio abbatiae Monteregalensis in archiepiscopatum, 10.
IV. Confirmatio bonorum omnium, et concessio privilegiorum monasterio S. Matthaei de Castello ordinis Cassinensis, 14.
V. Statutum, ut honores Carnotensis capituli residentibus tantum concedantur, et ne quis, alia in Ecclesia fruens beneficio, canonicus ibi, vel plebanus eligi possit, 16.
VI. Confirmatio sententiae latae a delegatis Apostolicae Sedis in controversia verten. inter episcopum Pennen. et abbatem monasterii S. Quirici eiusdem dioecesis, 17.
VII. Decretalis contra nonnullos abusus in Pictavensi dioecesi invectos, 19.
VIII. Decretum contra haereticos, 20.
IX. Confirmatio fundationis praeposituræ de Truthenhusen, ordinis Sancti Augustini dioecesis Argentinae, ab Hohenburgensi monasterio dependentis, 22.
X. Bona et privilegia Admontensis monasterii confirmat, et nova de electionibus abbatissarum, et aliorum monasteriorum regimine sancit statuta, 25.
XI. Confirmatio bonorum omnium et immunitatum Bellunensis Ecclesiae, cui, eiusque episcopo nonnulla conceduntur privilegia, 28.
XII. Privilegium monachis Cisterciensibus concessum ad Ordinis consuetudines confirmandas, 30.
XIII. Donationes Godefridi I et Godefridi II Brabantiae ducum in favorem equitum templariorum confirmat, 30.
XIV. Quod morte mandatoris, lite non contestata, finitur mandatum, 31.

URBANUS III.

I. Urbani PP. literae encyclicae ad omnes episcopos de sui electione, *pag.* 32.
II. Confirmatio bonorum, privilegiorum et immunitatum omnium Cluniacensis monasterii, 33.
III. Confirmatio sententiae latae per Robertum archiepiscopum Viennensem, et Hugonem abbatem Bonaevallis, delegatos apostolicos, super controversiis existentibus inter Arducium episcopum Gebennen. et Willelmum comitem, 35.
IV. Statutum ne domus canonicales laicis

et mulieribus malae notae locentur, 38.
V. Confirmatio compositionis initae inter monachos Aienses ordinis Cluniacensis et archipresbyterum de Rupella, 38.
VI. Confirmatio dignitatis patriarchalis, bonorum omnium et iurisdictionis super Iadertinum archiepiscopatum, huiusque suffraganeos episcopos, patriarchae Gradensi, 41.
VII. Decreta nonnulla pro quiete, bono regimine, ac regulari disciplina monachorum Grandimontensium, 42.
VIII. Responsio ad consultationes M. Cenomanensis episcopi, 45.
IX. Libello citationis ante obitum delegantis proposito, lite post eius obitum contestata, potest in causa procedere delegatus. Qui etiam ad producendos testes inducias postulavit, videtur appellationi renunciare, 45.
X. Confirmatio ordinis Cruciferorum inservientium hospitali Bononiae, privilegiorumque ad eiusdem libertatem et indemnitatem concessio, 46.
XI. Quod filii in patrum Ecclesiis institui non debeant, sed ab eis amoveri, 48.
XII. Quod post interpositam appellationem nihil liceat innovari, 48.

GREGORIUS VIII.

I. Statuta literis Urbani PP. tribus mensibus ante eius obitum datis confirmantur, plenamque habere firmitatem decernitur, *pag.* 49.
II. Ad omnes Christi fideles de clade Hierosolymitana. Omnes ad poenitentiam agendam admonet; proficiscentibus vero ad bellum contra infideles plenariam indulgentiam concedit, 49.
III. Sequitur ad omnes Christifideles de ieiunio per quinquennium servando ad placandum Deum, 52.
IV. Appellationi de rebus modicis factae non est deferendum: sed ut infra fines iudices, qui suspicione careant, eligat, appellans est cogendus: a quibus si quis partium crediderit appellandum, ad archiepiscopum vel primatem vocem appellationis emittat, 53.

CLEMENS III.

I. Mandatum delegatis Apostolicae Sedis, ut in Guilielmum Scotiae regem admonitum de pace Ecclesiae Sancti Andreæ, eiusque episcopo reddenda, nisi resipuerit, sententiam interdicti ferant etc., *pag.* 54.
II. Confirmatio bonorum et privilegiorum ab antecessoribus Summis Pontificibus Cluniacensi monasterio concessorum, 55.
III. Privilegium concessum Scotorum Ecclesiae et regi, quod a nullo possint excommunicari, nisi a Papa, vel ab eius de latere legato, 58.
IV. Sedis episcopalis translatio a civitate Wollin ad Camminensem, ac confirmatio bonorum omnium ad illam spectantium, 59.
V. Decretum, quo cavetur, ne canonici regulares per oppida vagentur, 60.
VI. Confirmatio, seu designatio Ecclesiarum suffraganearum archiepiscopatus Bremensis, 60.
VII. Abbati monasterii Cassinen., quod sub protectione Sedis Apostolicae recipitur, supra caeteros ordinis et Occidentis abbates asseritur, 61.
VIII. Confirmatio statutorum ab Urbano III pro quiete et disciplina monachorum Grandimontensium, 62.
IX. Canonizatio beati Stephani ordinis Grandimontensis institutoris, 62.
X. Bonorum confirmatio et privilegiorum concessio monasterio Sublacensi, quod sub protectione Sedis Apostolicae suscipitur, 63.
XI. Canonizatio beati Ottonis episcopi Bambergensis, 66.
XII. Ad Bambergenses de eadem re, 67.
XIII. Recens fundatum S. Thomae de Erlesburen Parthenon confirmatur, et in Sedis Apostolicae protectionem recipitur, 67.

XIV. Confirmatio bonorum omnium monasterii monialium S. Cosmae de Talliacotio Marsicanae dioecesis; quod ab ordinarii iurisdictione etiam quoad sacramentorum administrationem exemptum declaratur, 69.
XV. Confirmatio concordiae initae inter capitula Sancti Alexandri et Sancti Vincentii Bergomen. civitatis: qua stabilitur, ut unum capitulum, unum collegium, unaque sit Bergomensis Ecclesia cathedralis, 71.
XVI. Canonizatio sancti Malachiae Hiberniae episcopi, 75.
XVII. Responsio ad consultationes episcopi Saguntini, 75.

COELESTINUS III.

I. Cassantur, quae Cantuariensis archiepiscopus attentaverat contra privilegia monachorum Cantuariensium, *pag.* 76.
II. Confirmatio privilegiorum omnium monasterii S. Ramberti Iuren. dioecesis, 77.
III. Confirmatio erectionis episcopatus Zverinensis, 79.
IV. Irritatio sententiae in Dunelmensem episcopum per Eboracensem archiepiscopum inconsulto prolatae, 81.
V. Confirmatio donationum ab Eugenio III et Clemente III basilicae Sanctae Mariae Maioris de Urbe factarum, 81.
VI. Canonizatio Sancti Ubaldi episcopi Eugubini, 82.
VII. Descriptio ac designatio finium Scalensis episcopatus, 83.
VIII. Confirmatio privilegiorum ac libertatum Ecclesiae Scotorum, quam a Romana Ecclesia, eiusque de latere legato excommunicari decernitur, 84.
IX. Privilegium Fiscannensi monasterio, cui praeter caeteras immunitates eius monachos nonnisi ab Apostolica Sede excommunicari posse conceditur, 85.
X. Confirmatio donationum omnium ab Hierosolymitanis regibus, aliisque Terrae Sanctae principibus Pisanis factarum, 86.
XI. Canonizatio Sancti Bernwardi episcopi Hildenesheimensis in Saxonia, 86.
XII. Ad episcopos Angliae monitoria: populum adhortentur, ut relictis peccatis, privatis compositis discordiis, a torneamentis cesset et ad Dominum convertatur; eosque, qui secus fecerint, excommunicatos declarent, 87.
XIII. Confirmatio bonorum omnium, ac privilegiorum concessio monasterio S. Mariae de Ferraria ordinis Cistercien. Theanen. dioecesis, 89.
XIV. Confirmatio bonorum omnium, finium, ac privilegiorum Theanensis Ecclesiae, ac praecipue diplomatis eiusdem favore editi a quodam Guimundo de Rocca Romana, 91.
XV. Canonizatio S. Ioannis Gualberti abbatis et institutoris congregationis Vallis Umbrosae monachorum ordinis S. Benedicti, 95.
XVI. Privilegium Eborum Ecclesiae indultum super iuribus, libertatibus etc. eiusdem Ecclesiae, 97.
XVII. Castella duo Puliano et Colle Alto Pennensi Ecclesiae ab Odone episcopo acquisita, eidem confirmantur, 99.
XVIII. Eboracensis archiepiscopus, propter contumaciam in sceleribus, suspensus declaratur ab officio muneris archiepiscopalis, cuius administratio decano cathedralis illius Ecclesiae demandatur, 99.
XIX. De eadem re ad clerum Eboracensem, 100.
XX. Sequitur ad Lincolniensem episcopum, aliosque delegatos apostolicos pro executione superallatarum literarum, 102.
XXI. Mandatum archiepiscopo Rothomagensi, de publice iis excommunicandis, qui excommunicatos ad Ecclesiae communionem admittebant, 105.
XXII. Priori et monachis Sancti Pancratii de Lewes, de non promittendis Ecclesiis antequam vacent, pro iisque pensionibus non solvendis, 106.

XXIII. Prior et fratres Sanctae Mariae de Rheno in monasterio Sanctae Praxedis de Urbe degentes ob inobservationem regulae et inobedientiam eadem Ecclesia privantur, 106.
XXIV. Approbatio congregationis monachorum Montis Virginis, ordinis Sancti Benedicti, 107.
XXV. Ad decanum Rothomagensem super nonnullis iuris articulis, 110.

INNOCENTIUS III.

I. De legitima sui electione, quae ut fausta, reipublicaeque salutaris existat, omnes Deum orare iubet, 113.
II. Confirmat sententiam per legatos Apostolicae Sedis latam contra Marcovaldum libertatis ecclesiasticae violatorem, et patrimonii Ecclesiae invasorem, 114.
III. Confirmat regulas quasdam a canonicis Perusinis mutuo assensu factas ad quietem et communem vitam in capitulum inducendam, 115.
IV. Confirmato Pisanis archiepiscopis metropolitico iure super Corsicanis Ecclesiis, eisdem concedit primatum super provincias Turritanam, Calaritanam et Arborensem, 117.
V. Litteras apostolicas sub dimidia datas bulla parem cum iis, quae bulla integra diriguntur, firmitatem habere, decernit, 118.
VI. Confirmat transactionem quamdam initam inter Rothomagensem archiepiscopum, et Ricchardum Angliae regem, 119.
VII. Ratum habet foedus initum inter Philippum Franciae regem, et Balduinum comitem Flandriae, 121.
VIII. De palatio Iudicum et Tabellionum Beneventanae civitatis statutum confirmat, 123.
IX. Canonicis basilicae Sancti Petri de Urbe quemdam concedit redditum, et bona nonnulla confirmat, 123.
X. Ratum habet statutum legati apostolici in Lombardia, quod haeretici ad dignitates nec eligi, nec eligere possint, 124.
XI. Confirmatio regularium institutionum canonicorum Praemonstratensium, quibus nonnulla conceduntur privilegia, 125.
XII. Confirmat privilegia Perusinae civitatis, 129.
XIII. De modo faciendi electiones episcoporum in regno Siciliae, 130.
XIV. Sequitur ad archiepiscopos et episcopos regni Siciliae, 131.
XV. Lundensi Ecclesiae primatus conceditur super caeteras regni Svetiae Ecclesias, 132.
XVI. Populo Tudertino antiqua confirmat privilegia, 133.
XVII. Fratribus Sanctae Trinitatis Redemptionis Captivorum regula datur, iuxta quam vivere debeant, 133.
XVIII. Canonizatio sancti Homoboni, 137.
XIX. Flandriae comites sub protectione Sedis Apostolicae recipiuntur, nonnullaque eisdem conceduntur privilegia, 140.
XX. Nonnulla fratrum de Calatrava instituta et privilegia confirmantur, 140.
XXI. Turonensibus archiepiscopis primatus conceditur super Ecclesiam Dolensem, 143.
XXII. Privilegium clericis Ecclesiae Ss. Sergii et Bacchi de Urbe concessum, 151.
XXIII. Compostellano archiepiscopo Ulixbonensis et Elborensis episcopatus subiiciuntur, 152.
XXIV. Compostellana Ecclesia erigitur in metropolitanam, 156.
XXV. Quod rudiores laici de Scripturis Sacris temere iudicare, privatim convenire et concionari, sacerdotes et Ecclesiam contemnere non debeant, 159.
XXVI. Confirmatio et concessio privilegiorum Ecclesiae S. Grisogoni de Urbe, 161.
XXVII. Marcovaldus a censuris solutus denunciatur, 164.
XXVIII. Hortatur Gregorium Catholicum

Armenorum ad perseverantiam in fide christiana et devotione Sedis Apostolicae, subventionemque Terrae Sanctae Hierusalem, 166.
XXIX. Approbatio coronationis Leonis regis Armenorum, cum adhortatione ad recuperationem Terrae Sanctae, 167.
XXX. Deliberatio domini Papae Innocentii super facto imperii de tribus electis, 168.
XXXI. Sanctarum virginum canoni adscribit B. Kunegundem imperatricem, 174.
XXXII. Othoni in imperatorem electo regnum confirmatur, 176.
XXXIII. Sequitur ad imperii principes de eadem re, 178.
XXXIV. Ad episcopos Franciae de legitimatione prolis a Philippo II rege ex super inducta susceptae, 182.
XXXV. Decernit regem, regnumque Armeniae excommunicari aut interdici non posse nisi de speciali mandato Papae, 182.
XXXVI. Declarat Cistercienses nullo modo obligari posse, ut fugitivos sui ordinis recipiant, 183.
XXXVII. Speciale privilegium pro monasterio S. Laurentii de Aversa, 183.
XXXVIII. Creatio Coloioannis in regem Bulgarorum et Blachorum, cum donatione insignium regalium, et potestate cudendi monetam. Et facultas archiepiscopo Trinovitan. ipsius regis pro tempore successores, apostolica auctoritate coronandi, 186.
XXXIX. Quod rex Bohemiae a Sede Apostolica rex de caetero nominetur, 189.
XL. Erectio hospitalis apud S. Mariam in Saxia de Urbe, ad egenos infirmos recipiendos et curandos. Et institutio fratrum ordinis S. Spiritus, regularem vitam ibi degentium. Praefinitioque muneris ipsorum fratrum, ac auctoritatis eorum magistri, cum exemptionum ac privilegiorum concessione, 189.
XLI. Confirmatio Ordinis Vallis Caulium, cui nonnulla praescribuntur servanda, 192.
XLII. Multa disserens de translatione Constantinopolitani imperii de Graecis ad Latinos, indulgentiam impertitur iis, qui ad ipsum imperium accedentes, pro subsidio Terrae Sanctae laboraverint, 193.
XLIII. Sequitur de destinandis religiosis viris ad instruendum imperium Constantinopolitanum, cum missalibus et breviariis iuxta ritum Romanae Ecclesiae, 195.
XLIV. Populo Radicofani prohibet ne consules absque speciali Sedis Apostolicae licentia eligat, 196.
XLV. Coronatio regis Aragonum Romae in monasterio Sancti Pancratii, cum insignium regalium concessione, ac licentia, quod eius successores de caetero per archiepiscopum Tarraconen. auctoritate apostolica coronari possint, 197.
XLVI. Ad universos Poloniae christifideles, ut censum Romanae Ecclesiae debitum persolvant, 198.
XLVII. Monachis Burguliensibus datur certus modus vivendi et regendi monasterium iuxta correctionem a delegatis apostolicis factam, 198.
XLVIII. Confirmatio bonorum et privilegiorum concessio capitulo Ecclesiae Sancti Aniani Aurelianensis, 200.
XLIX. Poenae contra Patarenos, eorumque fautores statutae, 202.
L. Rescindi leges omnes in ecclesiasticos contra canones a laicis latas, 203.
LI. Viterbiensi Ecclesiae in cathedralem erectae ius asseritur supra Centumcellensem et Bledanensem dioeceses, 204.
LII. Petri regis Aragonum cessionem pro libertate electionum episcopalium confirmat, 204.
LIII. Indicitur anniversaria statio in ecclesia Sancti Spiritus in Saxia cum indulgentiarum et privilegiorum concessione, 205.
LIV. Confirmantur privilegia Ecclesiae

Trecensi concessa per regem Francorum, 206.
LV. Censurae contra interfectores Petri de Castro Novo, qui fuerat delegatus a Sede Apostolica in provinciam contra Albigenses; deque modo servando contra eosdem haereticos, 208.
LVI. Civibus Soranis libertates et antiquas confirmat laudabiles consuetudines, 211.
LVII. Approbat concordiam quandam inter Salzburgensem archiepiscopum et capitulum Gurgense initam super modo eligendi episcopum Gurgensem 212.
LVIII. Decernit caput et magisterium Ordinis Sancti Spiritus in urbe Roma esse debere, 215.
LIX. Monumentum consecrati ab Innocentio altaris in monasterio Fossae Novae, 216.
LX. De modo utendi iure ab Apostolica Sede concesso conferendi beneficia, 217.
LXI. Confirmatio bonorum et privilegiorum monasterii S. Ægidii Tolosan., cuius monachis nonnulla praescribuntur servanda, 219.
LXII. De subventione Terrae Sanctae cum indulgentiarum elargitione iis, qui ad eiusdem recuperationem opem aliquam impenderint, 222.
LXIII. Confirmatio bonorum Trecensis Ecclesiae, et decretorum Romanorum Pontificum pro eiusdem Ecclesiae capituli disciplina, et episcopi iurisdictione servanda, 224.
LXIV. Christifideles studet inducere et hortatur ad expugnationem haereticorum provincialium, 227.
LXV. Privilegium pro Ecclesia Atheniensi 227.
LXVI. Ricardo comiti Sorano castrum Vallis Montonis confirmat, eaque omnia, quae ei locarant canonici basilicae Lateranensis, 230.
LXVII. Capitulo Strigoniensi confirmat donationem quamdam ei factam ab Andrea rege Hungariae, 232.
LXVIII. Strigoniensibus archiepiscopis confirmatur ius coronandi reges Hungariae, 233.
LXIX. Concessio privilegiorum Ordini fratrum Sanctiss. Trinitatis Redemptionis captivorum, 234.
LXX. Nonnulla decernit praemittenda ab iis, qui ad haereticorum provinciae expugnationem se accinxerint, subsidiaque iis ab ecclesiasticis praestanda sancit, 236.
LXXI. Regnum Daniae suscipitur sub protectione Sedis Apostolicae, 237.
LXXII. Confirmatio bonorum Ecclesiae Senensis, 238.
LXXIII. Confirmantur primatus Ecclesiae Toletanae, et caetera privilegia a Pontificibus ei concessa, 239.
LXXIV. Confirmat ordinem et militiam B. Iacobi, et privilegia ab Alexandro Papa ei concessa, 241.
LXXV. Ad episcopos Galliae, de vitanda simonia in receptione monachorum aut sanctimonialium, 246.
LXXVI. Refert confessionem fidei Waldensium ad fidem reversorum, et eorum propositum, seu vitae regulam confirmat, 246.
LXXVII. Confirmat propositum Bernardi primi magistri Waldensium conversorum, 249.
LXXVIII. Confirmatur diploma Ricardi secundi Fundani comitis favore Ecclesiae Fundanae, 253.
LXXIX. Confirmatio nonnullorum statutorum monasterii Grandimonten. 256.
LXXX. Confirmatur concordia inter Ecclesias Strigonien. et Colocen. inita, 257.
LXXXI. Irritatur quicquid contra clericos vel Ecclesias statutum est ab Othone imperatore, ac presertim sententia ab eodem lata contra episcopum Cumanum, 259.
LXXXII. Thessalonicenses archiepiscopi regni primates, ac perpetui Sedis Apostolicae legati declarantur, 260.
LXXXIII. Reges ac regnum Portugallense

sub protectione Sedis Apostolicae suscipiuntur, eisque confirmatur quidquid de Saracenorum manibus fuerit per ipsos acquisitos, 262.
LXXXIV. Confirmatio bonorum omnium Philippensis Ecclesiae, quae variis aucta privilegiis sub Apostolicae Sedis protectione recipitur, 263.
LXXXV. Delegatis apostolicis mandat, ut constitutionem quandam Henrici Constantinopolitani imperatoris, contra libertatem ecclesiasticam editam, elargitionesque erga Ecclesias impedientem irrita declarent, 264.
LXXXVI. Confirmatio bonorum et privilegiorum concessio Ecclesiae Corinthiensi, 265.
LXXXVII. Castrum Nimphae ad Romanam Ecclesiam pertinens Iacobo Papae consobrino, eiusque marescalco in feudum conceditur, 266.
LXXXVIII. Confirmatio bonorum ac privilegiorum concessio monasterio S. Cosmae de Vicovario, quod sub Apostolica recipitur protectione, 267.
LXXXIX. Confirmatio sententiae a delegatis apostolicis latae contra priorem monasterii de Charitate Antissiodorensis dioecesis, 268.
XC. Conceduntur privilegia nonnulla dominis castri Scuriae, quod de speciali Sedis Apostolicae iure esse declaratur, 272.
XCI. Universis Cluniacen. ordinis abbatibus et prioribus ut monasteria eorum gubernationis commissa reformare studeant, 273.
XCII. Ad universos Christifideles per Maguntinam provinciam constitutos de negocio Terrae Sanctae, 274.
XCIII. Indictio sacri et oecumenici concilii Lateranensis pro prima die novembris, 278.
XCIV. Confirmatio privilegiorum ab Adriano, Ioanne IX et Marino summis Pontificibus Nonantulano monasterio concessorum, 280.
XCV. Confirmatio diplomatis Urbani PP. II, quo regnum Aragonum sub protectione Sedis Apostolicae suscipitur, 283.
XCVI. Validatio pacis inter regem Ioannem et Anglicanam Ecclesiam, 284.
XCVII. Angliae regnum beato Petro oblatum regi concedit sub annuo censu mille marcharum auri Rom. Ecclesiae persolvendo, 285.
XCVIII. Confirmatio bonorum omnium ac privilegiorum concessio monasterio Gemblacensi, 287.
XCIX. Confirmatio concordiae initae inter monasterium Virziliacense, et Herveum comitem ac Mathildem comitissam Nivernenses, 289.
C. Confirmatio bonorum omnium, libertatum, immunitatum, ac privilegiorum monachorum Montis Sancti, qui sub apostolica protectione recipiuntur, 291.
CI. Confirmatio bonorum omnium ac privilegiorum concessio monasterio Beatae Mariae Virginis de Alderspack, 292.
CII. Commissio Apostolicae Sedis delegatis, ut Angliae regni barones regi suo rebelles excommunicatos denuncient, 294.
CIII. Confirmatur diploma a Ioanne Angliae rege datum pro libertate electionum Ecclesiis sui regni, 295.
CIV. Infeudatio comitatus Melgorii, seu Montisferrant favore Guillelmi episcopi Magalonen. sub annuo censu 20 marcharum arg. Sedi Apostolicae persolvendo, 297.
CV. De vitanda simonia in receptione monachorum aut sanctimonialium, 298.
CVI. Irritatio concessionum omnium ab Angliae rege magnatibus in praeiudicium regni factarum, 298.
CVII. Indictio belli et cruciatae contra Saracenos pro recuperatione Terrae Sanctae Hierusalem, cum indulgentiarum et privilegiorum concessione pro crucesignatis ad illud proficiscentibus, aut aliter subsidium praestantibus, 300.

HONORIUS III

I. Confirmatio bonorum omnium, ac privilegiorum concessio monasterio Casinensi, 304.
II. Approbatio ordinis B. Dominici sub regula S. Augustini, 309.
III. Commissio inquisitionis super vita et miraculis beati Guillelmi episcopi Bituricensis, 311.
IV. Confirmatio bonorum omnium ac privilegiorum Ecclesiae Terracinen. ac unionis cum eadem Ecclesiarum Privernatis et Setinae, 312.
V. Indictio cruciatae pro subsidio Terrae Sanctae in partibus Lombardiae et Tusciae cum indulgentiarum elargitione, 314.
VI. Approbatio regulae ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, 315.
VII. Coronatio imperatorum Constantinopolitan. et uxoris eius Romae in coenobio Sancti Laurentii extra muros, 316.
VIII. Infeudatio nonnullorum locorum ex donatione comitissae Mathildis provenientium favore Salinguerrae de Ferraria, 317.
IX. Confirmatio privilegiorum Ecclesiae Ianuen., eiusque civitati medietatis insulae Corsicae concessio sub annuo censu unius librae auri, 318.
X. Dissolutio unionis de Domo Sancti Spiritus in Saxia de Urbe hospitali Montispessulan. factae cum nonnullarum gratiarum praefatae Domui confirmatione, 320.
XI. Exhortatio ad omnes Galliarum praelatos, ut pro anniversariis adimplendis in cathedralibus et conventualibus Ecclesiis diebus festis et aliis, alia missa decantanda praetermitti non debeat, 323.
XII. Infeudatio Marchiae Anconitanae Azzoni III, marchioni Estensi, sub annuo censu centum librarum Provinien. monetae Apostolicae Sedi persolvendo, 324.
XIII. Confirmatio iurium omnium, ac privilegiorum a Romanis Pontificibus Albanensi Ecclesiae concessorum, 326.
XIV. Publicatio processuum contra Fanenses ecclesiasticae libertatis perturbatores, ac episcopalis dignitatis invasores, 328.
XV. Confirmatio privilegiorum et libertatum iudaeis concessorum, 330.
XVI. Exhortatio ad archiepiscopum Arborensem; eiusque universos Ecclesiarum provinciae suae prelatos, ut orationibus et auxiliis opportunis pro Terrae Sanctae liberatione desudent, 331.
XVII. Conditiones pacis servandae inter Pisanos et Ianuenses, 333.
XVIII. Confirmatio donationis cuiusdam Ecclesiae per Angliae regem hospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe factae, 335.
XIX. Portugalliae rex, eiusque haeredes et regnum sub Apostolicae Sedis protectione suscipiuntur, cum solutione census duarum marcarum auri singulis annis, 336.
XX. Quod fratres ordinis Carthusien. ab eorum solitudine per neminem distrahantur, vel testimonium ferre, iuramentumve calumniae subire compellantur, 337.
XXI. Interamnensi cathedrali Ecclesiae, quae per Romanos Pontifices Spoletanae fuerat unita, episcopalis dignitas restituitur, 337.
XXII. Sanctorum Confessorum Pontificum canoni adscribitur beatus Willelmus Bituricen. archiepiscopus, cum decreto ut eius festivitas a christifidelibus annis singulis celebretur, 340.
XXIII. Commissio de Bohemiae rege a censuris absolvendo, dummodo de damnis Pragensi Ecclesiae illatis satisfaciat, 342.
XXIV. Confirmatio infeudationis comitatus Melgorii, seu Montis Ferrandi sub annuo censu viginti marcharum argenti favore Ecclesiae Magalonen. 343.

XXV. Commissio inquisitionis super vita et miraculis beati Willelmi abbatis, 343.
XXVI. Demandatur inquisitio super vita et miraculis Ioannis Eremitae prioris conventus S. Mariae de Gualdo, 344.
XXVII. Exhortatio ad Mediolanenses omnes, ut contra Pisanos quosdam Sardiniae occupatores, quae iuris Apostolicae Sedis existit, assurgant, cum indulgentiarum elargitione, 345.
XXVIII. Confirmatio privilegiorum regni Scotiae, 345.
XXIX. Confirmatio instituti, ac regularum hospitalis Noviomensis a Stephano episcopo huiusce civitatis nuper erecti, 346.
XXX. Quod privilegia et indulta Cisterciensi ordini hactenus a Sede Apostolica concessa, salva generalis Concilii moderatione, in viridi habeantur observantia, 347.
XXXI. Confirmatur donatio a populo Interamnensi facta suae Ecclesiae, 348.
XXXII. Reformatio ordinis Grandimonten. in regno Francorum, 351.
XXXIII. Confirmatio statutorum ordinis Vallis-Scolarium ordinis Cisterciensis, 355.
XXXIV. Innovatio quorumdam capitulorum super reformatione Cassinensis coenobii quolibet mense recitandorum, 356.
XXXV. Commissio super inquisitione vitae ac miraculorum beati Hugonis episcopi Lincolniensis, 359.
XXXVI. Iacobo Aragonum regi, eiusque regno, et bonis apostolicae protectionis clypeus indulgetur, 360.
XXXVII. Facultas archiepiscopo Salisburgensi concessa erigendi novum episcopatum in Eccl. Sechowien., 361.
XXXVIII. Annullatio quorumdam statutorum a Fulginatibus contra libertatem ecclesiasticam editorum, ac relaxatio sententiarum contra eorumdem fautores, 362.
XXXIX. Tusculanis episcopis conceditur ecclesia Sanctae Mariae in Monasterio in Urbe ad habitaculum, 364.
XL. Ad praelatos Hiberniae, ut pullulantem inter subditos haeresim oppugnent, abusus tollant, statutaque concilii generalis faciant observari, 364.
XLI. Concessio ecclesiae Sancti Sixti de Urbe fratribus ordinis Praedicatorum, 366.
XLII. B. Hugo Lincolnien. episcopus sanctorum cathalogo adscribitur: cum decreto, ut die depositionis ipsius, eiusdem festivitas annis singulis celebretur, 367.
XLIII. Abolitio quorumdam statutorum per Bononienses contra libertatem Scolarium editorum, 367.
XLIV. Exhortatio ad omnes ordines religiosos, ut pro salute populorum Livoniae ad catholicam fidem noviter conversorum, fratres suos eo destinare procurent, 368.
XLV. Exhortatur christifideles omnes Prussiae ad fidem catholicam noviter conversos, ut alios ad eamdem amplexandam excitent, eisque Sedis Apostolicae patrocinium pollicetur, 369.
XLVI. Commissio delegatis apostolicis, ut episcopos, qui regni Svetiae invasorem, appellatione ad Sedem Apostolicam non obstante, inunxerant, ad eamdem Sedem accedere compellant, 370.
XLVII. Commissio Apostolicae Sedis delegato, ut nomine eiusdem Sedis terram comitissae Mathildis, quam imperator resignari mandaverat, recipiat, eamque personis ecclesiasticis et Romanae Ecclesiae fidelibus committat, 371.
Sequitur fragmentum descriptionis allatae recuperationis terrarum a comitissa Mathilde Romanae Ecclesiae concessarum, 372.
XLVIII. Confirmatio legum pro immunitate, libertate et iurisdictione ecclesiastica editarum a Friderico secundo Romanorum imperatore, 374.
IL. Comminatio poenarum contra Daciae

regnum invadentes, perturbantes, eiusque iura temere usurpantes, 377.

L. Infeudatio quorumdam locorum de terra comitissae Mathildis favore comitis de Mangono sub annuo censu unius asturis et duorum braccorum, salvo tamen Ecclesiarum iure, 377.

LI. Alia similis infeudatio Azzoni de Fregnano sub annuo canone unius asturis et duorum braccorum, Ecclesiarum iure in omnibus semper salvo, 378.

LII. Confirmatio privilegiorum et immunitatum a Bohemiae rege Ecclesiis, et ecclesiasticis regni sui concessarum ac restitutarum, 378.

LIII. Quod Ecclesia Sancti Ioannis in Laterano de Urbe centenaria gaudeat praescriptione, sicut Ecclesia Romana, 379.

LIV. Quod iudaei diversitate habitus distinguantur a christianis, illisque ministerium publicum non committatur, 380.

LV. Quod nemo ex civitate Beneventana domos alterius occupari praesumat, sub poena confiscationis bonorum; neque ibi collectae imponantur nisi de rectoris et totius populi consensu, 380.

LVI. Confirmatio infeudationis terrae Partuselli, sub annua praestatione duarum marcharum argenti, favore comitis Bertoldi, 381.

LVII. Commissio inquisitionis super vita et miraculis Hugonis abbatis Bonae Vallis ordinis Cistercien., 381.

LVIII. Confirmatio concordiae inter Cypri reginam et praelatos eiusdem regni, quodque Graeci in locis ritus latini degentes suos episcopos habere minime possint, latinis tamen subesse teneantur episcopis, 382.

LIX. Quod beatus Robertus, cuius corpus multis coruscans miraculis in ecclesia monasterii Molismen. requiescit, tamquam sanctus veneratione per monachos eiusdem coenobii habeatur, 383.

LX. Confirmatio indulgentiarum pro die consecrationis basilicae Sanctae Mariae Maioris a Sixto tertio et Clemente etiam tertio concessarum, 383.

LXI. Absolutio ab excommunicationis sententia civitati et populo Lucanis sub certis conditionibus impendenda, 384.

LXII. Commissio inquisitionis super vita et miraculis beati Willhelmi archiepiscopi Eboracensis, 386.

LXIII. Insularum rex cum omnibus rebus et bonis suis recipitur sub protectione Sedis Apostolicae cum annua responsione duodecim marcharum sterlingorum, 387.

LXIV. Concessio decem et septem librarum usualis monetae hospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe pro pauperum alimonia, ac institutio processionis Sanctissimi Salvatoris in die Stationis eiusdem Ecclesiae cum indulgentiarum elargitione, 387.

LXV. Animadversio contra illos, qui falsas praeferentes reliquias et litteras, nomine Sancti Antonii eleemosynas dolose a fidelibus extorquent, 389.

LXVI. Approbatio compositionis initae inter N. V. Gaufridum de Villa Arduini principem Achaiae, et clericos ac capitula Ecclesiarum eiusdem principatus, 389.

LXVII. Approbatio regulae et ordinis fratrum Minorum S. Francisci, 394.

Sequitur testamentum Beati Francisci, 397.

LXVIII. Sanctorum confessorum canoni adscribitur B. Willhelmus canonicus regularis congregationis Sancti Victoris Parisien. et abbas Roschildensis, in Dania, 399.

LXIX. Concessio locorum utriusque Bundeni ad triginta annos episcopo Reginen. facta sub annuo censu triginta librarum, 401.

LXX. Confirmatio privilegiorum, bonorum et iurium Ecclesiae Ravennaten., 401.

LXXI. Quod abbates, seu priores ordinis Camaldulen. a monasteriorum regimine amovendi, seu de excessibus eorum corrigendi, ad appellationes interponendas minime admittantur, 404.

LXXII. Confirmatio bonorum omnium ac limitum Forosemproniensis Ecclesiae, ac cuiusdam sententiae eiusdem favore ab Alexandro PP. III latae, 405.

LXXIII. Exemptio ordinis Cisterciensis monachorum S. Benedicti a solutione decimarum, 408.

LXXIV. Alia consimilis exemptionis concessio, 408.

LXXV. Unam praebendam in singulis Franciae Ecclesiis reservat pro necessitatibus Ecclesiae Romanae, 409.

LXXVI. Publicatio processuum, aliarumque poenarum constitutio contra S. R. E. cardinales invadentes, seu eos alias quomodolibet iniuria afficientes, 410.

LXXVII. Canonizatio S. Laurentii archiepiscopi Dublinensis, regis ac reginae Hiberniae filii, eiusque relatio in numerum sanctorum confessorum, et festivitatis eiusdem praefinitio pro die decimaquarta mensis novembris quotannis celebrandae, 413.

LXXVIII. Approbatio regulae ordinis fratrum Eremitarum Beatae Mariae de Monte Carmelo, 415.

Regulae praedictae tenor subsequitur, 415.

LXXIX. Ordinis Praedicatorum, et Sancti Francisci Fratribus apud infideles degentibus, ut habitum mutare, barbam et comam nutrire, ac pecunias tractare valeant, indulgetur, 417.

LXXX. In Sanctorum Confessorum Pontificum numerum refertur B. Willhelmus Eboracen. in Anglia archiepiscopus, 418.

GREGORIUS IX.

I. Quod Cremonensis Ecclesia de caetero suffraganea sit et esse intelligatur archiepiscopalis Ecclesiae Mediolanensis, cui reverentiam et obedientiam consuetas exhibere debeat, 420.

II. Quod populi noviter ad fidem catholicam conversi nulli, nisi Romanae Ecclesiae, subiecti esse intelligantur, sub cuius protectione recipiuntur, 422.

III. Confirmatio concessionis castrorum Carpi et Montis Baronzon per fel. record. Honorium Papam tertium alias civitati Mutinen. factae sub annuo censu sexaginta librarum, 422.

IV. Quod quicumque religiosi ad eremum ordinis Camaldulen. transire possint, 423.

V. Confirmatio statutorum et libertatum ordinis Sanctae Mariae Theutonicorum, eiusdemque ordinis susceptio sub Apostolicae Sedis protectione, 423.

VI. Ecclesia Sancti Theodori de Trebis, cum aliis tam loci eiusdem, quam castrorum Filectini et Vallispetrarum Ecclesiis, omni contradictione cessante, Anagnini episcopi iurisdictioni subiecta declaratur, 426.

VII. Quod appellatione ad Sedem Apostolicam interposita non obstante, episcopi procedant ad ulteriora in correctione ecclesiasticorum fornicationi addictorum, nisi in literis eiusdem facti series specialiter habeatur, 428.

VIII. Litterae processus contra Fridericum II Romanorum imperatorem publicatae die Coenae Domini, ac absolutio subditorum eius a iuramento fidelitatis, nisi resipuerit, 428.

IX. Castrum Avillani a comite Sabaudiae Sedi Apostolicae donatum eidem comiti conceditur in feudum, 430.

X. Commissio episcopo, et duobus canonicis capituli Cenomanen., ut confirment sententiam excommunicationis in ducem Britanniae, et interdicti in terras eius latam: et si non resipuerit, vassallos eius ab obedientia illi debita absolvant, 431.

XI. Approbatio statutorum abbatum or-

dinis Sancti Benedicti in provincia Narbonen. ad restaurandam regularem disciplinam, 433.

XII. Canonizatio sancti Francisci de Assisio, eiusque relatio in numerum sanctorum confessorum, cum suae festivitatis institutione pro die quarta octobris, 438.

XIII. Innovatio indulgentiarum pro certantibus contra haereticos Albigenses cum aliarum gratiarum et indultorum elargitione, 441.

XIV. Archiepiscopo Colocen. conceditur facultas erigendi monasterium de Cuchet in sedem episcopalem, attenta vastitate suae dioecesis, cum assignatione congrua et opportuna pro episcopo eligendo, 442.

XV. Quod hospitale Sancti Spiritus in Saxia de Urbe super omnes alias totius ordinis domus praeminentiae ac magisterii locum obtineat, confirmatur, 443.

XVI. Confirmatio libertatum Suessanae civitati ad Romanae Ecclesiae fidelitatem reversae, quae sub Apostolicae Sedis protectione suscipitur, 443.

XVII. Similis concessio civitati Caietanae, 444.

XVIII. Innovatio privilegiorum et immunitatum concessio pro civitate Sorana de iure Sedis Apostolicae, sub cuius patrocinio recipitur, 445.

XIX. Cives Massilienses recipiuntur sub tutela Sedis Apostolicae cum annua praestatione centum obulorum aureorum, ab ipsis sponte oblatorum, 446.

XX. Lucanis, ob Garfagnani occupationem de iure Sedis Apostolicae excommunicationis vinculo iam innodatis, praefigitur terminus ad resipiscendum, quo elapso, nisi resipuerint, sedis episcopalis amotio, aliaeque graviores decernuntur poenae, 446.

XXI. Reconciliatio Friderici II Romanorum imperatoris cum Romana Ecclesia, quibusdam positis conditionibus pro eiusdem Ecclesiae debita satisfactione, 448.

XXII. Declaratio regulae fratrum Minorum, eisdem a Sancto Francisco institutore traditae, cum responsionibus dubiis per eosdem fratres allegatis, 449.

XXIII. Quod tyrones infra tempus probationis habitum dimittere, et ad saecularia vota remeare absque apostasiae nota libere et licite possint et valeant, 452.

XXIV. Confirmatio concordiae inter Sanctorum Laurentii in Damaso, et Eustachii de Urbe capitula initae super nonnullarum Ecclesiarum iurisdictione, 453.

XXV. Innovatio privilegiorum, aliorumque indultorum a Zacharia Papa sacro Cassinensi coenobio concessorum, 455.

XXVI. Praescribuntur nonnulla statuta et ordinationes pro bono regimine Universitatis Studii generalis Parisien. a magistris, eiusdemque scholaribus servanda, 455.

XXVII. Quod a clero in Ecclesiis Urbis servetur ordo, videlicet ut presbyteri diaconis praeferantur, isti vero subdiaconis praecedant, 458.

XXVIII. Confirmatio regulae ordinis S. Marci Mantuan., cuius prioribus indulgetur, ut laicos, qui apud eos regularem habitum receperint, ad primam tonsuram promovere valeant, 458.

XXIX. Oblati ordinis Carthusiensis gaudent omnibus eiusdem ordinis praerogativis et indultis, 463.

XXX. Quod praelati Ecclesias suas, quibus praesunt, alienis debitis gravare minime possint, 463.

XXXI. Canonizatio Sancti Antonii de Padua nuncupati, professoris ordinis fratrum Minorum conventualium Sancti Francisci, eiusque relatio in numerum Ss. confessorum, cum institutione eius festivitatis pro die 13 mensis iunii, 464.

XXXII. Praemonstratensium canonicorum ordinis reformatio, 466.
XXXIII. Adhortatio ad Germanum patriarcham Constantinopolitanum, ut ad gremium matris Ecclesiae revertatur, ac de primatu sanctae Romanae Ecclesiae, 469.
Sequitur altera ad eumdem epistola, 472.
XXXIV. Quod in posterum nulla laicorum confraternitas in Urbe absque Sedis Apostolicae licentia speciali erigatur, minusque observetur forma illarum, quae irritae declarantur, circa associationem cadaverum defunctorum, 474.
XXXV. Reformatio monachorum Cluniacensium ordinis Sancti Benedicti, 474.
XXXVI. Prohibitio, ne Iudaei mancipia, nutrices et famulas christianas in propriis domibus habeant, aliaque contra eosdem decernuntur quoad consortium cum christifidelibus, 479.
XXXVII. Erectio Studii generalis in civitate Tolosana cum exemptionibus et libertatibus quibus Parisienses scholares fruuntur et gaudent, 480.
XXXVIII. Prohibitio alienandi terras, castra et alia loca Sedis Apostolicae absque consensu sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, 481.
XXXIX. Quod principes, aut nobiles, seu Ecclesiarum praelati, occasione iurispatronatus, advocatiae, custodiae, aut aliter a monasteriis ordinis Cisterciensis quidquam exigere, vel talliis gravare non possint, 482.
XL. Canonizatio Sancti Dominici institutoris ordinis fratrum Praedicatorum, sub regula Sancti Augustini, eiusque adscriptio in cathalogum sanctorum confessorum, cum festivitatis institutione pro die quinta mensis augusti, 483.
XLI. Quod omnes uti debeant decretalibus Gregorii iussu a sancto Raymundo compilatis, nec alia de caetero fieri possit illarum compilatio, 485.
XLII. Ordini fratrum Beatae Mariae de Mercede, Redemptionis Captivorum, conceditur, ut vivant sub regula S. Augustini, 485.
XLIII. Prohibitio aedificandi, ac reædificandi castra in terra Sabiniae, Status Ecclesiastici, absque licentia Sedis Apostolicae, 486.
XLIV. Approbatio ordinis fratrum et sororum Militiae Iesu Christi nuncupatorum Parmen., 486.
XLV. Canonizatio S. Elisabeth viduae, Andreæ regis Hungarorum filiae, cum institutione festivitatis pro die decimanona mensis novembris, 489.
XLVI. Quod communitates teneantur reficere damna praedatis, in quorum territoriis per fures et praedones illata fuerint, 491.
XLVII. Concessio pedagii civitati Castellanae facta ad effectum reparandi pontem, vulgo Tregi nuncupatum, cum exemptione pro ecclesiasticis, 492.
XLVIII. Concessio cruciatae in regnis Castellae et Legionis pro extirpandis Agarenis ad instantiam illius regis, 492.
IL. Confirmatio bonorum omnium ac privilegiorum regularis Ecclesiae Sancti Lamberti Subnen. Salisburgen. dioecesis, 493.
L. Restitutio episcopalis dignitatis, aliorumque iurium, quibus civitas Lucana, ob quosdam in Romanam, eiusque Ecclesias excessu commissos, spoliata fuerat, 496.
LI. Approbatio veritatis sacrorum stigmatum Sancti Francisci de Assisio, 497.
LII. Enunciatio excommunicationis in Fridericum II imperatorem, eiusque fautores promulgatae, 497.
LIII. Sequitur alia constitutio super eisdem, 499.
LIV. Erectio oppidi Recanaten. in civitatem, eiusque Ecclesiae in cathedralem, et sedem episcopalem cum dis-

membratione ab Ecclesia Humanatensi, 500.
LV. Sequitur ad Humanatem episcopum in idem argumentum, 500.
LVI. Indulgentia trium annorum, et totidem quadragenarum pro visitantibus basilicam principis Apostolorum de Urbe a festo Pentecosten usque ad octavas Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, 501.

COELESTINUS IV.

Eius vita, 501.

INNOCENTIUS IV.

I. Encyclicae Innocentii litterae de sua in Pontificem electione, 502.
II. Approbatio legum a Friderico imperatore, hactenus in obedientia sanctae Romanae Ecclesiae persistente, contra haereticos, eorumque complices et fautores editarum, 503.
Incipiunt capitula constitutionis contra Patarenos, aliosque haereticos editae per eumdem Fridericum illustrem virum, Romanorum imperatorem semper Augustum, Hierusalem et Siciliae regem, 506.
III. Concessio indulgentiarum christifidelibus visitantibus Ecclesias fratrum ordinis Eremitarum Sancti Augustini nonnullis statutis festis anni diebus, 507.
IV. Hortatio ad regem Franciae, ut in suo regno concremari faciat librum Talmud, quo utuntur iudaei, eisque prohibeat nutrices et servientes habere christianos, 508.
V. Convocatio abbatum et priorum Angliae ad generale concilium Lugdunense primum, pro die 24 iunii 1245, 510.
VI. Fridericum secundum imperatorem excommunicans, iure imperii deturbatum, subditosque iuramenti religione solutos declarat, 510.
VII. Portugalliae rege regno deturbato propter inhabilitatem, regni proceres monentur, ut comiti Bolonien. ipsius regis fratri obediant, salvo tamen eiusdem regis, eiusque filiorum iure, 516.
VIII. Brugnatensi et Naulensi Ecclesiis, quae antea fuerant unitae, dignitas redditur episcopalis: Naulensi autem annectitur monasterium Sancti Eugenii prope hanc civitatem situm, 519.
IX. Explicatio nonnullorum capitum regularum fratrum ordinis Minorum S. Francisci, 519.
X. Privilegium abbatis monasterii Cistercien., et aliorum coabbatum ordinis Cisterciensis, succedendi in bonis monachorum, in quibus ipsi successissent, si in saeculo remansissent, 522.
XI. Canonizatio beati Eadmundi Cantuariensis archiepiscopi, cum institutione festivitatis pro die 16 novembris, 522.
XII. Confirmatio congregationis monachorum Sylvestrinorum in eremo Sancti Benedicti de Monte Fano mox institutae sub regula sancti Benedicti, et concessio gratiarum et exemptionum, 525.
XIII. Traditur norma vivendi monialibus ordinis Sancti Damiani, quae cum suis monasteriis regimini et obedientiae ministrorum ordinis Sancti Francisci subiiciuntur, 527.
XIV. Declaratio et mitigatio regulae fratrum ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, ab Honorio Tertio hactenus approbatae, 535.
XV. Civitas Auximana, episcopali privata dignitate, Humanatensibus subiicitur episcopis, 536.
XVI. Populo Placentino facultas conceditur publicam instituendi Academiam, episcopo vero lauream conferendi doctoralem, 536.
XVII. Revocatis iis, quae contra libertatem ecclesiasticam a Friderico rege in Sicilia acta sunt, nonnulla statuuntur ad libertatem ac disciplinam

ecclesiasticam in eodem regno reparandam, 537.

XVIII. Confirmantur bona omnia Ecclesiae de Rov. Ratisbonen. dioecesis, cui nonnulla quoque conceduntur privilegia, 540.

XIX. Quod fratres Minores ordinis S. Francisci Conventuales denominentur, 542.

XX. Civibus insulae Maioricarum conceditur, ne in posterum ad lites dirimendas loca remota petere cogantur, 543.

XXI. Quod nullus archiepiscopus, nec Apostolicae Sedis legatus fratres ordinis Praedicatorum ad episcopatum, vel alias dignitates possit assumere: iis vero huiusmodi dignitates accipere non liceat invitis ordinis superioribus, 543.

XXII. Privilegia nonnulla ac libertates Neapolitanis conceduntur, 544.

XXIII. Privilegium, quo comitatus Lyciensis Marco Ziani ducis Venetiarum filio post Tancredi avi sui obitum conceditur, 546.

XXIV. Hadriensis Ecclesia in cathedralem erecta Pennensi unitur, cum decreto ut Pennensis episcopus Hadriensis quoque dicatur, certis quoque addictis pactis et conditionibus, 547.

XXV. Cives Viterbienses antea subiecti anathemati, quia contra Romanam Ecclesiam Friderico imperatori adhaeserant, eidem Ecclesiae reconciliantur; eisque bona omnia ac antiqua privilegia restituuntur, 549.

XXVI. Haeretici, eorumque fautores et complices banno exponuntur, et eorum bona publicantur, 551.

XXVII. Promulgatio legum et constitutionum contra haereticos, eorumque complices et fautores, a magistratibus et officialibus saecularibus observandarum, 552.

Sequitur declaratio dictae constitutionis, 558.

XXVIII. Ecclesia Sanctae Mariae de Ara-Coeli in Urbe ac monasterium prope illam constitutum fratribus ordinis Minorum Sancti Francisci conceditur, 558.

XXIX. De cautione praestanda a fautoribus haereticorum ad fidem redeuntibus, et de applicatione poenarum in casu contraventionis statutum ab Albanensi episcopo confirmat, 561.

XXX. Archiepiscopis et episcopis, ut ex mulcta pecuniaria haereticorum inquisitoribus sumptus suppeditent, 562.

XXXI. Canonizatio beati Petri martyris Veronensis, professoris ordinis fratrum Praedicatorum, et institutio suae festivitatis pro die 29 mensis aprilis, 562.

XXXII. Confirmatio formae eligendi priorem generalem fratrum ordinis Eremitarum S. Augustini eisdem a cardinali Sancti Eustachii praescriptae, 566.

XXXIII. Approbatio regulae a beato Francisco traditae Sanctae Clarae, et aliis sororibus, 570.

XXXIV. Canonizatio beati Stanislai episcopi Cracoviensis in Polonia, eiusque adscriptio in numerum Sanctorum, cum eiusdem festivitatis institutione pro die 8 maii, 577.

XXXV. Definitio quorumdam articulorum circa ritus Graecorum, 580.

XXXVI. Quod inquisitores haereticae pravitatis possint interpretari statuta ecclesiastica et saecularia contra haereticos edita. Eosque, filios, ac nepotes, et adhaerentes, aut ipsorum opera, beneficia, et officia assequentes, illis privare. Quodque accusatorum et testium nomina publicare non debeant, 583.

XXXVII. Inquisitorum haereticae pravitatis facultas procedendi contra haereticos, eorumque fautores, et negotio inquisitionis se opponentes, ac Praedicatores quaestuarios, ac indulgentiae pro audientibus praedicationem inquisitorum, vel eis auxilium praestantibus, 584.

XXXVIII. Inquisitorum haereticae pravitatis facultas absolvendi a censuris ecclesiasticis confratres societatis Crucesignatorum, pro sanctae inquisitionis praesidio institutae, et nonnulla indulta eis concedendi, 585.
XXXIX. Sententia excommunicationis in Ezelinum, 586.
XL. Leges in haereticos eorumque complices latae, 588.
XLI. Privilegia conceduntur inquisitoribus, 590.
XLII. Confirmatur sententia excommunicationis lata ab archiepiscopo Cantuarien. et totius Angliae episcopis contra perturbantes iura Ecclesiarum, 591.

ALEXANDER IV.

I. Praesules christiani orbis de adepto pontificatu certiores facit, 593.
II. Revocatio quarumdam litterarum et sententiae ab Innocentio Papa IV latae adversus religiosos, 594.
III. Immunitas ab omni exactione, datio *etc.* in dominiis Apostolicae Sedis, concessa Ianuensibus ab Innocentio Papa IV confirmatur, 595.
IV. Rigensi Ecclesiae metropolica dignitas confirmatur in Livonia, 596.
V. Lithuaniae regi concedit, ut praesulem catholicum evocet ad regia filio ornamenta conferenda, 597.
VI. Quod de caetero in cathedralibus et aliis Ecclesiis nullus in canonicum recipiatur ultra numerum canonicorum consuetum, expectativarum litteris minime suffragantibus, 598.
VII. Revocatio indultorum conferendi quaecumque beneficia cum vacaverint, et expectativarum ad eadem etiam post adeptam possessionem, 599.
VIII. Quod ad Ecclesias promoti infra sex menses munus consecrationis suscipere teneantur, 600.
IX. Confirmatio Universitatis Studii generalis in civitate Salamantina erecti, 601.
X. Confirmatio regulae S. Augustini pro ordine fratrum et militum hospitalis Leprosorum Sancti Lazari Hierosolymitani, 602.
XI. Quaedam Parisiensis Universitatis statuta contra fratres ordinum Mendicantium probat, nonnulla temperat, caetera rescindit, 602.
XII. Quod contra Franciae regem, eiusque in regno successores a nemine censurae publicari possint absque Sedis Apostolicae licentia speciali, 607.
XIII. Confirmatio concordiae inter fratres Carthusianos initae pro bono regimine totius ordinis, 608.
XIV. Declarationes quorumdam articulorum contentorum in constitutione Innocentii IV, num. XXVII contra haereticos, quae legitur supra, fol. 552, *Ad extirpanda*, 611.
Sequuntur aliae declarationes super nonnullis dubiis, 611.
XV. Confirmatio bonorum omnium, ac privilegiorum concessio monasterio S. Matthaei de Castello ordinis Cassinensis, 613.
XVI. Fratribus ordinis Eremitarum Sancti Augustini diversa vestium species assignatur iuxta diversos professorum, conversorum et novitiorum gradus, 615.
XVII. Confirmatio statutorum in capitulo generali ordinis S. Augustini editorum pro recto gubernio totius ordinis, 616.
XVIII. Revocatio privilegiorum et indultorum quibuscumque personis concessorum: scilicet, quod per Sedem Apostolicam excommunicari vel interdici non possint, 618.
XIX. Approbatio ut mulieres iam prostitutae, et ad meliorem frugem reversae collocentur in aliquo loco sub regula alicuius ordinis, 619.
XX. Canonizatio B. Clarae de civitate Assisii, ordinis monialium Sancti Francisci, eiusque adscriptio in cathalogo Sanctarum Virginum cum festivitatis

institutione pro die 12 mensis augusti, 620.
XXI. Diffinitio controversiae super primatu inter Armachanum et Tuamensem archiepiscopos, 624.
XXII. Comprobatio veritatis stigmatum S. Francisci de Assisio, cum poenarum impositione adversus aliter affirmantes, 626.
XXIII. Quod fratres Minores conventuales ordinis S. Francisci ad episcopatus et alias dignitates promoti, libros et alia eorum bona ordini resignare teneantur, 628.
XXIV. Confirmatio declarationis statutorum Ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo, 628.
XXV. Declaratio, quod ex concessionibus per Apostolicam Sedem cuicumque factis, vel faciendis, nullum praeiudicium fratribus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani inferatur, nisi specifica eorum mentio fiat in litteris apostolicis, 629.
XXVI. Quod abbates a prioribus, quos in suis prioratibus instituunt, nullam pensionem, seu pecuniae quantitatem ante vel post institutionem exigere praesumant, 629.
XXVII. Quinam conservatores eligi debeant, et quae ab ipsi in eorum officii administratione servanda sint, 632.
XXVIII. Fratres ordinis Servorum Beatae Mariae, eorumque bona sub Apostolicae Sedis protectione recipiuntur, cum paupertatis voti professione, 633.
XXIX. Unio diversarum congregationum Eremitarum sub denominatione fratrum Eremitarum Sancti Augustini, deque huius ordinis regula ac uniformis habitus delatione, 635.
XXX. Civibus Wormatiensibus conceditur, ut trahi extra civitatem ad iudicium nequeant inviti, 637.
XXXI. Concessio exemptionum archihospitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe a talleis et collectis, 637.
XXXII. Confirmatio unionis congreg. ordinis Camaldulen. sub regimine prioris eiusdem eremi, 637.
XXXIII. Prohibitio eligendi vel nominandi Conradum natum quondam Conradi filii Friderici olim imperatoris, in regem Romanorum, 639.
XXXIV. Priores et fratres Eremitae ordinis Sancti Willelmi recipiuntur sub protectione Sedis Apostolicae, cum nonnullarum gratiarum elargitione, 641.
XXXV. Damnatio libri, *De periculis novissimorum temporum* nuncupati, nonnulla impia, scandalosa et execrabilia continentis, 644.
XXXVI. Inquisitorum haereticae pravitatis facultas procedendi, etiam irrequisitis dioecesanis, contra haereticos iudicialiter confessos et obstinatos, 646.
XXXVII. Erectio sedis episcopalis in civitate Aquilae, 647.
XXXVIII. Litterae cruciatae contra Boleslaum Calvum Legnicensem ducem, 648.
XXXIX. Quod Regulares admitti debeant in Universitate Studiorum Parisien., 649.
XL. Excommunicatio illorum, qui in regno Franciae statuta contra immunitatem ecclesiasticam edita observant, 651.
XLI. Revocatio indultorum archiepiscopis et episcopis concessorum super non visitatione Sacrorum Liminum ad tempus, 652.
XLII. Quod statuta Communitatis Mantuae, quoquo modo officium sanctae inquisitionis impedientia moderentur, vel abrogentur, 652.
XLIII. Confirmatio privilegiorum archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia de Urbe, eiusque hospitalium et grangiarum, et praecipue Montispessulan. subiectorum enumeratio, 653.
XLIV. Unio locorum omnium congregationis Camaldulensis, ordinis Sancti Benedicti, sub regimine prioris eremi Camaldulen., iurisdictioque omni-

moda eiusdem prioris in personas dictae congregationis, ac plurimarum gratiarum concessio, 657.

XLV. Testimonium Alexandri PP. Castrum Acuti pleno iure ad Anagninam Ecclesiam pertinere, 662.

XLVI. Declaratio quorumdam dubiorum concernentium causam fidei catholicae, et poenas haereticorum, eorumque complicum et fautorum, 663.

XLVII. Infirmi, qui sanae mentis haereticorum consolamentum petunt, non excusantur eo quod, tempore receptae consolationis, sanae mentis non essent, eorumque familiares super hoc in testes non admittendi, 666.

XLVIII. De cautione recipienda ab haereticis conversis et eorum fautoribus. Statuitur insuper, ut ex pecunia ex mulctis provenienti expensae Inquisitoribus ministrentur per episcopos, 666.

Sequitur alia constitutio super poenarum exactione, 667.

XLIX. Quod praelati ecclesiastici, rectores saeculares, et alii, faveant inquisitoribus haereticae pravitatis in negotio fidei exequendo, 667.

L. Indulgentiae pro inquisitoribus haereticae pravitatis, eorumque notariis, sociis et fautoribus, ac pro omnibus in prosecutione negotii fidei decedentibus, 668.

LI. Inquisitorum haereticae pravitatis facultas cogendi quoscumque magistratus et officiales ad exequendum eorum sententias, 669.

LII. Inquisitorum haereticae pravitatis auctoritas compellendi quoscumque ad sibi exhibendum scripturas et instrumenta spectantia ad officium sanctae inquisitionis, et convocandi clerum et populum adversus haereticos et eorum fautores, 669.

LIII. Praelati, ecclesiastici et alii omnes clerici quomodolibet exempti, statim requisiti, provideant inquisitoribus, eorumque sociis, de salvo conductu, 670.

LIV. Declaratio illorum, quae a clero Urbis servari debent in processione, quae fit ad basilicam Sancti Petri die festo Sancti Marci, 671.

LV. Quod inquisitores haereticae pravitatis bona haereticorum confiscata distrahant, et pretium ad opus sanctae Romanae Ecclesiae conservent, 672.

LVI. Quod inquisitores haereticae pravitatis procedere possint in causis Fidei contra quoscumque etiam exemptos, eligereque notarios etiam regulares, qui in saeculo notarii fuerunt, 672.

LVII. Inquisitores haereticae pravitatis ordinis fratrum Praedicatorum vel Minorum non tenentur obedire praelatis suorum ordinum in concernentibus officium sanctae inquisitionis, 673.

URBANUS IV.

I. Encyclicae Urbani IV de sua electione litterae, 674.

II. Approbatio ordinis Militiae Beatae Mariae Virginis gloriosae sub regulari observantia beati Augustini, 676.

III. Canonizatio Sancti Richardi episcopi Cicestren. in Anglia, eiusque relatio in numerum sanctorum confessorum, cum institutione festivitatis pro die tertia mensis aprilis, 682.

IV. Inquisitorum haereticae pravitatis auctoritas circa processum et examen testium, observantiamque legum editarum contra haereticos et punitionem Praedicatorum et aliorum ipsis inquisitoribus inobedientium, 687.

V. Mandatur archiepiscopo Moguntino, ut sententiam excommunicationis publicari faciat contra electores, si Conradum Conradi, Friderici olim imperatoris filii, natum in imperatorem eligant, 690.

VI. Inquisitores haereticae pravitatis et eorum notarii, a quocumque officiali Sedis Apostolicae delegato non pos-

sunt excommunicari, suspendi, vel interdici, absque eiusdem Sedis licentia speciali, 694.
VII. Quod inquisitores haereticae pravitatis, et eorum socii ordinis fratrum Praedicatorum mutuo se possint ab excommunicatione absolvere, irregularitatibus dispensare, a quibus per priores eiusdem ordinis absolvi possent, 694.
VIII. Exemptiones et immunitates congregationis monachorum Montis Virginis, ordinis Sancti Benedicti, 694.
IX. Magistris et scholaribus Studii Palentin. conceduntur privilegia et exemptiones ad instar Universitatis Parisien., 695.
X. Quod ecclesiastici per se ad saecularia iudicia delegata vel ordinaria iurisdictione relicta trahi minime possint, 696.
XI. Quod ad Ecclesiarum regimina promoti illa dumtaxat beneficia retinere possint, quae suae promotionis tempore canonice retinebant, 697.
XII. Civitas Recanaten. Romanae Ecclesiae rebellis episcopali dignitate privatur, 697.
XIII. Diffinitio controversiae inter Riccardum comitem Corrubiae et Castellae ac Legionis regem, ut uterque denominetur in Romanorum regem electus, 698.
XIV. Approbatio loci sepulturae in insula Gadicen. a Castellae et Legionis rege pro sui corporis condendis reliquiis electi, quae insula episcopali ornatur dignitate, 700.
XV. Quod ecclesiastici in causis, quae ad Forum ecclesiasticum pertinent, ad saeculare iudicium ab aliis non trahantur, 701.
XVI. Quod castra, feuda, terras et alia in Campania et Maritima consistentia nonnisi personis de eisdem provinciis oriundis vendi, donari seu infeudari possint, 702.
XVII. Privata Recanatensi civitate episcopali dignitate, Auximanae restituitur cum omnibus iuribus etc., 702.
XVIII. Condemnantur omnia statuta et conspirationes a magnatibus regni Angliae Oxoniae factae, 704.
XIX. Institutio festivitatis Sanctissimi Corporis Christi pro feria quinta post octavam Pentecostes quotannis solemniter celebrandae, 705.
XX. Privilegium abbatis congregationis monachorum Montis Virginis, ordinis Sancti Benedicti, utendi mitra, baculo, benedictione solemni et aliis pontificalibus, 708.
XXI. Institutio secundae regulae ordinis sororum Sanctae Clarae nuncupatarum, seu mitigatio primae regulae a B. Francisco pro eiusmodi sororibus traditae, 709.

CLEMENS IV.

I. Encyclicis litteris omnes Ecclesiarum praelatos ad implorandam divinam opem pro Ecclesia bene gubernanda incitat, 721.
II. Constitutio, per quam declaratur Angliae regem, eiusque filium Edmundum nunquam fuisse veros regni Siciliae possessores, 722.
III. Restitutio dignitatis episcopali civitati et Ecclesiae Fulginaten., qua privata fuerat ob adhaesionem Friderico olim imperatori, 726.
IV. Privilegia fratrum Militum hospitalis S. Lazari Hierosolymitani, 727.
V. Declarationes statutorum (quae Charta Charitatis appellantur) ordinis Cisterciensis monachorum Sancti Benedicti, aliaeque ordinationes pro eius bono regimine, 729.
VI. De auctoritate et facultatibus ministri generalis, et aliorum praelatorum fratrum Minorum Conventualium ordinis S. Francisci, nonnullisque gratiis et privilegiis eiusdem ordinis, 735.
VII. Privilegium fratrum Militum hospitalis Sancti Lazari Hierosolymitani

leprosos undique suscipiendi, et ad domum aliorum leprosorum cum eorum bonis transferendi, 742.
VIII. Reservatio Ecclesiarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque apud Sedem Apostolicam vacantium, 743.
IX. Confirmatio constitutionum et legum ab Innocentio IV et Alexandro IV editarum contra haereticos, eorumque complices et fautores, 743.
X. Quod magistratus saeculares describi faciant in libris statutorum civitatis leges editas contra haereticos, 744.
XI. Infeudatio regni Siciliae Carolo Ludovici regis Franciae fratri, 744.
Litterae investiturae factae per cardinales delegatos, 747.
XII. Quod prope Ecclesias fratrum Minorum conventualium ordinis Sancti Francisci non possit novum monasterium construi vel acquiri ab ordinibus in paupertate fundatis, vel cuiuscumque ordinis monialibus, infra spatium trecentum cannarum, 759.
XIII. Destinatio legatorum, qui Carolum Andegavensem, eiusque uxorem in Urbe Siciliae reges coronent et inungant, homagium nomine Romanae Ecclesiae ab eisdem recepturi, 760.
XIV. Sequitur Carolo Siciliae regi in idem argumentum, 762.
XV. Quod inquisitores haereticae pravitatis describi faciant in statutis civitatum leges editas ab Innocentio IV contra haereticos, magistratus saeculares ad id cogendo, 763.
XVI. Revocatio omnium indulgentiarum et privilegiorum, quibuscumque singularibus personis ecclesiasticis vel saecularibus, quibus eis concedebatur quod interdici vel excommunicari non possent, nec terrae eorum ecclesiastico interdicto supponi, 763.
XVII. Quod abbates et alii, quibus mitrae usus est ab Apostolica Sede concessus, exempti quidem, in conciliis et synodis, mitris tantummodo aurifrigiatis, non exempti vero simplicibus albis et planis utantur, 764.
XVIII. Wernhero Moguntino archiepiscopo committitur, ut electionem Conradini Siciliae regnum affectantis in imperatorem impediat, electores, fautores, etc., si secus egerint, anathemate percellendo, 765.
XIX. Contra quaestuantes, litterisque apostolicis abutentes, earumdemque praetextu eleemosynas quomodolibet extorquentes, 767.
XX. Quod in civitate Beneventana statuta condi absque Sedis Apostolicae licentia nequeant, abrogenturque condita, 768.
XXI. Canonizatio S. Hedwigis ducissae Poloniae, et praefinitio festivitatis pro die 15 octobris cum indulgentiarum elargitione eius sepulchrum visitantibus, 769.
XXII. Regulae ac statuta observanda a canonicis et clero Ecclesiae Aniciensis, 775.
XXIII. Quod in toto ordine fratrum Praedicatorum divinum officium ubique uniformiter, prout ordinatum fuerat, recitetur, 785.
XXIV. Contra christianos ad iudaeorum ritum transeuntes, ac iudaeos christianos eosdem ad id trahentes, 785.
XXV. Confirmatio litterarum Innocentii PP. IV, per quas ille, revocatis iis, quae Fridericus rex in Sicilia egerat, nonnulla statuerat ad libertatem et disciplinam ecclesiasticam in idem regnum reparandam, 786.
XXVI. Mitigatio et declaratio regulae fratrum ordinis Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum, 786.
XXVII. Translatio festi Sancti Ianuarii, quae Neapolis celebrari consueverat decimotertio kalendas octobris ad septimum idus maii, 792.
XXVIII. Sententia in Conradinum, qui ob spreta apostolica monita regni Hierosolymitani iuribus privatur, 793.
XXIX. Reductio privilegii Sancti Dominici et Sancti-Francisci fratribus olim per

Sedem Apostolicam concessi, ne alii religiosi prope eorum domum infra spatium trecentarum cannarum monasteria aedificare possint, ad centum quadraginta cannas, 798.

XXX. Quod fratres ordinis Praedicatorum Sancti Dominici, ad praelaturas extra ordinem assumpti, antequam consecrationis munus recipiant, omnia quae ab ordine habent, conventui resignent, 798.

XXXI. Archiepiscopi et alii praelati gratias et privilegia ordini fratrum Praedicatorum Sancti Dominici vel fratribus Minoribus Sancti Francisci interpretari prohibentur, 799.

XXXII. Abrogatio statutorum quorumdam in capitulo generali Cartusien. ordinis editorum, quodque de caetero in dicto capitulo contra constitutiones ordinis edi nequeant, 800.

V. ex delegatione DD. Archiepiscopi Taur.

F. CLODOVÆUS A COSTILIOLIS Ord. Min.